Digitized by Google

*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31.K.30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA
ACTA
ERUDITORUM,
ANNO
MDCCLII
publicata.

Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegio.

LIPSIÆ,
Proſtant apud JO. FRID. GLEDITSCHII & LANCKISII hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM, Pariſiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amſtelodami in PETRI MORTIERII officina.

MDCCLII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Lectori æquo & benevolo Salutem!

In tali ſcribendi genere, quale hoc noſtrum eſt, multum referre, qui, aut quales, ſint, qui ſcribunt, dudum agnoverunt, qui, quid utile ſit literis, intelligunt. Nam, cum ſatis per ſe grave, & majoris, quam imperitus aliquis exiſtimare poſſit, momenti, munus ſit, de his, quæ in omni eruditionis, maxime ſublimioris, parte aut tentare, aut perficere, quotannis noſtrorum æque civium, ac exterorum, Muſa ſolet, non tantum plene ac diligenter dicere, ſed acute etiam ſubtiliterque judi-

Digitized by Google

care, omnes hinc vident, admoveri ei non tirones rudes & inexercitatos, ſed maturæ & ætatis & doctrinæ viros, debere, tales nempe, quibus in republica hac literata non omnino nihil ſit auctoritatis. Atque hoc ita eſſe verum judicamus, ut præſtare nobis videatur, totam eam rem a nemine, quam ab hujus, ſi qua eſt, artis parum gnaris, &, qua poliantur ipſi, adhuc limam exſpectantibus, tractari; nec tantum ad bonas literas, ſi bene cultus ſit agellus iſte, rediturum commodi putemus, quantum, ſi ab ignava eum manu videas arari, detrimenti. Nemo igitur dubitet, prorſus nos cum iis facere, qui, cum datum ſibi hoc putant, ut in novos Ephemeridum Scriptores talem, qualem legislator quisque, poteſtatem exerceant, primam hanc omnium præcipuamque legem faciunt, ne judices hic ſedeant, niſi quibus jus ſit & auctoritas ſedendi, nec de meritis, de ingenio, de eruditione, præſtantiſſimorum ex parte hominum dicendi copia iis fiat, quibus ipſis & doctrina valde mediocris, & fama adhuc quidem nulla, ſit. Ita bene illi, & ad mentem noſtram accommodate, judicant; nosque ipſi hujus legis, non, ut vulgo aliqui jactitant, nuper demum cum novo, tales Commentarios *ſcribendi, conſilio, ſed diu ante, cumque ipſis li-*

teris,

Digitized by Google

teris, exortæ, a longa inde annorum ſerie memores adeo obſervantesque fuimus, ut, quod ſatis inter omnes conſtat, Annales hi noſtri doctiſſimorum hominum omni tempore velut officina fuerint, in qua nemo non illorum Muſam ſuam jucunde & ſine probro exerceret; MENCKENIIS *autem, illis operis iſtius, non invito orbe erudito, curatoribus continuis, qualescunque aut olim fuerint, aut nunc etiam putentur, is certe nunquam non ab æquiore Lectorum parte honor eſt tributus, ut, quid præſtari hic ab ipſis debeat, non ſolum non ignorare, ſed, ut viros bonos decet, id re etiam præſtare ipſa, dicerentur. Quod vero haud ita pridem alienæ malitiæ interpres aliquis, ceterum ſtudii noſtri, ut palam eſt, æmulus, & a multis inde annis imitator, eo in loco, quo id agendum ſibi maxime videbat, ut orbem, quaqua patet, eruditum magna commodorum, quæ a novo* Commentariorum *opere exſpectari literis deberent, opinione impleret, clandeſtina in nos, nunquam de ſe male, ſæpe autem optime, meritos, tela jaceret, &, tanquam ſi ſocietatem noſtram de infima fæce homines, novam autem illam Apollines tantum, atque omnis eruditionis venerabiles antiſtites, formarent, magnifice de ſuis rebus, contemtim de noſtris, dicere, haud erubuit, is, quo ani-*

 no

mo id fecerit, quibus cauſis adductus, talem herbaſcenti ſuæ gloriæ proſpiciendi viam elegerit, a qua ſibi ſapiens quisque maxime cavendum putat, ipſe viderit. Sive enim, quod multi nobis referunt, ejus ingenii homo ſit, ut, quicquid conetur ſcribere, probrum, convicium, contumelia, ſit, nec ipſius honori parentis ſui, Viri omnium confeſſione ſummi, ſi qua ſe occaſio obtrectandi offerat, parcendum putet; ſive inter tot alios, quorum calamo ad nos calumniandos uti potuerunt hi, qui ita nobis male cupiunt, ut ſuam perdere famam, quam nobis integram relinquere noſtram, malint, nemo ipſo impudentior inventus ſit; ſive, quod plurimi credunt, ſatis ipſe ingenioſus ad ſuſpicandum fuerit, nunquam optatos Societatem illam, recens inſtitutam, progreſſus habituram, niſi mature de tollenda ſive per vim, ſive per inſidias, hac noſtra cogitetur; nulla certe ex parte prudentiæ, aut honeſtatis, nedum humaniter actorum, laudem feret. Multum autem ipſe fallitur, ſi, quæ nobis, dictante malevolentia, objecit nuper, eam in animis noſtris putet vim habere, ut, niſi nos ipſi, velut judici noſtro, de his omnibus purgemus, magnum videamur nobis exiſtimationis noſtræ diſcrimen ſubituri. Duriſſimam hanc, vides, Lector, eorum omnium, qui nobiſcum literarum rem commu-

nem

Digitized by Google

nem curant, ſortem fore; ſi de trivio conviciator quilibet ſuis id efficere clamoribus poſſit, ut ipſis tanquam pro capite publice dicenda cauſa ſit, rerumque ſuarum, in quibus ob id ipſum, quod pompa omni & tumultu carent, minus vitii, quam in phaleratis aliorum dictis, factisque ſpecioſis, ineſt, omnis ratio aperienda. Invidis & inimicis nemo caret; neque tamen, ſi recte nobis blandimur, his nos ita abundamus, ut non libere nobis liceat ac confidenter ad primarios urbis noſtræ doctores, quibus noſtra omnia ſunt cognita, tanquam ad arbitros, provocare: qui, cum ſociis noſtris ita, ut merentur, faveant, &, qui demum illi ſint, interroganti, nominare JABLONSKIOS, HARENBERGIOS, MICHAELES, DEYLINGIOS, BACHIOS, HEBENSTREITIOS, ERNESTOS, REISKIOS, KÆSTNEROS, OECHLITZIOS, WALCHIOS, BELIOS, HAUPTMANNOS, *hisque ſimiles alios, ſoleant, ſuo nobis teſtimonio adverſus obtrectatores inficetos tutelæ præſidiique ſatis præbent. Nullis præterea ad nos defendendos telis opus eſt: qui & ita natura comparati ſumus, ut, manifeſtas etiam injurias æquo animo ferre, quam, par pari referendo, jucundum obſervatoribus noſtris ſpectaculum facere, ſatius exiſtimemus. Illuſtris autem illius, & ex omni parte*

ſpe-

Digitized by Google

ſpectatiſſimæ, Societatis, cujus nomine & auctoritate homo, quisquis eſt, ſane minutus & petulans abuſus eſt, hoc minorem facti indecentis eſſe culpam ſcimus, quo certiora in manibus noſtris documenta ſunt, unde, quæ, ingenium ſuum ſecuti, unus & alter in nos fabricati ſunt, ceteros omnes vehementer averſari, nemini eſſe obſcurum poſſit. Hunc igitur, nuper demum bono literarum omine congregatum, cœtum, cui nihil nec ſubſidii, nec ornamenti, deeſt, unde ſpes fieri poſſit, plurimum hinc bonis artibus venturum incrementi eſſe, publicis nos, velut quadam ei cognatione juncti, plauſibus proſequimur, vota etiam pro incolumitate ejus ſempiterna nuncupantes, ut vir quisque bonus debet, ardentiſſima. Nos interim ire pergemus gradu noſtro, nec aliis invidendo laudes ſuas, nec negligenter nimis tuendo noſtras, ita autem ſemper in hac vitæ & ſtudiorum ſtatione verſando, ut actorum rationem reddere primum Deo, deinde Mecænatibus, denique iis omnibus, poſſimus, qui, ut facultatibus, a natura datis, ad literarum commodum utamur, a nobis jure poſtulant.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii Anno MDCCLII.

NOVUM TESTAMENTUM GRÆCUM EDITIONIS receptæ, cum Lectionibus variantibus Codicum MStorum, editionum aliarum, Verſionum, & Patrum, nec non Commentario pleniore, ex Scriptoribus veteribus Hebræis Græcis & Latinis hiſtoriam, & vim verborum, illuſtrante, opera & ſtudio JOANNIS JACOBI WETSTENII. Tomus primus, continens quatuor Evangelia.

Amſtelodami, ex officina Dommeriana, 1751, fol. Alph. 11 plag. 12.

Dudum promiſſa hæc Novi Teſtamenti editio *Wetſteniana* jam plane ab exſpectatione ad oblivionem & deſperationem deciderat, cum tandem aliquando, ruptis vinculis, & ſuperatis adverſariorum molitionibus, doctiſſimo Autori laudem mereri, & ſtudioſis ſacrarum literarum fructum impertire, contigit. Ex quo Prolegomena ſua, illa meritis laudibus & applauſu excepta, edidit, (edidit autem A. 1729.) fuerunt cum alibi, tum in Helvetiis maxime, qui, odio potiſſimum optimi Viri & invidia, partim quoque ignorantia, & præcipiti acti furore, inſtitutum ejus improbarent, tanquam ſi Chriſtianæ fidei puritati inſidias ſtrueret, & violentas ma-

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM, ANNO MDCCLII publicata.

Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegio.

LIPSIÆ,
Proſtant apud JO. FRID. GLEDITSCHII & LANCKISII hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM, Pariſiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amſtelodami in PETRI MORTIERII officina.

MDCCLII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Lectori æquo & benevolo Salutem!

In tali ſcribendi genere, quale hoc noſtrum eſt, multum referre, qui, aut quales, ſint, qui ſcribunt, dudum agnoverunt, qui, quid utile ſit literis, intelligunt. Nam, cum ſatis per ſe grave, & majoris, quam imperitus aliquis exiſtimare poſſit, momenti, munus ſit, de his, quæ in omni eruditionis, maxime ſublimioris, parte aut tentare, aut perficere, quotannis noſtrorum æque civium, ac exterorum, Muſa ſolet, non tantum plene ac diligenter dicere, ſed acute etiam ſubtiliterque judi-

Digitized by Google

care, omnes hinc vident, admoveri ei non tirones rudes & inexercitatos, ſed maturæ & ætatis & doctrinæ viros, debere, tales nempe, quibus in republica hac literata non omnino nihil ſit auctoritatis. Atque hoc ita eſſe verum judicamus, ut præſtare nobis videatur, totam eam rem a nemine, quam ab hujus, ſi qua eſt, artis parum gnaris, &, qua poliantur ipſi, adhuc limam exſpectantibus, tractari; nec tantum ad bonas literas, ſi bene cultus ſit agellus iſte, rediturum commodi putemus, quantum, ſi ab ignava eum manu videas arari, detrimenti. Nemo igitur dubitet, prorſus nos cum iis facere, qui, cum datum ſibi hoc putant, ut in novos Ephemeridum Scriptores talem, qualem legislator quisque, poteſtatem exerceant, primam hanc omnium præcipuamque legem faciunt, ne judices hic ſedeant, niſi quibus jus ſit & auctoritas ſedendi, nec de meritis, de ingenio, de eruditione, præſtantiſſimorum ex parte hominum dicendi copia iis fiat, quibus ipſis & doctrina valde mediocris, & fama adhuc quidem nulla, ſit. Ita bene illi, & ad mentem noſtram accommodate, judicant; nosque ipſi hujus legis, non, ut vulgo aliqui jactitant, nuper demum cum novo, tales Commentarios ſcribendi, conſilio, ſed diu ante, cumque ipſis li-

teris,

Digitized by Google

teris, exortæ, a longa inde annorum ſerie memores adeo obſervantesque fuimus, ut, quod ſatis inter omnes conſtat, Annales hi noſtri doctiſſimorum hominum omni tempore velut officina fuerint, in qua nemo non illorum Muſam ſuam jucunde & ſine probro exerceret; MENCKENIIS *autem, illis operis iſtius, non invito orbe erudito, curatoribus continuis, qualescunque aut olim fuerint, aut nunc etiam putentur, is certe nunquam non ab æquiore Lectorum parte honor eſt tributus, ut, quid præſtari hic ab ipſis debeat, non ſolum non ignorare, ſed, ut viros bonos decet, id re etiam præſtare ipſa, dicerentur. Quod vero haud ita pridem alienæ malitiæ interpres aliquis, ceterum ſtudii noſtri, ut palam eſt, æmulus, & a multis inde annis imitator, eo in loco, quo id agendum ſibi maxime videbat, ut orbem, quaqua patet, eruditum magna commodorum, quæ a novo* Commentariorum *opere exſpectari literis deberent, opinione impleret, clandeſtina in nos, nunquam de ſe male, ſæpe autem optime, meritos, tela jaceret, &, tanquam ſi ſocietatem noſtram de infima fæce homines, novam autem illam Apollines tantum, atque omnis eruditionis venerabiles antiſtites, formarent, magnifice de ſuis rebus, contemtim de noſtris, dicere, haud erubuit, is, quo ani-*

mo id fecerit, quibus cauſis adductus, talem herbaſcenti ſuæ gloriæ proſpiciendi viam elegerit, a qua ſibi ſapiens quisque maxime cavendum putat, ipſe viderit. Sive enim, quod multi nobis referunt, ejus ingenii homo ſit, ut, quicquid conetur ſcribere, probrum, convicium, contumelia, ſit, nec ipſius honori parentis ſui, Viri omnium confeſſione ſummi, ſi qua ſe occaſio obtrectandi offerat, parcendum putet; ſive inter tot alios, quorum calamo ad nos calumniandos uti potuerunt hi, qui ita nobis male cupiunt, ut ſuam perdere famam, quam nobis integram relinquere noſtram, malint, nemo ipſo impudentior inventus ſit; ſive, quod plurimi credunt, ſatis ipſe ingenioſus ad ſuſpicandum fuerit, nunquam optatos Societatem illam, recens inſtitutam, progreſſus habituram, niſi mature de tollenda ſive per vim, ſive per inſidias, hac noſtra cogitetur; nulla certe ex parte prudentiæ, aut honeſtatis, nedum humaniter actorum, laudem feret. Multum autem ipſe fallitur, ſi, quæ nobis, dictante malevolentia, objecit nuper, eam in animis noſtris putet vim habere, ut, niſi nos ipſi, velut judici noſtro, de his omnibus purgemus, magnum videamur nobis exiſtimationis noſtræ diſcrimen ſubituri. Duriſſimam hanc, vides, Lector, eorum omnium, qui nobiſcum literarum rem commu-

nem

Digitized by Google

nem curant, ſortem fore; ſi de trivio conviciator quilibet ſuis id efficere clamoribus poſſit, ut ipſis tanquam pro capite publice dicenda cauſa ſit, rerumque ſuarum, in quibus ob id ipſum, quod pompa omni & tumultu carent, minus vitii, quam in phaleratis aliorum dictis, factisque ſpecioſis, ineſt, omnis ratio aperienda. Invidis & inimicis nemo caret; neque tamen, ſi recte nobis blandimur, his nos ita abundamus, ut non libere nobis liceat ac confidenter ad primarios urbis noſtræ doctores, quibus noſtra omnia ſunt cognita, tanquam ad arbitros, provocare: qui, cum ſociis noſtris ita, ut merentur, faveant, &, qui demum illi ſint, interroganti, nominare JABLONSKIOS, HARENBERGIOS, MICHAELES, DEYLINGIOS, BACHIOS, HEBENSTREITIOS, ERNESTOS, REISKIOS, KÆSTNEROS, OECHLITZIOS, WALCHIOS, BELIOS, HAUPTMANNOS, *hisque ſimiles alios, ſoleant, ſuo nobis teſtimonio adverſus obtrectatores inficetos tutelæ præſidiique ſatis præbent. Nullis præterea ad nos defendendos telis opus eſt: qui & ita natura comparati ſumus, ut, manifeſtas etiam injurias æquo animo ferre, quam, par pari referendo, jucundum obſervatoribus noſtris ſpectaculum facere, ſatius exiſtimemus. Illuſtris autem illius, & ex omni parte*

ſpe-

ſpectatiſſimæ, Societatis, cujus nomine & auctoritate homo, quisquis eſt, ſane minutus & petulans abuſus eſt, hoc minorem facti indecentis eſſe culpam ſcimus, quo certiora in manibus noſtris documenta ſunt, unde, quæ, ingenium ſuum ſecuti, unus & alter in nos fabricati ſunt, ceteros omnes vehementer averſari, nemini eſſe obſcurum poſſit. Hunc igitur, nuper demum bono literarum omine congregatum, cœtum, cui nihil nec ſubſidii, nec ornamenti, deeſt, unde ſpes fieri poſſit, plurimum hinc bonis artibus venturum incrementi eſſe, publicis nos, velut quadam ei cognatione juncti, plauſibus proſequimur, vota etiam pro incolumitate ejus ſempiterna nuncupantes, ut vir quisque bonus debet, ardentiſſima. Nos interim ire pergemus gradu noſtro, nec aliis invidendo laudes ſuas, nec negligenter nimis tuendo noſtras, ita autem ſemper in hac vitæ & ſtudiorum ſtatione verſando, ut actorum rationem reddere primum Deo, deinde Mecænatibus, denique iis omnibus, poſſimus, qui, ut facultatibus, a natura datis, ad literarum commodum utamur, a nobis jure poſtulant.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii Anno MDCCLII.

NOVUM TESTAMENTUM GRÆCUM EDITIONIS receptæ, cum Lectionibus variantibus Codicum MStorum, editionum aliarum, Verſionum, & Patrum, nec non Commentario pleniore, ex Scriptoribus veteribus Hebræis Græcis & Latinis hiſtoriam, & vim verborum, illuſtrante, opera & ſtudio JOANNIS JACOBI WETSTENII. Tomus primus, continens quatuor Evangelia.

Amſtelodami, ex officina Dommeriana, 1751, fol. Alph. 11 plag. 12.

Dudum promiſſa hæc Novi Teſtamenti editio *Wetſteniana* jam plane ab exſpectatione ad oblivionem & deſperationem deciderat, cum tandem aliquando, ruptis vinculis, & ſuperatis adverſariorum molitionibus, doctiſſimo Autori laudem mereri, & ſtudioſis ſacrarum literarum fructum impertire, contigit. Ex quo Prolegomena ſua, illa meritis laudibus & applauſu excepta, edidit, (edidit autem A. 1729,) fuerunt cum alibi, tum in Helvetiis maxime, qui, odio potiſſimum optimi Viri & invidia, partim quoque ignorantia, & præcipiti acti furore, inſtitutum ejus improbarent, tanquam ſi Chriſtianæ fidei puritati inſidias ſtrueret, & violentas ma-

nus inferret. Effecerunt illi quidem, quibus pollebant, autoritate & artibus, ut præclaro huic operi cum tenebris, & adverſa fortuna, per viginti & ultra annos luctandum eſſet. Cum promiſiſſet Vir Clariſſ. ſollicite partim a ſe, partim ab aliis doctis Viris, enotatas ex optimis Codicibus MStis Novi Teſtamenti, qui adhuc ſuperſunt, lectiones, & locorum, a librariis corruptorum, emendationem, ignorantes rei egregium uſum, verebantur, ne fides omnis Chriſtiana nutaret, ſi vel unica litera ſecus, quam aut *Stephanus*, aut *Beza*, dediſſent, a novatore exhiberetur, illo præſertim, quem in doctrina de Chriſto, aliisque quibusdam, eadem cum ſuo cœtu non ſciſcere norant. Sed, vanum illum fuiſſe metum, docuit eventus. Jam in hoc quidem *primo Tomo* deprehendet, quisquis cognitionem inſtituet & comparabit, non tantum nihil a recepta vulgo editione mutatum ab Editore fuiſſe: quod ne licuit quidem, intercedente magiſtratu, & ea ſola lege veniam editioni faciente, ſi cum vulgatis conſentiret; ſed etiam innocuum id omne futurum eſſe, quicquid novarum rerum auſurus Editor fuiſſet. Inſtituit ita nimirum ſuas rationes, ut in ipſo quidem verborum, quod appellant, contexto ſinceram redderet illam editionem, quæ *recepta* ipſi audit, & ab anno inde 1624, quo *Elzevirii* primi eam curarunt, in uſu ſcholarum & eccleſiarum viget, a *Leusdenio* & aliis repetita: ſignis tamen quibusdam illas voces notaret, quas aut additas, aut demtas, aut aliis permutatas, non ſua, ſed plurimorum & probatiſſimorum Codicum, autoritate vult, & ipſe probaſſet damnaſſetve, ſi ſuum ſibi licuiſſet conſilium exequi. Vocibus quidem illis præponi ſignum circumflexo Græco ſimillimum, & ſuffigi duo puncta, curavit, quarum loco alias plurimi & optimi Codices exhibent; illas autem, quæ iisdem Autoribus expungendæ ſunt, projecta linea transverſa, & item ſuffixa duo puncta deſignant. Ibi locorum tandem, ubi vocula pluresve ex vulgata exciderunt, crux poſita fuit. Ut exemplis res conſtet, juvat eorum aliqua afferre. E. c. *Matth. II, 11*, excuſum eſt *καὶ ἐλθόντες εἰς τὴν οἰκίαν ∽ εὗρον:* & infra textum ∽ *εἶδον*; & *Cap. III, 8*, *ποιήσατε οὖν ∽ καρπούς*

ποὺς ἀξίους: & infra textum ⌐ *καρπὸν ἄξιον*, & *Cap. IV*, 10, *ὕπαγε* + *Σατανᾶ*. & infra textum + *ὀπίσω μου*; & *verſ.* 18 *περιπατῶν δὲ* — *ὁ Ἰησοῦς*: *παρὰ τὴν θάλασσαν*.

Hunc ergo modum tenuit Clariſſ. Editor in ipſis Novi Teſtamenti verbis reddendis. Infra poſitæ per quamvis paginam ſunt variæ lectiones, ex immani numero bonæ ſequioriſque notæ Codicum veterum & recentium, & Patribus eccleſiæ, tam Græcæ, quam Latinæ, verſionibus antiquis, orientalibus, occidentalibus, depromtæ. Codices non eo modo, quo *Millius* in ſua editione, initiis nempe vocabulorum *Al.* pro Alexandrino, *Vat.* pro Vaticano, & ſic porro, ſed aut literis alphabeti majoribus, *A. B. C.* usque ad *Q.* aut numeris Arabicis, ut ſpatium lucraretur, expreſſit. Tabula, Prolegomenis ſubjuncta, monſtrat, quæ litera, quis numerus, quem Codicem deſignet. In Variantibus iisdem additionis, detractionis, aut mutationis, ſignis uſus eſt, quibus in textu.

Subjectæ tandem ſunt Variantibus alio & aliquanto majore typo literarum expreſſi Commentarii perpetui. Conſilium nempe erat, talem curandi Novi Teſtamenti editionem, quales multorum utriusque ſermonis Autorum multas hoc præcipue ſeculo Batavi & Angli curaverunt. Initio aliquanto fuſior eſt Commentarius, quam in proceſſu operis; quod fere ſemper contingere ſolet recenti vigore ſcribentium, & copia rerum animadverſione dignarum affluente. Paſſim attingunt illæ Notæ Theologiam, & interpretantur ſenſum locorum difficilium ex opinione Cl. Editoris, ſed multo ſpiſſiores ſunt, quæ ad philologicum genus pertinent, & aut inſtituta & proverbia Judæorum, ad quæ identidem alluditur, declarant, aut verborum Græcorum probitatem ex aliis bonæ Autoribus aſſerunt, ſi quæ in ſuſpicionem peregrinitatis venerunt, aut rariorum & obſcurarum ſignificationes exponunt. Mireris in doctiſſimo Viro cum lectionis varietate aſſiduitatem, conſpiciens integras ſæpe paginas Græcis teſtimoniis, perquam minuto typo expreſſis, oppletas. Non Latinos ſolum in rem vocat, ubi opus, neque Græcos, utriusque ultro citroque ætatis, ſed & Talmudiſtarum diſputationes, larga manu admetitur, ut nemo ſacrarum

 lite-

Digitized by Google

literarum variæque doctrinæ cupidus animum paſcere, & Cl. Viro inſumti laboris magnam gratiam habere, nequeat.

Nulli tamen dubitamus, fore multos, qui nonnulla his in Commentariis reprehendant. Theologis quidem multas inter pretationum ſuarum approbaturum haud eſſe Virum Clariſſimum, pronum judicatu eſt. Philologi vero querentur, id incommode ſibi contigiſſe, quod in coacervandis citationibus Græcis atque Latinis integræ conſumtæ fuerint paginæ, ſæpe notæ res, & in controverſiam nunquam miſſæ, operoſe demonſtrentur, aliæ diſſimulentur, quibus aut autoritate, aut luce, opus erat. Parſiſſet Autor copiæ, majore ſelectu, neque Lectoris ingenio reliquum feciſſet conjecturæ argumentum, quam ob rem hoc, vel illud, teſtimonium allegaverit. Quod multis profecto in locis ſponte haud patet, cum Clariſſ. Viro placuerit teſtimonia nullo ordine per ſaturam, quod ajunt, lancem effundere, nulla addita admonitione, quid eorum ad præſentem rem faciat. Erunt tandem, quos Cl. Editoris inſtitutum offendet, ſanctiora Chriſtianæ fidei capita cum Theologia gentilium, & Chriſtum cum *Hercule*, fictisque aliis Numinibus, cum *Pythagora*, & aliis Philoſophis, comparandi. Quale eſt illud, quod ad *Matthæi Cap. I verſ. 1* habetur. Ibi enim, cum de receſſu Chriſti in deſertum narretur, allegat Vir Clariſſ. tanquam illuſtrandi gratia locum *Plutarchi* de *Numa* in locum Nymphæ *Egeriæ* ſecedente, & cum illa conſueſcente. Tentatum a diabolo Chriſtum comparat paulo poſt cum *Hercule Prodicio*, inter virtutem & vitium diſtracto; & jejunium Chriſti cum jejunio *Pythagoræ*, per quadraginta quoque dies continuato. Qualia, ut erunt, qui ament & collaudent, ut ab homine profecta libertatem ſentiendi & dicendi profeſſo, & a ſuperſtitione non contaminato, ſed qui rerum ipſam indolem ſpectet, & fabulam inter homines eandem ſemper, nominibus diverſis, ludi ſciat, & demonſtret; ita erunt viciſſim, qui amantiores Chriſtiani nominis doleant, his talibus comparationibus honori ſui Numinis detractum iri, clamentque, Autorem, aut malitia uſum, aut non uſum judicio, hæc extudiſſe.

Suffi-

Digitized by Google

Sufficiant hæc in univerſum de libri inſtitutione atque indole dicta. Jam partes ejus ſigillatim quoque contemplabimur. Sunt illæ *tres*, Prolegomena, variæ Lectiones, & Commentarii. De Prolegomenis ample & ex merito commentationis dicere opus non eſt, cum jam a longo tempore doctorum hominum manibus terantur. Quid huic illorum novæ editioni novum acceſſerit, illud ſolummodo breviter commemorabimus. Inter nova Prolegomenorum ſupplementa ergo facile primum locum obtinet illa de Codicis Alexandrini antiquitate & præſtantia, tanti prorſus non facienda, quanti facta fuit, a *pag. 9* usque ad *pag, 19* decurrens,tractatio. Multi Anglorum,quorum peculium hodie Codex eſt, eum laudibus in cœlum usque extulerunt,velut numeris omnibus abſolutum,& exemplum,ad quod omnes alii exigendi & reformandi ſint. Noſter vero ſolide demonſtrat,Seculi fere ſexti Codicem eſſe, non tertii, ex aliquo Codice, ad veterem Italicam depravato,derivatum. Secunda acceſſio eſt ſtrictura adverſus Anonymum aliquem Germanum, qui aſſertionem *Wetſtenii*, in Codice Alexandrino in prima *Pauli* ad *Timotheum Epiſtola III, 16*, non ΘC, ſeu Θεὸς, ſed OC, ὃς, legi, in dubium vocaverat. Tum habetur *pag. 34 ſeq.* reſponſio ad *Anonymi Belgæ* (quod nomen ipſe ſibi impoſuit, quisquis ille fuit,) *Specimen animadverſionum ad Prolegomena Wetſteniana*, non Amſtelodami, quod libelli index præfert, ſed Londini, impreſſum. Anonymus ille ſententiam *Wetſtenii* oppugnaverat, quæ ſtatuit, Codicem *Roberti Stephani* ſecundum & illum *Bezæ*, qui hodie Cantabrigienſis eſt, & audit, unum atque eundem eſſe. Recudi eum libellum curaverant Viri docti, qui *Miſcellaneis Duisburgenſibus* edendis aliquando præerant. In hos non minus acerbe invehitur *Wetſtenius*. Notitia porro Codicum manu exaratorum, quos Vir Clariſſ. aut ipſe inſpexit, aut quorum lectiones nactus fuit, locupletior paſſim eſt, quam in prima editione Prolegomenorum. *Pag. 65* eſt admonitio de loco *Clementis Romani*, ubi Vir Cl. docet, emendationem *γνωρίζομεν*, quam nuperus Epiſtolarum *Clementis* in Anglia editor ſibi arrogaverit, ſuam eſſe. *Pag. 127* refutat *Anonymi*

Baſileenſis vindicationem Eraſmi ab accuſatione gemina Autoris Prolegomenorum, in *Miſcellaneis Duisburgenſibus* exhibitam, Autor libelli fuit *Jacobus Chriſtophorus Iſelius*, quondam *locorum communium & controverſiarum theologicarum Profeſſor in Acad. Baſileenſi.* Hunc acerbo & longo ſermone vexat Noſter, totamque ejus vitam & res geſtas, ex parte ridiculas, enarrat. Controverſiæ tandem implicatur *Jo. Ludovicus Frey*, alter Profeſſor Baſileenſis, ex amico & magiſtro quondam Noſtri inimicus acerrimus factus. Hos duumviros, quod calumniis ſibi vehementer obfuiſſent, & editionem Novi Teſtamenti ſui ſufflaminaſſent inter omnes maxime, calido & longo ſermone ulciſcitur. Quem, non erunt pauci, qui abeſſe mallent, utpote onuſtum emtoribus, minutiis refertum, tam ſplendido libro indignis, & animi perpetuum futurum documentum in iras & vindictam accenſi, quæ, ſi promi omnino debebant, (neque enim diffitemur, optimo Viro injuriam factam fuiſſe,) poterant alio aptiore loco promi. Qui biographias amant, & privatas *Iſelii, Freyi, & Wetſtenii*, rationes, & aliorum aliquot Helvetiorum, ſcire avent, invenient hic, quo cupiditati ſuæ ſatisfaciant.

De variantibus Lectionibus, cum nihil ſit, quod dicamus, ſpecimen Commentarii dabimus. Ad *Matth. I, 22*, negat, omnia dicta Prophetarum ad Chriſtum reſpicere, ſed, Evangeliſtas ita citare dicta Veteris Teſtamenti, ait, ut veteres Græci dicta *Homeri* ſolebant, quia aliqualem cum re præſente ſimilitudinem haberent, non probandæ rei. Ad *verſ. 23* affert illuſtrandæ dictioni Ἰμμανȣὴλ — μεθ' ἡμῶν ὁ Θεὸς, illud *Homeri Il. ω, 258*, Ἕκτορά τ' ὃς θεὸς ἔσκε μετ' ἀνδράσιν ȣ̓δὲ ἐῴκει Ἀνδρός γε θνητȣ̃ παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο. Ad *Cap. II, 1*, loca congeſta ſunt, in quibus *Magorum* ſit mentio. Ad *verſ. 2* obſervat, Deum errore Magorum eo uſum fuiſſe, ut ipſos ad Chriſtum & ſalutem dirigeret. Credidiſſe autem veteres, quoties nova ſtella oriretur, magnos Viros aut natos, aut denatos, fuiſſe, quod exemplis demonſtratur. Ad *verſ. 11* obſervat Autor, vocem θήσαυρος non ipſum aurum & res pretioſas reconditas, ſed conditorium, arcam, ſaccum, notare, in quo recon-

condantur, & λιβανὸν pro λιβανωτῷ, ſeu *thure*, poni, contra quam cenſeant Grammatici. *Verſ. 12* monſtrat exemplis ſignificationem verbi χρηματίζεσθαι, pro *divino oraculo moneri.* Ad *verſ. 15* diſputat, num cædes infantum Bethlehemicorum figmentum ſit, & num fides *Matthæi* ex eo labatur, quod *Joſephus* ejus rei non meminerit. Ad *verſ. 19* diſputat de anno, quo *Herodes* e vivis exceſſit. Secundum vulgarem computum incidit in annum 46, vel 47, *Julianum*. Noſter autem evincit, eum in annum 42 incidere, ideoque natalem Chriſti biennio minimum anteceſſiſſe. *Cap. III*, 4, de pelle camelina *Joannis* Baptiſtæ, zona coriacea, eſu locuſtarum, agit; *verſ. 6* de baptiſmis, ſeu abſolutionibus religioſis, & origine baptiſmi noſtri ex baptiſmo proſelytorum, Judæis uſitato. Exempla ſimul affert verbi ἐξομολογεῖσθαι ex *Plutarcho* & *Arriano*. *Verſ. 7* exponit de origine & differentia Phariſaicæ & Sadducæorum ſectæ; item declarat differentiam inter δεικνύειν & ὑποδεικνύειν. Ad *verſ. 8* ait, ſe per *iram venturam* everſionem reipublicæ Judaicæ intelligere; *verſ. 11* oſtendit, ἱκανὸς paſſim pro ἄξιος poni, & narrat de more veterum per ignem purgandi, quæ aqua elui non poterant; & addit hæc: *Purgatio per ignem hic ſignificat omnes illas calamitates, quas Judæi paulo poſt experti ſunt incendium templi & vicorum, & everſionem rei publicæ. Purgationi verò per ventum reſpondet occulta illa & mirabilis Dei vis, quæ die Pentecoſtes & aliis etiam temporibus in baptizatos effuſa fuiſſe legitur*, &c. Ad dictionem πυρὶ ἀσβέστῳ hæc notat: *Cum de everſione Hieroſolymorum ſermo ſit, πῦρ ἄσβεστον ſignificat talem ignem, qui non prius exſtingui poteſt, quam omnia conſumſerit atque deleverit.* Ad *verſ. 16* docet, veteres Judæos Spiritum ſanctum ſub ſpecie columbæ effinxiſſe. Ad *IV*, 2, obſervat vim myſticam numeri quadraginta. *Verſ. 3* verba εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, εἰπὲ ἵνα οἱ λίθοι οὗτοι ἄρτοι γένωνται, ſic interpretatur: *Si Deo tam carus es, qui ſit, ut nihil tibi ſuppeditet, quo duram famem pellere poſſis? ut de lautis epulis nil dicam, cur non ſaltem panem largitur? — Fac ergo periculum, pete vel minimum iſtud, quo dolet natura negato. Verſ. 6*, non in templi, ſed in

regiæ

regiæ porticus, tectis ſletiſſe Chriſtum tentatum; aſſeverat. *Verſ.* 24 longa eſt Diſſertatio de dæmoniacis, quæ negat, dæmonem corpora re vera obſidere.

Prætermus de inſperſis obſervationibus geographicis, ut de Rama, Bethlehem, Nazaret, deſerto Judææ, item de grammaticis, memorare, quæ admodum frequentes ſunt, & magnam partem *Euſtathii*, *Thomæ Magiſtri*, *Ammonii*, *Phrynichi*, continent. E. c. *Matth. III*, 15, ad *verſ.* ἀποκριθεὶς notat, illud non *reſpondens*, ſed *disjunctus*, ſignificare; *verſ.* 16 εὐθὺς Grammaticis alio ſignificatu venire, adſcripto *Ammonii* teſtimonio; & ad ἀνεῴχθησαν adſcripſit hoc ex *Etymol. M.* ἀνεωγμένος — ἀνέωγμαι — ἀνέωγε, μέσος παρακείμενος, ἀνοίγω, ἤνωγον, &c. Non enim opus eſt, minuta iſta grammaticalia omnia exſcribere. Speramus, in his talibus non valde neceſſariis coacervandis parſurum ſibi eſſe Clariſſ. *Wetſtenium* in *altero* ſui Novi Teſtamenti *Tomo*, cujus editionem ut feliciter & brevi confectam videat, optamus. Habebit ibi ampliorem campum, ingenium criticum, ſcientiam theologicam, & philologicam, in difficilibus præſertim Epiſtolis *Pauli*, oſtendendi.

L' EBRAISMO DELLA SICILIA RICERCATO ed eſpoſto, &c.

id eſt,

HISTORIA DE JUDÆIS SICILIÆ, INVESTIGATA & expoſita a JOANNE DE JOANNE, Canonico Baſilicæ Archiepiſcopalis Panormitanæ, & Inquiſitore fiſcali ſupremæ per Siciliam inquiſitionis.

Panormi, ex typographeo Joſephi Gramignani, 1748, 4. Alph. 2 plag. 2.

Venerantur Muſæ peritiam Hiſtoriæ Siculæ, in Ven. Autore exſplendeſcentem longe lateque. Cœpit ipſe jam publicare

blicare *Voluminibus quinque Codicem Siciliæ diplomaticum*, Siciliæ hiſtoriam firmans, & clavo defigens trabali. Ex ampliſſima illa Collectione Diplomatum materiem, ad Judæos Siciliæ attinentem, Autor ſelegit, & in id, quod indicamus, *de Ebraiſmo Siciliæ* volumen tranſtulit, commotus inprimis argumenti raritate, ſiquidem *Jacobus Baſnagius* in Hiſtoria Judæorum Siciliam haud attigit, nec aliorum cura eo usque ſe convertit. Volumen hoc *bipartitum* eſt. *Pars prior* hiſtoriam Ebræorum generalem, *poſterior* ſpecialem, Siculis propriam, exhibet. Interruptum paſſim pendet opus, eo quod barbaries ſtragem hinc inde hiſtoricæ tractationi intulit, ſatis perfectæ, ſi ad notitiam, quam eruere licuit, reſpiciamus. Quid enim amplius ultra cancellos ſcriptorum, quæ evaſerunt temporum injuriam, ab Autore requires? *Pars prior* conſtat *Capitibus XXVIII*, quibus de Judæorum in Sicilia origine, progreſſu, multitudine, ſigno geſtaminis, privilegio, Chriſtianis impertito, & Ebræis communi, exactionibus, in eos conſtitutis, officio eorum, in audiendis Chriſtianorum ſermonibus ſacris, & horum feſtis concelebrandis, poſito, eorum feſtis, poſſeſſionibus, judicibus, teſtimoniis, medicis, itineribus ex Africa, fuga Hieroſolymam tentata, poteſtate judiciaria, magiſtratibus Protorum, Sacerdotibus, Rabbinis, Synagogis, locis munditiei ac cœmeteriis, uſurarum uſu, ſceleribus & impietate, tumultibus, in eos excitatis, ac excidiis, exponitur. *Partis poſterioris Capita* ſunt *XXXIII*. Ediſſeruntur ibi res Judæorum, habitantium Panormi, Meſſanæ, Catanæ, Syracuſis, Agrigenti, Drepani, Cephalædide, Mazaræ, Sciaccæ, Netiæ, Calatæ Hieronum, Thermis, Marſalæ, Lentini, Caſtri *Joannis*, Nari, Alicatæ, Nicoſiæ, Polizzi, Mauromini, Piazzæ, Mineæ, Monte S. *Juliani*, Salemi, Auguſtæ, Caſtri novi, Caſtri regii, Paterni, Mylis, Caſtilione, Palatioli, Bivonæ, Julianæ, Militelli, Modicæ, Adrani, Calataniſſeræ, Calatabellottæ, Cammaratæ, Ragalbati, alibi, & in inſulis, Malta, Gozzo, & Pantellaria. *Philonis* ætate Judæi ſeſe jam per orbem Romanum diffuderant. *Rutilius Claudius Itinerarii Lib. I* originem hujus diffuſionis figit in anno, quo *Pompejus* Hieroſolymam Pag. 2.

B occu-

Pag. 4. occupavit, id eſt, ante Jeſum natum 59. Excidium Hieroſolymæ *Flavianum* diſperſionem eam amplificavit. Odium gentium, Chriſtianorum, hæreticorum, in Judæos fuit commune. Annus, quo Ebræi in Siciliam appulerunt primi, eſt ignotus, Videntur ipſi Seculo primo jam Syracuſis ſe tenuiſſe. *Gregorius Magnus* utique meminit Judæorum Panormi,
6. Meſſanæ, Agrigenti, & Catanæ. In Actis S. *Marciani*, Epiſcopi Syracuſarum & Martyris Seculo primo, jam mentio ſit Synagogæ Judaicæ prope Pelopiam ſpeluncam, in qua domicilium fuerit Epiſcopi. *Marciani* res Autor enarravit *Diſſertatione I*, ſubjecta *Tomo primo Codicis Siciliæ diplomatici*. Anonymi *Marcianum* edidit jam *Cajetanus de Sanctis Siculis Tom. I pag. 4.* Poſſent e Seculo III ac *Decii* imperio conſimilia Judæorum in Chriſtianos Siculos odia memorari, dummodo Acta Sanctorum *Alphii*, *Philadelphi*, & *Cyrini*, a
9. *Bollandianis* ad 10 Maji edita, eſſent fide digna. Certiora dilucent ex *Gregorii Magni* ſcriptis. Hic ad *Leonem*, Catanæ Epiſcopum, ſcripſit epiſtolam, indignatus arrogantiæ Samaræorum, qui ad ſectæ ſuæ incrementa ſervos paganos emerant, quos reddebant recutitos. Benedictini Congregationis S. *Mauri* ſibi perſuaſerunt, per Samaræos deſignari Judæos, non Samaritas, rationem unam & alteram interſerentes, quam non intelligimus habere ullum pondus. Diſtitant ipſi, Samaritas jam tunc intercidiſſe, nec unquam in Italiam usque perveniſſe. Utrumque veritati minus reſpondet. Nam Samaritæ adhuc perſiſtunt ad Sichemam & in Ægypto. In Italiam ipſos Seculo jam quarto & quinto veniſſe, perſpicitur ex *Caſſiodori Var. III*, 45, ex *Honorii* edicto ad A. 404 *Lib. XVI Cod. Theod. tit. 8 l. 16.* Item ex *l. 18 de Navicul.* pateſcit, ipſos ſe in Ægyptum infudiſſe. Adverſus Samaritas, ſeu Samaritanos, Italiæ edita eſt lex *Valentiniani II* Ravennæ A. 426, *Lib. XVI Cod. Theod. tit. 8 l. 28.* Hæreticis aliquando ipſi annumerantur, *l. 19 tit. 8 de Judæis,*
11. *Cælicolis, & Samaritanis*, & *l. 43, 44, de Hæreticis.* Miramur itaque, Autorem negare cum Benedictinis, Samaritanos in Italiam & Siciliam usque progreſſos fuiſſe, ſiquidem

Gre-

Digitized by Google

Gregorius Magnus Epiſtola ad *Joannem*, Syracuſarum Epiſcopum, ſervum quendam ex Chriſtianis natum in Samaræi poteſtatem veniſſe, ſignificavit. Judæi & Samaritani tunc certatim in Sicilia diſcipulos adſciverunt. *Gregorius Magnus* pro virili parte conatis eorum obſtitit, vetans tamen, ne quis Panormitanis Ebræis adimeret Synagogas antiquas, cavens ſimul, ne ipſi exſtruerent novas. *Victor*, Epiſcopus Panormitanus, nihilo ſecius ibi Judæorum evertit Synagogas univerſas, easque in uſum Chriſtianorum convertit. *Gregorius Magnus*, certior de his factus, Epiſcopum juſſit Judæis ſolvere pecuniam pro Synagogis ac hoſpitiis, quæ ipſis erant ademta, aque reſtituere eisdem codices, ornamenta, ac ſupellectilem. *Gregorius* Pag. 15.
oravit defenſorem urbis, ut hic Epiſcopum ad hæc expedienda adigeret. Adde, quod ipſe pro *Joanne*, Judæo Siculo, literas dedit ad illum defenſorem *Fantinum*. Judæi certe in Annalibus ſuis *Gregorium Magnum* encomiis merito ornarunt. Invaſerunt Saraceni A. 820 Siciliam. Perierunt tunc Chriſtianorum ibi annales & ſcripta, perpaucis reliquiis exceptis. Palparunt ex eo Judæi Saracenis ac Muhammedanis, 17.
ac in Sicilia invaluerunt, vocantes Synagogas ſuas *mosgedim*, *moſcheas*. Normanni Saracenos Seculo XI cœperunt e Sicilia deturbare, in Judæos, numeroſiſſimos quippe, mites & clementes. *Fridericus II*, Suevus, edixit, ne neophyti vocarentur *cani renegati*; ne Chriſtianum ſervum Judæi haberent; 19.
ut Saraceni ac Judæi ferrent ſignum, quo a Chriſtianis diſcernerentur; ne Chriſtiani cum Judæis haberent familiaritatem; ut Judæi muneribus publicis carerent; ne Judæi ſolverentur. Ipſi omnino fuerunt tam numeroſi, ut decimam partem incolarum inſulæ explerent. A. 1491 ex Arabia & Europæ provinciis confluxerunt permulti Judæi in Siciliam, præcipue Panormum. *Fridericus III* A. 1312 edixit, ut Judæi habitarent 22.
extra muros urbium ſeorſim, neu amplius pro arbitratu medios inter Chriſtianos domicilia deligerent. Ad Judæos Hiſpanos id edictum fuit propagatum exeunte Seculo XV, certe ſub initia Seculi XVI. A. 1431 Regem adduxerunt precibus, ut interdictum tolleretur, ac ipſi libertatem avitam reci-

perent. Chriſtiani, inprimis Dominicani Taurominenſes, viribus, quantis potuerunt, Judæorum amplitudini obicem poſuerunt apud Reges ſuos. Nec tamen licuit Judæis eadem, Pag. 27. qua Chriſtiani, in domo morari, ſeu habitare. Judæi, qui in Siciliam appulerunt primi, propriis ac privis gaviſi fuerunt veſtimentis. Pallio utebantur quadrangulari, quod ipſi *Talles* vocant, in quorum quatuor angulis, *arba canphot*, pendent precum ac legis phylacteria. Poſtea ille veſtitus Synagogæ fuit reſervatus. *Fridericus II* eos voluit incedere diverſo a Chriſtianis veſtitu. Concilio Lateranenſi IV A. 1215 conſtitutio illa ad omnem ætatem, ſexum, & regionem, fuit dilatata. *Friderico II* defuncto, res Siciliæ fuerunt turbatæ, & Judæi legem illam neglexerunt usque ad compacta *Jacobi* Regis cum *Carolo II*, Rege Neapolitano. *Jacobus* ille erat *Petri*, Arragoniæ Regis, filius æque ac *Fridericus*. Hic edixit A. 1296, 20 Oct. Plazzæ, ut Judæi ſigno veſti copulato ſe ſecernerent a Chriſtianis, ſi veſtitu omni id B. ſignificare haud valerent. S. *Vincentius Ferrierius* ſignum id in Hiſpanias ſeriori ævo æque invexit, ut intelligitur ex *Bremondi* Bullario Patrum Dominicanorum *Tom. III pag. 382. Friderico* defuncto, Judæi id edictum migrarunt. Tandem *Fridericus* nepos Rex A. 1366, 12 Oct. edictum renovavit, atque copioſius reddidit. Signum ipſum erat pannus rotundatus, referens formam ſigilli regii maximi, aſſixus veſtimento ſupra pectus. Vocant ſcriptores id ſignum *rotella roſſa*. Fœminæ id vocant pallium *rindella, manella, manto,* ſuper quo circa pectus affixum apparet ſignum id ipſum, diſtans a mento palmum unum. Proceres Judæorum ſubinde privilegio Regis ſeſe a geſtamine illius ſigni liberarunt. *Martinus* Rex A. 1402 exemit legi *Samuelem* ac *Eliam Salam,* fratres Judæos. Judæi alii ſibi licentiam impetrarunt geſtandi *rotellam* ſatis exiguam. *Fridericus III* Rex inſtituit magiſtratum novum *præfectura*, a *rotella roſſa* cognominatæ. Cuſtodem præfecturæ primum ſalutavit Fr. *Nicolaum de Papalla*, Panormitanum Minoritam, teſtibus literis, A. 1395, 10 Aug. Catanæ per *Martinum I* Regem datis. *Ferdinandus I*

Rex

Rex invento huic addidit ſignum, a Muhammedanis diſcriminis cauſa geſtandum, A. 1428, 5 Febr. Hoc erat figuræ longurii ex panno rubro, longi unum palmum, ac lati duos, affixi veſtimento ſupra pectus. Ejecti fuerunt tandem Mohammedani e Sicilia per edictum, A. 1599, 26 Nov. promulgatum. Judæos A. 1435 *Alphonſus* Rex juſſit ſignum, ipſis præſcriptum, imponere officinis ac macellis. *Carolus II*, Rex Hiſpaniarum, ſignum Judæis demiſſet ſupplicibus A. 1695, niſi Proregina Judæos ad inſtitutum priſtinum ſervandum prudenter inflexiſſet. Judæos Siciliæ juribus Chriſtianorum fuiſſe gaviſos, pateſcit ex conſtitutione *Friderici II*, Imperatoris. *Ludovicus* Rex A. 1350 idem ſancivit, nec non *Martinus* A. 1392. Tributa igitur ibi ſolvunt Judæi, aliasque exactiones præſtant congruenter Chriſtianis inſulæ incolis. Pendere conſueverunt Judæi pecuniæ modum, qui vocatur *giſia* & *auguſtale*. *Carolus du Freſne* ac ipſe Autor haud audent hunc numi modum definire. Numum aureum apud Siculos dictum fuiſſe *agoſtaro*, luculentius noſſe datur. Hic æquavit 20 caratos auri, valuitque florenum cum parte quarta. Teſtis eſt *Richardus de S. Victore* ad A. 1232, *auguſtarum* æquaſſe quartam unciæ Siculæ partem. Hæc complectitur quinque florenos, ſeu duos cum dimidio ſcutatos. Numi pars antica refert *Fridericum II*, coronatum more Imperatorum ætatis primæ; antica offert aquilam, alis expanſis inſignem. Judæorum erat, ſubminiſtrare vexilla & labara pro navibus ac caſtellis regni; viaticum præbere inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, nec tamen ultra *groſſum communem*, ſeu *turonenſem*. Groſſus turonenſis in Sicilia erat argenteus numus, æqualis pretio 12½ granorum, teſtibus conſtitutionibus Regis *Jacobi Cap. 58*. Judæorum, ſiquidem ipſi olim erant *cameræ* ſervi, erat expurgare, ac ſcopis mundare, caſtella, propugnacula, ac palatia Regis. Hæ præſtationes Judæis univerſim in Sicilia erant communes. Non vacat repetere ſpeciatim exactiones, Judæis diverſorum locorum imperatas. Licet Rabbinis Siciliæ, a grege cœtus ſui ſacri Judaici ſegregare debitores moroſos. Immo tenentur, ut ita faciant, regia

Pag. 37. 41. 44. 49. 53. 55. 59.

 lege.

lege. Marſalæ Judæi ſacris Chriſtianorum intereſſe, ſermo-
ni ſacro auſcultare, ac diebus ſanctorum feriari a labore, de-
buerunt. Marſalenſes terminos inſtituti tranſierunt. Quare
motus Rex *Martinus*, id ſuſtulit ita, ut obſervent Judæi ibi
univerſi feſta Chriſtianorum antiqua, non nova. *Nicolaus V*
Pag. 65. ipſe hunc morem approbavit. Addidit *Clemens XI* A. 1708,
ut dominicis feſtisque Chriſtianorum diebus domi ſuæ ma-
neant, nec inviſant tunc Chriſtianorum domos. Rex *Alphon-*
ſus juſſit primus Judæos ire ad ædem ſacram, auſcultaturos
oratori Chriſtiano, ad ipſos Jeſu lucrifaciendos conſtituto.
Inſtituit ipſe idcirco A. 1428, 5 Febr. Fr. *Matthæum A-*
grigentinum, Minoritam, oratorem & lectorem, Judæis
ac Muhammedanis inſerviturum. At revocavit *Alphon-*
ſus decretum A. 1430, 5 Jan. permittens Judæis faculta-
tem pro arbitratu adeundi Lectorem, ac ex eo proficiendi.
Celebrant Judæi in Sicilia ſacros ſuos dies, ſabbatum, neome-
niam, azyma ac paſcha, pentecoſten, expiationis, tabernacu-
lorum, ut ubique. Eis temporibus illos in judicium vocare
haud licet Chriſtianis. Diſtinguunt Itali inter *i ſervi*, & *i*
80. *ſervidori*, mancipia & ſervos ætatis noſtræ. Mancipia paga-
næ ſuperſtitionis habuerunt olim Judæi. Mancipia Chriſtia-
na quo minus haberent, interdictis cautum. Si ipſi circum-
ciderent mancipium Chriſtianum,aut paganum, capitis ſuppli-
cio id eis erat luendum ex lege *Conſtantini Maximi*. Eis
haud licet ſervos Chriſtianos, mercede conductos, aut an-
84. cillas, domi fovere, vel habere. Mirum eſt, quod *Gregorius*
Magnus jam in Sicilia habuit Judæos fundorum poſſeſſores,
at ſimul mancipia ac litones Eccleſiæ Romanæ. Poſſeſſio-
nes, fundos, Judæis licuit in Sicilia vendere, emere, aliena-
re, pro arbitratu, ac de eis teſtamenta ſancire. *Alphonſus*
Rex duobus privilegiis, altero ad A. 1453, id juris eis voluit
89. ratum & inviolatum. Juris dicundi Chriſtianis poteſtas eis in
Sicilia fuit denegata, quoniam ipſi occultis odiis appetunt
Chriſtianos,& Talmudica ſequuntur decreta. Concilio Latera-
nenſi IV A. 1215 interdictum illud fuit corroboratum. Te-
ſtimonium ipſi in cauſis nonnullis perhibere valent contra
Chri-

Digitized by Google

Chriſtianos. In nonnullis locis non admittebatur teſtimonium judiciale Chriſtiani erga Judæum, & Judæi contra Chriſtianum, e. g. Meſſanæ. Inter Chriſtianos haud licuit Judæis medicinam facere ac profiteri, docentibus quippe, de- Pag. 92.
cretum mortis in cœlo eſſe ſcriptum, atque ab angelo mortis dari inevitabilem in modum effectui. Reperiuntur tamen exempla Medicorum Judæorum, qui permiſſu magiſtratus Chriſtiani in Sicilia Chriſtianis medicinam adhibuerunt. In Hiſpaniis licuit Ebræis omnino pro more priſco Medicos agere. Ob eam, qua fruuntur Judæi in Sicilia, proſperam conditionem continuo Iudæi, alibi vexati, vel infeſtati, in Siciliam ſedes ſuas tranſtulerunt, e. g. ob edictum *Caroli VI*, Galliarum Regis, Seculo XIV Judæis infeſtum, & *Ferdinando II* per Siciliam regnante, Ebræisque in Africa graviter laborantibus. A. 1455 Judæi tentarunt feſtinum iter Hie- 98.
roſolymas expediendum. Revocavit eos magiſtratus per Judæorum primores ob legem de numis ex inſula haud exportandis. Peregrinaturis cum viatico idoneo A. 1456 poteſtas indulta, abeundi Hieroſolymam, ac redeundi. In Judæos Si- 103.
ciliæ dominatus fuit Seculo VI & VII per judices urbium Pontifex Romanus. *Fridericus*, poſtea Imperator, A. 1210 jurisdictionem & poteſtatem in Judæos Panormitanos transtulit in Archiepiſcopum & Canonicos indidem. Idem *Fridericus* A. 1224 poteſtatem jurisdictionis in Judæos Siculos omnem tradidit *Inquiſitoribus ſancti officii*. *Fridericus II* 105.
A. 1321, 22 Maji, eos, quippe cameræ regiæ ſervos, exemit Clericorum poteſtati, ac magiſtratibus civilibus ſubjecit, exceptis Judæis Panormitanis, quorum *protos*, ſeu Rabbinos, Archiepiſcopi, *Joannes* & *Bartholomæus*, carceri dederunt, ac publice fuſtigari juſſerunt. *Ferdinandus II* Rex A. 1482 juſſit Archiepiſcopum abſtinere a legatis Judæorum defunctorum, ſpectantibus quippe ad jurisdictionem inter Chriſtianos eccleſiaſticam, non inter Judædos. Reges Judæis præfecerunt Archirabbinos, ſeu *Dien-chelele*, judices univerſales. Inſtitutum invenit *Martinus I* A. 1405. R. *Joſephus Abbanaſia* fuit primus ejusmodi judex, qui vicarios conſtituit ultro citroque. Meſſanam inde exemtam voluit Rex *Alphonſus* A. 1417. Op-

pidis

Digitized by Google

pidis reliquis idem privilegium Rex indulſit eo anno ad Februarii Calendas. Subſtituti ſunt judicibus XII ſeniores, citra quorum conſenſionem nihil licuit *Protis* in Synagogis de-
Pag. 121. cernere. Conſilium, ſeu conſeſſus, eorum obtinuit nomen *Aliama;* ſeniores poſtea dicti a Siculis *Majorenti*. Conſervatoribus actorum hi crediderunt chartas & acta; Syndicis cauſas agendas; aliis alia negotia. In Rabbinis credit Autor reſidere veteris Synedrii umbram. Definiunt enim ipſi delicta & pœnas ratione rituum, artium, querelarum mutuarum, ac imponunt dignis pœnas pecuniarias, ac a Synagoga ſegregationem. Olim Judæi Siciliæ elegerunt ſibi ſummum Sa-
129. cerdotem, ac minores ſacerdotes. Illum delegit vel Epiſcopus, vel elegerunt Judæorum *proti*. Sacerdotes vocant in Italia Judæi *Conaim*, id eſt, *Cohanim*, & in Sicilia ſuum quemque ſacerdotem appellabant *Caſſen*, *Haſſem*, ſeu potius *Chaſan*. Sacerdotes olim curarunt victimarum mactationem & immolationem. Hanc Autor vocat *Meſſe*, ſeu *Miſſam*, *pag.* 131 ex opinione ſuorum, addens, Judæos recitare pro defunctis preces, dictas *Aſcabah*, ſeu requiei, quas cum ſuorum Miſſa requiei confert, præeunte neophyto Chriſtiano, *Paulo Medici*, in libro *de' riti e coſtumi degli Ebrei Cap.* 30. Sacerdotes Siculi Ebræi, approbantibus protis & majorentibus, Seculo adhuc XV conſignarunt & inſtruxerunt libellos, ſeu char-
133. tas, ſponſaliorum, matrimoniorum, & divortiorum. *Martinus* Rex eis firmavit hanc poteſtatem. Præter hos inter eos viguerunt *rabbini*, *maniglori*, *idubi*, *eleemoſynarii*, *judices ſacri*. Rabbini ſunt in Talmudicis verſati. Qui excellunt, ac exſpectationi Rabbinorum faciunt ſatis, vocantur *maſchilim*, ſeu docti, vel potius domini, *Caver in de Rab*, ſocii Rabbini. Qui eruditionem ſuam perfecerunt, vocantur *Chahamim*, ſapientes. Rabbinus, ex Moſchel creatus, occupat primum Synagogæ locum, ac ſacras exponit literas, decidit dubia in licitis vetitisque rebus, ac a communione noxios excludit, & veſtem Talles geſtat, capiti etiam imminentem. *Maniglori* pendebant ab arbitrio protorum & eleemoſynariorum, ab illis

Digitized by Google

illis eligi ſoliti, æditiuis, vel ſacriſtanis, ſimiles. Miniſter inſpectoris, a quo deligebatur, erat *Iduba*, invigilans obſervantiæ rituum, celebrandis matrimoniis, ſcribendis repudii chartis. *Eleemoſynarii* concedebant, aut negabant, facultatem mendicandi inopibus. Judices ſacri, *Melclini*, curabant cuſtodiam rituum ac cerimoniarum, ac in prævaricatores earum rigide animadvertebant. Rex *Martinus* edixit A. 1392, ut ad judices ſacros Meſſanæ a ceteris Judæis inſulæ provocare liceret. Synagogarum uſum Judæi ab *Eſra* deducunt. Ubique in Sicilia Synagogis adhærent decem otioſi, abſentium e numero aggregatorum Synagogæ ſupplentes locum. Judæi eas, Mohammedaniſmo ingruente, vocarunt Moſcheas. In una civitate ſæpius ſunt complures Synagogæ. Exeunte Seculo XV Ebræi omnes e Sicilia ejecti. A. 1373 vocatæ quoque Synagogæ *Timiſia*. Vocem Noſter ex θῦμα, *ſacrificio*, ſeu *victima*, arceſſit. Synagogis præterea adhæſit nomen *Sabati*, *ſcholæ*. Ipſis fuerunt præterea oratoria privata, *jechibot*, ad opportunitatem ditiorum, qualia in Novo Teſtamento dicuntur ὑπερῷα. Uni familiæ inſervierunt olim proſeuchæ, ſi fides Noſtro. *Philo* in *Flacc. pag. 971* Synagogas ipſas vocavit *proſeuchas*. Noſter credit, deſignari per τὴν προσευχὴν τοῦ Θεοῦ *Luc. VI, 12*, proſeucham. Non licuit Judæis Siciliæ pro arbitratu condere, vel amplificare, Synagogas. Nonnunquam id tentarunt, proterviam ære poſtea redimentes, ac ita novis gaudentes Synagogis, vel ampliatis. De balneis Judæorum domeſticis ac cœmeteriis dicere non eſt neceſſum. Uſuris capiendis per leges caruere Siculi Judæi, ni mallent fuſtigari publice, bonisque exui. Judæi Catanenſes eo nomine fuerunt accuſati A. 1406, ac condemnati. Scelera ac delicta bene multa deprehenderunt præterea Chriſtiani in Judæis. Feruntur ipſi S. *Marcianum* Martyrem intereniſſe. *Heliodorus* quidam dicitur fuiſſe magus & præſtigiator. Sæpius Judæi, ſcelerum & maleficiorum ibi accuſati, muneribus datis pœnam evaſerunt, vel gratiam delictorum conſecuti ſunt. A. 1491 Caſtilione e feneſtra projecerunt ſaxum in corpus Chriſti euchariſticum. Meſſanæ puellum cruci affixiſſe leguntur.

Pag. 135. 142. 159. 167. 175.

 Inde

Inde tumultuationes Chriſtianorum in Judæos. Illi volue-
runt cogere hos ad doctrinam Chriſtianam amplexandam.
At monet Noſter, religionem noſtram non per vim, ſed ar-
Pag. 181. gumenta, eſſe hominibus infundendam. Laudat hoc nomi-
ne *Lactantii* illud *V, 20*, *Auguſtini* illud contra literas *Petilia-*
ni II, 83, illud decretum Concilii Toletani IV *Cap. 56*, *Caſſio-*
dorum Var. II, 27, ac *Clementis III* decretum apud *Gratianum*
Cap. Sicut Judæi. Tumultus Panormi in Judæos exarſit
vehementiſſimus A. 1339, poſtea Syracuſis, Catanæ, alibi.
Ferdinandus Catholicus Rex conſilium cepit expellendi
194. Ebræos. Judæi multa machinantur in contrarium. *Thomas*
de Turrecremata, Dominicanus, Regi & Reginæ *Iſabellæ* ar-
gumentis ejectionem illorum perſuaſit. Spatium excedendi
197. inſula Judæis fuit prædefinitum. Edictum emigrationis fuit
A. 1492, 18 Jun. per Proregem *Ferdinandum de Acugna* pro-
mulgatum plene, additisque emigrandi conditionibus. Dies,
præſtituta emigrationi, prorogatur iterum iterumque. Tan-
dem fit emigrationi locus A. 1493. Ex Hiſpania Judæi jam
excedere coacti A. 1491, ſeceſſerunt in Luſitaniam ad breve
tempus ac Italiam. Judæi Hiſpanici faſtidiunt Italicos, & ab
209. his paſſim diffident rituum cauſa. Siculi Judæi profecti
ſunt in regnum Neapolitanum. Hinc *Carolus V* A. 1539 eos
emigrare juſſit. Panormo Neapolin tranſtulerant permiſſu
Proregis codices chartasque. Laudat has expulſiones Autor
Ven. adverſus *Jacobum Basnagium*, qui, eas in ſaniorem do-
213. minandi artem impingere, credidit. Comparat cum hoc exilii
edicto Noſter edictum *Eliſabethæ*, Ruſſorum Imperatricis, quo
Judæos juſſit ex imperii finibus excedere, propoſito ad an-
num 1743, 18 Dec. Ipſi A. 1738 e Polonia fuerant ejecti, ac
excreverant ad 35000. Artificibus Sereniſſima atque Auguſtiſ-
ſima *Eliſabetha* obtulit adventaturis A. 1746 privilegia, ſplen-
dida ſatis. At ipſa ſimul cavit ſeveris adjectis ſuppliciis, ne
Judæi inter illos clanculum irreperent. Edictum, quo Judæi e
Sicilia diſcedere juſſi ſunt, legitur *pag. 216 ſeq.* ex integro.
Non eſt noſtrum, repetere memoriam neophytorum, qui, Ju-
daiſmo relicto, Chriſtiana ſacra fuerunt amplexati. Nego-
tiari

Digitized by Google

tiari quæſiverunt poſt *Caroli V* ætatem Judæi in Sicilia. *Philippus II* A. 1589 edicto propoſito, ne id fieret, ſancivit. Facultatem tamen negotiandi Meſſanæ eis permiſit *Carolus II* A. 1695, præſidio ac liberi commeatus privilegio eo fine munitis. Privilegium illud dilatatur A. 1728. Idem renovatur ac amplificatur A. 1740, paulo tamen poſt declaratur irritum. Addit Noſter, Deo viſum fuiſſe remunerari eam Regis conſtitutionem per prolem regiam maſculam, *Philippum Antonium*, ex Auguſtiſſima *Maria Amalia* A. 1746, 13 Sept. natum. Hæc ad *Partem priorem*. *Capita*, quæ *Parte poſteriori* exponuntur, ſunt ſingularium momentorum, quæ noſſe, non intereſt multorum. Dedimus potiora, ut eis, qui notitia ſtatus regnorum & hiſtoria gentis Judaicæ delectantur, velificaremur. Diligentiam Ven. Autoris niſi publico proſequeremur elogio, non poſſemus, quin iu rempublicam peccaremus. Nihil affirmavit, nihil negavit, Autor eorum, quæ ad acta præteriti temporis attinent, quin locupletiſſimos adjecerit ac laudaverit teſtes. Index eandem ſpirat induſtram. Avemus videre Viri ejusdem, ſcriptoris quippe laborioſi & accuratiſſimi, Siciliam diplomaticam, Hiſtoriæ Siculæ oculum alterum ac certiſſimum ſtabilimentum.

Pag. 239.

INTRODUCTION A L'ANALYSE DES LIGNES courbes algebriques, &c.

hoc eſt,

INTRODUCTIO IN ANALYSIN LINEARUM CURvarum algebraicarum; Autore GABRIELE CRAMERO, Philoſ. & Math. Profeſſore, Academiarum & Societatum regiarum, Londinenſis, Berolinenſis, Montiſpeſſulanenſis, Lugdunenſis, nec non Inſtituti Bononienſis, Socio.

Genevæ, apud Fratres Crameros & Claud. Philibertum, 1750, 4 maj.

Alph. 3 plag. 20, Tabb. æn. 33.

Deſideratiſſimam diu fuiſſe inter Geometras theoriam Curvarum generalem, quarum ampliſſimus hodie in univerſa Matheſi & Phyſica eſt uſus, nemo eſt in Matheſi ſublimiori paulo verſatior, qui ignoret. Haud equidem defuerunt, qui ſumma hujus theoriæ capita delibarunt, quos inter laudandi ſunt *Stirlingius* in *Tract. de Lineis tertii ordinis*, *Nicole* & *Bragelongue* in *Comment. Acad. Pariſ.*, ac denique Abbas *Gua de Malves* in *Uſu Analyſeos Carteſianæ*. At, qui ex inſtituto rem totam pro dignitate exponeret, ad hunc diem exſtitit nemo. Summo itaque hujus doctrinæ bono accidit, quod haud ita pridem duos accepimus a duobus Analyſtis doctiſſimis hac de re *Tractatus*, quorum alter eſt Cel. *Euleri*, inſcriptus: *Introductio in Analyſin infinitorum*, de quo ſuperiori Anno verba fecimus, alter, isque omnia adhuc fuſius perſequens, quem nunc in manibus habemus, liber Celeberrimi *Crameri*, cujus in Analyſi ſublimiori profectus jam aliis egregiis ingenii monumentis ſatis ſuperque conſtant. Quare nec in limine detinebimus Lectores, ejus penitius cognoſcendi cupidos, ſed ſtatim contenta Operis ita, ut ſufficiens de eo fieri poſſit idea, exponemus. Verſatur totus liber in theoria Curvarum, eaque Analyſeos ſpecioſæ ope ſtabilienda. Recte enim monet Clariſſ. Autor, methodum veterum mere geometricam, etſi ad acuendam ingenii vim, & demonſtrandi rigorem, apprime idoneam, in hoc tamen disquiſitionum genere eo laborare incommodo, ut tantum cognitionem particularem earum linearum, circa quas verſatur, præbeat, cum contra calculi ope ad magnam ſemper veritatum connexarum ſeriem deducamur.

Capite primo Autor *naturam linearum curvarum, modumque, eas æquationibus repræſentandi, in genere*, conſiderat. Prima hic ponuntur totius doctrinæ fundamenta. Incipit Autor a palmaria linearum quarumvis diviſione in *regulares* & *irregulares*. Hæ ſunt, quæ formantur absque ulla regula certa, vel cognita, nullaque adeo definitione exhiberi poſſunt; illæ, quæ certa deſcribuntur lege, earum eſſentiam, ſive naturam, conſtituente, omniumque punctorum, ad eas pertinentium, poſitionem definiente. Regulares item dividuntur in eas, quæ de-

deſcribuntur in ſuperficie plana, ſeu *curvas ſimplicis curvaturæ*, inque eas, quæ in ſuperficie curva, ſeu *curvas duplicis curvaturæ*. Priores ante omnia curatius examinantur. Explicantur fundamenta methodi, quam *Carteſio* debemus, eas æquationibus exprimendi, ceu fœcundiſſimi totius hujus doctrinæ principii. Hinc exponitur diviſio linearum in *algebraicas*, ſive *geometricas*, *rationales*, & in *tranſcendentes*, ſive *mechanicas*, *irrationales*; quas inter ceu mediæ ſtatui poſſunt *exponentiales*; & inter has iterum & algebraicas dictæ illæ *Leibnitio interſcendentes*. Sed, cum circa algebraicas potiſſimum verſetur præſens Opus, methodum etiam, qua hæ æquationibus algebraicis exprimuntur, rectas varias, ad hanc expreſſionem pertinentes, & prima axiomata, inde reſultantia, fuſius & clarius explicat, exemplisque perſpicuis illuſtrat. Docetur hic, qua ratione dici poſſit, curvam quamvis eſſe continuam, nempe quemvis ejus ramum vel connecti alio cum ramo, vel procedere in infinitum. Hoc autem non impedit, quo minus partes ejus a ſe invicem ſeparatæ exiſtere queant. Oſtenditur porro, quomodo æquatio exprimere poſſit curvam non unicam, ſed ſyſtema plurium, a ſe invicem penitus diſtinctarum, ſi nempe ad *o* reducta reſolvi poteſt in plures æquationes rationales, ceu factores. E præcedentibus deducitur modus, curvam per puncta infinita deſcribendi. Siquidem æquatio curvæ actu reſolvi poſſit, hoc ſtatim in promtu eſt. Dantur tamen & alii caſus, quibus idem absque reſolutione æquationis præſtari poteſt, e. g. aſſumendo novam variabilem, qua in æquatione ſubſtituta, utraque coordinatarum per eam definitur. Verum enim vero methodum nec hanc, nec alias, eſſe generales, huncque eſſe defectum, cui vix remedium ſperari poteſt, inficias iri nequit.

Conſideratis ſic, quæ locum habent in Curva ad certas coordinatas relata, *Capite ſecundo* de *transformatione æquationis*, ſeu relatione ad alias coordinatas, agit. Modum primo oſtendit generalem, ſeu formulas canonicas, quarum ſubſtitutione id omnibus in caſibus præſtari poteſt. Verum, cum

Digitized by Google

hæc transformatio in æquationibus paulo altioribus, pluresve terminos habentibus, nimis evadere poſſet complexa; compendium tradit, cujus ope idem facilius expediri poteſt, quodque fundatur principio de forma coefficientium oriundorum, ſi pro x^n ſubſtituitur $(m+z)^n$; nec non caſus pertractat ſimpliciores, maxime uſu venientes, quibus formulæ illæ generales abbreviantur.

Capite III Cel. Autor *diviſionem linearum algebraicarum in ordines* aggreditur. Primo æquationem generaliſſimam, ſeu canonicam, pro linea ordinis cujusvis ſiſtit. Ut conditio terminorum, æquationem cujusvis ordinis ingredientium, melius perſpiciatur; modum, eos diſponendi, primo more *Neutoniano* in parallelogrammum, dein ſecundum Abbatem *de Gua* in triangulum, *analyticum* ipſi dictum, (quod reapſe nil aliud eſt, quam parallelogrammum *Neutonianum* converſum, cuſpide deorſum ſpectante,) explicat. Hinc patet, numerum terminorum æquationis ordinis n generatim eſſe $\frac{1}{2}nn + \frac{3}{2}n$; qui itidem eſt numerus punctorum, per quæ generatim linea ejusdem ordinis deſcribi poteſt. Demonſtratio hujus propoſitionis petenda eſt, ut jam conſtat, e doctrina de eliminatione incognitarum ex æquationibus quotvis datis. Cum vero hæc eliminatio actu fieri nequeat in æquationibus ordinum paulo altiorum, nedum generatim in æquationibus ordinis cujusvis; methodum tamen generalem, id, quod hac ex operatione reſultaret, reperiundi, in *Appendice* hujus *Operis prima*, (de qua poſthac,) tradit Clariſſ. Autor. Ex eodem fonte deducit numerum punctorum, in quo generatim ſe ſecare poſſunt duæ lineæ ordinum datorum. A caſibus orditur ſimplicioribus, ubi numerus punctorum iſtorum pro certis ordinibus ope radicum æquationis definiri poteſt; ubi ſimul, numerum interſectionum interdum minorem, interdum & majorem, numero radicum eſſe poſſe, oſtendit. Sed generalis inprimis deſideratur demonſtratio numeri punctorum pro duabus ordinibus quibusvis, quæ quidem eo redit, ut generatim inveniatur, ſi e duabus æquationibus cum duabus incognitis eliminetur earum unica, ad quot dimenſiones adſcenſura ſit altera in æqua-

æquatione prodeunte. Talem, a plerisque aſſumtam, ſed a nemine antea datam, primus hic in publicum emittit Noſter in *Appendice II.* Obiter hic notamus, nuperrime ejusmodi demonſtrationem quoque publicatam a Cel. *Eulero* in *Commentar. Acad. Berol. ad A. 1748.*

Cum methodus, in *Capite* præcedenti adhibita, fundamentum ſit conſtructionis æquationum determinatarum per duas æquationes locales; hinc occaſionem nactus eſt Autor, *Capite IV* varia *notata circa conſtructionem æquationum* tradendi. Principio generatim oſtenditur, quomodo conſtruatur æquatio per interſectionem duarum curvarum, qua ratione inveniendæ ſint iſtæ curvæ, quique limites hoc in proceſſu a natura rei præſcribantur. Etſi enim electio unius æquationum indeterminatarum, quæ in datam æquationem introducitur, ſit generatim arbitraria; ea tamen ita fieri debet, ut interſectiones, quæ præbere debent radices æquationis, non fiant imaginariæ. Requiritur itaque, ut curvæ habeant abſciſſas reales reſpondentes ordinatis, radices dictas exhibentibus; aut viciſſim ordinatas reales reſpondentes abſciſſis, quæ radices exprimunt. Aliter enim accidet, ut interſectiones deſideratæ fiant imaginariæ. Hoc itaque modo numerus interſectionum realium foret minor numero radicum quæſitarum. Sed e contrario fieri poſſet, ut idem fiat minor; ſi pluribus interſectionum punctis reſpondeat abſciſſa, vel ordinata non niſi unica. Hoc ex fonte orta ſunt dubia, quæ quondam contra methodum conſuetam conſtruendi æquationes movit *Rollius* in *Comment. Acad. Pariſ. A. 1708, & 1709.* Qua igitur ratione evitanda ſint hæcce incommoda, oſtendit Autor: dum nempe pro una æquationum aſſumatur talis, in qua variabilis eliminanda habeat unicam ſolum dimenſionem; ita enim valor ipſius non poterit non eſſe realis; totidemque adeo interſectiones, quot radices. Porro, cum in conſtructione æquationum deſideretur inſuper, ad ejusdem elegantiam, ut duæ æquationes ſint ſimpliciſſimæ, curvæque ordinis, quantum fieri poteſt, infimi, hoc etiam quomodo obtineri queat, oſtendit. Simplicitatem vero non tam in æquatione, quam in deſcriptione, ponen-

Digitized by Google

ponendam; ideoque conſtructionem per curvam ordinis ſuperioris, ſed facilius deſcribendam, ei, quæ fieret per curvam inferioris ordinis, ſed deſcriptu difficiliorem, præferendam, meritò monet. Ejusmodi foret conſtructio æquationis cujusvis per Paraboloidem ejusdem ordinis, & rectam. Ea, præter ſimplicitatem praxeos, hac etiam haud exigui momenti prærogativa gaudet, ut exinde limites æquationis, numerusque radicum realium & imaginariarum, determinari queant. Hunc in finem præcipua hujusmodi curvarum ſymptomata exponit; cumque limites radicum pendeant a maximis & minimis in curva, quibus determinandis inſervit regula *Huddeniana* pro æqualitate radicum in æquationibus; hancce regulam demonſtratam dedit in *Appendice III.* Dilucidantur hæc omnia facta ad æquationes ſecundi, tertii, & quarti, gradus applicatione; unde plana ad naturam harum æquationum penitius introſpiciendam via aperitur.

Hiſce abſolutis, pergit nunc Autor ad proprietates curvarum, ex æquationibus earum, ope Analyſeos, evolvendas. Primum itaque *Capite V* Theorema generale circa *valorem producti omnium ordinatarum, eidem abſciſſæ reſpondentium,* tradit; quod in ſequentibus haud parum præſtat utilitatis. Demonſtrationem ejus exhibet conciunam, ipſumque ad lineas ſecundi tertiique ordinis applicat. Satis patet, exinde facile derivari omnia, circa relationem quadrati ordinatæ & rectanguli ſub ſegmentis diametri in ſectionibus conicis, demonſtrata.

Caput VI diametrorum, contra-diametrorum, & centrorum, in Curvis, conſiderationem continet. Hanc generatim ex hoc fonte repetit: Primo valorem ſummæ omnium ordinatarum, eidem abſciſſæ reſpondentium, determinat. Jam duas lineas ponit eſſe tales, ut, pro abſciſſa eadem, ſumma ordinatarum in una ſit æqualis ſummæ ordinatarum in altera. Harum alteram, oſtendit, migrare poſſe in ſyſtema plurium rectarum; hoc denique in rectam unicam, quæ tunc erit curvæ *diameter*, intelligendo nempe generatim ſub diametro rectam, ad quam ſumma ordinatarum poſitivarum ſemper æqua-

tur

Digitized by Google

tur ſummæ negativarum. Hinc porro, curvam quamvis infinitis gaudere diametris, demonſtrat. *Diametri curvilineæ* quid ſint, explicat; curvæ nempe, ordinatas datæ curvæ ita ſecantes,ut vel ſumma ordinatarum poſitivarum & negativarum, vel ſumma factorum e ſingulis binis poſitivorum, & ita porro, ſint reſpective inter ſe æquales. Speciatim vero *diameter* dicitur *abſoluta*, ad quam ſemper dantur hinc inde ordinatæ poſitivæ & negativæ binæ ſibi invicem æquales; ſeu quæ ſpatium curva terminatum in duas partes æquales, easque præterea, poſitis ordinatis normalibus, ſimiles, dividit. Haſce proprietates in curvis variorum ordinatorum examinat. Lineam quamvis ſecundi ordinis diametro abſoluta præditam, demonſtrat. Quod vero cum in curvis altiorum ordinum locum non habeat; methodum, diametros abſolutas, ſi quas habeant, inveſtigandi, oſtendit. Inde ad contemplationem *contra-diametrorum* tranſit. Inſignita eſt hoc nomine ab Abbate *de Bragelongue* talis recta, ad quam abſciſſæ oppoſitæ & æquales habent ſemper ordinatas oppoſitas æquales; quæque adeo curvam dividit in duas partes (poſitis ordinatis rectangulis) ſimiles & æquales, uti diameter; hac ſaltem differentia, ut partes iſtæ æquales ſint oppoſitæ, & in angulis alternis jacentes; quemadmodum in hyperbola intra aſymptotos, ad centrum relata. Demonſtrat hic, curvam, una contra-diametro præditam, habere infinitas. Denique ex his oritur idea *centri*, hoc eſt, talis puncti, per quod ductæ omnes ad curvam rectæ ſunt hinc inde æquales; cujusque ideo reſpectu partes curvæ directe oppoſitæ perfectam ſymmetriam efficiunt. Methodum hic oſtendit generalem, inveſtigandi, an data curva centrum habeat, ipſumque poſitione determinandi.

Aggreditur jam in ſequentibus disquiſitionem eorum, quæ ad integram Curvæ figuram, ſive curſum, definiendum pertinent. Duo autem hic ſe offerunt palmaria: *Crura infinita*, & *puncta ſingularia* (hoc eſt, peculiari quadam dote præ reliquis curvæ punctis gaudentia,). Per crurum enim infinitorum numerum, ſpeciem, poſitionem, fit diviſio curvarum

D cujus-

Digitized by Google

cujusvis ordinis in genera & ſpecies; per punctorum vero ſingularium naturam, numerum, poſitionem, ſubdiviſio in ſpecies inferiores. Ad horum omnium indolem detegendam, nullam vel tutiorem, vel generaliorem, methodum, quam ſerierum, recte pronuntiat. Hanc itaque *ſerierum methodum* curatius examinandam, & e primis principiis eliciendam, ſibi ſumſit *Cap. VII.* Id quod eo magis gratum eſſe debet Analyſeos cultoribus, quod nullibi adhuc exſtiterit hæc methodus pro dignitate pertractata, aut e genuinis fontibus deducta, debitisque demonſtrationibus ubique munita; quin potius vario reſpectu imperfecta, & nimis limitata, fuerit, adeoque ad concluſiones interdum vitioſas deduxerit. Nimirum fundata eſt ea *parallelogrammo Neutoniano*, quod vero inſigne inventum ab Autore ipſius absque demonſtratione propoſitum eſſe, conſtat. In eodem quidem ulterius proferendo verſati ſunt *Taylorus* & *Stirlingius;* aſt, eorum regulas eo defectu laborare, ut nec generales ſint, nec exactæ ſatis, monet Noſter; &, qui eas emendavit quodammodo, *Graveſandii* methodum, compendii ſaltem vicem gerentem, ambitum methodi generalis non conſervare, ſed certis tantum caſibus locum habere; iisque, quibus valet, ne ſic quidem adeo concinnam, ac poſſet, eſſe; quin demum ſubinde enumeratione imperfecta in errorem poſſe inducere. Omnia hæcce incommoda e medio tollere cupiens Clariſſ. *Cramerus*, optimum duxit, ad geminos methodi fontes regredi, totumque proceſſum ex iis derivare, unde & prona fluit omnium, quæ huc ſpectare poſſunt, demonſtratio. Res eo potiſſimum redit: ſi in æquatione inter duas variabiles ponatur alterutra earum infinite magna, vel parva; hoc ipſo certi exibunt ex ea termini, reſpectu reliquorum evaneſcentes. Quales vero ſint ii termini, (in quo totius rei cardo verſatur,) inveſtigatur, per parallelogrammum *Neutonianum*, ſeu, quod Autor ei hic ſubſtituit, *triangulum* (de quo ſupra diximus) *analyticum.* Hujus enim ope conſtat, quinam termini ſint ejusdem ordinis, qui ſuperioris, quique inferioris. Hinc autem definiuntur termini æquationis propoſitæ maximi. Quæcunque hac in operatione occurrere

poſſunt,

poſſunt, clariſſime explicat, & exemplis illuſtrat, Autor. Dein ad ipſas ſeries infinitas pergit. Earum naturam in genere, varias ſpecies, formam generalem, ſucceſſionem terminorum, ſymtomata varia, ut quando fiant reales, imaginariæ, ſemi-imaginariæ, &c. ample exponit; compendia quoque hinc inde tradit varia. Dolemus, rei naturam non permittere, ut eam pro dignitate hic fuſius perſequamur. Certe eam hic inſigni cum perſpicuitate traditam, & vere analytice expoſitam, ſumma cum voluptate legent ſublimioris doctrinæ cupidi; etſi eam non in omni, quem recipere poſſet, ambitu, ſed tantum, quatenus theoriæ Curvarum inſervire poteſt, hic pertractaverit Clariſſ. Autor.

Pedem itaque promovemus ad *Caput VIII*, ubi, principiis præcedentibus nunc munitus, in *crurum infinitorum in curvis* naturam inquirit. Ante omnia, cum curvæ in infinitum abire poſſint vel ab axe abſciſſarum, vel ab axe ordinatarum, vel ab utraque, quomodo id perfacile ex æquatione ſerierum ope dignoſci queat, oſtendit. Hinc palmariam crurum in *hyperbolica* & *parabolica* diſtinctionem explicat. Si nempe ſit $y = Ax^n$: hyperbolica ſunt crura, quando n negativus, parabolica, quando poſitivus. Hunc in finem Hyperbolas & Parabolas tam primi, quam altiorum, ordinum examinat, & ſymptomata crurum in iis definit. Exinde methodum docet, inveſtigandi cruris curvæ cujusvis datæ infiniti naturam; an ſit reale, vel imaginarium, an hyperbolicum, vel parabolicum; & qualis aſymptoti, ſi quam habet, poſitio; vel, ſi aſymptotum rectilineam non habet, quænam aſymptotos ejus curvilinea, hoc eſt, curva ſimpliciſſima, ei in infinito proxime accedens. Generatim vero ultima crurum infinitorum directio diſtincte cognoſcitur ope trianguli analytici. Quatuor vero hic dantur caſus præcipui: Aut curva habet crura hyperbolica, quorum aſymptotos eſt axis alteruter; aut horum aſymptotos axi alterutri eſt parallelus; aut habet crura parabolica, quorum ultima directio alterutri axi eſt parallela; aut denique crura habet infinita, quorum ultima directio ad utrumque axem eſt obliqua. Hæc omnia inſigni ſelectiorum exem-

plorum copia abunde illuſtrantur. Subjunguntur Theoremata quædam generalia circa numerum crurum & aſymptotorum pro curvis cujusvis ordinis, ut: crura infinita eſſe ſemper numero pari; lineam algebraicam ordinis imparis habere ſemper ad minimum duo crura infinita; curvam habere non poſſe crura infinita plura, quam ſunt unitates in duplo exponente ordinis; nec plures aſymptotos, quam unitates in ipſo exponente; numerum punctorum, in quibus occurrere poteſt aſymptotum, duobus ad minimum unitatibus deficere ab exponente ordinis; & id genus alia.

Jactis nunc fundamentis, ad *diviſionem linearum cujusvis ordinis in genera* (id quod ope crurum infinitorum fieri diximus) neceſſariis, eam *pro quinque prioribus ordinibus* ſiſtit *Cap. IX.* In *ſecundo* non niſi tres in univerſum curvas exiſtere, demonſtrat. In *tertio* quatuor dari claſſes, in iisque quatuordecim genera, ut ſatis conſtat e *Neutonianis*. *Quartum* continere novem claſſes, quarum quævis in varia genera ſe diſpeſcit, ſed quorum enumeratio vires Analyſeos tantum non ſuperat. Contentus itaque fuit Cel. Autor principia tradendo, quorum ope curva quævis data hujus ordinis ad ſuam claſſem, ſuumque genus, revocari queat. Denique *quintum* ordinem undecim circumſcribi claſſibus. Præterea numerum crurum parabolicorum & hyperbolicorum, quibus præditæ eſſe poſſunt curvæ dictorum ordinum, exponit; regulam denique tradit generalem, qua idem præſtari poſſit pro quovis ordine.

Doctrinam de *punctis curvarum ſingularibus* orditur *Cap. X.* Hæ generatim quid ſint, jam diximus ad *Cap. VII.* Sunt autem ea vel *puncta multiplicia*, vel *puncta inflexionis*. Illa ſunt, quæ pluribus curvæ cruribus ſunt communia; poſſuntque igitur eſſe *duplicia*, *triplicia*, &c. Hæc ſunt talia, ubi curva ita tangit rectam, ut unum illius crus ad unam hujus partem, alterum ad alteram, jaceat; eaque vel *inflexionis ſimplicis*, ſi non niſi ſit talis inflexio, vel *puncta ſerpentationis*, ſi ita loqui fas eſt, (*points de ſerpentement* dixit Cel. *de Maupertuis*,) quando tangens iterum occurrit curvæ in pun-

puncto infinite propinquo, id quod, etſi non oculis, calculo tamen, cognoſci poteſt; quæ iterum poſſunt eſſe *inflexionis duplicis*, *triplicis*, &c. His explicatis, primo oſtenditur, quo ordine lineæ incipiant gaudere punctis inflexionis certi gradus; idque exemplis parabolarum illuſtratur. Hinc conſiderantur puncta multiplicia. Methodus traditur cognoſcendi, an punctum curvæ datum ſit ſimplex, an multiplex, ipſumque gradum multiplicitatis; nec non inveſtigandi, an curva datæ æquationis habeat puncta multiplicia, ubi, & qualia; denique determinandi conditiones in data æquatione, ad puncta talia ei inducenda. Varia porro ſiſtuntur Theoremata circa numerum punctorum multiplicium, qui obtinere poteſt in curvis cujusvis ordinis, eorumque gradum multiplicitatis.

Cap. XI tractat *methodum tangentium*, *punctorum flexus contrarii*, & *maximorum minimorumque*. Tangentium enim numero & poſitione diſtinguuntur variæ ſpecies punctorum ſimplicium, vel multiplicium. Methodus tangentium expeditur hic absque uſu infinite parvorum; eique ſaltem ideæ ſuperſtruitur, quod tangens curvæ oriatur e ſecante, duobus ſectionis punctis in unum coeuntibus. Hoc modo non ſolum generatim oſtenditur modus ad punctum curvæ quodvis, vel in origine ejus, vel ubique extra hanc, jacens, idque vel ſimplex, vel multiplex, tangentem ducendi; ſed & definiendi, an ibidem ſit punctum inflexionis, & cujusnam gradus. Viciſſim e data tangentis poſitione determinatur punctum curvæ. Poſita itaque tangente ordinatis, vel abſciſſis, parallela; tranſitus fit maxime naturalis ad maxima & minima. Etſi methodus hæc ipſa nihil in ſe novi contineat; notatu tamen ſunt digna, quæ ad dilucidandam maximorum minimorumque doctrinam Autor hic attulit. Ea enim, ut vulgo proponi ſolet, ita eſt comparata, ut maxima minimaque, tam inter ſe, quam cum punctis inflexionis & multiplicibus, confundantur, quibus omnibus parallelismus ille tangentis poteſt competere. Non itaque ſolum methodum generalem, maxima, minima, & puncta inflexus, in curvis determinandi, expli-

explicat, variisque exemplis uſum ejusdem illuſtrat; ſed & inprimis docet, quomodo hæc a ſe invicem diſcernenda ſint. Fit hoc ope methodi ſerierum. Si nempe æquatio curvæ reſolvatur in ſeriem adſcendentem hujus formæ: $A + Bz + Cz^3$ &c.; hujus primus terminus præbet ipſam ordinatam primitivam; ſecundus exhibet poſitionem tangentis; tertius poſitionem curvæ reſpectu tangentis, ideoque inflexiones, declarat; maxima & minima autem facile e conditiouibus termini ſecundi diſcernuntur. Ex hactenus dictis jam patet modus, data æquatione curvæ, totum ejus curſum & ſymptomata determinandi, quæ omnia exemplis variis perſpicue ante oculos ponuntur.

Cap. XII circa *curvaturam curvarum* verſatur. Satis conſtat, hanc menſurari ſolere per circulum ejusdem curvaturæ, cujus centrum & radius ope principiorum præcedentium haud difficulter determinantur, ac inde varia ſymptomata curvaturæ eliciuntur. Cum vero, ſimul ac curvatura non amplius eſt finita, circulus ei determinandæ inſervire nequeat; his caſibus ei ſubſtituitur Parabola ejusdem curvaturæ. Hujus ope determinantur directio puncti cujusvis, & inprimis natura punctorum curvæ ſingularium, idque genus alia.

Cap. XIII fit applicatio præcedentium ad *puncta multiplicia in curvis priorum ſex ordinum*; ubi disquiritur, quænam eorum ſpecies in quovis ordine locum habere queant; eorumque conditiones fuſe examinantur.

Abſoluta ſic, quam ſibi propoſuit Clariſſ. Autor, Curvarum conſideratione, ſubjunguntur tres *Appendices*, quarum ante mentionem injecimus. Demonſtrationes hæ continent tres, quas huc rejiciendas duxit Autor, ne, cum ſint paulo longiores, in ipſa tractatione ſuperiori filum ratiocinandi nimis interrumperent. *Prima* & *ſecunda* verſantur *circa eliminationem incognitarum*. Quando nimirum methodo conſueta eliminantur incognitæ ex æquationibus, non ſolum calculus fit maxime perplexus, ſtatim ac numerus æquationum & incognitarum eſt paulo major, aut ſi incognitæ in æquationibus propoſitis ad dignitates altiores adſcendunt; ſed & caſu poſte-

poſteriori aliud naſcitur incommodum, prodeunte æquatione finali, multo magis, quam pro neceſſitate, compoſita, & radices ſuperfluas continente, quas haud facile a veris, Problemati propoſito ſatisfacientibus, extricare licet. Hiſce ergo incommodis medelam in præſenti affert Clariſſ. Autor, haud contemnendo Analyſeos finitorum incremento. In *priori* enim *Appendice* tradit methodum, propoſitis quotvis æquationibus cum totidem incognitis, quæ in ſingulis non primam dimenſionem adſcendunt, determinandi valorem cujusvis incognitæ. Eruitur hæc per inductionem e conſideratione caſuum ſimpliciorum pro una, duabus, tribus, &c. incognitis, unde lex progreſſus perſpicitur, & regula generalis formatur. In altera docet, datis duabus æquationibus cum duabus incognitis, quæ in iis ad quotvis dimenſiones pertingunt, invenire æquationem, ex eliminatione unius reſultantem. Singulari hic uſus eſt methodo, tam in notatione, quam in ratiocinio. Ad denotandas coefficientes, ſeu functiones, uſus eſt numeris, quo ipſo, cui termino competant, facilius ante oculos ponitur; id quod uſum habere poteſt in aliis ejusmodi disquiſitionibus. Ipſa vero ſolutio deducitur e natura radicum, quas habere poteſt incognita eliminanda in alterutra datarum æquationum. Singulis enim hiſce radicibus in reliqua ſubſtitutis, naſcuntur totidem æquationes, quas omnes in ſe ducendo, liquet, oriri debere æquationem quæſitam, omnes iſtas radices in ſe continentem. E contemplatione itaque coefficientium illius producti actu facti ſimiliter elicitur lex progreſſus, atque hinc ſolutio, quæſito generatim ſatisfaciens. *Tertia* denique Appendix *demonſtrationem* tradit *regulæ* illius *Huddenianæ* de reductione æquationum, radices æquales continentium, ope multiplicationis per progreſſionem arithmeticam.

Vix opus eſſe judicamus, expoſitis ſic palmariis Operis hujus contentis, aliquid de ejus pretio ſtatuere. Satis enim inde percipient omnes æqui harum rerum judices, quam multa egregia in eo expoſita reperire queant. Sane ejusmodi Opus ſibimet ipſum pulcherrima laus eſt. Ob inſignem vero perſpicui-

cui-

Digitized by Google

cuitatem ipſum etiam Analyſeos ſtudioſis, haud adeo longe adhuc progreſſis, ſatis commendare non poſſumus. Ceterum, cum in Præfatione mentio fiat *Tractatus algebraici*, ab Autore exarati; publice hic rogamus etiam atque etiam Virum Doctiſſimum, ne hunc invideat Matheſeos cultoribus, qui omnes, novo hoc tam eximio ſpecimine allecti, anxia eum exſpectatione proſecuturi ſunt.

JO. PHIL. BURGGRAVII, D. DE AERE, AQUIS, & locis, urbis Francofurtanæ ad Mœnum Commentatio. Accedit Disquiſitio de origine & indole animalculorum ſpermaticorum.

Francofurti ad Mœnum, apud Jo. Benj. Andreæ, 1751, 8. Plag. 14.

Occaſionem, quæ huic opuſculo conſcribendo anſam dedit, in Præfatione Autor Clariſſ. exponit. Nimirum ſatis eſt notum, *Franc. Roncallum Parolinum*, Medicum Brixienſem, edidiſſe ante biennium, & quod excurrit, Medicinam Europæ, cui omnium, quantum fieri poterat, regionum ſingularem de medicinæ ſtatu adjungere volebat hiſtoriam, Hujus itaque precibus permotus Clariſſ. Autor, hanc compoſuit Commentationem, ſed, variis laboribus aliis impeditus, ſerius ad finem perduxit, &, cum præfixo exciderit fine, poſtea ſuppreſſit. Verum enim vero, cum junioribus Medicis in dirigenda praxi non inutile opus eſſe futurum judicaret, prelo eam tandem ſubjecit. *Tribus* abſolvitur hoc opus *Sectionibus*, quarum *prima*, *phyſica*, de urbis Francofurtanæ, tum & aeris, aquarum, & locorum ejusdem, conſtitutione naturali, victus & vitæ incolarum ratione, inſcribitur. Recenſetur hic ſitus urbis, diviſio, magnitudo, mundities, ventorum adventus, & locorum, per quæ tranſeunt, conditiones. Agrorum & annonæ ubertas
Pag. 12. declaratur. Soli natura humida eſt, ex ruſeſcentis arenæ, & coeruleſcentis lutoſæ terræ, ſabulique, ſtratis conſtans. Aquarum copia eſt, tum putealis, tum fontanæ & pluvialis, quæ omnes, excepta pluviali, duriuſculæ ſunt & frigi-

frigidæ. Abundant quædam ex his calcarea materia, chemicis experimentis detecta, quædam medicatorum fontium nomen merentur. Singularibus quantitatibus præditus eſt ſic dictus fons *Faulpump*, qui fœtore ſulphureo inſignis eſt, & alius, qui leni ſtagnatione ſalinam cruſtam induit. Pag. 17.
Poſt adducta, quæ ad harum aquarum naturam pertinent, experimenta, ad aerem tranſit Cel. *Burggravius*, quem purum 22.
eſſe aſſerit, inprimis cum provide cautum ſit, ne impuri illi halitus admiſceantur, quos venti, continuusque Mœni fluvii motus, ſimul corrigunt. Deinde victum disquirit, qui, maximam partem vegetabilis, Cel. Autori videtur calculi geneſin præcavere; animali tamen victu haud raro utuntur. Potio communis eſt aqua, & alii, nunc conſuetudine introducti. Corpora ibi natorum hominum mediocris ſunt ma- 37.
gnitudinis, & ſingulare hoc eſt, ruffos raro, rariusque atros, habere capillos, quod bene temperatorum humorum ſignum eſſe putatur, & argumento, ex ſanguine vena ſecta fluente, confirmatur. Morbi epidemici nulli obſervati ſunt, & alii rariores, ut ſcirrhi, cancri, hydropes, calculi, podagra, exanthemata maligna. Operam dedit Cel. Autor, ut ex indicibus annuis mortuorum hujus ſeculi numerum colligeret, menſiumque lethiferorum normam daret. *Sectio II, phyſiologica*, ex prima maximam partem deducta, qualia Francofurtanis corpora urbis, tum & aeris, aquarum, & locorum, conſtitutio naturalis formet, docet. Mitis eſt in iis humorum 48.
mixtio, temperata ſolidorum textura, aer ſolida firmat, perſpirationem ſuſtinet, cibi ſalubriores ſunt. Aquas duriores frigidioresque nonnulli male incuſant, inprimis cum diverſa genera diverſis inſerviant operationibus, aquæ potatoribus optime conveniant, aliterque comparatæ noxiæ fuiſſent futuræ incolis. Notatis dein communibus diætæ vitiis, quæ ſanitatem vitamque lædunt, corpora plura grandæva exiſtunt, id quod exemplis, ſecundum annorum ſeriem propoſitis, corroboratur, ſimulque, plures natos, quam demortuos, fuiſſe, demonſtratur. Animi dotes ſi reſpicias, ingenuos eſſe Francofurtanos, mercaturæ deditos, & ad ſtudia colenda aptos, reperies. *Sectio III, pathologico-therapevtica*, quid Francofurtanis

tanis incommodi aer, aqua, & potus illorum, afferant, & quomodo illi medendum ſit, declarat. Plura hic ob ſitum urbis, & ob tenaciores humores, eveniunt, aliis quoque gentibus, iisdem conditionibus ſubjectis, communia, quæ, accurate licet expoſita ſint, lubenter prætermittimus, ſingularia tantum annotaturi. Raræ plebejis eveniunt hæmoptyſes, frequentes
Pag. 71. mollius educatis, juvenibusque, a nicotianæ & veneris prææmaturæ intempeſtivo uſu, quarum curandi rationem hic ſtudioſe expoſitam deprehendimus. Inflammationes ſanguineæ
78. ex humorum tenacium natura ſæpe obſervantur. In oculis
88. ſi ſubſederint, poſt diſcuſſam inflammationem aſellorum vivorum contuſorumque uſus internus commendatur. In vomi-
92. cis curandis non negligendæ ſunt thermæ Sodenſes, Embſenſes, acidulæ Fachingenſes & Selteranæ, quarum contenta hic recenſentur, nonnullæ tamen vomicæ curam non admittunt. Febrium non infrequentium propagationi cortex peruvianus inſervit, quem rite adhibitum, & innoxium, eſſe, & nunquam fallere, deprehendit Cel. Autor. Hæmorrhoidum
101. e contrario ſollicitata provocatio ſæpe damno eſt. Cruditates
110. primarum viarum, viſcidasque maſſas, gummatibus reſolvi poſſe, notum eſt, de ferulacei vero ſingularem hanc obſervavit conditionem Cl. Autor, quod viſum turbent, diu tamen non durantem. In eundem finem thermarum Wisbadenſium, & Schwalbacenſium, Fachingenſium, & Selteranarum acidularum, uſus commendatur. Nec epilepſiæ raræ ſunt, in
115. quibus curandis, præmiſſis purgantibus, emetica antimonialia, radicem Valerianæ ſylveſtris, cum aqua ejusdem ſtillatitia aſſumtam, oleumque animale *Dippelii*, multum præſtare, docetur. Catamenia fœminarum difficile procedunt, nec in-
122. frequens inde ſterilitas. Inprimis circa generationem notatur, puellas plures præ pueris progigni, partus ſæpe difficiles eſſe, abortus rariores, lactationem ob aquarum duritiem impoſſibilem, variis modis adjuvandam. Ad infantes quod attinet, afficiuntur illi aphthis, rhachitide, ſteatomatibus, hydrocele, quos morbos medendi methodus exponitur. Juvenes tandem tardius ad pubeſcentiam deveniunt. Ex iis vero, quæ huc usque fuere adducta, haud obſcura deſumi poſſunt de do-

doctrina Cel. Autoris argumenta, quamque ſubtiliter in eruendis & dijudicandis rerum cauſis ipſe verſari ſoleat. Adjecta operi *de origine & indole animalculorum ſpermaticorum* disquiſitio in abſcondita generationis hiſtoria declaranda & perficienda occupatur. Præſuppoſita animalculorum exiſtentia, hæc eodem, quo antherarum pulvis in plantis, modo in teſtibus formari, ſtatuit. Quo analogia pateat, ad pulveris Pag. 149.
hujus plantarum mutationem reſpicit, deinde ovuli fœminarum mutationes generatim perpendit. In gallinaceo ovo incubato primo vermis, deinde medulla ſpinalis cum capite, conſpicitur, ſenſim reliquæ partes adjiciuntur. Embryones humani, abortu rejecti, & ab Autore disquiſiti, ruditer delineatas partes oſtendebant, ſucceſſive evolvendas perficiendasque. 156.
In evolvenda vero, difficili admodum, quæſtione, unde animalcula proveniant ſpermatica, a teſticulorum ſtructura eorum pendere formationem, conjicitur, quod omnibus fere animalibus ſingularis eſt eorum interna conformatio. Ut clariora hæc reddantur, taurinos diſſecuit Autor teſtes, prius artificioſe eorum repletis vaſis. Invenit autem, albugineam 163.
eorum tunicam in duas divelli poſſe lamellas, exteriorem denſam elaſticam, interiorem, vaſorum ramificationes ſuſcipientem. 165.
Interiori membranæ alia tenuior, ob colorem & tenuitatem *vitrea* nuncupanda, adhæret, quam nihilo tamen ſecius duplicatam eſſe cognovit, intus autem in teſte copioſiſſimas & maceratione reſolutas longiſſimas ſubtilesque fiſtulas detexit. Ex quibus conſequi ipſi videtur, ut retardatus ob has cauſas denſatusque humor ad minimos tubulos non tam vi cordis pellatur, quam ſenſim paulatimque urgeatur; hocque modo ex fiſtularum figura & transpreſſione animalcula ſpermatica formari. Argumentum a polypi *Trembleyani* geneſi deſumitur, cujus ex corpore pars transpreſſa in novum polypum excreſcit. Continet autem ejus- 169.
modi animalculum medullæ ſpinalis cerebrique principia, nec non vim facultatemque, reliquas producendi partes, & 173.
per *ἐπιγένεσιν* apponendi. Quæ virtus, dum in ſemine adhuc exiſtit, animalculum magis ſenſim perficitur; in ovulum vero dum deducitur, novas mutationes ſubit, ex quibus mon-

 ſtro-

Digitized by Google

ſtrorum rationem, morborum hæreditariorum & indolem, & ſucceſſionem, variaque alia, explicare annititur Cel. *Burggravius.* Ex inſectorum tandem bombycumque metamorphoſibus mutationum ſucceſſionem illuſtrare tentat. Hoc unicum forte in propoſita adhuc ſententia fuiſſet probandum, quomodo, ex humoris tenuioris particulis, formatum animalculum vitam habeat, licet figuram inde acquirere potuerit. Figura etenim ſola ad ſiſtendum verum animalculum non ſufficit.

CHRISTIANI FRIDERICI BOERNERI DE DOCTIS hominibus Græcis, literarum Græcarum in Italia inſtauratoribus, Liber.

Lipſiæ, in bibliopolio Jo. Frid. Gleditſchii, 1750, 8.
Plag. 16.

Non ſine inſigni quadam animi voluptate hunc Lectoribus noſtris indicamus librum, qui doctiſſimorum Virorum, quorum maxime opera factum eſt, ut, poſt tantam & tam longam noctem, qua incultæ jacebant, pulcherrimarum artium & ſcientiarum lux exoriretur, magno doctrinæ apparatu hiſtoriam explicat. Hujus prima Autor Summe Veneneranดus jecerat fundamenta quarto præſentis Seculi anno, quo ſolenni, *de altera Græcarum literarum ex Græcia in Italiam migratione, ſive de Græcis, qui Seculo XV, ad imperii Conſtantinopolitani interitum fatali, Græcas literas in Italiam iterum intulerunt,* habita, Diſſertatione *Chryſoloræ, Beſſarionis, Apoſtolii, Conſtantini Laſcaris,* acta enarraverat. Inſequente vero anno Diſſertatione altera, quam *de exulibus Græciæ, iisdemque literarum in Italia inſtauratoribus,* inſcripſerat, illuſtrium duumvirorum, *Georgii Trapezuntii,* & *Theodori Gazæ,* memoriam inſtauravit. Rurſus undecimo hujus Seculi anno tria confecerat Programmata, iisque de *Georgii Hermonymi, Demetrii Chalcondylæ, Jani Laſcaris,* & *Marci Muſuri,* rebus expoſuerat. Horum vero, ceterorumque doctorum hominum Græcorum, *Joannis* ſcilicet *Argyropuli,* & *Andronici Calliſti,* de vita & ſcriptis, qui nunc prodiit liber, ita operis ſubſecivis elimatus eſt & expolitus, ut, ſive complures,

plures, quibus auctus eſt, acceſſiones ſpectes, ſive elegantia dictionis typique nitore delecteris, nihil ad ornatum & perfectum opus deeſſe videatur. Neque forte alius quispiam huic labori perficiendo feliciores potuit admovere manus; quandoquidem, præter accuratam Græcæ linguæ cognitionem, cum inſigni rerum antiquarum notitia conjunctam, ejusmodi ſubſidiis S. Ven. Autor inſtructus eſt, quæ opus haud vulgare, ſuisque, ut dicitur, numeris abſolutum, erudito orbi polliceri poterant. In Anglia quidem A. 1742 *Humphredi Hodii*, Græcæ linguæ Profeſſoris Regii, & Archidiaconi Oxonienſis, de Græcis illuſtribus, linguæ Græcæ, literarumque humaniorum, inſtauratoribus, eorum vitis, ſcriptis, & elogiis, Libri duo, cura *Sam. Jebb* Londini prodierant; affirmat autem S. Ven. Autor, ſerius ſibi, quam in optatis fuerit, quinquageſimo videlicet ineunte anno, operis hujus, quod eximiis codicum, maxime calamo exaratorum, aliorumque ætatis illius monumentorum avthenticorum, præſidiis inſtructum, ſingularique cura & induſtria concinnatum, dicit, factam fuiſſe copiam. Præterea oſtendit etiam in Præfatione, illud ipſum non uno modo ab eo, quem ipſe ſuſcepit, differre labore. Nam doctiſſimus Autor noſter de iis tantum agere inſtituit Græcis eruditis, qui, accifis patriæ rebus, & poſt expugnatam a Turcis Conſtantinopolin, in Italiam ſeſe contulerunt, &, Græcarum literarum inſtauratione partam, magnam ſui famam reliquerunt. Contra autem ea doctiſſimus Anglus cum his complures alios, qui eo loco numeroque haberi nequeunt, conſociavit. Quemadmodum vero ea maxime Celeberrimo *Boernero* inſtituti ratio erat propoſita, ut Græcis eruditis, qui Græcarum literarum inſtaurationis gloriam propriam ſibi fecerunt, ſuam dicaret operam; ita omnem adhibuit curam atque cogitationem, ut de horum vita & ſcriptis quam accuratiſſime & pleniſſime exponeret. Non enim ſolum acta illorum apto convenientique ordine ac ſtilo enarravit, ſed hiſtoriam etiam contextam in ſubjunctis ei notis, commodoque adeo loco, dilucidavit, & fide maxime dignis idoneisque teſtimoniis ac documentis confirmavit. Pauca igitur, eaque præcipua, brevi delibabimus recenſione.

Primum ordine ſortitus eſt locum *Manuel Chryſoloras*, qui Græ- Pag. 1.

Digitized by Google

Græcarum literarum doctrinam primus in Italia inſtauravit. Byzantii hunc, qua in urbe majores ejus, ortu Romani, domicilium ſibi conſtituerant, natum eſſe Seculo P.C.N.XIV, Cel. Autor confirmat. Quo autem ſpeciatim anno in lucem hanc editus, quibus item parentibus, qua uſus ſit inſtitutione, tum etiam quid in patria geſſerit, de his quidem nihil proditum eſſe dicit memoriæ. Suſceptæ vero a *Manuele* literarum Græcarum in Italia inſtaurationi occaſionem dedit iter, quod Imperatoris Conſtantinopolitani, *Joannis Palæologi*, juſſu ad ſummos Europæ Principes inſtituit, maturam Græciæ periclitanti operam imploraturus. Officio tandem ſuo perfunctus, in Italiam habitatum conceſſit, & legati, cui præfuerat, munus cum Græcarum literarum doctoris provincia commutavit. Ad Græcas literas docendas poſtquam animum appulerat, Venetias, Florentiam, Mediolanum, Ticinum, ipſamque Romam, ſcholis ſuis nobilitavit. Quibus omnibus in locis Græcas literas egregio diſcendi cupidorum commodo magnoque applauſu eſt profeſſus. Inprimis vero Roma, ubi primum ſub *Bonifacio IX* Pontifice eo venit, ob ſummam veteris hujus cum nova Roma, Conſtantinopoli, ſimilitudinem, magnæ ipſi fuit voluptati. Complures ita, iique clariſſimi, ex hujus ſchola diſcipuli prodierunt. Quorum præcipuorum enarratis nominibus, ſtatim ſubjungit officii, cui adhuc præfuerat, commutationem. Namque & in Galliam legatus a *Manuele*, Imperatore Conſtantinopolitano, in Italiam veniente, miſſus, & a *Joanne XXIII* A. 1413 ad Imperatorem Romanum *Sigiſmundum* legationis comes, ſociusque duobus Purpuratis, datus eſt. Conſtantiam inde profectus, ut rebus in Concilio gerendis intereſſet, non multo poſt, quam eo venerat, menſe videlicet Aprili A. 1415, diem obiit ſupremum, ibidemque ſepultus eſt in ampliſſima monaſterii Ordinis Prædicatorum æde, qui quoque Epitaphium, quod ſimul cum elogio *Poggii* hic profertur, poni curarunt. Quanquam vero *Chryſoloras* liberos nullos, perpetuam tamen reliquit laudem, ſcriptisque bene meruit de poſteritate, ipſi ſuperſtite. Horum accuratum Cel. Autor præbet indicem, eamque concludit Commentationem gravi elegantique *Andreæ Juliani*, Nobilis Veneti, pro *Manuele Chryſolora* funebri Oratione; quam ipſe ex Biblio-

thecæ

Digitized by Google

thecæ Academiæ Lipſienſis Paulinæ Codice deſcriptam, & cum editione *Hodiana* comparatam, integram exhibuit. Hunc ſtatim ſequitur vere magnus ille homo Græcus, atque ætate proximus, *Beſſarion Trapezuntinus*, celebri Ponti urbe, Trapezuntinorum Imperatorum eo tempore ſede, A. 1395 natus, quem, ad ingenii cultum capiendum Conſtantinopolin a parentibus miſſum, ibique cupidiſſime literarum ſtudia arripientem, S. *Baſilii* poſtea Ordini addictum, variæ porro doctrinæ copia a *Georgio Gemiſto*, ſive *Plethone*, aliisque, auctum, indeque multarum virtutum fama clarum, negotiis publicis ab Imperatoribus Byzantino & Trapezuntino admotum, ſiſtit. Commemorat porro, quibus gradibus *Beſſarion* ad tantum honoris adſcenderit faſtigium. Dicit enim, ipſum cum Imperatore *Joanne Palæologo*, ejusque fratre, *Demetrio*, & *Joſepho*, Patriarcha Conſtantinopolitano, ad Concilium, A. 1430 inſequenteque anno Ferrariæ primum, indeque Florentiæ, celebratum, profectum, eumque in finem Archiepiſcopi dignitate ornatum, fuiſſe. Hic igitur cum gravi diſſertaque oratione, aliisque modis, ſtrenue egiſſet, operaque ſua effeciſſet, ut unio Græcam inter & Latinam eccleſiam in Concilio illo ſanciretur; *Eugenium IV* Pontificem adeo ſibi devinxerat, ut is pro meritis gratiam ei relaturus, in patrum purpuratorum ordinem ipſum cooptaret. Poſtea a *Nicolao V* Sabinum, indeque Tuſculanum, accepit Epiſcopatum, atque, ab eodem Pontifice Bononienſi civitati legati nomine præfectus, legationem eam toto quinquennio cum laude obiit. Parum vero abfuit, quin bis renuntiatus fuerit Pontifex Romanus. Et primum quidem *Nicolao V* mortuo A. 1455, cui vero quo minus ſuccederet, obſtitit quorundam, ac præſertim Cardinalis *Alani*, livor atque invidia. Poſt multos deinde exantlatos labores, factasque impenſas, poſt ſuſcepta etiam ad *Alphonſum*, Arragoniæ Regem, Germanos, Venetos, aliosque, multis moleſtiis periculisque plena itinera, ad impetrandum contra infenſiſſimum Chriſtiano nomini hoſtem auxilium, quæ fuerit cauſa, ut ne tum quidem *Paulo II* Pontifice mortuo, primum in Purpuratorum ordine tenens locum, Pontificia potitus ſit dignitate, non convenire dicit. Nam quidam, *Urſino* Cardinale certam ipſi proponente conditionem, poſtulata facere, Pag. 36.

cere,

cere, talique pactione Pontificatum accipere, eum noluiſſe, alii, Janitoris *Perotti* culpa Pontificatum haud conſecutum, memoriæ prodiderunt. Nectit nunc doctiſſimus Autor moleſtiſſimæ & fatalis, quæ ejus obitum anteceſſit, legationis in Galliam, a *Sixto IV* ipſi demandatæ, hiſtoriam. Hoc enim, quod ad pacem concordiamque inter *Ludovicum XI* Regem, & *Carolum*, Burgundiæ Ducem, conciliandam ſuſceperat, munus ita improſpere ipſi ceſſiſſe, & tam grave exiſtimationi pariter ejus & valetudini, complures perhibent, attuliſſe detrimentum, ut, infectis rebus in Italiam rediens, in itinere in morbum, ex animi forſan mœrore, ob ignominiam ipſi illatam, ortum, inciderit, &, Taurino Ravennam devectus, A. 1472, d. 14 Cal. Dec. ætatis ſuæ 77 anno, diem obierit ſupremum. Inde Romam deductum, & in æde Apoſtolorum, in ſepulcro marmoreo, quod vivens ſibi paraverat, ſepultum, memorat Cel. Autor, addito ejus epitaphio. His ſubjungit laudes virtutum *Beſſarionis*, inprimis liberalitatis, & ſtudii literarum, & bonarum artium promovendi inſtaurationem, librosque Græcos conquirendi undique, & ab interitu vindicandi. Inſtructam igitur ab eo locupletem dicit Bibliothecam, triginta millium numorum aureorum facta impenſa, eamque, ut omnium pateret utilitati, reipublicæ Venetæ, ſingulari eam ob cauſam ad Ducem & Senatum Venetum ſcripta Epiſtola, dono dediſſe. Hujus vero etiam Codicum MStorum catalogos indicat præſtantiores, ſcriptorum ejus copioſam addens recenſionem. Ita vero in ea verſatus eſt, ut argumenti habuerit rationem, atque edita & non edita diſtinctim memoraverit. Orſus eſt a theologicis, quæ fere omnia ad unionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina ſpectant, eisque ſubjunxit philoſophicos, ceterosque eruditos ejus labores, atque, ubi plurimi aſſerventur, notavit. Hos vero ſequuntur anecdota quædam ſcripta, quæ in celebrioribus Bibliothecis, præſertim in Veneta D. *Marci*, repoſita ſunt. Tandem huic Commentationi addit S. Ven. Autor Panegyricum *Platinæ*, quo is evergetæ hujus ſui virtutes & præclare facta copioſe commemoravit, & qui ea conſcriptus eſt accuratione, ut ad res *Beſſarionis* pernoſcendas præcipuum afferat adjumentum. Ultimo vero loco exſtat ſupra memorata *Beſſarionis* ad Ducem *Chriſtophorum Maurum* & Senatum Venetum

netum Epiſtola. Dignus omnino hic vir fuit, cujus laudes & in literas merita Cel. Autor copioſius perſequeretur, & nos ipſi plenius exponeremus. In ceteris gradum accelerabimus.

Tertium locum tenet *Georgius Trapezuntius*, qui, A. 1396 in Creta natus, relicta patria, in Italiam, ſedente *Eugenio IV* Pontifice, venit. Poſtquam vero linguam Latinam a *Victorino Feltrenſi* didicerat, Venetiis primum Græcas literas docuit, hinc vero poſt aliquot annos Romam demigravit, ibique Rhetoricam & Philoſophiam felici ſucceſſu profeſſus, & a *Nicolao V* Pontifice, cui ab Epiſtolis fuit, honoribus auctus eſt. Hujus vero poſtea in ſe concitavit iram, quæ ſubitam ipſius rebus attulit commutationem. Æmulos præterea adverſariosque Romæ habuit *Gazam*, *Vallam*, & *Poggium*, quocum etiam in theatro *Pompeji* verberibus decertavit. *Beſſarionem* autem, benefactorem & fautorem ſuum, edita *Platonis* & *Ariſtotelis* comparatione, adeo offendit, ut is, publicato in calumniatorem *Platonis* opere, publice eum redarguerit. Hinc poſtea Neapolin ad *Alphonſum*, Arragonum Siculorumque Regem, ſeſe contulit, qui honeſto conſtituto ſtipendio ipſum ſuſtentavit. Inde vero Romam reverſus, A. 1465 in Cretam, & hinc Byzantium, navigavit. Romam iterum redux factus, *Andreæ Chii* martyrium deſcripſit. Ingraveſcente vero ætate, memoriæ jacturam fecit, & repueraſcere viſus eſt. Tandem vero, multis defunctus moleſtiis, A. 1486 obiit, annos 90 natus. Præclara in hoc homine doctrina, animus vero talis, fuit, qualem in Cretenſi eſſe ſolere, ab *Epimenide Paulus* repetiit. Expoſitis his *Trapezuntii* vitæ rationibus ſubjungitur commentatio de Scriptorum Græcorum confectis ab ipſo interpretationibus, & virorum doctorum de illis adduntur judicia parum honorifica. Ultimo vero loco agitur de ſcriptis, quæ ipſe compoſuit, & quæ vel typis excuſa ſunt, vel ἀνέκδοτα in celebrioribus Bibliothecis exſtare dicuntur. Pag. 105.

Hunc excipit *Theodorus Gaza*, Theſſalonicenſis, quem Ven. Autor Græcarum literarum in Italia inſtauratorum doctiſſimum appellat, quemque, urbe patria a barbaris expugnata, id quod Seculi XV triceſimo accidit anno, in Italiam profugiſſe, hic Latinæ linguæ addiſcendæ operam dediſſe, eximiaque illius peritia, duce *Victorino Feltrenſi*, comparata, Græcas deinde literas Ferrariæ profeſſum eſſe, cognoſcimus. Romam a *Nicolao V*, P. R. ac-

citus *Gaza*, juſſu ejus Scriptores Græcos Latine reddidit, ibique adverſarium habuit *Trapezuntium*, fautorem autem *Beſſarionem*. *Nicolao V* mortuo, Neapolin ſe contulit, indeque redux, *Beſſarionis* commendatione, ſacerdotium in Magna Græcia adeptus eſt. At Romæ manere maluit, quam ad ſacerdotii ſui ſe recipere ſedem. Ingrato tamen *Sixti IV* offenſus animo, urbe ceſſit, &, poſtquam Ferrariæ aliquandiu commoratus erat, in Apuliam abiit, atque ibi haud ita multo poſt, ætate provectus, e vita migravit, ſepultusque eſt in Magna Græcia. Præclaræ doctrinæ ſuæ permultos conſecutus eſt præcones, quos doctiſſimus Autor refert, & ad ingenii ejus monumenta tranſit, recenſendo partim ſcripta, quæ ipſe compoſuit, partim quæ ex Græco in Latinum, aut ex Latino in Græcum, transtulit ſermonem, partim etiam ἀνέκδοτα quædam; & tandem comparationem *Gazæ* & *Trapezuntii* ſubnectit, multo ſale & acumine conditam.

Ita pergit ad quintum, qui eſt *Joannes Argyropulus*, patria Conſtantinopolitanus. Quo is primum in Italiam venerit tempore, non certo conſtare dicit, teſtes proferens, qui, eum, in patria cum viveret, doctoris functum eſſe officio, confirmant. Docet porro, eum poſtea Florentiæ *Ariſtotelicam* Philoſophiam profeſſum eſſe, Græcosque enarraſſe Scriptores, *Coſmi Medicis* autoritate, qui & filium & nepotem ſuum ejus tradiderit inſtitutioni, ibique *Angelum Politianum* inprimis ſtudioſiſſimum ſui habuiſſe diſcipulum. Inde vero, peſtilentia incidente, Romam commigravit, eaque in urbe docendi provinciam adeptus, auditorem habuit *Jo. Reuchlinum*; cujus Græcæ linguæ peritiam, eum fere in modum, quo *Apollonius* Orator olim, cum *Ciceronem* Rhodi Græce declamantem audiviſſet, eſt admiratus. Tandem, ſenectute confectus, Romæ obiit, relicto filio, nobili Muſico, altero vero, docto juvene, pertriſti caſu amiſſo. Doctrina ejus magnis effertur laudibus, vitia vero, maxime arrogantia, cujus hic varia legimus exempla, notantur. His ſubjungit Autor doctiſſimus de librorum *Ariſtotelis* confectis ab eo verſionibus doctorum virorum judicia, & ſcripta quædam ejus ἀνέκδοτα.

Sextus ordine eſt *Michael Apoſtolius*, Byzantinus, qui, patria expugnata, in Italiam venit, Romæque a *Beſſarione* in domum receptus, hic aliquandiu fuit commoratus. Maledico vero contra

Theo-

Digitized by Google

Theodorum Gazam conſcripto libello Cardinalem offendit, graviter ob id ab illo reprehenſus. Ita vero, egeſtate coactus, in Cretam ſe recepit, pueroſque inſtituendo, & libros deſcribendo, victum ſibi comparavit. Duos præterea reliquit clari nominis filios, *Arſenium* & *Ariſtobulum*, de quibus nonnulla lectu digniora hic commemorantur. Tandem ſcripta ejus, quorum pleraque ſunt *ἀνέκδοτα*, & in his præcipue Proverbiorum Græcorum collectio, recenſentur.

Sequentem locum obtinet *Andronicus Calliſtus*, Byzantinus, Pag. 164.
ſedulo ab aliis ejusdem nominis diſtinctus, qui, capta Conſtantinopoli, in Italiam venit, & ad docendas Græcas literas animum appulit. Romæ hunc inprimis apud *Beſſarionem* gratioſum fuiſſe, multi teſtantur. Scripſit etiam pro *Gaza* adverſus *Apoſtolium ἀπολογίαν*. Urgente vero rerum omnium inopia, Roma Florentiam demigravit, magnoque ibi cum applauſu Græcas docuit literas, ac præter ceteros auditores habuit *Angelum Politianum*. In Galliam inde abiit, ibique paulo poſt, ſenio confectus, deceſſit. His, ita enarratis, addit doctiſſimus Autor præclara virorum doctorum de illo judicia, perpauca, docens, ingenii doctrinæque ejus monumenta, eaque *ἀνέκδοτα* pleraque, ſupereſſe.

Octavum ornat locum *Conſtantinus Laſcaris*, Patricius By- 170.
zantinus, qui, patria capta, in Italiam profugus venit. Primum Mediolani, a *Franciſco Sfortia* liberaliter exceptus, Græcas literas docuit, deinde, Romam profectus, *Beſſarionem* amicitiæ vinculo ſibi adſtrinxit; Neapoli porro, a *Ferdinando I* invitatus, eloquentiam & patriam linguam profeſſus; poſtremo perpetuam Meſſanæ in Sicilia ſedem ſibi fixit, tantaque nominis celebritate Græcas literas ibi docuit, ut præpotentes viri filios ſuos ex Italia in Siciliam ad hauriendam ab eo doctrinam ablegarent; porro ſenatui Meſſanenſi Bibliothecam ſuam teſtamento legavit; vitæ ſanctimonia, morumque integritate, clarus, peractis feliciter ea in urbe 27 annis, ſenex ſub finem Seculi XV mortuus ſepultusque eſt Meſſanæ. Hæc aliaque complura ex *Hieronymi Raguſæ Elogiis Siculorum* refert doctiſſimus *Bœrnerus*, atque inter alia ejus ſcripta inprimis Grammaticam ejus multis laudibus proſequitur.

Excipit hunc *Demetrius Chalcondyles*, Athenienſis, qui Flo- 181.

 ren-

rentiæ, ubi *Angelum Politianum* æmulum habuit, poſt *Jo. Argyropulum*, Græcas literas profeſſus eſt, *Laur. Medicis* gratia adjutus. Inde vero a *Ludovico Sfortia* Mediolanum accitus, eodem ibi functus eſt officio. Complures habuit diſcipulos, in quibus etiam *Linacrum* & *Grocinum*, qui Græcarum literarum ſtudia in Angliam traduxerunt, itemque *Jo. Reuchlinum*, noſtratem, ejusque fratrem, *Dionyſium*, S. Rev. Autor refert. Mediolani A. 1511 mortuus eſt, cum annos 87 compleviſſet, ibique ſepulto *Jo. Georgius Triſſinus*, diſcipulus, Epitaphium poni curavit. Græcæ linguæ peritiſſimus, & vitæ morumque integritate clarus, dicitur fuiſſe. Filiam *Jano Parrhaſio* locavit. Filios tres reliquit, præmatura partim, partim triſti, morte exſtinctos. Grammaticam Græcam concinnavit, & præſtantiſſimas *Homeri*, *Iſocratis*, & *Suidæ*, adornavit editiones.

Pag. 192. Decimum accepit locum *Georgius Hermonymus*, Spartiata, qui, *Ludovico XI* regnante, in Galliam venit, & Græcas literas in Academia profeſſus eſt Pariſienſi. Inter diſcipulos, quos Pariſiis nactus eſt, duo inprimis ipſum nobilitarunt. Alter fuit *Reuchlinus*, alter *Guilielmus Budæus*. Cum calligraphus fuerit *Hermonymus*; etiam *Reuchlinus* literarum figuras venuſte pingere didicit. Ceterum, A. 1476 a *Sixto IV*, P. R. ad liberandum Archiepiſcopum Eboracenſem miſſum fuiſſe, notat Cel. Autor. His ita pertractatis, ſcripta ejus quæ ſint, & a quibus recenſeantur, exponit.

199. Tum ad undecimum Græcorum exulum progreditur, qui eſt *Janus Laſcaris*, Rhyndacenus, ex illuſtri & imperatoria ortus ſtirpe. Patrem *Theodorum*, ex patria profugum, in Peloponneſum adoleſcens ſecutus eſt. Hinc a *Beſſarione* Venetias ductus, indeque Patavium miſſus, linguam ibi didicit Latinam. Poſt obitum vero *Beſſarionis* Florentiam ſe recepit, pauloque poſt a *Laurentio Medice* Conſtantinopolin miſſus eſt, ut Græcos libros conquireret. Delegatum hoc ſibi munus ex Principis voto executus eſt, ſtudioque ipſius quamplurimis Codicibus Græcis MStis aucta eſt Bibliotheca Medicæa. *Laurentio* mortuo, cum *Carolo VIII* Rege in Galliam migravit, illique & ſucceſſori *Ludovico XII* carus fuit, atque ab hoc ad Venetos A. 1503 miſſus orator, eam quinquennio obiit legationem. Poſtea ad *Leonem X* Pontificem ſeſe contulit, eique perſuaſit, ut Gymnaſium

ſium in Quirinali conderet, in quod nobiles ex Græcia pueri arceſſerentur. Hujus ipſe Gymnaſii, a Pontifice conditi, curam in ſe ſuſcepit. Sed rurſus A. 1518 a *Franciſco I* Rege evocatus, in Galliam rediit, & illius in promovendis literarum ſtudiis conſilia una cum *Budæo* juvit. Ex Gallia in Italiam poſtquam rediit, Romæ, annos 90 natus, mortuus eſt. Epitaphium ſibi ipſe ſcripſit Græce, quod *Nic. Majoranus* Latinis verſibus reddidit. Præclaras in eo ſplenduiſſe virtutes, ex eo poteſt intelligi, quod ſummis placuerit Principibus, & a laudatis fuerit laudatus viris. Nequicquam vero in eo deſideratur, quod nullos compoſuerit libros, nec Latine converterit Scriptores Græcos. Præſtantiſſimas enim Græcorum librorum procuravit editiones, Epigrammata etiam complura confecit, de quibus diverſa ſunt virorum doctorum judicia. His tandem alia quædam ejus ingenii & doctrinæ monumenta addit.

Progredimur ad ultimum, *Marcum Muſurum*, Rhitymi, Cretæ oppido, natum, *Jani*que *Laſcaris* doctrina imbutum. Hunc primum S. Ven. Autor Latinæ diſcendæ linguæ Venetiis, ibidemque in ædibus *Aldi Manutii* recenſendis Scriptoribus Græcis, operam dantem proponit. Poſtea vero in Gymnaſium Patavinum accitus, demandato ſibi docendi muneri cum laude præfuit. Anno vero 1509 Venetias rediit, magnoque cum applauſu non ſolum Græcas ibi docuit literas, ſed etiam ſtudio ſuo iterum adfuit *Aldo*. Tum autem, *Leonis X*, P. R. erga doctos homines benevolentia excitatus, Romam commigravit, & A. 1516 Archiepiſcopi Epidaurenſis ornatus eſt dignitate. Inſequente vero anno, fatali correptus morbo, cujus diverſæ afferuntur cauſæ, præmatura Romæ obiit morte. De doctrina ejus morumque integritate honorifica exſtant teſtimonia. Multæ vero ejus in recenſendis Scriptoribus Græcis curæ, aſſiduusque in docendo labor, impediverunt, quo minus, præter Epigrammata quædam Græca, Præfationes aliquot, & elegantiſſimum in *Platonis* laudem carmen, libris aliis ſcribendis operam tempusve impendere potuerit. Pag. 219.

Hæc hactenus de libro, multa doctrina, ſtudioque, quo vix eſſe majus poſſit, concinnato. Ceterum docendi adhuc videntur Lectores, doctiſſimum Autorem *Beſſarionis* effigiem libro ſuo

Digitized by Google

præfigendam curaſſe, prout videlicet ea ex pereleganti, quæ Venetiis exſtat, pictura, æri inciſa, in fronte Græcæ & Latinæ D. *Marci* Bibliothecæ Codd. MSS. exhibetur. Ex antiqua vero etiam, quæ in Bibliotheca Academiæ hujus Paulina ſervatur, pictura Italica hic expreſſa *Chalcondylis* facies, in principio vitæ ipſius, ſiſtitur conſpicienda.

JACOBI BURCKHARD HISTORIÆ BIBLIOTHECæ Auguſtæ, quæ VVolffenbutteli eſt, Pars III; qua Conringiana epiſtolica altera, &, præter Analecta ad Partis I Librum II, ex Commercio literario, quod DAVIDI HANISIO, Bibliothecæ Auguſtæ præfecto, cum illuſtribus atque Clariſſ. Viris interceſſit, & ex Illuſtris G. G. LEIBNITII, ad Ampliſſ. LAURENT. HERTELIUM, alioſque, ſcriptis, Epiſtolis, uberiora excerpta complectitur. Accedunt & II & III Partis Indices locupletiſſimi.

Lipſiæ, typis Breitkopfianis, ſumtibus Jo. Chriſtophori Meiſneri, bibliopolæ Wolffenbuttelenſis, 1746, 4.

Alph. 1 plag. 6.

Continet hæc *Pars* accuratiſſimam proximæ continuationem & ipſa re, & paginarum notis. Fit hocce *quatuor Capitibus*. *Primum* habet altera *Conringiana* epiſtolica, quibus non ſolum ipſius *H. Conringii*, ſed etiam *Jo. Chriſt.* L. B. *a Boineburg* & *H. J. Blumii*, vita, fataque Bibliothecæ, cum illius temporis Hiſtoria literaria, fuſius illuſtrantur. Confidit autem Doctiſſ. Editor, hæc excerpta neutiquam eſſe Lectoribus diſplicitura; præſertim cum Cel. *J. C. Wolfius* de *Conringianis* epiſtolicis, cura *Ritmeieri* publicatis, in Præfatione, quam *Caſaubonianis*, Hamburgi A. 1710, 8, editis, præfixit, *pag. 37* judicium tulerit, quod varii generis obſervationes, ut *Conringius* πολυμαθέστατος erat, in iis legantur, pleræque tamen ad eruditos viros, & librorum pretium cognoſcendum, pertineant, judiciis autem illius eo plus ſit tribuendum, quod animo deliberato ſint in chartam conjecta. Ceterum, hic a Noſtro quæ *Conringiana* proferuntur, ex Epiſtolis, ad munificentiſſimum Bibliothecæ conditorem maximam partem ſcriptis, excerpta ſunt. Adhæc, quod *Ritmeierus* neglexit, tempus Epiſtolarum ſcriptarum

rum ſimul annotatur. Adduntur etiam ſingulis fere membris obſervationes limatiſſimæ, itidem Hiſtoriam inprimis literariam, ut ipſa membra, fulcientes. E. g. de Capellano non pauca narrantur e Fr. *Dion. Camuſati Mélanges de Literature tirez des Lettres Manuſcrites de Mr. Chapelain*, Pariſ. 1727, 12, ejusdemque libri dedicatione. Epiſtolarum *Boineburgii* & *Conringii* volumen a ſe foras datum iri, ſpem fecerat *Caſp. Corberus* in eleganti Epiſtola, qua *H. Conringii* Epiſtolarum Syntagmata duo, una cum reſponſis, *Hermanno Joanni Conringio, Hermanni* filio, A. 1694 dedicavit. At ea ſpes, quod dolendum, decollocavit. Dubitandum enim non eſt, quin quamplurima, & bene ordinata, de viris doctis judicia, præclaræ ac luculentæ de literatorum operibus, de litigiis eorum, ac fatis, inde fuiſſemus cognituri. Qualia ſi in eruditorum Epiſtolis, ad amicos familiariter ſcriptis, haud inveniantur, omni eas nitore deſtitui, *Boineburgius* ipſe credidit, ſeque tales nullius æſtimare pretii, in Epiſtola quadam ad *J. C. Dietericum* affirmavit. Epiſtolas illas *Boineburgii* ad jam laudatum in Academia Gieſenſi Hiſt. Profeſſorem Noribergæ A. 1703. *Rud. Mart. Meelführerum* in 12 edidiſſe, conſtat, quarum tamen editione tanti viri famam non auctam eſſe, quorundam eruditorum eſt judicium. Uberiora ex ejusdem ad *Zachar. Pruenſchenckium*, Conſiliarium Saxo-Vinarienſem intimum, inque Ducatu Iſenacenſi proprincipem, Epiſtolis excerpta, majori cum judicio, foras dedit *B. G. Struvius* in *Actor. literar. ex MStis erutor. Tom. I Faſc. III, IV, V*, & *VIII*. Plurima certe notatu admodum digna nos eadem docent. *Phil. Franc. de Bellmont*, Juris publ. & Hiſtor. Profeſſ. Publ. in Academia Erfurtenſi A. 1718 fidem dederat, ſe ſingulis menſibus Epiſtolarum *Boineburgicarum* faſciculum emiſſurum; num vero his ſteterit promiſſis, ignoratur. Earundem magna copia ſervatur in Epiſtolari apparatu, quem *B. Wolfius* ex *Uffenbachiana* Bibliotheca redemit, in quo volumen inſuper cuſtoditur Epiſtolarum illius *Boineburgii* & *Zachar. Prueſchenckii* mutuarum. Ubi *Wolfius* vere ſcripſit, dici non poſſe, quanta bonarum rerum copia duumvirorum illorum epiſtolæ abundent, *Conſpectus ſuppellectilis epiſtol. pag. 78, 80, 120.* At nos ad *Partem* noſtram redimus, cujus *ſecundum Caput* analecta refert ad *Partis I Lib.*

Pag. 175

192.

193.

194.

241 ſeq.

Lib. II Cap. 2 & 3, ubi præconia, quibus eruditiſſimi quidam viri Bibliothecam Auguſtam in ſcriptis ſuis proſecuti ſunt, continuantur; talia etiam porro proferuntur, quæ ad immortales Conditoris laudes, atque ipſius Bibliothecæ hiſtoriam, pertinent. Accedunt copioſa ex *Conringii*, benigniſſimum ad Ducem ſcriptis, Epiſtolis excerpta, quibus Sereniſſimæ domus Brunſuic. Luneburg. in urbem Brunſuigam jura vindicantur. Alia inſu-
Pag. 269 per adduntur *Conringiana*. Porro *Caput tertium* habet ex lite-
ſeq. rarum commercio, quod *Dav. Haniſio*, per XV circiter annos Auguſtæ Bibliothecæ præfecto, cum illuſtribus atque clariſſimis viris interceſſit, excerpta, non modo Bibliothecæ, ſed rei publicæ literariæ, hiſtoriam, ipſiusque *Haniſii* vitam, illuſtrantia.
274. Hujus ad laudes pertinent, quod non ſolum Sereniſſ. quondam Principis Saxonum Electoris conſiliorum princeps, *Nic. a Gersdorff*, literis eum honorarit, ſed etiam hujus conjux, rariſſimis dotibus illuſtriſſima, *Caroli* L. B. *a Frieſen* filia, iisdem dignum judicarit, quæ poſteriores inſeruntur. Adduntur proxime
275. duæ epiſtolæ *Phil. Jac. Oſw.* L. B. ab *Ochſenſtein* de anno 1679,
279. una *Andr. Frommii*, una *Caſp. Sagittarii*, *Leibnitianarum* ex
280, 285 aliquot centenis quatuor, eædemque præter unam Germanicæ,
ſeq. ut alias plurimas taceamus. Memorantur autem præſertim *Jo-*
274. *bi Ludolphi*, *F. W. Leyſeri*, *Chriſt. Daumii*, *Jo. Vorſtii*, *Jo. Juſt.*
280. *Winckelmanni*, *Rydemanni*, *Theod. Haakii*, *Calovii*, *Mich. Rit-*
292. *thaleri*, atque aliorum, epiſtolæ inſigni numero. Multæ pariter
311. ex illis vel magnam partem inſeruntur, vel totæ. *Caput poſtremum* continet uberiora ex Illuſtris Viri, *G. G. Leibnitii*, Epiſto-
313. lis, ad ampliſſ. Virum, *Laur. Hertelium*, aliosque, ſcriptis, excer-
319. pta. Inſunt illis Germanica, Latina, Gallica. Laudantur ibidem,
325. inter alia multa, *Breſſandi* verſus Germanici, quorum & ſpecimen inſeritur; item *Sophiæ Eliſabethæ Brenneriæ*, *Eliæ Brenneri*, Holmienſis antiqu. tabularii aſſeſſoris, conjugis, natæ A. 1659, mortuæ A. 1730, cujus Poematum patrio & Germanico ſermone *duæ Partes* proſtant, laudes autem hic ex *Act. literar. Sueciæ Upſal. ed. Trimeſtr. IV A.* 1721 *pag.* 233 a Cel. *Burckhar-*
345. *do* repetuntur. Hic idem denique duas ad *Hertelium* Epiſtolas,
355. alteram Patris *Le Long* Gallicam, alteram eodem ſermone a *de la Monnoye* ſcriptam, Appendicis loco, ſubjunxit.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno MDCCLII.

CONSTANTINI PORPHYROGENNETI, IMPERAtoris Conſtantinopolitani, Libri duo de Cerimoniis aulæ Byzantinæ; prodeunt nunc primum Græce, cum Latina interpretatione & Commentariis. Curarunt JO. HENRICUS LEICHIUS, & JO. JACOBUS REISKIUS. Tomus primus, continens Librum primum.

Lipſiæ, ex officina libraria Jo. Frid. Gleditſch, 1751, fol. maj. Alph. 3 plag. 12.

Splendidum & perutile Opus annuntiamus, novam ad Corpus Scriptorum Hiſtoriæ Byzantinæ acceſſionem, ejusque uſum orbi literato, urbi autem noſtræ, quæ natales illi dedit, & Editoribus doctiſſimis, partam inde gloriam, gratulamur. Diu tenuit hujus Operis deſiderium & exſpectatio doctos viros, ex quo Codicem ejus manu exaratum, adhuc in orbe, quantum nos quidem novimus, unicum, poſſedit *Zachar. Conrad. Uffenbachius*, Conſularis quondam Francofurtanus, eoque autore editorem ſe futurum profeſſus fuit *Jo. Henricus Majus*, Profeſſor quondam Academiæ Gieſſanæ, præclaræ vir famæ, ſed adverſa fortuna. Duumvirorum, quos laudamus, ille quidem *Fabricio* miſerat notitiam ſui Codicis, quæ, *Volumini ſexto Græcæ Bibliothecæ* inſerta, & inde in hac editione repetita,

 fuit,

Digitized by Google

fuit. *Majus* autem aliam ejusdem Codicis notitiam in Catalogo Codicum Manuſcriptorum Bibliothecæ *Uffenbachianæ* dedit, in qua, ſe libri hujus interpretionem Latinam abſolutam in mundo habere, ait. Quæ quo devenerit, nobis quidem haud conſtat. Ipſe Codex Græcus quo in angulo terrarum orbis, quos penes illiteratos dominos, latuerit per tot ſecula in ſitu & carceribus, quis dixerit, cum *Uffenbachius* ſignificare neglexerit, qua fortuna & unde nactus ipſe eum fuerit. Mirum certe, nullam omnino ejus notitiam habuiſſe acres illos chartarum omnium, ad Hiſtoriam Byzantinam facientium, inveſtigatores, Gallos ſuperioris Seculi, & inprimis exercitatiſſimum hoc in genere *Du Cangium*, vaſtæ lectionis virum, & obſcuriſſimi atque ignoratiſſimi cujusque Scriptoris familiarem. Codex hic membranaceus, elegantibus literis, quales Seculum undecimum produnt, exaratus, & bene habitus, & cum cura aſſervatus, ſi ad jacturam aliquot foliorum & quaternionis unius animum non attendas, quæ jamjam deerant, cum aut Rex Hungariæ, *Matthias Corvinus*, (nam ad ejus Bibliothecam Budenſem fertur olim pertinuiſſe,) aut quicunque tandem alius eum compingi, & involucrum coriaceum inſignibus regni Hungarici & Bohemici ſignari, curaret: hic itaque Codex, e Bibliotheca poſſeſſoris quondam ſui, *Uffenbachii*, in Bibliothecam, numero præſtantiaque librorum ſpectabilem, Ampliſſimi Senatus Lipſienſis migravit. Non ſinebat diu fertilem hunc agrum incultum jacere, Illuſtris *Maſcovius*, ſub cujus cura ea Bibliotheca eſt; cumque nulla ſpes eſſet verſionis, quam ſupra laudatus *Majus* promiſerat, obtinendæ, eruditiſſimo juveni, *Jo. Henr. Leichio*, quem nimis maturo funere exſtinctum merito lugent literæ, aſſidue frequentare Bibliothecam illam ſolito, ſuaſor ſuſcipiendæ editionis hortatorque fuit. Is igitur, ut erat alacri ingenio, & optimis literis, atque omnis antiquitatis cognitione egregie inſtructus, arduo huic penſo ſe jam A. 1743 accinxit, quo ſpecimen ſui conatus in libello *de Diptychis veterum* publicavit, integrumque *Libri ſecundi* Co-

Caput, numero *quadrageſimum*, Græce, cum Latina ſua interpretatione, ideo edidit, quod cum argumento, ibi agitato, quodammodo conveniret, ornamenta veterum Conſulum, qualia ſæpe in Diptychis exhibentur, attingens. Biennio poſt ipſam operis editionem exorſus eſt, eique in ſpecimen & guſtum velut præmiſit ſingulare folium, quod initium *Capitis qudrageſimi ſecundi*, ex eodem *ſecundo Libro* depromti, Græce cum Latina ſua interpretatione & notis exhibebat. Agit autem de urnis & oſſuariis Imperatorum Conſtantinopolitanorum. Qualem indiculum quoque *Bandurius* in Imperii Orientalis Antiquitatibus dedit. Proceſſit ab eo tempore operis editio, ut potuit, inter tot indefeſſi viri concatenatos labores, donec A. 1750, menſe Majo exeunte, Virum præclarum e vita, multa cum laude & in præclaram ſpem acta, fatum immaturum avocaret, cum typothetæ ad *pag.* 217 perveniſſent. Continuandæ igitur & perficiendæ huic telæ delectus, judicio Ill. *Maſcovii*, aliorumque doctorum hominum, fuit Cel. *Reiskius*, qui, quas in mundo reperiebat, *Leichiana* interpretationis reliquias addebat, (decurrunt autem usque ad *pag.* 222,) reliqua interpretabatur, Præfationem, & quæ ſuperant alia, expediundo primo huic *Volumini* curabat, *alterum* quoque *Volumen*, ſi per fata liceat, in lucem daturus.

Concluſit igitur hoc *primo Volumine* Editor ſuam Præfationem, deceſſoris *Leichii* Diſſertationem *de vita & rebus geſtis Conſtantini Porphyrogenneti*, *Librum primum* Cerimonialis Græci, utroque ſermone, & particulam, quam Editor, cum neque poſſet, neque vellet omittere, inopia loci commodioris ſub finem rejecit, ideoque Appendicem nominavit, quamvis Codicis Græci membranacei frontem ſtatim ipſam occupet. Continet hæc particula præcepta ad Imperatorem Romanum, ſeu Conſtantinopolitanum, bellum cogitantem, in caſtris agentem, in hoſtile ſolum penetrantem, & inde cum victoria in urbem redeuntem, exponitque de ipſius comitatu, ſarcinis, jumentis onerariis, apparatu veſtiario, culinari, aliisque, ad expeditionem bellicam pertinentibus. *Leichius*, qui Ta-

Digitized by Google

cticorum Scriptores Græcos cum editis ineditos uno Volumine aliquando edere decreverat, particulam hanc illuc referre, & ab hoc Cerimoniali arcere, voluerat; ideopue ſtatim ab initio *Libri primi*, quod a Codicis membranacei *pag.* 22 demum incipit, orſus hanc ſuam editionem fuerat.

Præfatio *ſex* conſtat *Capitibus*, quorum *primum* Cerimonialis hujus fata promiſſasque editiones, & hujus ipſius Lipſienſis ſucceſſus, ſtrictim perſequitur, id idem argumentum, quod nos hactenus tractavimus. Alterum fuſius argumentum libri, laudesque, & uſus, exequitur, monſtratque, nullam pæne veteris Græcæ Romanæque Hiſtoriæ partem eſſe, quam is non attingat, non illuſtret; nihil eum omittere eorum, quæ in comitatu, ſeu palatio, potentium Imperatorum contingere ſolent, quæ quam varia, quam ſplendida, ſint, nemo facile eſt, qui ignoret. Nuptiæ huc veniunt, & natales Imperatorum varii, ut nativitatis & imperii, proceſſiones item variæ, ruſticatum, vindemiatum, in balnea, in horrea, in circum ad ſpectandos ludos curules, ad eccleſias magnis minoribusque diebus feſtis, exequiæ, ſaltationes ſolennes, diſtributiones largitionum, publicæ epulæ, & alia talia, non minus jucunda ſcitu, quam utilia. Commendat Cel. Editor librum hunc inter alias dotes ab ea quoque, quod vetuſta monumenta, *Conſtantino* Autore antiquiora, partim adhuc ignorata, partim pro deperditis habita, exhibeat, lætaturque, ſibi contigiſſe, ut operis particulam nunc ederet. cujus jacturam docti omnes ægre ferunt, *Fulvius* autem *Urſinus*, *Davides Hæſchelius*, & *Henricus Valeſius*, exigua fragmenta publicarunt. Congeſſerat olim *Conſtantinus* vaſtis aliquot voluminibus ſapientes veterum de variis rebus ſententias & narrationes, easque in tres & quinquaginta Titulos digeſſerat, quorum primum egiſſe περὶ βασιλέων ἀναγορεύσεως, *de Imperatorum Regumve renuntiatione*, ipſe Autor in Præfatione ſignificat. Ejus Tituli particulam translatam in hoc Cerimoniale fuiſſe, & *Libri primi Capita 91, 92, 93, 94, & 95*, effeciſſe judicat, quibus renuntiationes *Leonis ſenioris*, *Anaſtaſii Dicori*, *Juſtini primi*, *Leonis minoris*, & *Juſtiniani Magni*, deſcribuntur. Niſi autem *Capita* illa ad

pri-

primum illum grandis, quod diximus, operis pertineant, ad aliud ea ſaltem olim pertinuiſſe contendit opus, cujus præter notitiam pæne nihil huc usque publice lectum fuit. *Petri Magiſtri* id opus eſt, *περὶ καταστάσεως πολιτικῆς*, *de conſtitutione rei civilis*, laudatum a *Suida*. *Petri* hujus eſſe *Libri I Capita 84* usque ad *95*, cum inſcriptio claris verbis, tum & ipſa res, loquitur, & perito lectori conſtabit, quantam in eo libro jacturam antiqua literatura fecerit. Procul omni dubio ſunt & alia ejusdem *Petri* per *primum* hunc *Librum* ſparſa fragmenta. Profitetur enim Autor in Præfatione ad *primum Librum*, ſe nihil de ſuo ipſi addidiſſe, ſed veteres tantum de cerimoniis Conſtitutiones ex antiquis Codicibus excerptas compilaſſe; *ſecundo* autem *Libro* traditurum eſſe, quæ ſcripto mandata non repererit, ſed ex memoria tantum & traditione, aut experientia quoque, depromſerit. Oblitus tamen conſilii ſui, non pauca vetuſta quoque *ſecundo Libro* inſperſit, & in ceteris vetus Cletorologium, ſeu librum cerimonialem convivalem, ſub *Leone Sapiente* compoſitum, in quo dignitates omnes Imperii orientales, quales tum erant, diſtincte perſpicueque ſic traduntur, ut libellus ille haud exiguus pro Notitia Imperii orientalis, qualis Latina exſtat, & a *Pancirollo* Commentarium obtinuit, haberi poſſit. Sed multo luculentior eſt hæc Græca Notitia, & non tantum ordines dignitatum (*τῶν ἀξιωμάτων*) & officiorum (*τῶν ὀφφικίων*), ſed etiam, quæ quibus diebus ad divinas epulas advocentur, quo ordine intromittantur, ſedeant, &c. perſequitur. Quo fit, ut in toto hoc opere velut gemmula eniteat.

Tertium Præfationis *Caput* de titulo libri brevibus agit, qui ab aliis aliter, ab Autore his verbis, conceptus fuit: *Σύνταγμά τι καὶ βασιλείου σπουδῆς ὄντως ἄξιον πόνημα.* Agnoſcit Doctiſſ. Editor, hunc titulum nimis vagum, & quodammodo incongruum, eſſe, nec argumentum æque bene indicare, quam ſubſtitutus a viris doctis titulus *de Cerimoniis aulæ Byzantinæ* id indicat; morem tamen, incongrua nomina libris inſcribendi, in *Conſtantino* & iſtis temporibus agnoſcit idem.

Quartum Caput majoris momenti eſt, & in Autorem

 hujus

hujus operis inquirit, quem & inſcriptio prodit, & ejus autoritate freti docti homines adhuc crediderunt, illum *Conſtantinum Porphyrogennetum Leonis Sapientis* filium fuiſſe, qui ab A. 912 usque ad 959 in ſolio Byzantino ſedit. Sed inſunt ipſi operi aliquot momenta hiſtorica, illa ætate poſteriora, quæ, ni aſſuta ſint ab aliena manu, non ſinunt *Conſtantinum*, quem diximus, Autorem haberi. Refertur enim eo loco, ubi urnæ Imperatorum Conſtantinopolitanorum recenſentur, inter eas non tantum *Conſtantini* ipſius urna, ſed & illa, quæ reliquias nepotis, *Baſilii Bulgaroctoni*, olim tenebat, qui ſexageſimo ferme anno poſt avum vivis exceſſit. Sub finem quoque *primi Libri Capite* ſingulari renuntiatio *Nicephori Phocæ*, & motus, qui regiam urbem tunc per ſex dies quatiebant, diligenter exponuntur, res, quæ anno poſt exceſſum *Conſtantini* quinto contigere. Putat igitur Cel. Editor, tituli Græci fidei derogare verecundans, nepotem illius ſenioris *Conſtantini* cognominem Romani filium, operi avi de ſuo quædam addidiſſe, eodem prorſus modo, quo avus operi tactico patrui ſui, *Conſtantini* illius, qui fuit *Baſilii Macedonis* filius, locum unum, qui *pagina* editionis *Meurſianæ ultima* exſtat, de ſuo aſſuit. Perperam enim *Conſtantino, Leonis* filio, Tactica illa tribui, Editor evincit e loco, qui *pag.* 27 editionis *Meurſianæ* legitur. Solenni quoque ſeu errore, ſeu dubitatione, libros *Conſtantini* ſenioris juniori tribui; ut mirum non ſit, ſeniori hoc opus attribui, ſi forte junioris ſit.

Quintum Caput Præfationis recenſet & ea, quæ *primum* hujus editionis *Volumen* continet, & quæ *alterum*, propediem ſecuturum, ſit daturum. Dabit autem cum reliquiis Græci libri, ſeu *Libro* toto *ſecundo*, notas amborum Editorum, & reſtituet e membranis ipſis probas lectiones, a quibus typothetæ paſſim in ea parte, quam Cl. *Leichius* curavit, diſceſſerunt. *Sextum Caput* recenſet, & partim quoque illuſtrat, tabulas æneas, huic *primo Volumini* additas. Sunt autem pagina una Codicis membranacei ære expreſſa, e *Capite quadrageſimo quinto Libri ſecundi* deprompta. Poterit ex hoc ſpecimine judicium de ductu literarum, compendiis, & idiogra-

graphia, per totum Codicem regnante, formari. Tabula ænea, fronti operis Græci præfixa, e *Montfauconii Catalogo Bibliothecæ Coisliniana* depromta, quæ *Nicephorum Botoniatem* in regio veſtitu præſidentem in ſolio, & adſtantes ipſi ad utrumque latus binos proceres, exhibet, anſam dedit, obſcura quædam Græciæ novæ vocabula, ad rem veſtiariam pertinentia, & per totum Græcum Codicem frequentiſſime obvia, ut e. c. *ταβλία, λευκολέοντες, σκαραμάγγιον, χαμελαύκιον,* &c. illuſtrandi, & veram cujusque formam definiendi. Tandem quoque ſuos quosdam, in Latinam interpretationem admiſſos, errores tangit & corrigit Editor, ut, quid notent *ἐνδιάθετα ῥήματα*, quid *συνάγεσθαι*, quid *λαβιδοῦσθαι*, quorum illa perperam, hoc poſtremum prorſus non, reddiderat. Notat autem primum *verba animo concepta*, alterum *ſacram communionem accipere*, tertium *fibulari*. Cum innumerabilia in hoc Codice occurrant vocabula, aut prorſus nova, aut nova certe ſignificatione donata; nemo mirabitur interpretis errorem, ſed laudabit potius, & in ſe quisque imitabitur, facilitatem agnoſcendi & emendandi peccata.

Hoc ferme argumentum eſt Præfationis. Cui ſubjecta Diſſertatio Cl. *Leichii de vita Conſtantini Porphyrogenneti*, A. 1746 primum edita, & e cathedra philoſophica noſtræ Academiæ propugnata, nunc recuſa fuit, quo vulgatior eſſet, quemadmodum & dictionis nitore & rerum præſtantia merebatur. Subjecta huic Diſſertationi fuit ſuperius memorata notitia hujus Cerimonialis *Uffenbachiana*, e Bibliotheca Græca *Fabricii* excerpta; cum notulis aliquot ex adverſariis *Leichianis*, quæ ad ſcripta & eruditionem *Conſtantini* ſpectant, quam partem finis Diſſertationis *Leichianæ* promittit. Sed in ſchedis doctiſſimi Viri, præter illas paucas notulas, hujus argumenti inventum fuit nihil. De ipſo Græco opere, quod præmiſſa hæc opuſcula excipit, non habemus, quod dicamus. De argumento ejus jam dudum e *Bibliotheca Græca Fabricii*, & *Maji Catalogo Uffenbachiano*, conſtat. Id unum igitur ſupereſt, ut Cel. Editori proſperos in opere cœpto ſucceſſus, firmamque valetudinem, votis addicamus, ut & *altero Libro*, & Commentariis,

quos

quos bonarum rerum plenos fore conjicimus, quantocyus nos beet.

COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENTIARUM Imperialis Petropolitanæ Tomus X, ad Annum 1738.

Petropoli, typis Academiæ, 1747, 4 maj.
Alph. 2 plag. 16, Tabb. æn. 35.

Prorſus eadem eſt in *Tomo* hocce, quæ in præcedentibus, inſtituti ratio. Quare absque ulteriori præfamine ſtatim ad ipſa Schediaſmata nos convertimus. In *Claſſe mathematica* comparent 1) *Euleri Diſquiſitio de Bilancibus.* Equidem
Pag. 3. videri poſſet primo intuitu hæcce de bilancibus doctrina vix digna, ut de ea ſoliciti ſint primi nominis Mathematici, cum jam ab omnibus fere Staticæ ſcriptoribus ita ſit pertractata, ut, ad eam vix aliquid addi poſſe, appareat. Verum enim vero monet Cel. Autor, duo inprimis capita, eaque maximi momenti, in bilancium fabrica fuiſſe neglecta, vel potius ob inquirendi difficultatem relicta. Primo enim omnes fere ad pondus bilancis non attendiſſe, quæ ſuppoſitio a rei natura haud parum aberrat. Dein omnes quoque bilancem ſaltem in ſtatu æquilibrii, non vero motus, conſideraſſe, a quo tamen bilancis bonitas maximopere pendet. Plenam igitur bilancium theoriam e principiis Mechanicæ evolvere, ac inde regulas pro juſta bilancium ſtructura deducere, inſtituit. Primo itaque eam bilancis perfectæ proprietatem conſiderat, quæ jubet, ut, ſi utrinque pondera æqualia tangentibus imponantur, ipſa in ſitu erecto quieſcat; quod requiſitum pro praxi eſt commodiſſimum. Inveſtigando jam, quomodo conſtructam eſſe oporteat bilancem, ut huic ſatisfaciat, duas eruit regulas: 1) perpendicularem e centro motus in rectam, puncta ſuſpenſionis jungentem, debere eam ſimul in duas partes æquales dividere; 2) lancium pondera debere eſſe ea, ut etiam vacuæ appenſæ bilancem in ſitu erecto conſervent. Equi-

Equidem vulgo exigitur, ut non ſolum ſcapi brachia ſint inter ſe perfecte æqualia; ſed & præterea æque gravia. Verum, poſterius haud neceſſarium eſſe, modo primum perfecte obſervetur, oſtendit. Secundum requiſitum eſt, ut bilanx ponderum, lancibus impoſitorum, vel minimam inæqualitatem indicet inclinatione ſenſibili. Generatim itaque quærit, quanta pro datis ponderibus inæqualibus conſequatur inclinatio. Quæ cum ſit eo major, quo longiora ſunt brachia; fluit inde regula tertia: ſcapum faciendum eſſe tam longam, quam fieri poteſt absque metu incurvationis. Ceterum hinc quoque patet, quomodo cognoſci poſſit ponderum duorum differentia perexigua, ſi ponduſcula minima præſto non ſint, e ſola inclinatione brachiorum. Tertio requiritur, ut, cum lancibus pondera æqualia fuerint impoſita, bilanx autem e ſitu erecto depulſa, ipſa vi maxima in ſitum erectum urgeatur. Hæc enim vis ſi abeſſet, bilanx ponderibus etiam æqualibus in ſitu inclinato maneret, ideoque nullius foret uſus. Ex hujus quoque vis reſtituentis conditione facile deduci poteſt diſtinctio illa bilancium in tres ſpecies: præcipites, pigras, bonas. Ad determinandam itaque bonæ bilancis naturam, generatim inveſtigat Cel. Autor quantitatem vis illius pro dato angulo inclinationis. Pendet autem hæc a poſitione tam centri motus, quam centri gravitatis ſcapi, reſpectu lineæ, puncta ſuſpenſionis jungentis. Unde duæ potiſſimum oriuntur bilancium ſpecies, altera inſerviens maxime ponderibus minoribus (ideoque in re docimaſtica præſertim uſu veniens); altera vero majoribus. Ex hiſce jam circumſtantiis omnibus, in unum collectis, habentur omnia, quæ ad conſtructionem perfectæ bilancis deſiderari poterunt. 2) *Nic. Bernoullii, J. U. D. & Prof. Inquiſitio in ſummam ſeriei:* Pag. 19.
$\frac{1}{1} + \frac{1}{4} + \frac{1}{9} + \frac{1}{16} + \frac{1}{25} +$ &c. ſeu quæ dicitur *reciproca quadratorum.* Methodus, qua hic utitur, generatim eo redit, ut ſeriem propoſitam reducat ad aliam, in qua terminus quivis definitur generaliter per præcedentem. Hujus vero ſumma iterum pendet ab æquatione differentiali ſecundi gradus.

Digitized by Google

Hac itaque reſoluta, habetur & ipſa ſumma quæſita = $\frac{1}{6}pp$, dicta peripheria p ad diametrum 1, ut jam ſatis conſtat.

Pag. 22. 3) *Eulerus de motu cymbarum, remis propulſarum in fluviis.* Non mechanicam cymbarum conſiderationem, quæ tam e principiis hydroſtaticis figuram earum optimam, quam e Phoronomia motum, determinat, ſed geometricam, quæ de via ipſarum in fluvio, variisque huc ſpectantibus circumſtantiis, agit, in præſenti ſibi ſumſit Vir Cel. Ut tractatio hæc ad forum mere geometricum reducatur, ante omnia hypotheſes aliquot fundamenti loco ponit: Alteram, cymbam, in aqua quieſcente remis propulſam, progredi motu æquabili in directione ſpinæ (abſtrahitur nempe hic ab ipſo motus initio); alteram, cymbam, in fluvio remis non propulſam, ab eo abripi eadem cum ipſo directione & velocitate. His poſitis, inveſtigat, quidnam ex utroque hoc caſu conjunctim reſultet; & primo quidem, qualis in fluvio a cymba, remis propulſa, deſcribatur curva. Vel nobis non monentibus, patet, curvam prodire debere differentialem. Cum vero Problema hoc ſit valde generale; varios ejusdem caſus ſpeciales evolvit, ut: ſi cymba cum directione fluvii eundem ſemper conſervet angulum; vel, ſi eadem dirigatur ſemper verſus idem punctum fixum (ubi pro caſu quodam ſpecialiori prodit parabola). Dein vice verſa, pro data lege celeritatis continuo variabilis fluvii, quærit cymbæ directionem in locis ſingulis, eo, ut deſcribat curvam datam. Denique, data itidem hac lege velocitatis, invenit lineam citiſſimi trajectus inter data duo puncta; quod Problema, ſatis elegans, per Autoris methodum pro maximis & minimis facile ſolvitur.

40. 4) *Idem de æquationibus differentialibus, quæ certis tantum caſibus integrationem admittunt.* Pro Analyſeos augmento utique habendum eſt, ſi æquationis differentialis caſus particulares integrabiles aſſignantur, ad cujus integrationem generatim pervenire nondum licet; quippe cum ea integratio eo magis ſit abſcondita & difficilis, quo minus per methodos generales, hactenus notas, perfici poteſt. Talis æquatio eſt famoſiſſima illa *Riccatiana*, inter Geometras adeo agitata.

In

In eo autem conſiſtit methodus, pro ea in uſum vocata, ut primo erutus ſit caſus ſimpliciſſimus & facile integrabilis; hic dein transmutatus in alium, eadem forma generali contentum, hicque denuo in alium, & ita porro in infinitum; quo facto, horum omnium integratio ex illo conſequitur. Satis exinde patet, quanti uſus ſit artificium reductionis caſuum difficiliorum ad ſimplicem. Aliam vero methodum, latius patentem, qua non ſolum in æquatione illa *Riccatiana*, ſed & in pluribus aliis, pariter integrationem reſpuentibus, caſus integrabiles erui poſſunt, hic proponit Vir Cel. Hæc eo redit, ut integratio æquationis generalis abſolvatur per ſeriem, quæ certis caſibus abrumpitur, adeo, ut integrale tunc exprimatur terminis finitis. Ut vero habeatur ſeries, huic uſui idonea, æquatio propoſita antea transmutanda eſt in aliam, quæ facile per ſeriem integrari poſſit. Id quod optime fiet, transformando eam in aliam ſecundi, vel altioris, gradus, talem, in qua alterutra variabilis unicam tantum habeat dimenſionem. At præterea hæc ſeries debet eſſe ita comparata, ut certis caſibus abrumpatur. Cum ergo adeo difficilis ſit hæc præparatio; præſtat, rem a poſteriori aggredi, & verſa vice conſiderare primo æquationem differentialem ſecundi gradus generaliſſimam, cujus integratio per ſeriem talis ſit, ut infinitis caſibus evadat finita, eamque dein reducere ad æquationem differentialem primi gradus, hancque iterum transmutare in formas varias; quo ipſo harum omnium integratio erit in promtu. Quod jam ad applicationem hujus methodi attinet, aſſumit hic Noſter æquationem differentialem ſecundi gradus, requiſita debita habentem, & perquam late patentem:

$(a+bx^n)\, x^2 ddv + (c+fx^n)\, xdxdv + (g+hx^n)\, vdx^2 = 0,$

ubi dx conſtans. Ex hac valor ipſius v definiri poteſt per ſeriem, idque duplici modo. Primo, ponendo $v = Ax^m + Bx^{m+n} + Cx^{m+2n} + \&c.$ ubi eruendo valorem coefficientium A, B, &c. hi deprehenduntur ita comparati, ut, evaneſcente uno, evaneſcant ſimul omnes reliqui,

 ideo

ideoque ſeries terminetur. Altero, ponendo $v = Ax^k + Bx^{k-n} + Cx^{k-2n} +$ &c., ubi iterum ſeries abrumpitur infinitis vicibus. Habentur ergo duplici modo infiniti caſus, quibus æquatio propoſita fit integrabilis, & ita quidem, ut v definiatur per x in terminis algebraicis. Verum maxime notandum eſt, talem æquationem integralem algebraicam non eſſe ideo integralem completam æquationis propoſitæ; ſed tantum integralem particularem, oriundam ponendo certam conſtantem æqualem nihilo, vel infinito. Singulari itaque utitur artificio Cel. Autor, pro eruenda integrali completa. Sit nempe æquationis $Pddv + Qdxdv + Rvdx^2 = 0$, (ubi P, Q, R, functiones quævis ipſius x,) inventa hoc modo integralis particularis $v = X$ functioni ipſius x. Ponit jam $v = Xz$; &, ſubſtituto hoc valore in æquatione iſta, ac inde ſubducta ipſa $Pddv +$ &c., remanet æquatio, e cujus integratione prodit $v = CX\int \frac{e^{-\int \frac{Qdx}{P}}}{x^2} dx$, integralis completa quæſita. Reſumendo jam æquationem differentialem ſecundi gradus, de qua antea ſermo erat, ope ſeriei algebraice integratam, reducit eam ad æquationem differentialem primi gradus, idque ponendo $v = e^{\int zdx}$, ſeu $Z = \frac{dv}{vdx}$. Quo ſubſtituto, fit: $(a + bx^n)x^2dz + (c + fx^n)xzdx + (a + bx^n)x^2z^2dx + (g + bx^n)dx = 0$. Hanc iterum transformat in aliam, tribus tantum terminis conſtantem, hujus formæ: $Pdz + Qz^2dx + Rdx = 0$, id quod facile fit, ponendo in priori $z = Ty$. Hujus itaque æquationis infiniti aſſignari poterunt caſus integrabiles, quos hic ſigillatim evolvit Autor, ſed circa quos nos minime morabimur, cum jam ſumma totius proceſſus facile perſpici queat ab harum rerum peritis.

Pag. 56. 5) *Ge. Wolfg. Krafftii Solutiones trium Problematum aſtronomicorum.* Sunt ea: 1) *Invenire curvam, quam deſcribit ſtili* ver-

Digitized by Google

verticalis, in plano horizontali, a ſole illuminato, erecti, umbra extremitate ſua, durante aliquo die. Jam conſtat, curvam hanc eſſe ſectionem conicam. Hujus itaque æquationem generalem eruit, variosque ejusdem caſus, atque hinc oriundas curvæ ſpecies, pro varia tam horizontis in terra poſitione, quam ſolis declinatione, ſigillatim evolvit. 2) *Obſervatis duabus ſtellis, quarum adſcenſiones recta & declinationes ſunt cognitæ, ſimul in eadem altitudine: invenire elevationem poli.* Hoc facile ſolvitur per ſimplicem Trigonometriam ſphæricam. 3) *Datis duorum ſiderum declinationibus & diſtantia, obſervetur altitudo unius, & poſt tempus datum altitudo alterius: quæritur elevatio poli.* Hoc quoque ope Trigonometriæ facile conſit. Hac occaſione quoque exponitur modus conſtruendi horologium ſolare æquinoctiale, quod ſine prævia deſcriptione lineæ meridianæ horas monſtrat. 6) *Eulerus de machinarum, tam ſimplicium, quam compoſitarum, uſu maxime lucroſo.* Maximopere notatu eſt digna præſens Diſſertatio, quippe quæ ſpecimen præbet methodi, inſigne quoddam in machinarum doctrina deſideratum explendi, novumque prorſus ejus campum patefaciendi. Satis nempe conſtat, in ea, quam hactenus habuimus, machinarum theoria, ipſas tantum ſpectatas fuiſſe in ſtatu æquilibrii; &, quæ huncce ſtatum reſpiciunt, ab antiquiſſimis temporibus ad hunc usque diem abunde fuiſſe exculta, & ad nauſeam usque repetita; exinde vero ad ipſum motum concludi nihil potuiſſe, ſed integram hanc motus conſiderationem ingentibus tenebris manſiſſe involutam. Hæc autem in ipſa machinarum applicatione quanti uſus ſit, quis eſt, qui non videat? In ea enim de onere in æquilibrio ſaltem conſervando vix, de movendo autem ſemper fere, agitur. Dicunt quidem: Potentiam, ad æquilibrium requiſitam, augendam eſſe, ſi motus exinde conſequi debeat. Sed, ſi certa quantitate augeatur, qualis quantusque inde motus? De hoc altum ſilentium. Porro ferunt, quantum per diminutionem potentiæ lucremur, tantundem perdere ratione temporis. Verum hoc vagum eſt, & nullo fundamento nitens, imo ne quidem Pag. 67.

 ſine

Digitized by Google

ſine reſtrictione admittendum; ut infra clarius patebit. Non autem adeo mirum videri debet, hanc Mechanicæ partem adeo incultam hactenus jacuiſſe; quippe cum latuerint fontes, unde peti debuiſſet ejus tractatio, theoria nempe motus corporum finitorum, haud adeo diu inter Mathematicos primi nominis agitata, & inprimis a Cel. *Eulero* e genuinis principiis detecta & demonſtrata. Ipſi itaque reſervata quaſi videbatur nova hæc machinarum conſideratio; quæ quantum ſe commendare debeat omnibus, theoriæ ſimul, ejusque ad praxin applicationis, amatoribus, res ipſa loquitur. Rem ideo Lectoribus haud ingratam nos ſperamus facturos, ſi paulo curatius contenta hujus Diſſertationis palmaria evolvamus, præſertim vero methodum explicemus, qua in hac indagatione utitur Vir Cel. Principio quædam de machinis in genere commentatur. In omni nempe machina multiplicatio potentiæ intenditur, quo potentia minori ope machinæ tantum præſtari queat, quantum potentia majori nuda. Hujus itaque multiplicationis ratio ante omnia conſideranda eſt. Pendet autem hæc a machinæ ſtructura, & e Statica facile definitur pro quavis machina; unde ſimul conſtat, ſi ratio oneris ad potentiam ſit æqualis huic rationi multiplicationis, tum adeſſe æquilibrium. Aucta vero hac ratione, quis motus exinde oriatur, de hoc in præſenti ſermo eſt. Facit autem huc, præter machinæ ſtructuram, maxime indoles tam potentiæ, quam oneris. In Statica quidem ad diverſam potentiarum naturam parum eſt attendendum; quippe cum ibi ſufficiat noſſe quantitatem vis trahendi, vel pellendi, per pondus expreſſam; quo facto, qualescunque ipſæ ſint, nil aliud præſtant, quam idem pondus, machinæ applicatum. In Mechanica contra, præter hanc quantitatem potentiæ, plurimum refert, qualis ipſa ſit, an pondus, an elater, an flumen, ventusve, an vis animalis. Hic enim motus ipſius potentiæ, dum machinam movet, in conſiderationem venit, quippe qui ſine diſpendio effectus, quem potentia in machinam movendam exerit, generari non poteſt. Iſte autem potentiæ motus, ſive potius pars effectus, quæ in potentia movenda con-

ſumi-

ſumitur, e potentiæ vi inertiæ eſt dijudicandus. In quavis itaque potentia duo contemplari oportet: vim, quæ cum pondere æquiparatur; & inertiam, quæ e quantitate materiæ ipſius potentiæ æſtimari debet, quatenus ea ſimul movetur. Hinc igitur ingens naſcitur diſcrimen inter potentias moventes, ſupra allatas. Si enim ponderibus machina movetur, inertia maſſis ponderum, hoc eſt, ipſis ponderibus, eſt proportionalis. Elateres autem, etſi ingentibus ponderibus æquivalent, tamen plerumque tam parvam habent inertiam, ut cum exiguis maſſis ſint comparandæ. Idem fere obtinet in viribus animalium. In viribus autem fluvii & venti inertia plane eſt nulla; cum in aqua, vel aere, dum machinam movent, nullus novus motus generetur. Pariter circa onera, per machinas movenda, duplex inquiſitio eſt inſtituenda. Primo enim videndum, an onus vi quadam inſita motui machinæ renitatur; & quanta ea ſit, quæ iterum commodiſſime cum pondere comparatur. Ita, ſi pondus ope machinæ debeat elevari, id vi gravitatis reſiſtit; ſin autem ſuper plano horizontali ſaltem promoveri, nullus datur reniſus. Similiter elaſtrum tendendum vi ſua elaſtica reluctatur. Secundo maſſa oneris, ſive inertia, eſt attendenda, qua fit, ut pars potentiæ moventis ad motum in onere generandum impendatur. Hæc in Statica plane non in computum ducitur, conſiderata ſola reſiſtentia, cum qua potentia machinæ applicata in æquilibrio conſiſtit; adeo, ut, niſi onus reluctetur, tum ne quidem ſtatica tractatio locum habeat, quia ſponte eſt æquilibrium, nullaque opus potentia. Contra in Mechanica plurimum ejusmodi onera occurrunt, quæ non reluctantur, ſed ad quæ tantum movenda omnis vis impenditur. Sic in omnis generis molendinis nulla adeſt reluctatio, nihilque, quod niſu contrario machinam ſolicitet; ſed vis omnis impenditur ad inertiam ſolam ſuperandam, motumque generandum. E quo ſatis liquet, quanti in Mechanica momenti ſit hæcce diſtinctio. Quod jam ad ipſam machinam attinet, non ſolum ejus ſtructuram (ut ſupra diximus) noſſe ſufficit; ſed inſuper maſſam & materiam. Cum enim onus moveri nequeat, machina

Digitized by Google

china immota, motus quoque in machina generari debet, quod ſine potentiæ diſpendio fieri nequit. Ad hunc ergo motum machinæ definiendum inertia ipſius machinæ in computum eſt ducenda, ſimulque celeritates relativæ, quibus ſingulæ ejus particulæ moventur. In quibusdam enim machinis partes exiſtant, non ſolum movendæ, ſed & elevandæ; (e. g. in vecte, ſi hypomochlium non in ipſo centro gravitatis exiſtit; in polyſpaſtis verticaliter motis;) quarum ideo non inertia ſolum, ſed & reluctatio, ſpectanda eſt. Denique & frictio, quæ quidem minui, nunquam vero penitus tolli, poteſt, nequaquam eſt negligenda. Non autem modo ipſa machina frictione laborat, ſed & onus, quin & interdum potentia. Hæc ſine frictione moveri non poſſunt. E. g. in molendinis tota fere vis, ad machinam movendam requiſita, in frictione ſuperanda abſumitur; idemque valet de onere, ſuper plano horizontali, vel inclinato, promovendo. Ceterum, quantumvis prima fronte videatur difficilis frictionis conſideratio, tamen calculus ipſe machinarum fere æque facile inſtitui poteſt, ac ſi ea plane abeſſet. Quando enim machina cum onere in motum eſt concitanda, ad frictionem vincendam requiritur potentiæ pars certa & determinata, & ſemper manens eadem, machina celerius tardiusve mota. Quovis itaque caſu vis, frictionem ſuperans, practice noſcetur, ſi tentando inveſtigetur ea potentia, quæ machinam movere incipit; oneris autem vis renitens (ſi quæ adeſt,) in hoc negotio tolli debet. Hæc ergo, ſi ſemel fuerit inventa, perpetuo a tota vi ſolicitante ſubtrahenda erit; atque e vi reſidua ipſe motus conſequetur, perinde ac ſi nulla eſſet frictio. Præterea de omnibus fere machinis notandum, earum motum non eſſe acceleratum, ſed ad ſenſum æquabilem, etſi potentia indeſinenter agat. Niſi enim machina celerrime moveatur, ſimul ac potentia ceſſat, eodem quaſi momento totus quoque machinæ motus ſiſtitur; cujus cauſa tam frictioni, quam aliis impedimentis, quibus omnes machinæ ſunt obnoxiæ, eſt tribuenda. Cum igitur machina eadem celeritate, qua incepit, moveri pergat, ſiquidem potentia continuo agat; cele-

Digitized by Google

leritatem hanc conſtantem tuto colligere licebit ex effectu potentiæ ſolicitantis, qui alias in acceleratione conſiſtit; quippe, quo acceleratio eſt major, eo celerius etiam machina movetur. (Ad hoc clarius perſpiciendum conferantur, quæ ad finem horum dicemus *pag. 68 ſeq.*) Hactenus allata uberius exponere, eo minus abs re putavimus, quod contineantur iis ideæ generales, ut novæ prorſus, ita & in ſe valde elegantes, & in integra machinarum conſideratione longe utiliſſimæ. Age nunc, pergamus ad ipſam methodum Cel. Autoris, motum machinarum inveſtigandi. Sit itaque caſus ſimpliciſſimus: Vectis nempe AOC, ſuper hypomochlio, in ipſo ejus centro gravitatis O ſito, mobilis, cui in A applicetur potentia P, in B onus Q: quæritur celeritas, qua onus a potentia movebitur. Exprimat p vim, qua vectis punctum A a potentia P in directione AP ſolicitatur, q autem vim, qua onus Q eum in directione BQ trahit; P, Q reſpective inertias potentiæ, & oneris; ſitque vectis maſſa, ſeu inertia $= A$, longitudo $AO = a$, $BO = b$. E Statica conſtat, momentum virium ad vectem ſuper hypomochlio movendum eſſe $= ap - bq$; quod, per momentum inertiarum diviſum, dabit celeritatem angularem circa O. Jam primo momentum ipſius vectis habetur, multiplicando ſingulas vectis particulas in quadrata ſuarum diſtantiarum a centro motus, quod proinde (neglecta vectis latitudine) per calculum reperitur $= \frac{Aa^2}{3}$. Potentiæ P momentum inertiæ erit $= Pa^2$, quia in motu P movetur eadem celeritate cum puncto A, pariterque momentum oneris Q erit $= Qb^2$. Habetur itaque celeritas angularis

$$= \frac{ap - bq}{\frac{1}{3}Aa^2 + Pa^2 + Qb^2};$$

quæ ducta in BO dabit veram celeritatem, qua onus Q movebitur,

$$= \frac{abp - bbq}{\frac{1}{3}Aa^2 + Pa^2 + Qb^2}.$$

Hæc itaque formula quæſito ſatisfaceret, ſi nulla adeſſet frictio. Si vero hæc ſimul in computum duci debeat, ponatur, ad eam

TAB. I Fig. 1.

Digitized by Google

ſuperandam requiri vim φ in A applicandam, debebitque φ auferri a p, ita, ut in formula inventa loco p ſcribendum ſit $p - \varphi$. Ceterum, etſi poſitum ſit hypomochlium in ipſo centro gravitatis vectis, tamen & iisdem principiis haud difficilius ſolvitur Problema generatim, momento vectis per calculum inveſtigato; & pro $\frac{1}{3}Aa^2$ in formula præcedenti ſubſtituto. Eſt autem expreſſio generalis pro momento vectis priſmatici $ABCD$, cujus centrum gravitatis O, reſpectu hypomochlii Y, ubicunque poſiti, $= \frac{1}{12} A. AC^2 + A. OY^2$. Præterea formula illa facile applicatur ad vectem homodromum, factis tam b, quam p, vel $p - \varphi$, negativis. Conſideretur jam porro, ope formulæ ſupra inventam celeritatem oneris evaneſcere duobus caſibus, altero, ſi $b = o$, altero, ſi

TAB. I Fig. 2.

$b = \frac{a(p-\varphi)}{q}$; unde ſequitur, inter duos hos valores

ipſius b extremos dari medium quendam, quo onus movetur celerrime. Qui ut inveniatur, nil aliud opus eſt, quam ut expreſſio ipſius celeritatis inventa per methodum de maximis tractetur; quo facto, prodit

$$b = \frac{-aqM + a\sqrt{[q^2M^2 + QM(p-\varphi)^2]}}{Q(p-\varphi)},$$ ubi brevitatis cauſa poſuimus $\frac{1}{3}A + P = M$. Datur itaque valor ipſius b duplex, alter poſitivus, alter negativus, hoc eſt, punctum B in utroque vectis brachio, cui applicatum onus a potentia celerius movetur, quam in ullo alio. En itaque conſideratum vectem, quatenus eſt in motu, longe aliter, ac in Statica fieri conſuevit; ſimulque determinatum modum, potentiam vecti omnium optime applicandi, quod in praxi actuali eſt deſideratiſſimum. Unde ſimul patet, quam incongruum ſit, (ut jam ſupra innuimus,) quod vulgo traditur, perinde eſſe, quomodo potentia & onus vecti applicentur; & tantundem perdi tempore, quantum lucri fit e potentia. Non enim a ſola potentia pendet celeritas oneris, ſed & ab ipſius machinæ indole, ut formula inventa ſatis declarat.

Præ-

Præterea liquet, non ſufficere, vires potentiæ & oneris tantum conſideraſſe; ſed & rationem inertiæ, tam potentiæ, quam oneris, eſſe habendam, quæ tamen vulgo in Statica plane negliguntur. Pergit jam Cl. Autor ad axem in peritrochio. Sit ergo radius major, cui potentia P applicatur, $AO = a$, radius minor, cui onus Q applicatur, $BO = b$; maſſa machinæ $= A$, ejusque momentum reſpectu axis, per O tranſeuntis, circa quem movetur, $= M$. Eſt nempe M aggregatum e ſingulis machinæ particulis ductis in ſuarum ab axe diſtantiarum quadrata, ita ut ſemper habeat formam talem Ak^2; (e. g. ſi fuerit cylindrus e materia homogenea, erit $M = \frac{1}{2}Aa^2$; ſi conſtet e duobus cylindris, erit $M =$ ſummæ momentorum utriusque, &c.) Sint autem p, P, q, Q, idem, quod ante. Unde momentum virium ad axem convertendum erit $= ap - bq$, momentum inertiarum autem $= M + Pa^2 + Qb^2$. Unde (ut antea) prodit celeritas angularis $= \frac{ap - bq}{M + Pa^2 + Qb^2}$; hacque per b multiplicata, ipſa celeritas oneris. Jam hic iterum dabuntur caſus, ubi onus celerrime moveatur. Horum alter eſt is, ubi dato radio majori quæritur minor b; alter, ubi dato minori quæritur major a; uterque per formulam allatam inveniendus facile a quovis, methodi pro maximis & minimis gnaro. Ex iisdem porro principiis haud difficulter pervenitur ad determinandum motum plurium rotarum, inter ſe connexarum. Sint e. g. tres rotæ, cum applicatis potentia & onere, ut *Figura* docet. Ponantur momenta inertiæ rotarum AO, BC, DE, reſpective K, L, M; radii majores & minores reſpective a & b, c & d, e & f. Erit momentum potentiæ ad primam movendam $= ap$, ad ſecundam $= \frac{acp}{b}$, ad tertiam $\frac{acep}{bd}$, oneris vero $= fq$. Unde momentum virium ad tertiam movendam $= \frac{acep}{bd} - fq$. Conſideretur jam motus

TAB. I Fig. 3.

Fig. 4.

tertiæ rotæ, quo motus oneris producitur. Erit ergo momentum inertiæ rotæ hujus $= M$, oneris vero Qf^2. Rotæ ſecundæ momentum foret L, ſi eodem cum tertia motu angulari moveretur; ſed, cum moveatur celerius in ratione $\frac{DE}{CD} = \frac{e}{d}$, augendum eſt in eadem ratione duplicata, ita ut ipſum ſit $= \frac{Le^2}{d^2}$. Rotæ tertiæ momentum ſimiliter prodibit $= \frac{Kc^2e^2}{b^2d^2}$. Potentiæ autem momentum $= \frac{Pa^2c^2e^2}{b^2d^2}$.

Colligantur jam in ſummam quinque hæc momenta, per eamque dividatur momentum virium, habebitur, ut ante, celeritas angularis, quæ, per f multiplicata, dabit celeritatem ipſam oneris. Haud minus liquet e præcedentibus, quomodo & pro hoc caſu inveniatur effectus maximus; quod, cum ad ſolum calculum redeat, hic non afferemus. Silentio tamen præterire non poſſumus, quod exinde reſultat: Requiri nempe hunc in finem, ut ratio inter radium majorem & minorem in rota prima fiat tam magna, quam fieri poteſt, in reliquis autem rationem æqualitatis quam minime ſuperet. Caſus hic in praxi tunc præcipue uſu venit, quando multiplicatio potentiæ tanta, quanta ad onus movendum requiritur, per unam rotam produci nequit, adeo, ut plures rotæ conſtruendæ ſint; ubi itaque eo reſpiciendum eſt, ut in prima rota conſtituatur multiplicatio potentiæ, quantum rei circumſtantiæ permittunt, maxima. Quando autem non propter potentiæ multiplicationem, ſed ob alias circumſtantias, plures rotæ requiruntur, tum adhuc melius hocce præſcriptum applicari poterit. Hinc ergo naſcitur regula utiliſſima pro molis omnibus, tam aqua, quam vento, movendis, quam pluribus Autor explicat. De reliquo hoc quoque adhuc notandum, expreſſiones, quibus in præcedentibus uſus eſt pro celeritatibus, ſenſu ſtricto ipſas has celeritates non præbere, ſed tantum ex earum quantitate quantitatem celeritatis poſſe colligi. Eæ enim reapſe definiunt tantum accelerationem oneris

Digitized by Google

ris momentaneam. Sed ad inſtitutum ipſius, quo inprimis ad inveniendum effectum maximum in machinis collineat, hoc ſufficit; evidentiſſimum enim eſt, ſi acceleratio ſit maxima, etiam onus moveri celerrime. Interim facile poſſet ex iisdem definiri vera oneris celeritas. Si enim ponatur, onus promotum eſſe per ſpatium x, ſitque tunc altitudo velocitati debita v, dicaturque acceleratio ſupra inventa (& pro ipſa celeritate uſurpata) α, erit $dv = \alpha dx$, unde $v = \alpha x$, cujus radix quadrata exprimit veram celeritatem oneris. Unde clarius perſpicitur, hanc eſſe maximam, ſi α eſt maximum. Hinc vero ſimul patet, celeritatem hanc continuo variari, onusque motu accelerato moveri, prorſus ut grave decidens. Quod tamen in plerisque machinis hoc non actu ita reperiatur, ſed motus mox fiat æquabilis, cauſa præcipua videtur eſſe actio potentiæ, quæ plerumque non indeſinenter vi æquali urget, ut in calculo ſupponitur, prætorea quoque reſiſtentia aeris, aliaque impedimenta occulta. Sed tempus eſt, ut ad reliquas quoque Diſſertationes pedem promoveamus. Sequitur itaque 7) *Jo. Bernoullii Compendium Analyſeos pro inventione vis centralis in orbibus mobilibus planetarum.* Sumit primo caſum eum ſpecialem, quem conſideravit *Newtonus*, ubi nempe ponitur motus eſſe talis, ut velocitates angulares in orbita mobili, & in immobili, ſint in ratione conſtanti. E cujus per formulas analyticas evolutione patet non ſolum, (quod *Prop. XLIV* demonſtravit operoſe & obſcure *Newtonus*,) differentiam virium centralium in utraque orbita eſſe reciproce, ut cubus altitudinis communis; ſed & inſuper, (quod *Newtonus* non docuit,) ſi duæ ſint orbitæ mobiles, quarum velocitates angulares ut n ad N, & utraque ad velocitatem angularem in orbita immobili in ratione conſtanti, fore differentiam illam in una ad eam in altera $= n^2 - 1 : N^2 - 1$. Hinc Analyſin tradit pro hypotheſi generali velocitatis angularis qualiscunque, ubi (quod notari meretur,) prodit eadem prorſus formula, quæ pro hypotheſi illa particulari, nempe differentia Pag. 95.

 virium

virium ut $\frac{n^2 - 1}{x^3}$, dicta *n* ratione velocitatis angularis variabilis, & *x* altitudine. Exinde porro, ceu Corollarium, ſequitur Theorema elegans, & a nemine antea demonſtratum: Quacunque vi mobile ſolicitetur ſecundum directiones parallelas ad deſcribendam aliquam trajectoriam, vim illam non mutari, ſive quieſcat trajectoria, ſive moveatur ſecundum rectam quamvis uniformiter, vel difformiter. Obiter quoque patet, demonſtrationem *Hermanni* in *Phoron. pag.* 97, qua differentiam iſtam ſtatuit generatim ut $\frac{1}{x^3}$, non attendendo,
Pag. 102. an *n* ſit conſtans, an non, eſſe paralogiſticam. 8) *Eulerus de attractione corporum ſphæroidico-ellipticorum.* Conſiderat primo eum caſum, ubi ab ellipſi attrahitur corpus, in recta per centrum, ad planum ipſius normali, exiſtens. Ponit vero hic & in ſequentibus, ſingulas ellipſeos particulas gaudere vi attrahente in ratione reciproca duplicata diſtantiarum. Dein quærit attractionem factam a ſphæroide elliptica in corpus, vel ſub polo, vel ſub æquatore, ſitum. Denique determinat in planeta, materiæ uniformis, cujus ſingulæ particulæ dicto modo attrahunt, & motu circa axem prædito,
116. rationem inter axes. 9) *Dan. Bernoullii Commentatio de immutatione & extenſione principii conſervationis virium vivarum, quæ pro motu corporum cœleſtium requiritur.* Notiſſimum eſt principium conſervationis virium vivarum, noſtris diebus incredibili cum ſucceſſu ad omnis generis quæſtiones mechanicas applicatum. Hoc tamen ſemper adhibitum eſt ſaltem ad corpora, prope ſuperficiem terræ cadentia, pro quibus viæ deſcriptæ haberi poſſunt pro infinite parvis reſpectu diſtantiæ a centro terræ, tanquam centro virium. Id vero nunc extendere docet Vir Cel. ad finitam a centro virium diſtantiam, & ad plura centra; ita ut ad motum corporum cœleſtium definiendum utiliter applicari queat. Primo quidem pro unico centro, & corpore uno, quod ab eo finite diſtat, haud obſcure patet lex ſequens: Si corpus e quiete ab uno puncto perveniat ad aliud, ſuamque velocitatem a ſola

gra-

Digitized by Google

gravitatis verſus centrum actione mutet; velocitatem in poſteriori puncto non eſſe aliam, ac ſi recta decidiſſet e priori per ſpatium æquale differentiæ diſtantiarum utriusque puncti a centro. Quod nunc ad ſyſtema corporum plurium in diſtantia finita attinet, notandum eſt primo, non dari in corpore, cujus magnitudo habet rationem finitam ad diſtantiam a centro virium, centrum gravitatis, intelligendo per id punctum tale, e quo ſuſpenſum corpus in quovis ſitu ſit in æquilibrio. Pariter quoque non datur pro corporibus pluribus tale punctum, (quale in hypotheſi diſtantiæ infinitæ eſt centrum gravitatis,) e cujus acceſſu ad centrum virium definire liceat incrementum virium vivarum. Sed ſi ad ea extendendum ſit principium virium vivarum, hoc fieri pro hypotheſi gravitationis in reciproca duplicata diſtantiarum & directa maſſæ, hujus tenoris: Si ſyſtema corporum, quomodocunque inter ſe connexorum, ſola gravitatione motum acquiſiverit e quiete, erit in quovis ſitu ſumma ſingulorum corporum, per quadratum ſuæ velocitatis multiplicatorum, = ſummæ omnium quantitatum $Mx\left(\frac{2mm}{x}-\frac{2mm}{a}\right)$, ubi M maſſa corporis cujusvis, ad ſyſtema pertinentis, x diſtantia ejusdem a centro pro ſitu dato, a diſtantia initialis, m autem quantitas conſtans, ita nempe ut vis ſit $\frac{mm}{xx}$. Si vero gravitatio in diſtantia x ponatur generatim X, loco $Mx\left(\frac{2mm}{x}-\frac{2mm}{a}\right)$ accipiendum erit generatim $Mx\ (-\int^{2} Xdx)$. Quando autem corpora non a quiete moveri incipiunt, tunc a ſingulis velocitatum quadratis ſubtrahenda ſunt quadrata velocitatum initialium. Principium nunc ſic extenſum ad ſolutionem ſequentis Problematis traducit Autor: Poſito centro virium attrahente in ratione reciproca duplicata diſtantiarum, quæritur motus virgæ rigidæ cum duobus corporibus, circa punctum fixum mobilis. Hoc jam ad motum terræ & lunæ applicat; & varia inde deducit theoremata pro

motu

motu lunari. Sed, quæ hic feſtinante tantum calamo in chartam ſe conjeciſſe fatetur, alio tempore pluribus perſecu-
Pag. 125. turum promittit. 10) *Euleri Theorematum quorundam arithmeticorum demonſtrationes.* Sunt hæc theoremata varia, a *Fermatio* præſertim detecta, ſed partim absque demonſtratione prolata, partim demonſtrationibus adeo intricatis munita, ut vix perſpicue intelligi queant. Talia ſunt: Duorum biquadratorum nec ſummam, nec differentiam, poſſe eſſe quadratum; nullum numerum trigonalem integrum, præter 1, poſſe eſſe biquadratum; &c. Hæc igitur, ope lemmatum faciliorum, per formulas analyticas, perſpicue hic demonſtrat Cel. Autor; ſimulque ex iisdem deducit varia ſimilia. Notanda vero ſunt non tantum ob ſingulares numerorum proprietates, ſic patefactas; ſed & inprimis ob varia artificia analytica, quibus in iis eruendis utitur. E. g. theorema memoratum de ſumma duorum biquadratorum ita demonſtrat, ut oſtendat, ſi uno in caſu fuerit $a^4 + b^4$ quadratum, quantumvis magni fuerint numeri *a* & *b*, tum continuo minores numeros loco eorum aſſignari poſſe, atque tandem ad minimos numeros integros perveniri oportere; tales ergo cum in minimis numeris non dentur, nec & inter maximos
147. exiſtere. 11) *Dan. Bernoullii Commentatio, de ſtatu æquilibrii corporum, humido inſidentium.* Quæ hic affert Vir Cel., ſpectant generatim conditiones æquilibrii corporum, fluido immerſorum; præſertim autem firmitatem, qua in ſtatu æquilibrii perſeverare tendunt, & ex eo deturbata ſe reſtituere conantur. Horum omnium principia generalia & evidentia tradit; & ad variæ figuræ tam plana, quam corpora, applicat. Quæ etſi omnia ſint valde elegantia, tamen, cum poſt id tempus hæc materia jam ab aliis Geometris ſit multo magis exculta, & ſcriptis expoſita, (vid. inprimis *Eulerus* in *Tomo I. Scientiæ navalis*, & *Bouguerus* in *Tractatu de Navi*, quæque nos in recenſione utriusque Operis hac de re aut jam commentati ſumus, aut proxime commentabimur,) ſuper-
164. fluum ducimus, de hiſce plura proferre. Idem quoque valet de ſequenti Schediaſmate 12), ita inſcripto: *Euleri ſolutio Problematis cujusdam, a Cel. Dan. Bernoullio propoſiti.*

Quæ-

Digitized by Google

Quæritur nempe inter omnes curvas iſoperimetricas, iisdem terminis contentas, ea, in qua $\int r^m ds$ habeat maximum minimumve valorem, denotante s arcum, r vero radium evolutæ. Cum enim integram, Problemata ejusmodi ſolvendi, methodum uberrime perſecutus ſit ſingulari Tractatu Vir Cel.; nihil novi jam habet hoc Problema, ſed ejusdem ope, ceu exemplum particulare, facile ſolutionem nanciſcitur.

Claſſis ſecunda, phyſica, ſequentes *Diſſertationes* continet: Pag. 181.
1) *Ge. Wolfg. Krafftii de reflexione lucis, in tranſitu per medium diaphanum oriunda, experimenta & explicationes.* Lucem in acceſſu ad corpus diaphanum non modo per id tranſire, ſed & partem ejus valde ſenſibilem inde reflecti, nemo eſt, qui ignoret; ſed, præter phænomenon ipſum, nihil adhuc hac in materia actum eſt. Eam itaque curatius ſibi examinandam in præſenti ſumſit Vir Clariſſimus. Cum vero, ſi geometrice tractetur, ad calculum valde prolixum deveniatur; caſus tantum ſimpliciſſimos, & præcipue eos, qui experimentis confirmari poſſunt, hic conſiderat. Primo itaque Geometriæ & calculi ope definit, ſi radius intret medium diaphanum, duobus planis incluſum, & a plano poſtico reflexus iterum per anterius exeat; qualis ſit poſitio radii ultimi. Dein pro radio, in lentem plano-convexam incidente, axi parallelo, & poſt reflexionem iterum egrediente, concurſum cum axe ſimiliter determinat. Quæ vero per theoriam ſic prodeunt, experimentis, ſatis ſimplicibus, confirmat. Coronidis loco oſtendit, notiſſimam illam legem viæ breviſſimæ etiam in hisce radiis refracto-reflexis obtinere. 2) *Idem de novo oſcillationum genere.* 200. Anſam huic disquiſitioni præbuit caſu oblatum phænomenon, quod horologium portatile, ex unco libere ſuſpenſum, ita ut a tergo parietem non attingeret, oſcillationes abſolveret, quæ & motus conſtantia, & arcuum magnitudine ſatis ſenſibili, notandæ veniebant. Hujus cauſa petenda eſt e libramento, quod horologiis portatilibus includitur, atque communiter fabricari ſolet ita, ut conſtet annulo firmo, e cujus centro prodeunt tres radii, peripheriam annuli triſecantes, quorum extremitatibus plerumque afferruminatur

 aliquid

aliquid plumbi, ut eo melius vibretur libramentum. Si jam adeo exacte conſtructum ſit illud, ut tam annulus ubique ſit ejusdem craſſitiei & latitudinis, quam ponduſcula annexa prorſus æqualia; tum centrum gravitatis libramenti erit exacte in centro ejus, manebitque proinde in eodem loco, ſive libramentum vibretur, ſive non. Unde & centrum gravitatis commune ipſius & reliquarum horologii partium, hoc eſt, totius horologii, erit punctum fixum. Suſpenſo itaque horologio, ſi ſemel centrum hoc gravitatis cum puncto ſuſpenſionis in eandem rectam verticalem ſe compoſuerit, totum horologium in quiete perſiſtet. Contra autem, ſi ulla ſit inæqualitas in libramenti vel annulo, vel ponduſculis, ita ut centrum gravitatis ejus a vibratione ipſius hinc inde transferatur, tum ſane centrum grav. totius horologii non in eodem loco manebit; unde ſatis perſpicitur, id ipſum ſuſpenſum quieſcere non poſſe, ſed oſcillationes peractarum eſſe continuas tam diu, quam diu ipſum libramentum movetur. En itaque novum oſcillationum genus, quod a ſtructura corporis interna pendet. Hujus theoriam quandam hic exſtruere conatur Cl. Autor. Attamen caſum ſaltem ſpecialem, de quo diximus, pertractat, eumque adhuc ſimpliciorem fingit. Ponit nempe libramenti loco vectem, gravitatis expertem, duobus ponduſculis inæqualibus onuſtum, ac vibrationes peragentem; & quærit, quanto angulo centrum gravitatis mobile totius machinulæ a puncto ſuſpenſionis hinc inde dimoveatur, unde
Pag. 207. patet motus ipſius oſcillatorius. 3) *Diſſertationis hydraulicæ Pars ſecunda, continens methodum directam & univerſalem, ſolvendi omnia Problemata hydraulica, quæcunque de aquis, per canales cujuscunque figuræ fluentibus, formari ac proponi poſſunt.* Hæc nil aliud eſt, quam *Pars altera Hydraulicæ* ſummi *Jo. Bernoullii*, quæ in ejus *Operum Tomo IV* jam dudum lucem adſpexit. Quare, cum non ſolum hodie inter Mathematicos omnes ſit ſatis pervulgata, ſed & nos de eadem in recenſione dictorum Operum ſufficientem dederimus notitiam, de ea in præſenti dicere, merito ſuperſede-
208. mus. 4) *Joſ. Weitbrechtii Solutio Problematis phyſiologici.*

Eſt

Eſt hoc ſequens: *Dato numero muſculorum, qui membrum quodpiam movent, invenire numerum motuum, qui a muſculis illis, varie inter ſe combinatis, produci poſſunt.* Facile patet, quæſtionem hanc proprie nulla principia e Phyſiologia petere, ſed totam redire ad doctrinam combinationum. Miramur itaque, Autorem adeo ſigillatim & operoſe evolvere omnes caſus, donec ad regulam generalem perveniat, quam tamen inſtar Lemmatis e doctrina illa ſupponere poterat; quo ipſo totum negotium paucis lineis abſolvitur. Eſt nempe ſumma motuum omnium, quos exercere valet membrum, ope muſculorum quotcunque numero *n*, & agentium intenſitatibus diverſis numero $m, = (m + 1)^n - 1$. Tantam enim conſtat eſſe ſummam omnium combinationum poſſibilium in rebus *a b c*, &c. $\alpha\,\beta\,\gamma$, &c. ſi numerus diverſorum generum *a*, *b*, *c*, &c. ponitur *n*, numerus vero earum ejusdem generis *a*, α &c. $= m$. 5) *A. J. Amman de Filicaſtro, novo plantarum genere, aliisque minus notis rarioribus Filicum ſpeciebus.* Pag. 278. Filicum ſenſu lato plures dari, conſtat, ſpecies, quæ ſemina gerunt, vel in foliis, vel in coſtis, ſive pediculis peculiaribus, a reliquis ſterilibus ejusdem plantæ utplurimum omnino diverſis. Cum tamen melioris diſtinctionis gratia interſit, eas, in quibus coſtæ, ſeu pediculi ſeminiferi, ex ipſa radice egrediuntur, ſeparare a reliquis, ubi pediculi hi e ſterilium foliorum coſtis exſurgunt; illas in ſingularem claſſem ſub *Filicaſtri* nomine colligere conſtituit Autor, reliquis ſub *Osmundæ* titulo comprehenſis. Species Filicaſtri potiores conſtituit ſex, e foliorum, præſertim ſterilium, ſtructura diverſas, prout ſunt vel ſimplicia, vel in lacinias diviſa, &c. Singularum illarum varias iterum ſpecies inferiores enumerat, additis deſcriptionibus amplioribus, & iconibus. 6) *J.* 303. *G. Gmelin de frigore & calore glaciei, nivis, & aquæ.* Continentur hic obſervationes, ab Autore in Sibiria habitæ, quibus potiſſimum inquiſivit, qualis ſit terminus Mercurii hieme rigida in aqua; an ſit conſtans, quamdiu ſuperficies aquæ glaciata eſt; an adhuc idem, ſi, relicto in aqua inſtrumento, hæc tota in glaciem vertitur; an ſit idem in nive. Permagnam

gnam exhibet obſervationum ſeriem, in Tabulas relatam, ubi
frigus in aere, & in glacie, ſecum comparavit; e quibus re-
ſultat, maxime anomalam fuiſſe inter utrumque relationem,
& modo, aucto uno, manſiſſe alterum, modo diminutum
eſſe, & verſa vice; nec quoque quantitatem augmenti, vel
decrementi, fuiſſe utrinque æqualem. In aqua, cujus ſuperfi-
cies glacie tecta eſt, ſive fluat, ſive quieſcat, gradum caloris
conſtantiſſimum deprehendit. Quod vero ad gradum caloris
& frigoris in aqua fluviatili attinet, e variis obſervationibus
concludit, veroſimile eſſe, ſi frigus aeris in majus ſit 135 gra-
dibus Thermometri *Reaumuriani*, eam plerumque frigidio-
rem eſſe aere; ſi autem aereum frigus hunc gradum ſuperet,
calidiorem: quod & cum experientia vulgi convenire vide-
tur. Attamen inficias ire nequit, plures circumſtantias per-
Pag. 326. magnam hic mutationem poſſe inducere. 7) *J. Ammanni*
Deſcriptio cameli Bactriani, binis in dorſo tuberibus, e ſcri-
ptis D. G. Meſſerſchmidii collecta. Integra hic exhibetur
enumeratio omnium, tam formam externam, quam anato-
men, hujus animalis ſpectantium, ſollicite facta. De his ve-
ro hic quædam exponere, cum nimis ſpecialia ſint, inſtituti
noſtri ratio vix permittit.

371. In *Claſſe tertia, hiſtorica*, apparent 1) *T. S. Baieri Geogra-*
phia Ruſſiæ, vicinarumque regionum, circiter A. 948, e ſcri-
420. *ptoribus ſeptentrionalibus*; & 2) *G. T. Mülleri Commentatio*
de ſcriptis Tanguticis, in Sibiria repertis. Verum, pauco-
rum e Lectoribus noſtris intereſſe, credimus, notitiam amplio-
rem eorum, quæ ad antiquitates Roſſiæ tantum attinent; quare,
veniam ab iis facile nos impetraturos, confidimus, ſi eos, qui
forte hæc amant, ad ipſos fontes ablegemus.

469. *Ultimo* loco, quo *Obſervationes aſtronomicæ* congregantur,
exſtat *G. Heinſii Obſervatio de tranſitu lunæ per hyades d.* $\frac{22\ Dec.}{2\ Jan.}$
A. 173$\frac{7}{8}$, *Petropoli facta*; ubi ſimul exhibetur methodus de-
terminandi locum ſtellæ ad lunam, quando hæc iſtam tranſit.

DE

DE MORBO NARONIANO TRACTATUS, AUTO-re JOSEPHO ANTONIO PUJATI, Sacilenſi, Feltriæ Med. Prim. illuſtriſſimo atque excellentiſſimo magiſtratui ſalutis Venetiarum D.

Feltriæ, typis Seminarii, 1747, 4.
Alph. 1 plag. 8.

Ab agro Narentino Dalmatiæ, paluſtri, ſingularis propter hanc ſoli conditionem morbus Naronianus Autori dictus eſt, inter alias quoque gentes, lacuſtrium provinciarum incolas, Epirotas, Liburnos, Ravennenſes, aliasque, frequens, epidemicus, peſtifer, atque nulli Autorum cognitus, vel deſcriptus, niſi quod egregius Medicus Romanus, *Lanciſius*, præclaro opere, de noxiis paludum effluviis, de morbis locorum paluſtrium commentatus eſt. In ſuperiore Dalmatiæ parte, orientem verſus, non procul ab Epidauro, inter montes, qui Pannonias, qua Boſnia eſt, ſpectant, & Onæi promontorium, Stegnenſemque Cherſoneſum, mari Illyrico ſinus aperitur, in quem Naro, ex Illyrici fluviis celeber, a montibus Herzegovinæ exortus, per fertiliores Dalmatarum campos dilabitur. Ex hoc ſinui nomen, qui Naronianus, ſive Narentinus, appellatur. Maligni aeris, qui regionem iſtam pervadit, afflatu plerique Narentini Autori viſi ſunt meditabundi, torpidi, lienoſi, ſubtumidi, pallidi, maxime autem, ubi, ſquallida æſtate, copioſi imbres cadunt, venenatis veluti halitibus Naronianum cœlum vitiatur, fiuntque morbi ſingulares ſub velo febris continuæ, qui, ubi per hyemem paluſtria loca gelu inducuntur, ceſſant. Ipſa flumina illius provinciæ per æſtatem morbifera ſunt; hinc municipali Nigrocorcyrenſium lege cautum eſt, ne quis a medio menſe Majo, usque ad medium menſis Septembris, flumina ingrediatur. Etiamſi autem quavis æſtate Narona ſit inſalubris; illis tamen maxime temporibus morbo peſtilentiali huic ſubjacet, quibus Sirius vehementius urit, &, quamvis etiam aer Narentinus omni tempore male audiverit, ab illo tamen maxime peſtifer eva-

ſit, quo, propter bellorum calamitates, aquæ, quæ in mare deducendæ erant, ſtatione corruptæ putrefactæque fuerunt. Dimidium illud anni, quod æſtivo ac hyemali ſolſtitio intercedit, morbo Naroniano datum eſt; neque enim vel ante illud invadere, nec poſt hoc graſſari, deprehenditur, dum ægrotantium numerus minor eſt a principio, & verſus hyemem, circa autumnale æquinoctium frequentiſſimus. Ad hunc itaque modum morbus ſeſe habet. Æger, die ad veſperam accedente, leviter ex lumbis horret, brevis calor horrcrem excipit, cum vigilia, inquietudine, coxarum dolore contundente, & ſpinæ plerumque igneo & contundente. Nec infrequenter, ſine ullo frigore, ſine torpore artuum, morbus, invaſiſſe deprehenſus eſt. Illuceſcente die, qui a nocte invaſionis eſt proximus, minus inquietus æger eſt, ſomnumque capit cum levi ſudatiuncula; tunc vel omnino, vel majori ſui parte, morbus remittit. Die tertio, vel quarto, dum antemeridianum tempus quietum eſt, paroxyſmi accenduntur, nullo acceſſionum ſervato ordine; majore inquietudine laborat æger, nauſea potius, quam vomitu, tentari incipit; dejectiones, ſi quæ ſunt, flavæ, fœtidæ, tenues; de oris ſapore halituque fœtido queritur; calor externus a naturali vix differens; urina plerisque ad colorem & conſiſtentiam ſanæ ſimilis; pulſus quibusdam a ſanis vix diſcrepat; particulares in progreſſu exacerbationes morbus vix habet, atque procedit, crudus ſemper, ut in acceſſionis principio eſſe videatur: ter tamen quaterve de die æger inquietus fit, lumbis horret, ſeſeque tantillum volvit, nec tamen vel extrema frigent, nec pulſus immutatur, eſtque veluti una ex plurimis minutis exacerbationibus facta acceſſio; tertio tamen quovis die anxietates ingraveſcunt, & vomitus horripilationis tempore conſequuntur. Sexto, ſeptimo, nec minus octavo, die ad ſtatum ſuum perveniſſe morbus intelligitur, hinc usque ad nonum, undecimum, tertium, aut quartum decimum, uti, citius, ſerius, ſtatum adeptus fuerit, in eodem vigore conſiſtit. Jam a minutiſſi-

tiſſimis, nunquam rubris, ſæpius flavis, lividis interdum, peticulis interpuncta cutis eſt, brachia, ſcapulas, collum, lumbos, occupantibus, viribus omnino dejectis, ſummo ardore interna ægri extorrente, externis fere frigentibus, facie oculiſque quaſi aurigine infectis, nec raro ſopore premente, cum levi deſipientia, erupturæ parotidis ſignum ſiſtitur. Hoc tempore nigra interdum vomuntur ab ægris, quæque ob acidum ſaporem fauces adurunt. Ipſe Autor, hunc morbum expertus, acre acidum, quod figulinum opus roderet, evomuit, ac nigra minxit. Aliis, quæ vomebantur, viridia erant; ſi morbus bene ceſſurus eſt, nono, undecimo, decimo quarto, die ſupervenit ſudatiuncula, excrementa alvina magis conſiſtunt, atque tunc vel morbus ſolvitur, vel, poſtquam ſymptomata ſeſe remiſerint, intermittens febris fit, vel lenta febricula per hyemem continua, ægrum, ubi ille ſolius naturæ operi ſeſe relinquit, vexans, raro interficiens; breviores paroxyſmos experiuntur, qui plus horrent, illis in remiſſione ſudor eſt, hinc ex toto conquieſcunt; illis autem, quos ſine frigore febris adoritur, vix inter exacerbationes ſpatium eſt. Sunt, qui de die ambulant, ſub veſperam plumbeum fere caput habent, nocteque mirum quantum anguntur. Cauſam Epidemiæ hujus, præter lacuſtris ac paludoſæ telluris indolem, Autor in auſtrina ſoli Naroniani conſtitutione ponit. Nemora enim & montes a ſeptentrionibus impedimento ſunt, quo minus ſalubres aquilonii flatus Narentinos pervadere poſſint, ſed plana camporum atque mare eos meridianis occiduiſque ventis calidioribus exponunt, eo ſemper nocentioribus, quo plus paludoſos ac lacuſtres regiones perflant. Aquis quoque Naronienſium aliquid contagii ſubeſſe ſuſpicatur Autor exinde, quod piſces quoque fluminibus haud raro immoriantur, ipſique volucres paluſtres contactu aquarum pereant, quod vitium illis a venis metallicis accedere putat. Excurrit Autor in effluviorum paludoſorum effectus in corpora, atque inſectis, intra putridas aquas naſcentibus, minutis ita, ut ſorberi atque intus concipi ab accolis poſſint, aliquid tribuit, ita tamen

men, ut halitibus lacuſtribus, atmoſphæram noxia aliqua qualitate inficientibus, plus largiatur. Vias deſcribit, quibus aeri una cum vitiis ſuis ſubire conceſſum eſt, atque ubique ampliſſimæ eruditionis ſupellectilem interſpergit. Igitur, cum, per cauſarum ſyndromen, corpora, in aere Naroniano viventia, inquinari, ac viſcera cœnoſa forditie infici, comprobatum ab Autore eſt, in illud dicendorum ſumma coit, morbum Narentinis endemium gaſtrico-venoſum eſſe, ab eoque ſanguinem ſumma viſciditate & craſſitie, ob partium potiſſimum, impetum facientium, illaqueationem, infici. Proinde, vomitoriorum uſum ab ineunte morbo commodum eſſe, & rationibus, & experientia edoctus, cenſet, docetque, minus iſta officere, etiamſi purgantibus efficaciora eſſe videantur, ideo, quod excretiones morbi ſolennes vomitoria ita, uti purgantibus facere in more eſt, haud impediant. Altera indicatio poſtulaſſe viſa eſt uſum alephipharmacorum, quo mobiliores ſanguinis partes a glutine extricentur, quod tunc maxime fieri oportere, docet, ſi lentor ille haud eſt phlogiſticus, qui calidum regimen omnino reſpuit, ſed, cum virium ægroti adeſt defectio, ſanguis eſt viſcidus, atque iners, ſique febres malignæ ſunt, debiles ac crudæ, quas excitari pauliſper efficaciori medicina oportet. In ſimili adeoque caſu Autor ſale ſuccini, camphora, ſuccoque citri, cum effectu uſus fuit, nec vini uſus male ceſſit. Nocuit his, cum debilis febris eſſet, venæ ſectio, atque illis profuit magis cantharidum uſus, quos, ubi prudenter adhibiti ſunt, contra illos, qui, venenum eſſe, putant, defendit. Similiter cucurbitularum uſum ſine ferro, cum peticulæ moveri nollent, cum frictionibus expertus eſt ſaluberrimum. Interſperguntur ubique optimorum remediorum formulæ, hisque omnibus ſubnectuntur hiſtoriæ eorum, qui, hoc malo detenti, evaſerunt. Igitur, ſive Romani oris nitorem, ſive dictorum concinnum ordinem, ſive exquiſitam medendi rationem, ſive ampliſſimam lectionis ſupellectilem, reſpicias, dignus ubique liber eſt, qui legatur curioſius.

M. TUL-

Digitized by Google

M. TULLII CICERONIS ORATIONES tres pro M. Marcello, Q. Ligario, & Rege Dejotaro, emendatæ & illuſtratæ a CHRISTOPH. AUGUSTO HEUMANNO; *duæ pro Sexto Roſcio Amerino & Philippica ſecunda recognitæ & explanatæ a* JOANNE MICHAELE HEUSINGERO. *Accedunt Indices neceſſarii.*

Iſenaci, apud Mich. Gottl. Griesbach, 1749, 8.
Alph. 1.

Continuatur hic editio *Ciceronis* Orationum ſelectarum, à Cel. *Heumanno* quatuordecim annis ante publici juris facta. Recens is addidit *Cæſarianas*, veterum Grammaticorum exemplo dictas, quibus vulgandis, ad illius voluntatem, operam impendit *Heuſingerus*, Vir olim doctiſſimus, nunc ad Superos evocatus, alias duas, ut & Indices, ſubjungens. Nemo non videt, obſervationes inprimis eſſe, de quibus hic paulo nobis plenius dicendum ſit. Tangunt illæ criticam artem, hiſtoriam, antiquitates. Nimii foremus, ſi vel ſelectiſſimarum ſpecimina proponere conaremur; adeo multa ſunt, quæ delectare poſſint. Quemadmodum vero in arte critica non adeo facilis eſt eruditorum conſenſus, & diverſi de diverſis partibus rem aliquam conſiderare ſolent; ita nos etiam vel obiter quædam adjungemus, de quibus, quæ ſit melior opinio, Lectorum eſto judicium. Statim obſervatione prima, Pag. 1. ad Orationem pro *M. Marcello*, conjungenda eſſe dicuntur verba, *in ſumma poteſtate rerum omnium*, ab editoribus male divulſa, poſito poſt *poteſtate* inciſo. Quod nos defendentes, addita loca eo non pertinere, arbitramur, dum ſenſu convenire credimus, *ſumma poteſtas*, & *rerum omnium poteſtas*; *modum* autem vix nude ac ſine determinationibus tam commode poni. Obſervatione ſecunda, ubi *qui* mutatur in *cum*, non 2. attenditur, particulam proxime anteceſſiſſe. Quarta deletur

 noſtro

noſtro, &, quod alii poſuere, *veſtro* ex ſequente *veteri* natum
eſſe putatur, quaſi non æque e priori. Certe, *noſtro*, ſcilicet
communi, ad rem pertinere, contextum expendenti facile con-
Pag. 8. ſtabit. Ad *Cap. III §. 20*, *non ego eum*, propter allegationem
Lactantii legitur *non modo ego eum:* licet ob frequens *o* ſit
κακοφωνὲς, nec ſemper ad verbum & accuratiſſime hujusmodi
loca ab aliis repetantur. Hinc & judicatur, *§. 4 etiam cum*
leguntur ſcribi debere pro vulgato: *etiam dum audiuntur*, *aut*
dum leguntur, ac rem ipſam huic ſcripturæ ſuffragari. Nihi-
lo minus antecedit *literis atque linguis;* ſequitur etiam du-
plex membrum *clamore militum*, *tubarum ſono:* additur ſta-
tim eadem particula *cum*, ac certe non oculis modo, ſed ſi-
11. mul auribus, iſta præconia percipiebantur. Ad *Cap. IV §. 3*,
pro *afferat laudibus*, non dubitatur, *adjiciat* ſcripſiſſe *Cicero-*
nem: quaſi prius non æque reſpondeat τῷ *detrahet*. *Ipſius*
victoriæ conditione §. 6 inciſis includendam propoſitionem,
ut *jure* ad ſequens verbum referendum, tali obſervatione in-
ſtruit fœcundum ingenium: „Ejicio verbum *conditione*, & ori-
„ginem demonſtro hujus corruptionis. Librarius ſcilicet
„oculos forte longius projecerat ad verſum uno interjecto ſe-
„quentem, ubi legitur *victoriæ conditio*. Statim vero erro-
„rem ſuum animadvertens, poſitum quidem jam verbum *con-*
„*ditione* non delevit, ne macula fœdaret paginam, ſed tamen
18. „cetera verba perrexit ſcribere, quæ ſequebantur.„ Quaſi non
alterum ad alterum reſpiceret, aut *conditio* & *conditione* per-
inde foret, aut tam Græca fuiſſet librariorum fides. Ad *Cap.*
20. *VI §. 10* docemur, *rei publicæ* diviſim eſſe ſcribendum; quod
non civitatem deſignet, ſed utilitatem civitatis Romanæ;
quaſi vero non eadem eſſet utrobique conditio. Ad *Cap. VII*
23. *§. 7* deletur *ad incertos eventus valetudinis* tanquam ex in-
feriore loco adſcripta: licet inde potius contrarium ſtabilia-
25. tur. Ad *Cap. VIII §. 5 ſapiens eſſe* exponitur *philoſophari*, cum
tamen omnino majoris ſit ponderis, ut etiam *audirem* majoris,
quam *audire vellem*. *Paragr. 10* non tam *climax* eſt, quam in-
crementum, ſi Rhetorum ſcholas conſulamus; nec ταυτολογίαν
efficit

Digitized by Google

efficit per ſe *vel in ſuos cives, vel in patriam;* ſed membrum
tertium adjectum omiſſionem ſuadebit. Ad Orationem *pro Li-* Pag. 37.
gario Cap. I §. 3 additur: Non inepte *Gravius: Eſt id, quod*
latebat. Habent enim hanc ſcripturam plures MSti libri, teſti-
bus *Grutero & Franc. Fabricio; Heumanno* tamen perplacet al-
tera ſcriptio, cui *id* adjeciſſe videtur interpres aliquis. Cur au-
tem nuda præterque rationem opinio πλεονασμῷ elegan-
tiori, Codicumque fide nixo, antefertur? Ad *Cap. II §. 7* 42
prodo mutatur in *prodam,* licet certa ſit res; mutatio vero
propter multiplicem ejusdem terminationis concurſum κα-
κοφωνίας. Sic ad *Cap. IV §. 7 dicere* putatur ineptum, li- 45
cet paulo diverſum a *confiteri* ſenſum habeat, eundemque
ad oratoris conditionem aptiſſimum. Ad *Cap. V §. 1* poſ- 49
ſeſſivum *tuum* ad patris nomen temere omitti putatur, et-
ſi *veſtrum* ſequens huc pariter elegantius accommodatur.
Ad *Cap. VII §. 6* pro *communes neceſſitudines* legitur *com-* 57
plures; quoniam in Epiſtola quadam *Cicero* ſcripſerit *pro*
plurimis neceſſitudinibus noſtris, ac ſi non fuiſſent cum *Q.*
Tuberone communes, vel etiam duo communionem effi-
cerent. Æque gravi de cauſa ad *§. 7* ſubſtituitur *urge-*
bant; quod in Oratione *pro Milone Cap. XXXII §. 4* legatur:
inſtabat, urgebat. Habent omnino Critici, quod vel ex his paucis primarum paginarum exemplis patebit, cur caute conjecturis indulgeant, neque ab una ſolum parte rem conſiderent; ſed omnes potius conjungant, ne nodum quærant in ſcirpo, vel, quæ ſunt excuſanda, temere accuſent. Neque tamen id officit maximi Viri meritis, dum ſubinde præſtat, luxurians quidquam, & quod expendi poſſit, adjungere, quam, ob nimiam cautionem, reſecare vivum, ac dicenda tacere.

DISSERTAZIONE DI PAOLO MARIA PACIAUDI, Teatino, ſopra una Statuetta di Mercurio, &c.

hoc eſt,

PAULI MARIÆ PACIAUDI, MONACHI Theatini, Diſſertatio in Statuam minutam Mercurii, quæ ſervatur in Muſeo Excellentiſſ. Marchionis HOSPITALII, Regis Chriſtianiſſimi in aula Neapolitana Legati.

Neapoli, imprimebat Novellus de Bonis, typographus Archiepiſcopalis, 1747, 4.

Plag. 5.

In eleganti hac Commentatione Reverendus Autor ſignum *Mercurii* illuſtrat, affabre factum, atque ex cimelio Dynaſtæ Marchionis *Hoſpitalii*, *Ludovici XV*, Regis Galliæ, ad Regem Neapolitanum Legati, depromtum. Tenet in altera manu *Mercurius*, ut ſolet, ſuam crumenam, ſive marſupium; in altera vero teſtudinem, tanquam inventor muſici cujus-
Pag. 5. dam inſtrumenti, ab antiquis *teſtudo* appellati. Numen hoc veteres ſumma reverentia ſunt proſecuti, Galli maxime, ut ex multis veterum ſcriptorum teſtimoniis, & magno ipſius ſtatuarum, quæ in Gallia inventæ ſunt, numero, luculenter comprobari poteſt. Qui cultum ejus in Arabia & Phœnicia quærunt, ex *Moſe Mercurium* faciunt. Quemadmodum autem in re tam obſcura nihil certi definiri poteſt; ſic idem dicendum de iis eſſe videtur, qui hoc Numen modo Germaniæ, modo aliis gentibus ſeptentrionalibus, vindicant.
7. Multi, plures olim *Mercurios* exſtitiſſe, volunt, aliis quatuor, aliis quinque, nominantibus, & alterum ab altero ſecernentibus. Sed haud immerito alii, unicum fuiſſe, ſtatuunt, & ad hunc omnes, quæ ſingulis attribuuntur, res geſtas transferunt. Id tamen certum eſt, cum pro diverſis Deorum, quibus præfecti ſunt, officiis diverſæ quoque conſtitutæ ſint ipſorum claſſes, *Mercurium* modo ad cœleſtium, modo ad terreſtrium, modo ad inferorum, Deorum numerum eſſe ablegandum. Inde factum, ut ob tam inſignia, Numini huic tri-

buta,

buta, officia, & honorifica epitheta, ipſi aſſignata fuerint. In his principem tuetur locum *maximi conſervatoris orbis* nomen in Inſcriptione apud *Reineſium.* Accedit, quod ejus figura in plurimorum Græciæ populorum, coloniarum, & municipiorum, nummis compareat. Id vero in his mirum, quod rariſſime in illis nomen ipſius expreſſum cernatur; id quod tamen in aliis Numinibus ſæpiſſime factum eſſe, nemo ignorat. Cauſa hujus ſilentii a veterum ſuperſtitione deducenda eſſe videtur, apud quos *Mercurii* nomen adeo ſanctum fuit, ut non facile illud efferre ac pronuntiare auderent. Varia ſunt *Mercurio* tributa officia, ex quibus, velut ex fonte, tot diverſa ejus cognomina derivari poſſunt. Fingitur in nummis ut ſacrificans, eoque ipſius ſacrorum & religionis præſidium, quod cum aliis Diis commune habuit, indicatur. In aliis monumentis comparet ut Deorum nuntius, qui Deorum cogeret concilia, juſſa ſummi *Jovis* exequeretur, cuique res omnes belli & pacis committerentur. Vocatur per id *Camillus*, Etruſce *Caſmilos*, itemque *Meneſtrator.* Exhibetur porro in nummis ut inferorum portitor, aut animarum, a corpore ſeparatarum, ad *Plutonis* tribunal ductor. Inprimis memoratu dignus eſt nummus Adrianopolitanus *Gordiani*, in quo *Mercurius* duplici modo conſpicitur, tam in proprio ſuo habitu, quam in Herma ſtatua. Iſtarum Hermarum origo ex mythologia, ut Autor noſter oſtendit, eſt arceſſenda, &, quoniam illæ in viis collocari ſolebant, argumentum inde peti poteſt, fuiſſe noſtrum *Mercurium* viarum præſidem. Fuit & palæſtris præfectus, harumque pariter ac ludorum gymnicorum habitus eſt inventor, ut ex inſigni *L. Veri* nummo oſtendi poteſt. Additum hujus Numinis officiis, eloquentiæ, variarumque liberalium artium, & in his quoque Aſtronomiæ, præſidium, ut itidem ex nummis ac gemmis patet. Sic quoque pecudi ac gregibus præeſſe dicebatur; quæ cauſa eſt, quare cum ariete ipſum expreſſerint in nummis. Uti cum ariete, ſic cum teſtudine quoque, vete-

Pag. 9. 10. 13. 15. 17.

veteres eum finxerant. Obſervavit hoc jam *Montfauconius* ſuo, quod *Antiquité expliquée* inſcripſit, præſtantiſſimo opere; variaque eam in rem exempla in medium attulit, ſed accuratiorem hujus figuræ inveſtigationem aliis ingeniis reliquit. Variæ quidem reddi poſſunt rationes, quare veteres *Mercurio* teſtudinem aſſignaverint; ſed plu-
Pag. 21. rimæ lubrico innituntur fundamento. Optimam *Homerus* dediſſe videtur. Is enim, *Mercurium* ex teſtudine inſtrumentum quoddam muſicum feciſſe, narrat. Ex *Homero* Mythologi ſua hauſerunt, quæ de hac fabula ſunt commentati, &, quamvis inter ſe quoad nonnullas περιςάσεις diſcrepare videantur, in eo tamen conveniunt, quod *Mercurius* ex teſtudine, ſive potius ejus tecto liram primam confecerit. Ipſa hæc fabula poſtea occaſionem dedit veteribus, hoc ænigma excogitandi: *Quadrupes, domiporta, tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera, capite brevi, cervice anguina, aſpectu truci, eviſcerata inanima cum animali ſolo*, quo ad teſtudinem, & ex illa liram formandi artem,
45. reſpexerunt. In nummis nonnunquam hoc *Mercurii* ſymbolum cernitur, & maxime probabile eſt, veteres ad hanc ſupra memoratam fabulam animum advertiſſe, cum in nummis teſtudinem exprimerent. Hæc teſtudo etiam in manibus illis æneis votivis, ſive pantheis votivis, cernitur. In maxime diverſas abeunt ſententias docti viri,
28. quare teſtudo in ejuſmodi manibus compareat. His percenſitis omnibus, Autor noſter cum *Gorio*, ad *Mercurium* ea alludi, exiſtimat, atque obſervat, ſingulam manum æneam ſpeciatim cuidam Deo eſſe conſecratam, hujus ſymbolum fuiſſe in loco manus inſigniori & excellentiori poſitum, iſti vero ſymbolo addita eſſe reliquorum Deorum, & in his quoque *Mercurii*, ſymbola, tanquam Numinis ſalutaris. Inprimis quoque notari meretur maximus veterum Romanarum teſtudinum uſus in ſupellectile, vaſibus, menſis, &c. adornandis. Apud *Plinium* repoſitoria teſtudinea commemorantur. Hujus ſcriptoris effatum Autori noſtro

Reve-

Digitized by Google

Reverendo egregiam præbet occaſionem, non ſolum de variis teſtudineis ædium ornamentis, ſed & præ ceteris de repoſitoriis veterum, & qui illorum fuerit uſus, quæve forma, egregie diſputandi. Ipſum ſimulacrum *Mercurii*, quod Autori noſtro occaſionem, hoc argumentum diſputandi, præbuit, eſt nudum, tenetque marſupium, ſive crumenam, in manu. Proinde, varia de *Mercurii* circa negotia & mercaturam officiis, deque habitu & veſtitu ejus in antiquis nummis ac monumentis, diſſerendi, largam præ ſe habet materiam. Inprimis lectu digna ſunt, quæ de caduceo *Mercurii*, de variis aliorum Deorum ſymbolis, huic Numini attributis, deque *Mercurio* Deo Pantheo, ex antiquis ſcriptoribus, gemmis, nummis, & marmoribus doctis, congeſſit.

Pag. 31. 33.

DE PATENA ARGENTEA FOROCORNELienſi, olim (ut fertur) S. Petri Chryſologi, Diſſertatio. Cujus occaſione nonnulla diſſeruntur de SS. Euchariſtia; de vaſis, ad ipſam ſpectantibus, præcipue de calicibus, & de imagine boni paſtoris, in eis inſculpi ſolita; item de Monogrammate Chriſti, Chriſtianorum ſepulchris appoſito, contra JACOBUM ac SAMUELEM BASNAGIOS.

Neapoli, 1745, 8.

Plag. 19½, cum Tabb. æn. 2.

Notabilis eſt Cenſoris ad Regem Epiſtola, ubi de libro dicitur: *In eo enim, ab omni labe læſæ regiæ jurisdictionis immune, admirari quis poterit uberrimam dicendi copiam, penitioris eccleſiaſticæ eruditionis peritiam, hæreſes quandoque non leniter vellicatas, plurimis Autoribus lumen additum, aliaque multa, quæ eum luce digniſſimum faciunt.* Et in alia, quam *Cyrus de Alteriis* ſcripſit: *Pro-*

Propugnando ſacrarum imaginum cultu, tam ſolide atque
egregie heterodoxorum eludit ſomnia, ac diſcutit captio-
nes, ut ad hæc convellenda, vel etiam infirmanda, nullus
jam iis relictus ſit dubitandi locus. Autor vero, laudes
adeo mirabiles meritus, eſt P. *Sebaſtianus Pauli*, ex Congre-
gatione matris Dei, qui dum Homiliarum S. *Petri Chry-*
ſologi, Archiepiſcopi Ravennatis, editionem adornabat, &
in eo, quantus eſt, totus erat, ut cum accuratioribus, vel
impreſſis, vel manuſcriptis, Codicibus recenſita, notis item
aucta, emendatior & elegantior prodiret, hæc etiam
Diſſertatio in ſpongiam hærebat. Hanc igitur, velut ope-
ris vadem, ad eruditorum ſymbolas, *Chryſologum* ſpectan-
Pag. 1. tes, eliciendas, quam præmitteret, elegit. Nimirum ex
ſacris cimeliis, quæ Forocornelienſi eccleſiæ dono dediſſe
fertur S. ille *Petrus*, ejusdem urbis civis, una tantum ar-
gentea patena ſupereſt, Pontificiorum, ad eam feſtinan-
tium, pietate celebris, & copia miraculorum illuſtris, cum
aqua, per eam demiſſa, pieque hauſta, rabidi canis mor-
ſus ſanet, peſtilentesque febres, poſtquam Medicorum ar-
tem eluſerint, mirabiliter arceat. Eam vero commen-
dans Autor, hæc maxime perſequitur capita: 1) unde no-
men patenæ veteres deduxerint; 2) quæ ſit patenarum for-
ma; 3) qui uſus, & 4) quæ materia; quibus adduntur
5) picturæ, quibus illas inſignire olim conſueverunt; 6)
inſcriptiones item; 7) benedictiones, pro eis initiandis ab
eccleſia inſtitutæ, 8) earum in ſacris myſteriis myſticæ ſi-
gnificationes; denique 9) modi, quibus uſi ſunt primis ac
4. poſterioribus Seculis fideles in cultu, patenis exhibendo.
Quæſtionem, acriter agitatam, utrum patena hæc *Chryſologi*
fuerit, nec ne, quod Forocornelienſes confidentiſſime aſſe-
runt, penitus intactam relinquit, nec alicui vult diem dice-
re, vel is eam antiquiſſimam ſtatuat, vel ad inferiora ſecula
5. revocandam. Id tantum addit, qui antiquorum operum æta-
tem a verſibus Leoninis deducunt, eorum ſententiam eru-
ditis viris non probari. Sic *Theodulus*, Presbyter, qui Secu-
lo V

Digitized by Google

lo V ineunte vixit, cum alio recentiore, qui Leoninis modis ætateque incerta Eclogas ſcripſit, nequaquam eſt idem, licet id *Ciampinio* videatur *Veterum Monum. Tom. I pag. 28.* Sed, ad nomen patenarum quod attinet, allegatur *Jo. de Garlandia* in Synonymis, ſequentem in modum canens: Pag. 8.

A pateo dicas patenas: conjunge patellas,
Vas dico patenam: calicis tectura patena.

Forma patenarum concava fuit ac rotunda: uſus ad ob- 9.
lationes ſacræ cœnæ in ea ſuper altari reponendas. 14.
Ritus autem, ut ſacerdotes non quotidie ſacra facerent, 26.
ſed ipſi, immo & Epiſcopi, in publica menſa, communionem acciperent, præcipue Seculo VII erat in moribus.
Plurimæ tunc etiam in templorum theſauris erant patenæ 29.
mirabilis magnitudinis, non tam ad uſum, quam ad ornatum altaris: æque ac ſacri Codices, magnificentius exor- 32.
nati, quos *Rupertus de divinis Officiis Lib. II Cap. 23,* *non immerito,* ait, *auro ac argento, lapidibusque pretioſis, decorari: utpote in quibus rutilet aurum cæleſtis ſapientiæ, micet argentum fidelis eloquentiæ, fulgeant miraculorum pretioſi lapides.* Sacramentales patenæ recentioris ævi 33.
procul dubio minoris ſunt amplitudinis, ſimilesque Græcorum diſcis, qui paulo amplius latiores ſunt, ut habet *Renaudotius Liturg. Tom. I pag. 195.* Fatetur hac occaſio- 41.
ne Noſter, neminem latere, quod primis temporibus uſitatum fuerit, ut Diaconi tam panem, quam calicem, communicantibus diſtribuerent: poſterioribus autem Presbyter plerumque panem, Diaconus calicem, miniſtravit. *Trans-* 63.
ſubſtantiationis vocabulum a nonnullis Autoribus ante Concilium Lateranenſe uſurpatum, & ab eadem congregatione conſecratum, eſſe dicitur, ad uſum totius eccleſiæ, & illius perpetuam de euchariſtia fidem explicandam. Quæ tamen perpetua fides nequaquam probatur; ut alia

Digitized by Google

Pag. 66. ſatis audacter aſſeruntur, aliis repugnantibus locis. Ma-
gni ſane ponderis argumentum: reverentiam priſcis jam
80. temporibus epulo ſacro exhibuerunt; ergo myſterium
transſubſtantiationis, ejusque antiquitatem, non eſt, cur
amplius probemus. Quaſi vero dicas, magna Codicibus
ſacris veneratio exhibebatur; ergo, non verbum divinum
continere, ſed ipſos divinam induiſſe naturam, obolita
charta, crediderunt. Caveant, ne pugionibus nitantur
plumbeis, qui talibus argumentis alia ſentientes proſter-
nere, non ſine magno boatu, laborant. Præterea fatetur
etiam haud raro Noſter, profanarum gentium mores &
conſuetudines Romanum cœtum paſſim æmulatum fuiſſe.
96. Sic, ubi Deorum cultores in ore defunctorum nummum
aliquem ponebant, quo *Charonti* portitori ſatisfacerent,
hunc, ait, ſuperſtitioſum inanemque morem *ſanctificare*
volentes veteres patres, pro nummo ſanctiſſimum Chriſti
109. corpus mortuis miniſtrabant. Sed progredimur ad mate-
riam patenarum, quæ ſane varia fuit. Inter viliores, ideo-
que rariores, ac magis notabiles, cornu erant fabrefactæ,
quarum meminit Concilium Calchutenſe, habitum in An-
glia *Tom. VIII Conciliorum pag. 631* edit. rec. ubi ſancitur,
*ne de cornu bovis calix, aut patena, fieret ad ſacrifican-
dum.* Conf. *Doughteus de Calicibus Cap. 10 pag. 117*, qui
multa, ad cornea pocula profana ſpectantia, congerit eru-
dite, ac *Bartholinus*, qui in libro *de Medicina Danorum*
110. *domeſtica Diſſert. VIII* ita ſcribit: *Tranſiit iſta cornuum figu-
ra etiam apud veteres Danos ad uſum ſacrorum: & Chri-
ſtiani calicis loco in euchariſtia adhibita. In cujus rei fi-
dem ſimile cornu, auro hinc inde obductum, literisque, ſed
ſacris, ornatum, in muſeo meo ſervo.* Unde, collatis *Non-
no Dionyſiac. Lib. II*, & *bibulis bibebant cornibus loco po-*
111. *culorum, nondum apparentium: unde poſterius ex illo
divinum nomen hoc commixtum fuit via*, & *Athenæo Lib. I
Cap. 37*, dubium ſibi concipit minus neceſſarium Autor.
Eodem vero pertinet charta *Vitalaſii*, Regis Merciorum,
apud

apud *Ingulſum*, ubi legitur inter alia: *Et cornu menſæ meæ lego, ut ſenes monaſterii bibant inde in feſtis Sanctorum.* Hic iterum origo profana cernitur. Notat enim *Gyral-* Pag. 118.
dus de Diis gentium Syntag. VIII, *Bacchum Bugenem*, id eſt, bove genitum, coluiſſe quondam Argivos: unde apud Græcorum plurimos ταυρόμορφον, & ταυροκέφαλον ipſum appellabant. *Diodorus* autem ideo *Baccho* cornua tribuit, quia primus junxerit boves, atque idem ſit, qui *Oſi-*
ris. Vid. *Iſidorus Orig. Lib. XII P. II Cap. 1*, *Spanhemius* 154.
in *Diſſert. V pag. 257*, *Almeloveenius* in *Amœn. theol. philol. pag. 220.* Picturæ & imagines in calicibus ac patenis variis conſpiciebantur, primaria vero fuit Servatoris, potiſſi-
mum cruci affixi, & ſub agni figura. Hinc, morem fuiſſe 186.
gentibus profanis, maxime Græcis, ſiglis, vel numeris, vel initialibus quibusdam literis, uti, contenditur, ad multarum rerum ſignificationem, ſive eum ab Ebræis, ſive ab Ægyptiis, acceperint. Sic, *Suida* teſte in voce *Eratoſthenes*, hunc velut alterum a *Platone* Philoſophum litera *B.* de-
ſignabant, quo & reſpexiſſe videntur Romani. Vid. *Mar-* 187.
tial. V, 27, & conf. *Harduinus* ad *Plinii Lib. V Cap. 31*
ſect. 36, & *Jo. Nicolai de Siglis veterum.* Inter μονογράμ- 195.
ματα Chriſtianorum primarium locum Crux obtinet, indicans Chriſtum, de quo *Paulinus*:

Nunc eadem crux, diſſimili compacta paratu,
Eloquitur dominum, tanquam monogrammate, Chriſtum;
Nam nota, qua bis quinque notat numerante Latino
Calculus, hac Græcis Chi ſcribitur, & medium Rho, &c.

Nominatim vero, quod numero ſexto proponitur, γράμ- 226.
ματα ποτήρια, ſive literæ poculorum, *Athenæo Lib. XI Cap. 45* memorante, in uſu fuerunt, ut pocula *Neronis*, *Homerica* dicta, quod *Homeri* verſibus inſcribebantur. Sic & in poculis Chriſtianorum legebatur e. g. *bibas in pace*

Digitized by Google

Dei, bibe vivus multis annis, refrigeris in pace Dei, &c. Antiquiſſima vero inſcriptio putatur in calice S. *Remighii*:

Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro
Injecto, æterno quem fudit vulnere Chriſtus.

Pag. 264. Hic etiam ſacris in poculis nominum atque inſcriptionum uſus profanus Græcorum a ſacris deducitur, ubi jam *Homero Il. II*, dum ſacrificium, *Jovi* ab *Achille* propinatum, deſcribit, indice, eorum modo Numinum in ſacris, quibus inſcripta pocula fuerant, adhibebantur.

NOUVEAUTÉS CRITIQUES, LITTERAIres, & poetiques, &c.

hoc eſt,

NOVITATES CRITICÆ, LITERARIÆ, ET poeticæ.

Leodii, apud G. Barnabé, 1745, 8.
Plag. 9½.

Africa ſemper aliquid novi; nec Gallia minus. Mirabile ſcriptoris ingenium vel ex ſingulari prioris conſcriptionis titulo patet, qui ſic habet: *Amatiſſimas: allegoria. Qui poteſt capere, capiat.* Impreſſum eſt ſcriptum ictu magicæ virgæ, per ſagam mercaturæ librariæ in ſpatiis imaginariis. Idem illud conſecratur Regi, cui quidem, ignoramus. In iisdem ipſum ſpatiis quæreremus, niſi aliud hariolandum præberet primordium tituli, ac finis verſu conceptæ dedicationis. Allegoriam, vel fabulam allegoricam, invenimus, anilibus miraculis ſagarum haud omnino diſſimilem: niſi quod hic modus eloquendi ex ſcriptis Hiſpanorum Romanenſibus, aut ludis Italorum muſicis, petitus videtur. Habemus ſane muros adamantinos, perpetua tonitrua, flammas qui vomunt, leones, & quæ

quæ hujus generis alia ſunt monſtra. Interim illud ex ipſis obſcuritatibus patet, Gallorum hic Regem glorioſum ratione ipſi non omnino glorioſa laudari; omnemque in Auſtriacos rabiem velut effundi; quos quidem ſi Philorabie furia præceſſiſſet, quid Alſatiæ factum eſſet, quid provinciæ? Sed non ſoli ſunt Auſtrii, quos ſale ſatirico defricare ſolet, id ipſum ipſa experta eſt Francica Societas (*l'Academie Françoiſe*). Socios illius ſpiritibus, vel ſpectris, comparat de longinquo majoribus, minoribus ſane de propinquo; negligentiam eorum tum in congregatione frequentanda, tum in lucubrandis ſcriptis, vituperat. Dialectos appellatur iis, quæ præficitur, Dea, verbis imperans, in mentem & cogitationes imperium exercens nullum. Solium illius conſcriptionibus exſtructum eſt recentiorum, quæ Autorum imitationi præfiguntur. Ejus latus claudunt uſus, conſuetudo, moroſitas; ſatellitum ſunt loco XXIV literæ; ut reliqua taceamus. Sequitur iſtam fabulam, quam *Berny* Abbas lucubravit, Oda, ſub titulo: *Les Poetes lyriques.* Huic eſt Præfatio præfixa, de Oda ſimiliter agens, quam difficilem eſſe, &, poſtquam *Rouſſeau* ſit defunctus, tantum non inter Gallos ſepultam, commemorat. Nolumus Carmini diutius inhærere, poſtquam celebris Poetæ noſtri Germanici de illo judicium criticum legere meminimus in Bibliotheca nova elegantiorum literarum (*Neuem Bücherſaale*). Illud tamen præterire non poſſumus, quod, veluti bellum eſſe Odæ cum Logica, contendere videatur, ideoque & celeberrimum *la Motte* carpat, quaſi Philoſophum magis, quam Poetam, quodque, *Ludovicum* laudaturus convaleſcentem, iſthæc ἀλλότρια præmittat. Quod tertio loco legimus, inſcribitur: Commentarii Academiæ ſcientiarum, inſcriptionum, elegantiorum literarum, bonarum artium, &c. recens fundatæ Troyis in Campania. Iſthæc pariter theonino dente roditur, exhibita oratione, vel ficta, vel vera, propter ſingularem dexteritatem aſſumti ſodalis auſpicali, atque ad

eandem præſidis reſponſione. Eodem ſpectat ſequens, ibi prælecta, Diſſertatio de ritu quodam antiquitatis; nimirum in urbe iſta cacandi, quæ ſolet tractare. Quo ſordido in argumento, nihil eſt, cur moremur, naſum quippe habentes nimis delicatum. Succedunt Meditationes hiſtoricæ, criticæ, & morales, de proverbio quodam. Inferius legitur: *In promtu cauſa eſt, Ovid. Remed. Am. I, 1.* Proverbium autem, nonaginta novem verveces unumque Campanum centum conficere beſtias. Sequitur Diſſertatio, in ejusdem Academiæ publica congregatione prælecta, deque inſignibus illius Academiæ laudibus tractans. Agmen denique claudit de conclavibus ſubterraneis, quæ *Ecreignes*, vel *Eſcrennes*, Galli vocant, quæ mulierum nentium congregationibus inſerviunt, tractat, ſitimque hujusmodi lautitiarum cupidioris abunde reſtinguit.

ELOGIUM JOANNIS HENRICI LEICHII.

Natus fuit *Leichius* noſter, Vir Clariſſimus, de literis bene meritus, Academiæ patriæ præclarum ornamentum, hac in urbe, die ſexto Martii anni 1720, deceſſit die decimo Maji anni 1750, magno ſui relicto deſiderio. Bonas literas, quibus deinceps inclaruit, a prima ſtatim juventute amavit impenſe, acriterque excoluit, aſſiduus Senatoriæ Bibliothecæ pæne incola, in legendis libris, & excerpendis, indefeſſus; quo ſibi egregiam librorum hominumque doctorum, &, quibus uſi fuerant, fatorum, comparavit notitiam. Linguas quoque calluit plures cum hodiernis veteres, Latinam & Græcam præcipue; Hebraicæ & Arabicæ non rudis, Gallice & Italice expedite loquebatur. Hiſtoriam tenuit omnem, veterem novamque, ſacram & civilem, ſed literariam maxime. Sub vitæ finem Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſe dedit. Ut erat ipſi amplum ac liberale ingenium, picturas quoque & gemmas ſculptas intellexit & collegit præſtantiores. Comis & humanus,

manus, omniumque amans, amicitia doctiſſimorum in Belgio & Italia & Germania noſtra hominum fruebatur, & familiares cum ipſis mutabat literas. Honoris cauſa liceat Eminentiſſimos Romanæ Eccleſiæ Purpuratos, *Paſſioneum* & *Quirinum*, item *Ant. Franc. Gorium*, *Hagenbuchium*, *Bruckerum*, *Weſſelingium*, nominare. Noſtrates inter præcipue Illuſtris *Maſcovius* ipſi favebat, Vir non magis fovendis promtus ingeniis, quam noſcendis acer, cujus vel ſolus amor commendatio eſt. Is ad præclara quæque conanda autor ei & hortator exſtitit; hujus beneficio omnes ei Bibliothecæ Senatoriæ, cui ipſe magna cum laude præeſt, opes patuerunt; is denique ad maximorum virorum, aulæ inprimis procerum, gratiam, qua carere non poteſt ad altiora contendens, ei viam aperuit. Honores Magiſtri artium A. 1742, & ſexto poſt Profeſſoris Philoſophiæ extraordinarii, virtute & eruditione meritus atque adeptus, parabat gradum ad altiores, Patrum Academiæ conſcriptorum ſuffragiis nixus, qui vacantem Linguæ Græcæ docendæ provinciam ipſi deputaverant. Sed oſtentatam ſpem ipſi cum vita fatum invidum, & literis inſignia, quæ ab ipſo exſpectabant, incrementa, ademit. Non ſane vulgaria ipſum animo agitaſſe, & daturum aliquando fuiſſe, niſi præmatura mors interceſſiſſet, ea monſtrant, quæ, tantulæ ætatis ſpes atque captum ſuperantia, edidit, aut inſtituit. Sunt autem ordine temporum hæc pleraque in *Actis* noſtris recenſita, quibus ipſe quoque ſymbolam haud contemnendam contulit. Primum opus eſt *de Origine & incrementis typographiæ Lipſienſis*, A. 1740 editum, quo typographi tertium agebant annum jubilæum. A. 1742 dedit in *Miſcellaneis Lipſienſibus Novis Animadverſiones & emendationes ad Inſcriptiones Græcas, a Muratorio in Theſauro editas.* Quod ſpecimen cum Cl. *Hagenbuchius* peculiari Diatriba aliquanto acerbius exciperet, oppoſuit ipſi *Leichius* noſter ſecundas ad opuſculum ſuum curas, pari modeſtia & humanitate atque eruditione conditas, quæ pone *Carmina ſepulcralia* prodierunt,

de

de quibus ſtatim memorabitur. A. 1743 Exercitationem *de Diptychis veterum* publicavit, cui, alia inter haud vulgaria, Caput unum ex inedito *Conſtantini* opere Græco inſeruit, in ſpecimen editionis, cujus expediundæ curam publice in ſe receperat. A. 1745 *Carmina Græca ſepulcralia*, ex Anthologia, nondum edita, cujus Codex in ampliſſimi Senatus Lipſienſis Bibliotheca exſtat, excerpta, in lucem dedit. Laudavit hunc nobilis ingenii conatum Cel. *Dorvillius* ad *Charitonem* paſſim, quamvis & nonnulla acerbius notaverit, quibus, non dubitamus, quin, ſi vixiſſet, repoſiturus talia fuiſſet *Leichius*, quæ vindicandæ ipſius famæ, & tuendæ Animadverſionum ipſius integritati, ſufficere potuerint. A. 1746 e cathedra philoſophica Diſſertationem *de Vita & rebus geſtis Conſtantini Porphyrogenneti* defendit, recuſam in editione operis *Conſtantiniani*, quam, jam tum cœptam, usque ad vitæ finem curabat, ut ſupra in his *Actis pag. 49 ſeq.* pluribus diximus. Paulo poſt cura ipſi mandata eſt augendi & emendandi *Theſauri Fabri*, quem cum Præfatione ſua A. 1749 carceribus emiſit. Aditurus A. 1748 Profeſſoris Philoſophiæ munus, edidit forma Programmatis *Diſſertationem criticam ad Photii Bibliothecam*, qua & affecta loca quædam iſtius libri emendat, & obſcura alia illuſtrat, & *Schotti* Latinam interpretationem caſtigat. De *Conſtantino*, poſt ejus toties factam mentionem, nihil attinet amplius dicere. Si voluptatem edendi, laudesque eo meritas auribus percipiendi, fatum ipſi adverſum invidit, memoriam tamen meritorum ejus, quamdiu *Conſtantinus* doctorum hominum manibus verſabitur, non poterit obſcurare. Digna eſt, quæ ſancte nobis habeatur, Viri ingenio, doctrina, moribus, perpoliti memoria, vivetque ipſe in ſcriptis & ſuis, & aliorum; futurus, quamdiu literæ in pretio erunt, exemplum, quod noſtrates imitentur.

Cum hoc *Menſe* in lucem exit *Supplementorum ad Nova Acta Eruditorum Tomi VII Sectio ſexta*, quam proxime ſequetur *ſeptima*.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLII.

Pars I.

NUMORUM ANTIQUORUM, SCRINIIS BODLEJAnis reconditorum, Catalogus, cum Commentario, Tabulis æneis, & Appendice.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1750, fol.

Alph. 4 circiter, quo computatæ fuerunt Tabulæ 23, æri impreſſæ, una cum aliis haud paucis Tabulis æneis, ipſi Operi paſſim inſertis.

Autor Operis, *Franciſcus Wiſe*, Vir doctiſſimus, in Præfatione natales hujus Numophylacii *Bodlejani* enarrat. Acquiſiverat ſibi *Henricus*, Walliæ Princeps, locupletiſſimam veterum numorum, aliorumque monumentorum, collectionem ab *Abrahamo Gorlæo*, vitaque decedens *Carolo* fratri legaverat. Poſt *Caroli* lugubre fatum, ſecutasque Angliæ turbas, collectio hæc, quæ ſua ætate parem non habebat, diſſipata fuit; pars ejus in manus celeberrimi Archiepiſcopi Cantuarienſis, *Guilielmi Laudi*, incidit, qui eam, ære ſuo comparatam, Academiæ, cui præerat, & quam munificentia curisque ſuis egregie auxit, donavit. Acceſſit multorum privatorum hominum liberalitate tantus ad hunc *Laudianum* fundum cumulus, ut opus fuerit aliquoties mutato Catalogo,

cœperitque Editor ſibi perſuadere, gazam hanc, ſi ad locupletiſſimas & præſtantiſſimas referri non debeat, at minime contemnendam eſſe, neque indignam, quæ ſui indicem publicam in lucem emittat, talem certe futurum, qui ſtudia juventutis Britannicæ adjuvet. Londini per tempus aliquod nobilioribus, quæ ibi exſtant, numophylaciis operam ſe dediſſe, eoque ſe aptiorem exequendæ feliciter ſuæ provinciæ reddidiſſe, profitetur, nominatque armaria Ducis Devoniæ, & *Thomæ* Comitis *Pembrokiæ*, item *Hans Sloane*, & *Richardi Meadii*, nec non *Thom. Sadleri*, & *Davidis Boſanquet*; quorum qui ultimo loco nominatus fuit, mercator Halebenſis, ex Oriente permultos antiquos & inventu raros numos in Angliam invexit. Multum quoque debere ſe, fatetur, conſuetudini doctiſſimi *Jo. Maſſoni*. Jam a longo tempore vulgandi hujus Catalogi conſilium animo ſe agitaſſe, *Wiſius* paſſim prodit; ſed difficultates & horum temporum, & domeſticæ rei ſuæ, amicorumque, poſt factas calidas ſpes, non exſpectatum frigus, moras ſibi injeciſſe, queritur. Multum ergo debent hæ literæ Illuſtriſſimo *Franciſco North*, Baroni *de Guilford*, cujus opportuno in ſe favore Opus hoc ab interitu vindicatum, Autor ipſe prædicat.

Ordinem ſecutus fuit hunc, ut primo loco Græcos Regum & populorum Græcorum; dein Familiarum Romanarum, & Imperatorum; gentium denique barbararum, ut Hebræorum, Phœnicum, Carthaginienſium, Hiſpanorum, Gallorum, Britonum, Anglo-Saxonum, & Anglorum usque ad *Henricum VIII*, numos exhiberet; recenſioni illi Commentarium, Tabulas huic æneas numero tres & viginti numorum Oxonienſium, & his tandem Appendicem, ſubjungeret, in qua Epiſtolam ad *Jo. Maſſonum* de numo *Abgari* Regis; tum recenſionem Inſcriptionum Arabicarum e numis Arabicis *Bodlejani* armarii, cum interpretatione Latina *Jo. Gagnierii*; porro Chronologiam rei numariæ convenientem; denique numorum imperialium ſeriem ſecundum pretium & raritatem; tandem addenda & emendanda, dedit.

Hæc itaque breviter delineata ſplendidi hujus Operis inſtituti

Digitized by Google

tio eſt, e quo ſtrictim quædam delibatum nunc imus. Notæ id agunt præcipue, ut in univerſum populi cujusque numariam rem, tum privatas urbium, familiarum, Regum, Imperatorum, magiſtratuum, quos numi memorant, rationes eo ordine, quo ipſi numi diſpoſiti ſunt, alphabetico ſcilicet, exponant. Juvat e Commentariis ad numos Regum & populorum Græcorum quædam ſpeciminis cauſa excerpere. Nova e. c. eſt opinio *Wiſii* de numo *Amyntæ*, Macedonum Regis, quem poſt *Begerum Spanhemius* & *Montfauconius* repetierunt, poſtremus nonnihil dubitans, ad eumne *Amyntam* ſpectet numus, cui ceteri tribuebant. Approbat Noſter Galli prudentiam, aitque, ſibi videri, cum in numo ipſo non B. ΑΜΥΝΤΟΥ. Μ. id eſt, Βασιλέως Ἀμύντου Μακεδόνων, ſed BAMIMT□YM, conſpiciatur exaratum, non *Amyntam* primum eo deſignari, ſed Regem forte aliquem *Mentum*; adeoque ita legi oportere: ΒΑ. ΜΕΜΤΟΥ. Μ Βασιλέως Μέμτου Μακεδόνων. Nam vocem Βασιλεὺς ſæpius duabus literis ΒΑ. in numis indicari, quam ſimplici Β. &, quamvis ignotum ſit Hiſtoricis omnibus id Regis nomen, potuiſſe tamen a numo conſervari, quod in ſcriptis perierit; neque abhorrere a Græco ſermone nomen illud, cujus veſtigia vel apud *Homerum* exſtent. *Pag.* 116 allegat numum Βασιλέως Ἀντιόχου Ἐπιφανοῦς Διονύσου, cujus in medio proſtent literæ ΣΤΑ. quæ non parum excruciaverint eruditos. Poſt repudiatas *Begeri* & *Vaillantii* conjecturas, quorum ille, ςαφυλίτην latere, crediderat, hic literas ΤΡΥ. τρυφάλεια fuerat interpretatus, adducit epigraphen numi e cimeliarchio *Hans Sloane*, Equitis, ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΟΡ. ΤΡΥΦ. ΣΤΑ. e qua pateat, numum illum nomine quidem pupilli *Antiochi*, ſed autoritate *Tryphonis*, tutoris, percuſſum fuiſſe; qui, cum *regii corporis cuſtodiam* demandatam ſibi habuerit, forte fuerit ΣΤΑσιώτης appellatus, aut Σταθμοδότης, *manſionum curator*. *Pag.* 118 profert effigiem duorum numorum e muſeo *Boſanqueti*, quos rariſſimos appellat: unius cum duobus capitibus, cornibus copiæ impoſitis ſecundum formam gemellorum *Druſi*, & epigra-

Digitized by Google

phe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΟΙ, ex altera parte ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ cum tiara Parthorum; alterius *Agrippæ*, Judææ Regis, hinc cum capite Regis diademato & ΑΓΡΙ . . ΣΙΛΕΥΣ, illinc cum *Agrippa*, ejus filio equeſtri, ΑΓΡΙΠΠΑ ΥΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. *Pag.* 120 explicat numum, in cujus una parte facies imberbis, in altera barbata, & tiara induta, conſpicitur, cum inſcriptione ΑΝΤΙΣ. Primus eum ediderat *Haymius*, ſed infeliciter conjecerat, *Antiſthenem*, Philoſophum, illis literis deſignari. Felicius *Liebius* in *Gotha numiſmatica* deprehenderat, ad Antiſſam, Lesbi urbem, numum hunc pertinere, & imberbe caput *Sapphonis*, Poetriæ, effigiem exhibere; quid autem barbatum caput ſibi velit, non expedierat. Conjicit ergo Noſter, *Orphei* caput eſſe, eamque opinionem teſtimoniis Autorum & numis aliis confirmat. Ea occaſione profert ſuam de Gemma vetuſta, quæ *Fulvii* quondam *Urſini* fuit, conjecturam. In ea bina capita apparent adverſa, quorum hoc *Virgilii*, illud larvam quandam ſcenicam, eſſe, judicabant *Faber* & *Urſinus*. Alium *Virgilii* togati ſedentis, & larvam quaſi alloquentis, typum inter imagines edidit *P. Bellorius*. Non putat *Wiſius*, in his *Maronem* deſignari, omnibus aliis ad fidem ei rei faciendam argumentis, præter *Urſini* autoritatem, deficientibus. Quod vero pro larva habetur, id credit fatidicum *Orphei* caput, tiara ornatum, eſſe; alterum vero oppoſitum caput juvenile laureatum ex adverſo ſedentem, non *Maronem*, ſed *Apollinem*, eſſe, qui *Orphei* capiti ſilentium imponat. *Pag.* 123 demonſtrat, caput muliebre in numis Syracuſanorum non *Arethuſæ* nymphæ, neque *Veneris* marinæ, ſed *Proſerpinæ*, eſſe, &, quam ejus coronam alii ſpiceam, alii gramineam, dixerint, eam ſibi ait videri ex ramis ſpinæ albæ nexam eſſe. *Pag.* 146 & *ſeq.* refutat *Chishullum*, qui Medicos Smyrnenſes in numis Smyrnæ ſibi viſus fuerat reperiſſe, & opinionem ſuam peculiari Diſſertatione, poſt *R. Meadii* Orationem Harveanam edita, aſſertum iverat. Reddit *Wiſius* controverſos illos numos omnes, aitque, in adverſa quidem eorum parte aut matris Deum, aut *Apollinis*, in averſa vero non Medicorum, ſed unius *Homeri*, effigiem

effigiem conſpici. *Pag.* 156 arguit errorem *Vaillantii*, qui in nummo quodam Laodicæenſi ΖΕΥΣ ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ legerit, & ex eo, *Jovem veridicum* Laodiceæ cultum fuiſſe, ſibi perſuaſerit, cum ΖΕΥΞΙΣ in eo, non ΖΕΥΣ, exſtet, & *Zeuxis*, Medicus atque Prætor ejus urbis, *Straboni* Geographo æqualis, deſignetur.

Sufficiant hæc in ſpecimen e Commentariis. Veniendum nobis nunc eſt ad Appendicem, cujus primam partem efficit Epiſtola ad *Jo. Maſſonum* de numo quodam *Abgari*, qui fronte *Abgarum* cum inſcripto ejus nomine, dorſo autem, vel poſtica, faciem aliquam imberbem, exhibet, cum inſcriptione ΑΛΑΝΝΟC. Quæritur, *Alannus*, vel *Allanus*, qualis homo fuerit, & quid ad *Abgarum* is fecerit, cum neque, *Allanum* Regem in Oriente, neque Edeſſenis rem cum Allanis, fuiſſe, ex hiſtoriis conſtet. Pererudita & certa eſt *Wiſii* conjectura, pro ΑΛΑΝΝΟC legi oportere ΜΑΝΝΟC. *Manni* nomen in hiſtoriis & ſerie Edeſſenorum notum eſt & frequens; fuitque olim Syris frequentatum, ſed in viris; hodie apud eosdem in uſu eſt, ſed ut muliebre. Sane celebris peregrinatoris, *Petri della Valle*, uxor Chaldæa *Mani* ſæpe ipſi laudatur. Verum cujusnam *Abgari* (ſunt enim plures) fuit ille *Mannus* filius? Videtur enim filius omnino barbati *Abgari* imberbis *Mannus* eſſe, & mos Imperatorum Romanorum, quo ſolebant ſibi filios imperii collegas in nummis & tabulis publicis adſciſcere, ad regulos Orientis, Romanis addictos, tranſiiſſe. Recurrendum itaque ad ſeriem Regum Edeſſenorum Noſtro fuit, quam ex *Dionyſii Telmaharenſis* Chronico Syriaco, quod *Aſſemanus* in *Bibl. Orient.* in compendium miſit, totam repetit. *Dionyſii* curam in recenſendis accurate Regibus ſingulis laudat, multa, fatetur, eum habere aliis prætermiſſa, nihil, quod Romanis adverſetur teſtimoniis, nonnulla, quæ lucem illis afferant; ſed calculos ejus miſere corruptos eſſe, in quibus neque ſibi ipſe, neque aliis, conſtet. Occurrunt itaque in illa ſerie duo *Abgari*, quibus ambobus filii fuerunt *Manni*: unus ille, qui Chriſti ætate vixit, ad quem literas quoque, ut fama fert, exaravit; alter *Abgarus Severus*, qui cum filio regnavit A. U. C. 940. Primus

mus *Abgarus* exhibitus hoc in numo fuiſſe ideo nequit, quia litera C pro Sigmate ibi conſpicitur, quæ *Claudio* demum imperante in uſum venit. Contra vero quadrat numus optime in alterum *Abgarum*, *Severum* cognomine, qui quare *Severus*, aut & *Ælius Commodus Severus*, cognominatus fuerit, quando & quamdiu regnaverit, de ejus Romam itinere, de pietate & in Chriſtum fide, cum aliis, illuc pertinentibus, fuſe clareque pertractat Autor, & ſimul ejus *Abgari* numos exhibet, & *Procopium*, qui eum cum ſuperiore *Abgaro* confuderat, reprehendit. Tandem de *Abgaro*, poſtremo Edeſſæ regulo, *Abgari Severi* filio, *Manni* fratre minore, a *Caracalla* devicto, & Romæ mortuo, differit, numum ejus rariſſimum profert, & inſcriptionem Græcam elegiacam, a *Sirmondo* ad *Sidonium Apollin.* editam, ad ipſum refert. In univerſum hiſtoriam Regum Edeſſenorum hac Epiſtola egregie illuſtravit.

Appendicis alteram partem implent numi, Arabicis literis ſignati in armario *Bodlejano.* Horum notitiam *Wiſio* ante plures annos impertiverat *Jo. Gagnierus*, vir de literis Arabicis bene meritus; Editor talem reddidit, qualem a doctiſſimo viro acceperat. Horum autem numorum Arabicorum hic non niſi primum, in ære expreſſum, oculis lectorum proponit; cujus rei etſi juſtæ ei non defuiſſe cauſæ videntur, erunt tamen fortaſſe, qui, fieri potuiſſe, optent, ut omnes exprimerentur. Nequit enim peritis dubitandi cauſa de multis non oriri, quæ *Gagnerius* ſibi viſus fuit in numis reperiſſe, ibi non exſtantia; ut variis e locis haud obſcure colligas, e primo numo luculenter patet, ſi ectypum ejus cum *Gagnierana* interpretatione conferas. Operæ pretium facere nobis videmur, ſi & hanc, & veram, apponamus. *Gagnierus* credidit, in adverſæ partis numi quadrato ſpatio hæc verba excuſa fuiſſe: بسم الله الرحمن الرحيم عبد الله الامام ابو القاسم محمد المومن القايم بامر الله امير المومنين In ambitu vero: لبين رحمن مبني كالرحي اجمل السن, & hæc ſic interpretatus fuit: *In nomine Dei miſericordis miſera-*

peratoris, *Abdollah AlEmam* (ſeu ſummus antiſtes) *Abul Kaſem Mohammed, ſecurus in Deo, imperator fidelium. Al Cajem beamrillah, lenis moribus, educatus ſicut princeps populi, pulcherrimus ætatis.* In averſæ autem faciei quadrato ſpatio hæc perhibet inſcripta: ابن الامام بن عبد الله محمد الشيخ المهدي ابن الامام القايم بامر الله الشريف الشقي; in ambitu autem: ضرب بحصن سجلماسة حاطها الله عام اربع وثلثماية, *filius τῦ Al Emam* (id eſt, *antiſtitis ſummi,*) *filius τῦ Abdollah Mohammedis ſenioris Al Mahdi* (ſeu *directoris,*) *filii Antiſtitis AlCajem beamrillah, nobilis, incolumitatis futuræ præſes. Cuſus fuit in arce Segelmeſſæ, quam Deus cuſtodiat anno* (Hegiræ) 304 (Chriſti 916). Hæc a *Gagnerio* profecta numi interpretatio prodit virum, aut non ſatis verſatum in Hiſtoria orientali, aut facilem deceptu, & parum attentum. Poterant vel ipſi literarum ductus, in numo conſpicui, virum doctum monere, numum recentem, certe non ejus ætatis, quam ipſi tribuit, eſſe. Seculo X ineunte ignoti adhuc erant Arabibus illi literarum typi, quibus hodie utitur Oriens, & cuſus hic numus fuit. Præterea tum temporis nullus fuit, & nullus reperiri poteſt in Africana hiſtoria, *Segelmeſſæ*, vel Tunitani regni, dominus, nomine *Abdollah Abul Caſem Mohammed al Mutamen* (id enim ſi in numo exſtaret, *al Mutamen* eſſet proprium Principis nomen, quo laudaretur ab Autoribus; neque debuiſſet *ſecurus in Deo* verti,): Neque Principes Africæ, qui tum erant Phathemitæ, vel Iſmaelitæ, ſibi titulum *Amirol Mumenine* arrogabant. Tandem, quod rei caput, luculentis literis in numo leguntur hæc verba, عام اربع والف: *anno quarto & milleſimo.* Cuſus ergo numus hic fuit anno Chriſti 1595, aut 1596. Nam de utroque annus æræ Arabicæ 1004 participat, & quidem ab

Abdal-

Abdallah, Muley Schaichi, vel *Schcki*, (hic enim non eſt appellativum nomen, neque *ſeniorem* notat, ut putavit *Gagnierus*, ſed eſt proprium,) qui *Abdallah* circa A. C. 1607 a patruo *Sidano* (cujus ipſius quoque nummus in his ipſis Arabicis *Bodlejanis* deinceps numero 6 occurrit,) occiſus fuit. Non novimus, qui Scheriforum, vel, ut vulgo appellantur, Zeriſforum, Maroccanorum, & Tunetanorum, hiſtoriam clare diſtincteque tradiderit. *Lancellotus Addiſonus* tamen in Hiſtoria Barbariæ occidentalis argumentum hoc ætate ſua paulo ſuperius perſtrinxit, qui adiri poteſt. Debebat ergo numi inſcriptio talis exhiberi: In adverſæ partis area quadrata: بسم الله الرحمن الرحيم عبد الله الامام ابو الياس الملك المنصور بالله امير المومنين *In nomine Dei miſericordis. Abdollah* (poteſt quoque *Servus Dei* reddi, quaſi nomen proprium hic non ſit,) *al Imam* (Imami nempe titulum omnes ſibi arrogant, qui titulum Amiri alMumenine, ſeu Chalifæ, ſibi arrogant,) *Abu Elias alMalec olManſur Billah Amir olMumenine.* Continuat in area quadrata partis averſæ: ابن الامام ابي عبد الله محمد الشيخ المهدي ابن الامام الناصر بامر الله الشريف الحسني *filius al Imami Abi Abdalla Mohammadi 's Schaichi 'l Mahdii, filii 'l Imami 'n Naſeri beamrillah Scharifi Haſanici.* Denique in ambitu adverſæ partis legitur ſententia Alcorani, cujus locum cum nondum indagaverimus, non licet nobis de duabus poſtremis vocibus aliquid certi ſtatuere. Reliqua autem ſic ſonant: انما يريد الله ان يدحض الريب, *vult Deus depellere a te malum.* Poſtremæ duæ voces videntur eſſe اجل السن, *usque ad terminum annorum*, tuorum nempe, ſeu per totam tuam vitam. Tandem in ambitu averſæ partis leguntur

guntur hæc: ضرب بحصن سجلماسة حاطها الله
عام اربع والف *Cuſus fuit* (numus hic) *in arce Segelmeſa, quam Deus ſervet, anno 1004.* Liceat adhuc unum inſigniorem *Gagnierii* lapſum obſervare ad numos Turcicos, qui *n. 8, 9,* & *10*, exhibentur. Numis in omnibus, quos Imperatores Ottomannici cudendos curant, eadem, præter propria nomina identidem mutanda, inſcriptio conſpicitur, ſcilicet سلطان البر خاقان البحر *Solthanus* (Imperator) *terræ continentis,* & *χαγάνος maris.* Conſtat ex hiſtoria Byzantina, veterum Turcarum, ſeu Hungarorum, vel Hunnorum, Reges Chaganos fuiſſe appellatos. Id Turcici hodierni ſervarunt. *Gagnierus* autem ter hunc titulum ſic exhibet: سلطان الزين خاقان النجر, *Sultan al Zain, Khakan Al Nag'r* (id eſt, *regii ordinis,*). Perquam facile eſt, in talibus rebus labi, quæ præter linguæ & hiſtoriarum peritiam oculum quoque exercitatum flagitant. Notanda ſunt ejusmodi *παροράματα,* non ut laudibus virorum bene de literis meritorum detrahatur, ſed ut a tali exemplo imitando imperitiores caveant.

Tertia Appendicis particula continet ſtrictam rerum maxime memorabilium, ab anno M. 2629 & *Jano* inde usque ad A. C. 1549, & mortem *Henrici VIII*, geſtarum, & pro maxima parte in numis exhibitarum, per annos recenſionem. Videtur autem in univerſum Doctiſſ. Editor juvenibus, ſcientiæ veterum numorum operam navantibus, voluiſſe gratificari. Eodem ſpectat Tabula, quarto loco poſita, & ex *Joberti Science des Medailles* excerpta, numorum imperialium, a *Pompejo M.* ad *Conſtantinum Palæologum*, ultimum novæ Romæ Imperatorem Chriſtianum, producta; qua monſtratur, cujus Imperatoris, quo metallo, exſtent, nec ne, numi, & quod cuique pretium a raritate tribuendum ſit. Claudunt Appendicem addenda & emendanda; in quibus Autor inter alia numum *Eury-*

 clis,

chis, Lacedæmoniorum tyranni ævo *Julii Cæſaris* & *Auguſti*, item *Polemonis*, celeberrimi Sophiſtæ, de quo *Philoſtratus*, & ectypa numorum incertorum, dedit; tandem breviter contorniatos attingit.

EPISTOLARUM REGINALDI POLI, S. R. E. CARdinalis, & aliorum ad ipſum, Pars III; quæ ſcriptas complectitur ab A. 1540 ad A. 1542, ſcilicet ab exitu legationis ſuæ Hiſpanicæ usque ad mortem Cardinalis Contareni. Præmittuntur apologetica Præfatio, biſariam diviſa, & plura monumenta, ad Epiſtolas hujus Voluminis ſpectantia.

Brixiæ, excudebat Joannes Maria Rizzardi, 1748, 4 maj. Alph. 2 pl. 20.

PRimam & *ſecundam Partem* harum Epiſtolarum enarravimus in *Novis Actis A.* 1747 *Menſis Aprilis pag.* 446 - 460. Succedit jam *tertia*, quæ eodem ſe chartæ & typorum nitore, eademque accuratione in tollendis mendis, qua priores, commendat. Abſolvitur hæc 1) *Præfatione*, 2) *Diatriba*, qua illuſtrantur & vindicantur geſta Cardinalis *Gaſparis Contareni* in conventu Ratisbonenſi, 3) *Vita Contareni*, eaque duplici, ſermone Italico conſignata a *Ludov. Beccatello*, Latino a *Joanne Caſa* conſcripta; quibus ſubjicitur *Contareni Epiſtola de Juſtificatione* ſecundum editionem Pariſienſem anni 1571; ejusdem Epiſtolæ ad diverſos, & aliorum ad ipſum, ſcriptæ; tandem *inſtructiones*, datæ *Contareno* in Germaniam legato & aliis; 4) denique exhibentur *Epiſtolæ Reginaldi Poli*, ſeu aliorum ad ipſum, ab A. 1540 ad 1542. Inſcriptum eſt Volumen *Phil. Thomæ* Cardinali *de Alſatia*, Archiepiſcopo Mechlinienſi, Belgiique Primati.

Pars I in *duas* alias dividitur, quarum *prima* exhibet *Judicium*, in his noſtris Annalibus latum de *duobus* prioribus *Voluminibus* Epiſtolarum *Poli*, una cum *Animadverſionibus* Eminentiſſimi

Qui-

Quirini, *ſecunda* profert documenta, quibus probatur, Cardinalis *Regin. Poli* Viterbienſe ſodalitium labis omnis purum fuiſſe. De ſingulis his partibus pro inſtituti noſtri ratione ita agemus, ut potiſſima momenta exhibeamus, initium facturi ab illis, quæ contra judicium noſtrum in medium ſunt producta. Integrum illud, in ſectiones diviſum, repetitur, iisdemque animadverſiones ſuas illico ſubjicit Illuſtriſſimus Purpuratus. Magno honori nobis ducimus, inſtitutum noſtrum *Areopago*, & qui illi præſunt, idemque urgent, *Areopagi* ſenatoribus, comparari ab homine Italo, non vulgari, ſed eximio, Viro ſumma doctrina, virtutis ſplendore ac ingentibus meritis, præcipuis denique honoribus in Romana eccleſia conſpicuo. Gratulamur nobis de elogio hoc, nobis noſtræque Germaniæ adeo glorioſo, eoque nomine gratias Eminentiſſ. *Quirino* agimus maximas, certiſſimum hoc faventiſſimi in nos animi teſtimonium in magno pretio habentes. Areopagus erat ſupremum & ſanctiſſimum Athenienſium tribunal, a quo non niſi graviores cauſæ, & quidem ſecundum æquitatis & juſtitiæ normam, diſceptabantur; quare in Græcia multum ei honoris habebatur, ejusque judicibus nemo adſcribebatur, niſi qui honeſto loco natus eſſet, quique virtute aliis præcelleret, ἧς (βȣλῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ) ὀυχ' οἷον τ' ἦν μετασχεῖν, πλὴν τοῖς καλῶς γεγονόσι, καὶ πολλὴν ἀρετὴν καὶ σωφροσύνην ἐν τῷ βίῳ ἐνδεδειγμένοις· ὥςε πάντων αὐτὴν εἰκότως διενεγκεῖν τῶν ἐν τοῖς Ἕλλησι συνεδρίων, verba recitamus *Iſocratis* in *Orat. areop. pag.* 251 edit. Cantabr. Quæ ſi ad nos transferantur, ad honorem eſt ſatis. Equidem non civiles cauſas, quales illi, ſed literarias, tractamus; quoniam tamen ſuprema lex nobis eſt veritas, illud pretium virorum doctorum laboribus ſtatuimus, quale illis debetur. Nolumus tamen judicium noſtrum ἀνυπεύθυνον haberi; liberum eſt cuique, illud juſta rationis lance ponderare, quæque ipſi minus placere videntur, publice, ſed decenti moderatione, proponere. Nemo igitur exiſtimet, moleſtum nobis accidiſſe, quod Vir ſummus judicium noſtrum integrum repetiit, in idemque *Animadverſiones* concinnavit. Uti autem ille *judicis*, quod

 ait,

Digitized by Google

ait, *argutum non formidavit acumen;* ita, ab æquitate ipſius nos impetraturos, confidimus, ut, quid in illis deſideremus, libere, ſed modeſte, exponere nobis liceat, illis prætermiſſis, quæ ad cauſam noſtram haud ſpectant. Sed tempus eſt, ut ad Animadverſiones progrediamur. Notaveramus, *Polum, ſi tanta de ſalute Regis & incolumitate regni ſolicitudine fuit affectus, lenioribus ſuaſionibus, & blandioribus adhortationibus, animum ejus conciliare debuiſſe, quo facilius aurem accommodaret.* Adhæc ex Epiſtola quadam *Poli* monſtratur, ipſum *turpitudinem delictorum, quibus Regem pollutum videret, ob oculos & animum poſuiſſe, & periculum, in quod ſe, & regnum, niſi ab illis abſtineret, præcipitem daret,* dilucide expoſuiſſe. Hæc quidem bene ſeſe habent; verum non quæritur de eo, quid ad amicos ſuper hac re ſcripſerit, ſed num verba illa dura & inclementia excuſari poſſint. Nec amici ipſius, quod ex Epiſtola *Poli* ad *Contarenum* apparet, illam verborum duritiem & ſermonis virulentiam æquis animis ferre potuerunt. Satis quidem ſplendida ſunt verba illa, quæ in Epiſtola ad *Paulum III* leguntur, ſe, *utcunque alii deſperent,* (Regem ad ſaniorem mentem rediturum,) *tamen maxime ſperare; præſertim cum tot viros ſanctos noverit, qui ejus cauſa aſſidue in precando excubent, adeo, ut, ſi mundum peccatis impleſſet, tamen, a Chriſti immenſa miſericordia tot bonorum preces hoc impetraturas, minime diffitendum ſit.* Cum his conferamus, quæ in *Epiſtola XLIV* hujus *Voluminis* ad Cardinalem S. *Marcelli pag. 75* habet: *Quod vero me* (Reverendiſſ. D. V.) hortatur, *ut pro ejus* (Regis) *converſione ad Deum preces effundam, qui tam nefarii ſceleris autor fuit; grata quidem eſt hæc admonitio, quam dignam ſtatim perſona majoris Pœnitentiarii judicavi, quam Reverendiſſ. D. V. gerit. Utinam vero hujus peccata ejusmodi non ſint, de quibus dicit Joannes, pro tali vero non dico, ut quis oret, quæ per tot annos in facie eccleſiæ cumulavit, ſemper autem in deterius profecit.* Hæc ubi quis cum proxime ſuperioribus componit, apparebit, adverſa fronte ſibi contrariari, unde judicatu eſt proclive, *Polum* ſibi non ſemper conſtitiſſe, ſed, prouti affe-

ctuum

Digitized by Google

ctuum æſtu fuerit agitatus, modo lenius, modo aſperius, locutum eſſe. Addideramus, viam iſtam, quam ingreſſus fuerit *Polus*, abire ab illa, quam ſectati fuerint Chriſtus, ejusdemque fidiſſimi internuntii; ſpiritum Chriſti non niſi manſuetudinem ſpirare. Ad hæc reponit πολυθρύλλητον iſtud: *Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes*, & ex Oratione *Sadoleti* ad Principes Germaniæ quædam in medium profert, qui Proteſtantes multorum vitiorum reos peragat, ſpeciatim iracundiæ, jactantiæ, vehementiæ, quod horrenda in Romanos Pontifices probra jaciant, conatique fuerint omnes & divinas & humanas leges, omnes veteres mores, omnes ſuperiorum atque inferiorum diſtinctiones, curationes, gradus, miſcere atque confundere. Enimvero hac ratione ictus avertitur. Oſtendendum fuiſſet, ſpiritum manſuetudinis Chriſti egiſſe *Polum;* ſed declinat hoc argumentum, & ex adverſa parte innuit, Proteſtantium doctores etiam ſubinde affectuum ſuorum fræna laxaviſſe, atque in eccleſiæ Romanæ mores nimium invectos fuiſſe. Tacite igitur concedit, *Polum* ab hoc vitio immunem ſe non præſtitiſſe, inque exagitando Rege modum non tenuiſſe. Adhæc in querelis non tam eſt reſpiciendum ad illum, qui queritur, quam quæ ſint querelarum occaſiones & cauſæ. Haud raro etiam evenit, ut, quod de lupo & agno in fabulis eſt, viribus potentior de imbecilliori & innocente querelas fundat, culpam mali, a ſe profecti, in illum conjiciens, non alia de cauſa, quam quo prætextum aliquem, eundem opprimendi, fingere poſſit. Non diffitemur, aliquos Proteſtantium hic modum migraſſe: Iliacos quippe intra muros peccatur & extra; id tamen ex hiſtoria emendationis ſacrorum abunde apparet, juſtam conquerendi cauſam ipſis non defuiſſe, eandemque ab adverſa parte ſuppeditatam eſſe. Nec Proteſtantes id demum fecerunt, verum longe ante hæc tempora viri cordati in eccleſia Pontificia de immani ambitione, dominandi cupiditate, avaritia, tyrannide, ignorantia, libidinibus, ſtudio jura divina pariter atque humana pro arbitrio proculcandi, ac aliis gravioribus criminibus Pontificum & Cleri Romani, acres admodum fuderunt querelas, ac emendatio-

Pag. 2 - 7.

Digitized by Google

nem ſacrorum anhelarunt. Nec in horum numero tantum fuerunt homines privati, ſed & Imperatores, Reges, Principes, quin denique integræ nationes, quo ſpectant 100 illa gravamina nationis Germanicæ. Et quis vitio vertet Proteſtantibus de corrupto eccleſiæ Romanæ ſtatu querelas, cum ipſe *Adrianus VI* per oratorem ſuum fuerit confeſſus publice: *Certe plurimis nunc annis graviter multisque modis peccatum eſt Romæ, & inde a Pontificio culmine malum hoc ac lues ad inferiores omnes eccleſiarum præfectos defluxit; nemo enim eſt, qui ſuum faciat munus, aberrarunt omnes, & ne unus quidem ex omni numero vacat culpa*, ut *Sleidanus* docet *de Statu relig. & reipubl. pag. 82. Sadoleti* oratio invectiva non tanti eſt facienda, ut inde argumenta contra Proteſtantes ex vero ſumi poſſint. Oratorum mos eſt, rem exaggerare, & omnem ſermonem ſuum, undecunque demum argumenta depromantur, ad perſuadendum accommodare; quare, quæ habent, ad vivum non ſunt reſecanda, quod ſpeciatim de hac *Sadoleti* invectiva eſt dicendum, in qua certe plura aperte falſa in Proteſtantium rationes referuntur. Et, ſi volupe eſſet, invectivas virorum doctorum & piorum, qui in ſocietate eccleſiæ Romanæ vixerunt, in eademque perſtiterunt, ex hiſtoriarum monumentis & aliis ſcriptis repetere, manifeſtum fieret, has non æque acres & aculeis plenas eſſe, ac eam, quam *Sadoletus* in Proteſtantes detonuit, imo illam has longe vincere.

Pag. 7, 8. Ex *Schelhornio* notaveramus, *Polum* operam navaſſe, ut *Carolum V Imperatorem & alios Principes Chriſtianos adverſus Henricum concitaret, ſicque ipſum & regnum illius in diſcrimen adduceret.* Addideramus, eo ſpectaviſſe *Poli* legationes, ut Imperatorem aliosque Principes adverſus Regem & regnum Angliæ armaret. Excipitur, *Polum* in Epiſtola apologetica ad Regem *Eduardum* diſerte ſcribere, cum Imperatore *Carolo* ac Rege Galliæ *Franciſco* ſe ſic egiſſe, & ad id hortatum eos eſſe, *ut amoris & amicitiæ rationem potius adhiberent, Henricum qua amicum & fratrem graviter lapſum erigerent, erectumque in ſtatu regio confirmarent, quam ipſum armis opprimerent atque ſpoliarent.* In eundem modum mentem ſuam

expli-

Digitized by Google

explicuiſſe amicis, in quorum ſinum animi ſui ſententias ac *molitiones* effuderit: *finem legationis ſuæ hunc fuiſſe, ut religio in antiquam ſtabilitatem reduceretur, unde regno quies & ſalus, & Regi ipſi honor, & eccleſiæ pax, ad Chriſti gloriam conſequi poſſit.* Verum quis a ſe, ut credat, impetrare poteſt, *Polum*, in aulis multum verſatum, voluiſſe animi ſui ſententiam omni ex parte patefacere, non illius aliquam partem pectore clauſam ſervaſſe? Eſtne fidei propius, eum mitioribus conſiliis nihil proficeret, hoc illis ſuggeſſiſſe eum, *Henricum*, hoſtem a Pontifice declaratum, bello perſequendum eſſe? Non hic opus eſt ſuſpicionibus & hariolationibus; clamant, hoc ipſius verba, quæ ex Apologia ad *Carolum V* Imperatorem in his *Novis Actis A. 1747 Menſe Aug. pag. 452* enotavimus, *illum multo graviorem hoſtem*, cet. Imprudentiæ certe inſimulandus eſſet *Polus*, & fine ſuo excidiſſet, ſi omnia dura illa verba ac pernicioſa molimina *Eduardo* filio, eidemque ſucceſſori in regno, repetere voluiſſet, quem tamen ſuis partibus adjunctum cupiebat. De Purpuratis, quos *Paulus III* Pag. 10 - 13. ſibi adſciverat multis ex antiſtibus, & hominibus religioſis, qui illo tempore floruerant, affirmaverat, *cum illis, qui vivo Luthero novas de religione ſententias in Germania propalaverint, non ſolum contendendos, verum etiam forte illo ſuperiores, fuiſſe.* Hæc jam de novo repetit, & *A. Gellium N. A. Lib. XIX Cap. 12* adducit, dicta ejus ad ſacrorum inſtauratores applicans. De eo, num ab Eminentiſſimo Purpurato nominati aptiores fuerint ad ſacrorum emendationem, & Scripturæ interpretationem, *Luthero*, ceteriſque ſacrorum inſtauratoribus, cum diſceptatum ſit cum viris præſtantiſſimis, *Schelhornio, Kieslingio, Formeyo*, qui rectiora docuerunt; non eſt, cur actum hic agamus. Quæ ex *A. Gellio* adducuntur, ad invidiam primis ſacrorum inſtauratoribus conflandam unice ſunt comparata; ſed & hanc criminationem Vir doctiſſimus, qui ſub *J. Pacimontani* nomine latere voluit, retudit in *Muſ. Helvet. P. XVIII pag. 267, 268.* Tantum abeſt, ut pii illi ac docti viri, qui, ut religionem, a Chriſto profectam, ad priſtinam reducerent ſimplicitatem, occupati fuerunt, ſalutis fundamenta ſubruerint, ut veritatem, multis errori-

roribus ac ſuperſtitione obtectam, ex tenebris in lucem produxerint, & rejectis palearum quisquiliis, aurum, argentum, lapides pretioſos, retinuerint. Ubi in enarranda apologia *Poli* ad
Pag. 13 - 15. *Carolum V* verſabamur, inter alia adduxeramus illius exclamationem, *ab Henrico non minus pertimeſcendum eſſe, quam ab antichriſto Mahomedico.* Protuleramus hæc, nullo interpoſito judicio; facere autem non potuit Illuſtriſſimus Purpuratus, quin ſuum in Proteſtantes non æque benignum proderet animum. *Exclamatio hæc*, inquit, *illa eſt, unde in furias veluti actus ſectariorum grex, clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit.* Excuſat illam exemplo *Adriani VI*, qui in inſtructione, quam vocant, data *Cheregato*, legato ſuo in Germaniam, non ſolum *Lutheri* aſſeclas, ceu *miſeros hæreticos*, ſed *Lutherum* ipſum, ceu *Mahomedem alterum*, condemnet. Inde argumentatur, *acatholicos ſcriptum hoc magni facere, conſequi igitur, ipſos hanc comparationem inter Lutheranos & Mahomedanos* conſenſu ſuo approbare. Egregia certe argumentatio! Proteſtantes ſcriptum Pontificis in aliquibus, quæ recte ſeſe habent, laudant & probant, igitur omnia; quam argumentandi rationem Dialectices periti minime ferendam judicarent, quod *a particulari ad univerſale non valeat conſequentia.* Et num autoritas Pontificis dicto, quod ex impotentia quadam animi effudit, excuſationem dare poteſt, niſi quis dicat, ex cathedra id pronuntiatum? Sed ponamus etiam hoc, non tamen integrum fuit *Polo*, dicterium hoc in imitationem trahere; qui enim ſpiritus, fallere neſcius, erat in Pontifice ob ſedis prærogativam, idem *Polo* proprius non erat. Et poſſemus forte aliquem nominare, qui de Pontificibus Romanis affirmare non dubitavit, *pejores illos eſſe Turcis, Saracenis, Tartaris, Judæis.* Improbabit ſine dubio invidioſam iſtam comparationem Em. Purpuratus, ſicut nos ipſi improbamus; igitur hanc etiam ipſe
24 - 28. æquitatem exhibere debuiſſet Proteſtantibus, ut deteſtandæ huic comparationi pollicem haud præberet. Judicium de *Poli* ſcriptis tuleramus, ſpeciatim notantes, ipſum nimio in Pontificiam denominationem ardore ferri, & haud raro adverſarios ſuos non tam rationibus convincere ſtudere, quam conviciis proterere. In contrarium Em. Autor affert id, quod

Con-

Digitized by Google

Contarenus de iisdem cenſuerit. Vellemus, non tam autorita-
te, quam rationibus, actum fuiſſe. Nos judicavimus de ſcriptis,
quæ enarravimus antea, quæque, quem indicavimus, charactere
ſunt inſignita. Debemus ita ſequi aliorum judicium, ut no- Pag. 35-37.
ſtro etiam aliquid deferamus. Innueramus, *Polum*, operam
ſuam accommodantem Pontifici, minas atque iras in *Henri-
cum* ſpiranti, non omni culpa vacare. Eminentiſſimus *Qui-
rinus* ſe recipit ad Epiſtolam *Poli*, directam ad *Rodulphum Car-
penſem*, in qua ipſe fateatur, ſe in emendandis Anglis non tam
chirurgiam, quam *diætam*, adhibuiſſe. Inde jam concludit,
Polum in obeundis legationibus non *ſerpentem*, non *ti-
grem*, ſed *avem* & *agnum*, ſe præbuiſſe. Nobis hæc lex eſt
fixa, de hominum actionibus non tam ex illorum verbis,
quam actionum natura atque indole, judicandum eſſe. Et
quid ſibi vult comparatio *avis*, generatim nominatæ? Ex illa,
ſi vellemus, quædam *Polo* minus honorifica elicere poſſemus.
Aſſeveraveramus, *Paulum III* ſocietatem quidem virorum pri- 37-39.
mæ exiſtimationis ac dignitatis conſtituiſſe, qui de emendan-
dis nævis eccleſiæ conſilium in unum conferrent, ſed, per
hos ipſos medelam illis nullam allatam fuiſſe, ſubjunxeramus.
In contrarium adducitur teſtimonium *Courayerii*, affirmantis,
per canones illos, qui conformes fuerint ſpiritui antiquæ ec-
cleſiæ, id impetratum fuiſſe, ut abuſus, qui olim impune re-
gnaverint, minores ſint facti. Sed non video, qui *Couraye-
rii* teſtimonium nobis opponi poſſit, cum ille loquatur de
Canonibus Concilii Tridentini, nos de conſilio *Pauli*, quod
ipſum in fumum ac ventum abiiſſe, Cel. *Schelhornius* docuit.
Idem notaverat, *Paulum III* Aſtrolologiæ divinatrici nimis de-
ditum fuiſſe, noſque autoritatibus, ab illo addictus, addideramus
teſtimonium *Onuphrii Panvinii*, itemque *Thuani*. Quam labem
ut a Pontifice ſuo depelleret, provocat Antiſtes purpuratus ad
Hieronymum Fracaſtorium, in Epiſtola nuncupatoria libelli
de Homoeentricis teſtantis, *Paulum* multo ſtudio circa ſide-
rum & cœleſtium orbium contemplationem verſatum fuiſſe, ut
*annum reformaret, & ſolaris curſus ad vera æquinoctia reduce-
retur, ſuccurreretque lapſis cyclis*. Sed quis, quæſumus, a *Fracaſto-*

rio poſtulare poteſt, ut etiam Aſtrologiæ judiciariæ mentionem injiceret, cum id neque *Paulo* acceptum, & *Fracaſtorio* detrimentoſum, fuiſſet futurum, qui hoc ipſo iras Pontificis in ſe concitaſſet. In Epiſtolis dedicatoriis congeruntur omnia, quæ ad laudem faciunt, reticentur contra, quæ culpanda ſunt,
Pag. 42 - 44. quæque habere aliquid opprobrii videntur. *Menckenius* noſter inepta quædam olim *Fracaſtorii* verba notaverat, v. c. *ipſum* (Paulum) *in ſtellas orbesque poteſtatem unum ex cunctis mortalibus habere*; porro, *nihil in inferiori hoc mundo eſſe, nihil in ſuperiori, quod ipſi ſe non aperiat.* Quam incommoda ſit hæc hyperbole, rationibus non contemnendis monueramus. In cujus noſtri judicii examine dum verſatur Præſul, vel maxime contra *Menckenium* diſputat. Huic, noſtra ope, noſtris armis, non indigenti, ſuas facile tuendas partes relinquimus. Id unum tantum notamus, locutiones has approbari, quoniam Chriſtus claves regni cœlorum B. *Petro* commiſerit, atque inde hæc poteſtas ad illius ſucceſſores tranſierit. At enim ῥήσεις, *tradere alicui claves cœlorum*, & *poteſtatem in ſtellas omnesque orbes habere*, ſecundum proprium & nativum ſenſum ſuum, toto cœlo differunt. Locutiones *Fracaſtorii* genuino ſenſu ſuo mortalium nemini aptari poſſunt, niſi illum Deo æquare velimus, qui in eo gloriam ſuam ponit, quod ſtellas in numerato habeat, easdemque exercitus inſtar educat. Num autem Chriſtus verbis illis *Petro*, & quidem ſoli, poteſtatem in inferiori hoc, pariterque ſuperiori, mundo tradiderit; an *Petrus* unquam Romæ Epiſcopum egerit; & an hæc poteſtas a *Petro* ad Pontifices, tanquam illius ſucceſſores, fuerit transmiſſa, ſunt μεγάλα illa ζητήματα, quæ nondum ita ad liquidum ſunt perducta, ut tuto credere quis poſſit, *poteſtatis*
44 - 48. *hujus non expertes habendos eſſe Romanos Pontifices.* Oſtenderat Em. *Quirinus*, Proteſtantes multis laudibus extollere explanationes Pſalmorum, a *Flaminio* concinnatas, easque ſuo aſſenſu comprobare, qui quoniam in dedicatione *Paulum III* appellaverit cuſtodem & principem omnis ſanctitatis, etiam hoc ipſum illos tanquam verum admittere debere. His addideramus

ramus illa: *Quaſi vero, qui de neceſſariis fidei Chriſtianæ capitibus recte ſentit, etiam hoc credere teneatur,* Pontificem Romanum eſſe cuſtodem & principem omnis ſanctitatis. Animadvertit ad hæc Vir ſummus: *Quorſum pertineat* quaſi vero *illud, non percipio.* In his animadverſionibus haud ſemel nobis eſt viſum, Em. Purpuratum concludere ab eo, quod limitatum eſt & determinatum, ad id, quod nullis poſitis terminis affirmatur, vel negatur; Logici dicerent *Sophiſma a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.* Quis non intelligit, Proteſtantes, explanationes Pſalmorum *Flaminii* elogiis ſuis proſequentes, illa de his ſolis accipi velle, adeoque eisdem obligationem hanc imponi non poſſe, ut credant, quod idem in Epiſtola dedicatoria ad Pontificem ſcripſit; apparet igitur, quo *quaſi vero* illud pertineat. Sed de his ſatis. Pergimus ad *Partem alteram* Præfationis, qua oſtenditur, ſodalitium *Poli* Viterbienſe omnis labis purum fuiſſe. Quos ſibi ſodales Pag. 48-50. adjunxit, fuere, uti ex aliquot ipſius literis apparet, *Flaminius, Petrus Carneſeca, Victoria Columna,* Piſcaria Marchioniſſa, alii, quorum ſermones, quos inter ſe miſcuerunt, conformes fuiſſe dicuntur dogmatibus religionis Catholicæ. Probatur hoc ex nonnullis epiſtolis *Flaminii.* Quoniam autem in illis quædam ſuſpecta viſa ſunt doctoribus Proteſtantibus, longiorem illarum Epiſtolarum dubiæ fidei & ſuppoſititiam pronuntiaverat *Schelbornius.* Hunc & alios ejusdem ordinis refutare annititur argumentis, ut nobis quidem videtur, non admodum validis. Et, cum ex hoc ſodalitio *Carneſeca* & *Caracciolus* ſe poſt in Proteſtantium caſtra conjeciſſent, neque inde 59-72. labis aliquid ad *Polum* tranſiviſſe, demonſtrat; converſationem etiam cum Marchioniſſa absque ulla criminatione eſſe, quæ de religione Catholica optime ſenſerit, quæque illius inſtituta accurate ſit ſectata. Idem denique adſtruit ex literis *Pauli III de modo concionandi,* quarum præcipuum Autorem haberi debere *Polum,* aſſeverat, in quibus ſalubris omnino & ſancta contineatur doctrina, quæ datæ videantur A. 1542. Ex harum argumento facili opera diſſlari poſſe arbitratur falſam acatholicorum criminationem, Catholicos

Digitized by Google

aſpernari merita Chriſti, & operum bonorum dignitatem nimium tollere, atque his inniti ad vitam æternam comparandam.

Pag. 72 - 74. Integra hæc Epiſtola, quam alibi jam publicaverat, exhibetur a *pag.* 75 ad 82. Sub finem hujus Commentationis refert, quanta cura ac ſolicitudine turbæ Mutinenſes, a quibus religioni detrimentum imminuerit, a *Contareno* fuerint ſedatæ, ac recenſum dat monumentorum, quæ in hoc *Volumine* conti-
82 - 88. nentur, &, unde ſingula acceperit, indicatur.

Præfationem loco *ſecundo* excipit Diatriba de rebus geſtis *Caſp. Contareni* in conventu Ratisbonenſi. Juſſu Imperatoris *Caroli V* liber A. 1541 compoſitus fuit, complectens articulos, ſuper quibus ex parte Catholicorum *Pflugius*, *Gropperus*, *Eccius*, ex parte Proteſtantium *Melanchthon*, *Bucerus*, & *Piſtorius*, collocutores & examinatores delecti erant. De nonnullis hi convenerant, ſuamque ſententiam cum Principibus communicaverant, qui judicium Cardinalis *Contareni* ſibi expetierant. Hic mentem ſuam ita explicat: *Cum Proteſtantes in nonnullis articulis diſcedant a communi conſenſu eccleſiæ Catholicæ, in quibus tamen, non deſperamus, aliquando ipſos quoque, Deo bene juvante, nobiſcum conſenſuros, nihil amplius de reliquis omnibus ſtatuendum, ſed remittendum eſſe ſummo Pontifici & Apoſtolicæ ſedi, qui vel in Concilio generali, cujus celebratio non multo poſt fiet, vel modo alio, magis opportuno, ſi res ita exegerit, ea poterit juxta Catholicam veritatem definire, nec non, habita rerum & temporum ratione, ſtatuere, quæ videbantur fore expedientia reipublicæ Chriſtianæ, & huic inclutæ nationi Germanicæ.* Hæc verba quibusdam, *Sarpio*, *Courayerio*, continuatoribus *Fleurii*, aliis, viſa ſunt flexiloqua, ac ſi articuli omnes, & ſuper quibus convenire nondum potuerint, & de quibus adhuc controverterint, ad Pontificem & ad Concilium generale fuerint rejecti. Docet igitur Purpuratus Princeps, & priores, & poſteriores, judicio Pontificis
1 - 8. ſubmitti debuiſſe, *Cap. I.* Idem direxerat *Cap. II* adhortationem ad Præſules Germaniæ, ut ipſi cum domeſticis ſuis pietati ſtuderent, ab avaritia, ambitione, luxu, abſtinerent, gregis ſui curam diligenter haberent, diœceſes ſuas viſitarent, pauperi-

peribus proſpicerent, viris probis & doctis concionandi poteſtatem facerent, viros doctos & fama illuſtres juventuti erudiendæ præficerent. Contra quæ cum *Bucerus* nonnulla monuiſſet, verbis *Eccii* hæc diluuntur. *Cap. III* redit ad id, Pag. 9 - 18.
quod *Cap. I* propoſuerat, *Contarenum* nec acceptaſſe aliquid, nec decidiſſe, ſed omnia ad Pontificem, in generali Concilio, vel alio modo, definienda remiſiſſe. Ad illa quid *Bucerus* exceperit, quidque *Eccius* reſponderit, indicatur. Cum fa- 19 - 32.
ma percrebreſceret, Imperatore conſentiente, in Germania Concilium nationale convocandum eſſe, in quo neque Pontifici, neque Pontificiis, ulla de religione cognoſcendi poteſtas danda eſſet; *Contarenus* propoſuit, in tali Concilio controverſias fidei determinari non poſſe, cum id ad ſtatum eccleſiæ univerſalem ſpectet. Super his mentem ſuam aperuerant proceres imperii; *Bucerus* etiam quædam monuerat; *Eccius* igitur rurſus in ſcenam producitur, qui non ſine verborum acrimonia illius ſententiam exagitat, *Cap. IV*. In ſu- 33 - 40.
ſpicionem adductus erat *Contarenus*, ac ſi de juſtificatione & meritis operum minus recte ſentiret ac diſceret; monſtratur igitur, ipſum ad veram juſtificationem fidem cum operibus conjunctim requiſiviſſe. Ipſum etiam *Polus* ampla admodum laude eſt proſecutus, quod doctrinam hanc optime illuſtraverit, *Cap. V*. Quid idem judicaverit de autoritate Con- 41 - 54.
ciliorum & primatu Pontificis, & quid Romæ de eo ſenſerint, *Cap. VI* exponitur. Concordiam cum diſpendio verita- 55 - 62.
tis, quam tueatur eccleſia Romana, ineundam haud eſſe, ſuaſit, nec tolerantiam, eccleſiæ noxiam, urſit, conſentiens prorſus hac in re *Eccio*, *Cap. VII*. Rumores ſiniſtros de actio- 63 - 86.
nibus Ratisbonenſibus tum Romæ, tum alibi locorum, per homines malevolos ac invidos, ut ægre illi facerent, diſſeminatos fuiſſe, ex *Beccatello*, qui vitam illius conſignavit, docetur. Subjiciuntur quædam de juſtificationis doctrina, qualis in eccleſia Catholica pariter ac Evangelica tum temporis fuerit propoſita, *Cap. VIII*. In vita *Petri Martyris*, conſignata 69 - 80.
a *Joſ. Simlero*, memoratur, *Contarenum*, ex Germania reducem, Lucæ veterem amicum *Martyrem* conveniſſe, cumque

 de

de religionis dogmatibus diſſertarent, illum in multis doctrinæ Proteſtantium pollicem preſſiſſe, quod ipſum etiam teſtatus ſit *Ochinus*, quorum relationem hoc perſtringit epiphonemate: *Quid enim veriſimilius, quam malum illum dæmonem, qui æque Vermilium ac Ochinum adegit, ut a catholica fide, & religioſæ familiæ, cui nomen dederant, inſtitutis, deſciſcerent, haud minus utrumque pariter incendiſſe ad ſtruendas in Contarenum ſycophantias, easque uno propemodum opificio elaboratas?* Indignatur præterea *Schelhornio*, quod *calumnias illas pro rebus omnino certis* venditet, &, *Simleri* Orationem inrer præſtantiſſimas biographias referendam eſſe,
Pag. 81 - 91. cenſeat, *Cap. IX.* Sed, ſi fas eſt iſtiusmodi μορμολυκείοις viros probatæ fidei in ſuſpicionem adducere, ac res vere geſtas pro arbitrio, nulla ratione addita, negare, quid amplius certum erit in hiſtoria? Subjungit *Cap. X* quædam de *Melanchthonis* atque *Hier. Wolffii* ſtudio in Aſtrologiam, quo ſic appareat, principem Theologorum, qui in comitiis Ratisbonenſibus affuit, a vanitate & temeritate, quæ *Paulo III* vitio vertatur, alienum haud fuiſſe.

92 - 96. Subſequitur duplex vita *Contareni*, quarum prior ſermone Italico conſignata a *Lud. Beccatello pag. 97 - 141*, poſterior a *Jo. Caſa* ſermone Romano *pag. 142 - 198*, ex qua quædam enotare juvabit. Natus fuit Venetiis, oriundus familia nobili, & opibus incluta. Pater ipſi fuit *Aloyſius Contarenus*, mater *Polyxena Malipetria*. Simul ac aliquantulum adolevit, eximia indoles ex ipſo emicuit; quare pater eum ſtudiis deſtinavit, ipſumque peritis magiſtris formandum tradidit. Inde Patavium miſſus, adhæſit *Petro Pomponatio*, ſub cujus auſpiciis brevi tempore magna cepit ſtudiorum incrementa. Sed, patre præter opinionem mortuo, ad res matris familiares ordinandas, Venetias redire eſt coactus; quibus conſtitutis, Patavium eſt reverſus, & ordine juſto ſingulas diſciplinas & ſcientias tracta-
142 - 149. vit, nec Poetas Latinos ac Græcos neglexit. Quo tempore Venetorum reſpublica non uno bello petebatur, ad Imperatorem *Carolum V* orator ire eſt juſſus, & ſua doctrina ac inſignibus virtutibus id eſt conſecutus, ut ei non ſolum acce-

acceptus, verum etiam familiaris, fieret, ut ipſum ſibi in Hiſpaniam eunti comitem adjungeret, ejusque genti magno eſſet emolumento. Ex legatione, quinque annis elapſis, redux Venetias, omnium conſenſione in ſenatum eſt allectus. Hinc Romam miſſus, ſua prudentia, autoritate, & gratia, apud Auguſtum plurimum contulit, ut Italiæ pax reſtitueretur. Hoc facto, ubi Venetias rediit, in ipſum dignitas Conſiliarii, quæ ſumma apud ipſos habetur, eſt collata, quam cum adminiſtraret, literæ Roma ſunt allatæ, quibus ſignificabatur, *Paulum III* ipſum in Purpuratorum concilium cooptaviſſe. Doluerunt Veneti, tantum virum ſibi eripi; ipſe etiam honorem hunc ægre admodum admiſit.* In tanto honorum apice de priſtina vivendi agendique ratione nil quidquam remiſit. Comem ſe ac affabilem præbuit omnibus, egenis & afflictis, maxime Græcis, munificum ſe præbuit. Ubi ſententiæ in ſenatu rogabantur, nil dedit aſſentationi, ſed, quod juſtum atque æquum reputabat, decrevit, nec invidiam ac ſiniſtras aliorum voculas reformidavit.* Imperator, cupiens religionis controverſias imminutas, vel, ſi pote, ſopitas, ratus, id per colloquium amicum commode fieri poſſe, a *Paulo III* petiit, ut legatum eo deſtinaret. Pontifex igitur legebat *Contarenum*, quem norat rerum Germanicarum probe gnarum, multa prudentia & rerum uſu præcellentem, ac Imperatori acceptum. Quam rem cum multa tractaret lenitate, nec tamen ad optatum perveniret finem; judicabant multi, ipſum erga aliter ſentientes nimium indulgentem fuiſſe. Legatione hac finita, in Italiam regreſſus, Mediolani Imperatorem offendit, qui cum ipſo Lucam, quo Pontifex venturus erat, contendit, qui multa eum cum gratiæ demonſtratione excepit, eundemque ab omni criminatione immunem declaravit. Inde eundem legatum Bononiæ, quæ provincia poteſtatis Pontificiæ eſt ampliſſima, nominavit, quem cives ſummæ cum lætitiæ teſtificatione ſuſceperunt, quorum etiam commodis ſe totum dedit. Sed, quoniam non ita multo poſt inimicitiæ inter Imperatorem & Gallum novos motus minitabantur, Pontifex, animos eorum placaturus, *Contarenum* ad Imperatorem ire

Pag. 149 - 161.

162 - 173.

173 - 177.

177 - 180.

ire juſſit. Valetudo ejus erat afflicta; igitur, ut aliquantulum ſe reficeret, ac illa, quæ ad iter neceſſaria erant, pararet, ſeceſſum non longe ab urbe in loco amœno quæſivit, in quo cum febri corriperetur, Bononiam relatus, cum morbi vis
Pag. 180- Medicorum artem ſuperaret, Cal. Septembr. anni ætatis 59
189. deceſſit. Quid ipſi cum *Bernhardino Ochino* interceſſerit,
190 - 192. enarratur, ac in fabulæ fere locum rejicitur. Poſtremo ſcri-
194 - 198. pta ipſius ordine recenſentur.

Subjungitur Epiſtola *Contareni* de Juſtificatione, deſumta ex editione Operum Pariſienſi anni 1571, in qua ea pertractat, in quibus Catholici & Proteſtantes inter ſe conveniunt. Egregia illius ſunt verba: *Ego prorſus exiſtimo, hic & Chriſtiane dici, quod debeamus niti, niti, inquam, tanquam re ſtabili, quæ certo nos ſuſtentet, juſtitia Chriſti, nobis donata, non autem ſanctitate et gratia, nobis inhærente.* Hæc enim, cauſatur, noſtra juſtitia eſt inchoata, et imperfecta, quæ tueri nos non poteſt, quin in multis offendamus, quin aſſidue peccemus, ac propterea indigeamus oratione, qua quotidie petamus remitti nobis
206. debita noſtra. Subſequuntur Epiſtolæ *Contareni* et aliorum ad ipſum, Italico ſermone conſignatæ, numero 43; inſtructio, *Contareno*, cum ad diſſidia religionis tollenda in Germaniam ablegaretur, data d. 28 Jan. A 1541; alia inſtructio, ſuper ea-
217 - 286. dem re ſcripta ſermone Italico; inſtructio, data *Hieronymo*
286 - 299. *Riario*, cum ad *Ferdinandum*, Regem Romanorum, mitteretur,
299 - 308. ex MSto Veneto; inſtructio, a *Paulo III* miſſa *Hieronymo*,
308 - 311. Card. Brundiſinenſi, cum ad *Ferdinandum*, Regem Hungariæ,
312 - 313. mitteretur.

Coronidem Operi huic imponunt Epiſtolæ *Reginaldi Poli*, & aliorum ad ipſum, ab exitu legationis Hiſpanicæ usque ad mortem *Contareni*, ac proinde ſcriptæ A. 1540 - 1542, partim lingua Latina, partim Italica, numero 47. *Epiſtola I* ad *Jo. Cochlæum* multis dilaudat ſtudium ejus pro
2 - 3. tuenda veritate eccleſiæ, in qua *Henricum* appellat *Pharaonem*. *Epiſtola VII* refert *Contarenus Polo*, quanta cum lætitia a civibus Ratisbonenſibus fuerit exceptus, & qua gratia ipſum pro-
16. ſequatur Imperator. *Ep. XII* gratulatur *Polus Contareno*, quod

circa

circa doctrinam de juſtificatione, utraque pars Ratisbonæ
convenerit. *Epiſt. XIII* profert judicium de Epiſtola *Contareni* de juſtificatione, quam multis laudibus extollit, ſimul Pag. 25.
addit, eſſe, quibus quædam in illa non placere videantur,
quibus tamen aliud perſuadere ſit conatus. *Henricum* 26 - 30.
VIII tyrannum appellat *pag. 30. Epiſt. XVIII* dolet acerbum fatum matris, quæ juſſu *Henrici* violenta morte fuerit
enecta. *Epiſt. XIX Damianus a Goes* ipſi mittit librum rerum Æthiopicarum, ſimulque prædicit *Polo*, ipſum aliquando 35 - 37.
Regem Angliæ futurum. Verba ipſius hæc ſunt: *Quem, ſi in meis auguriis aliquid veri eſt, adbuc Angliæ Regem videbimus.* Ad quæ reſpondet *Polus* Epiſtola ſequenti: *Augurium* 37 - 38.
tuum, quod in extremis literis adſcribis, neſcio, unde ceperis; neque enim quidquam in hac arte novi. Tu vero, ſi ejus aliquam partem habeas, hoc unum mihi ſignifices cupio, quanta pro patria, vel potius pro eccleſia Dei, quæ eſt in patria mea, ſim paſſurus: hoc enim nihil mihi certius portendi poteſt. Noſti illud: εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Ego vero hoc me majorem felicitatis gradum adſcendere mihi perſuadeo, quo plures labores & afflictiones pro patria & eccleſia
Dei, divina ſorte, pati datum fuerit. Sequuntur Epiſtolæ, 38 - 40.
ſermone Italico conſignatæ, inde a *pag. 40* ad *61. Epiſt. XXXIX*, ad *Lud. Beccatellum* data, ſcribit de reſipiſcentia *Cromwelli*, itemque de rebus Pannoniæ, cui tum Turca inhiabat.
Epiſt. XL ſcripta eſt ad *Sadoletum*, qua mortem Purpurati *Simo-* 62, 63.
neti dolet, ſuumque in *Sadoletum* animum declarat. In *Epiſt.* 63 - 66.
XLI, ad eundem data, quædam ſibi objecta diluit. In reli- 66 - 71.
quis Epiſtolis, quæ partim ſunt officioſæ, partim commen- 73 - 84.
datitiæ, partim gratulatoriæ, nihil occurrit, quod notari mereatur.

Unterſuchungen vom Meere, ꝛc.

hoc eſt,

DISQUISITIONES DE MARI, QUÆ OCCASIONE ſcripti de Columnis Herculis, a Cel. SCHWARZIO,

Digitized by Google

Profeſſore Altorfino, editi, proponuntur, una cum aliis, ad eam pertinentibus, Annotationibus, ab amatore Phyſicæ & Philologiæ.

Francofurti & Lipſiæ, 1750, 4.
Alph. 3.

Emiſit in lucem ante aliquod tempus Celeberrimus nunc etiam poſt fata *Chriſtian. Gottlieb Schwarzius* Diſſertationem *de Columnis Herculis*, in qua, expoſitis variorum Autorum de columnis hiſce ſententiis, eas nil aliud eſſe, oſtendere conatus eſt, quam duo promontoria, alterum in Hiſpania, in Africa alterum; ſimulque varia de promontoriis his, & freto Gaditano, notavit; denique inquiſivit, an dentur aliqua columnarum *Herculis*, proprie ita dicendarum, veſtigia. Scripti hujus *Schwarziani* loca quædam anſam dederunt operis præſentis Autori Anonymo, cui alio ſeſe titulo manifeſtare nobis haud libuit, niſi quod ſit gente Vindus Cillienſis, Romanæ eccleſiæ addictus, ſerus *αὐτοδίδακτος*, egreſſus e regionibus, in quibus adhuc vixit, quod in iis officium ſtudiis ſuis opportunum conſequi haud potuerit. Partem operis Ratisbonæ compoſitam plurimas acceſſiones Norimbergæ adjectas, ex ipſo opere facile conjectari poteſt, nobis videtur.

Dividitur liber in *Partes tres*. *Prima* exhibet *Epitomen Commentationis Schwarzianæ*, additis quibusdam ad certa ejus loca *Annotationibus philologicis*. Agunt hæ de comparatione nominum propriorum Hebræorum Vulgatæ cum ſtilo textus ſacri; de figura montis Ætnæ, e longinquo apparente, unde teſtimonium *Pindari*, columnæ nomine iſtum inſignientis, explicatur; ut & de tavtologia nominis montis hujus Siculi, *Mongibelo*; de columna quadam antiqua Romana, ubi ample indicatur locus, quo repertæ ſunt columnæ milliariæ, in Bibliotheca Imperiali Vindobonenſi aſſervatæ; de explicatione vocabuli *Gades*, ejusque cum aliis locorum appellationibus Europæis analogia; de nomine urbis Africanæ *Septa*; de paralipomenis ad hiſtoriam *Mart. Behaimi*, herois navigatorum quondam celebris. Declaravit hiſce Autor ſuam, ut rei philologicæ ſcientiam, ita in exquirendis antiquis monumentis, Autoribusque, ſolertiam.

Phyſi-

Phyſicum nunc agit in *Parte ſecunda*, varias de mari quæſtiones examinandas ſibi ſumens. Direxit ad Societatem Coſmographicam, recens Norimbergæ erectamm, Dedicationem ſatis amplam, ubi de emendanda veteri & nova Geographia varia proponit deſideria; inprimis vero de nominibus locorum accuratius exhibendis varia commentatur. Quod jam ad ipſas de mari disquiſitiones attinet, quatuor eæ ſunt numero. *Prima* quæſtionem examini ſubjicit: *an, ſepoſita Herculis hiſtoria, vel fabula, pro commento habendum ſit, Africam quondam cum Hiſpania cohæſiſſe.* Affirmavit hoc *Schwarzius*, teſtimoniis *Melæ*, *Senecæ Tragici*, *Plinii*, *Diodori Siculi*, *Voſſii*, fretus. Noſter, duas haſce regiones, olim conjunctas, vi maris, aut terræ motus, disrumpi potuiſſe, adſtruere conatur inprimis allatis pluribus exemplis ſimilium mutationum, præſertim avulſæ teſtimonio Autorum ab Italia Siciliæ. *Secundo* inquiritur in rationem phænomeni, *quare navis, æquali vi venti, ab ora maris mediterranei, e. g. Palæſtina, Hiſpaniam verſus vela faciens, citius eo pertingat, quam exinde revertatur.* Factum ipſum Autorum teſtimoniis ſatis extra dubium eſt poſitum. Ad cauſam vero ejus quod attinet, ante omnia triplicem notat Noſter maris motum: *fluctuationem*, ſeu motum in ſuperficie maris, a ventis maxime oriundum; *currentes*, hoc eſt, motus continuos verſus eandem plagam, quorum maxime notabilis eſt is, qui in oceano nunquam non ab oriente occidentem verſus fit, converſioni telluris circa axem diurnæ procul dubio debitus; denique *æſtum* maris, de quo hic explicationes variorum varias tradit Noſter, eoque cum ſanioribus Phyſicis omnibus vi lunæ & ſolis attributo, ſpeciatim opiniones *Kircheri*, duorumque Autorum recentiſſimorum, *Binningeri*, Halenſis, & *Leon. Papini de Bagnacavallo*, Itali, aliis modis, etſi haud adeo felici ſucceſſu, eum explicare conantium, refutat. Dictorum jam motuum ſecundus is eſt, unde facile peti poteſt ratio phænomeni propoſiti. Cum enim currens maris naturalis ab oriente continuo ad occidentem dirigatur; patet, navem, eo ſecundo delatam, multo citius progredi, quam eo adverſo. Idem confirmatur aliis navigationum exemplis. Subjunxit Autor hiſce animadver-

ſiones quasdam philologicas & hiſtoricas. Rationem reddit, cur vocem *obſervatorium* vernacula expreſſerit per *warte*, ſimulque de pronuntiatione literarum quarundam Germanicarum varia notat, in recentiores quosdam linguæ Germanicæ emendatores paulo gravius animadvertens. Teſtimonia affert de inundationibus, in terrarum ſeptentrionalium tractu factis, quibus inprimis error *Strabonis*, multum damni eas afferre poſſe, negantis, detegitur. Alibi emendat duo *Plinii* loca, &, Siciliam a proximo Italiæ litore amplius quam 1500 paſſibus, uti & Strongylem a Lipara plus quam 1000 paſſibus, diſtare, probat. Denique explicationem tradit vocum quarundam, maxime Germaniæ inferioris, in præcedentibus uſurpatarum, & ſenſu ſingulari gaudentium, ut: *Berg, Brandungen, Deich, Geeſt, Gezeit, Hümpel, Kog, Marſch, Molge, Schlenge, Sil.* Sequitur jam *tertia* disquiſitio: *Quomodo influxus maris Atlantici in mediterraneum poſſit eſſe duplo major, quam effluxus bujus in illud.* Paradoxum ſane videtur, mediterraneum, continuo tantam aquarum copiam ab innumeris fluviis, in id ſeſe exonerantibus, recipiens, inde non exundare, contra maximum inſuper aquæ affluxum e mari Atlantico pati. Explicat hoc Autor ea ratione, quod continuo tantundem aquæ e mari in terram regrediatur, quantum ex hac in illud effunditur. Aquarum nempe terreſtrium e mari originem, nemo eſt hodie, qui ignoret. Allatis hic iterum variis Autorum ſententiis, hoc adſcenſu aquæ per terræ montiumque canales, factaque hinc percolatione, fieri non poſſe, ſed deberi ſoli evaporationi, qua in rorem, pluviam, &c. mutatur, oſtendere nititur. Præter cauſam vero iſtam generalem, maribus omnibus communem, particulares quasdam in mediterraneo accedere circumſtantias, eam promoventes, docet. Primo obſervari ei proprium, undas maris vehementiſſimo motu inter ſe & ad ripas frangi, hinc magnam copiam aquæ in aerem diſſipari, ac in vapores converti; dein ignem ſubterraneum, cujus præſentia pluribus montibus Italiæ ignivomis, ſatis manifeſta eſt, multum ad evaporationem aquæ marinæ conferre; quo ex fonte quoque caloris inſignis ad ripas Italiæ occidentalis infe-

Digitized by Google

inferioris cauſa derivatur. Autori haud admodum videtur veriſimile, mediterraneum ſingularem inſuper effluxum habere per meatus ſubterraneos, quorum ope cum aliis maribus, oceano præſertim, cohæreat, quamvis pro hac ſententia plura adduxerit Autorum teſtimonia, & inſignem illum gurgitem, Charybdim. Expoſitis his adjungit ſupplementa quædam, & objectiones varias contra evaporationem, ceu originem aquarum dulcium omnium ſufficientem, diluit. Diverſitatem ſententiarum de affluxu maris Atlantici in mediterraneum, hujusve effluxu, exinde oriri exiſtimat, quod alii tempore æſtivo illud obſervarint, hiberno alii. Similiter conciliare conatur opiniones diverſas de Charybdi, Euripo Archipelagi, & ſalſedine aquæ marinæ, an nempe aqua ſuperior magis ſit ſalſa, an inferior. Porro quæſtionem ventilat: an mundus futurus ſit tandem montibus deſtitutus. Eos nimirum continuo minui, multis probat teſtimoniis; terram vero eam incolis non fore jucundiorem, quin potius variis incommodis moleſtam, paucis, ut credimus, refragantibus, oſtendit. De vortice Danubii celebri uberiorem notitiam exhibet, ejus aquam circumagi, nullum vero defluxum in voraginem quampiam infra latentem habere, demonſtrans. Pergimus ad diſcuſſionem *quartam*, qua quæritur: Cur mare Euxinum in mediterraneum habeat exitum perpetuum, quin hoc in illud revertatur, nec ob tantum aquæ dulcis concurſum ſalſedinem deponat. Prius arceſſit a ponti altitudine; poſterius e variis gradibus ſalſedinis pro variis profunditatibus peringenioſe explicat. In reſolutione hujus quæſtionis etiam naturam Scyllæ, periculoſi navigantibus ad initium freti Siculi loci, perſequitur. Illius æſtum fluxui maris Atlantici, per fretum Gaditanum invecti, ad illa Calabriæ hodiernæ ſaxa directo, adſcribit. Latratus, unde fabulæ origo, antris, illo aquarum incurſu excavatis, ac undarum impetu verberatis, tribuit. Finem hic imponit ſuis de mari diſquiſitionibus Autor doctiſſimus, in quibus enumerandis verſati ſumus paulo ſtrictius, tum quod pleraque ita ſint comparata, ut, niſi allatis ipſis Autorum teſtimoniis &

Digitized by Google

circumſtantiis, eo facientibus, multum de robore & perſpicuitate perditura ſint argumenta hic expoſita, tum quod merito ad ipſum ſcriptum ablegari nobis poſſe videantur omnes Hiſtoriæ naturalis non minus, quam rei philologicæ, amatores, in quo ſane invenient, quæ & prodeſſe poſſint, & delectare rariori eruditione, & rerum notabiliorum tam delectu, quam varietate. Sequitur *Pars tertia, additamenta* aliquot, maxime philologici generis, continens. Potiora ſunt hæc: Explicatio etymologica nominis Itali, *Faro di Meſſina;* teſtimonia Comitis *Marſilii*, nec non Domini *de Schad*, Centurionis Imperatorii, adhuc viventis, de Ponte *Trajani*, duobusque locis Danubii valde periculoſis, *Tahtali* & *Demirkapi* dictis; notitia hiſtorica de Cœnobio *Studeniz*, in Vindia interamni, ſeu Comitatu Celejenſi, ſito: qua occaſione traditur etymologia nominum Vindicorum *Robatſch* & *Richza;* disquiſitio, ſatis ampla, de variis pronuntiationibus vocalis *a* in variis linguis Europæis, ubi multis in locis taxat Clariſſ. *Gottſchedium*, Autorem *Grammaticæ* novæ *Germanicæ;* animadverſiones ad *Buffoni Hiſtoriam naturalem* haud ita pridem editam; diſputatio contra *Linnæi Syſtema Plantarum*, qua oſtendere conatur, illud magnam partem eſſe inutile, Botanicæ noxam inferre, in errorem inducere, ſibi ipſum non conſtare; principia, quibus ſuperſtruitur, erronea, eſſe, guſtuque pravo concepta; *Linnæum*, aliis leges imponere geſtientem, ſemet ipſum a legibus habere immunem, & id genus alia. Hac occaſione de fungis, earumque diſtributione, pluribus diſſerit. Apologiam denique ſiſtit orthographiæ variarum vocum Germanicarum, qua in præcedentibus uſus eſt, ubi iterum adverſus *Gottſchedium* plurima diſputat. Adjecta eſt præſenti Operi *Epiſtola* ad *Eruditos quosdam Lipſienſes*, nominatim *Jo. Jac. Maſcovium*, *Frid. Otton. Menckenium* noſtrum, *Jo. Ern. Hebenſtreitium*, *Jo. Erh. Kappium*, *Jo. Frid. Chriſtium*. Hac partim de rebus, ad ſe pertinentibus, quædam memoriæ prodit, partim de lingua Slavonica, ejus præſtantia, & ad excolendam linguam Germanicam utilitate, ſuo in illam collocato ſtudio, ac de ea porro bene merendi

rendi

Digitized by Google

rendi deſiderio, conſilioque edendi, Gloſſarium Vindicum, diſ-ferit. Ad hoc ipſum autem perficiendum, & ad alios labores, quos hic & illic indicat, ſuſcipiendos, opus eſt ei ſtatione permanente & commoda, qua etiamnum caret. E ſpeciminibus, per totum opus ſparſi elucet, eum non modo ad ſcribendum Gloſſarium Slavonicum, ſed etiam Germanicum, vires poſſidere ſufficientes. Linguas enim callet plurimas, hodie in Europa vigentes; varias Germaniæ dialectos obſervavit, & in Gothorum, Angloſaxonum, aliorumque ſeptentrionalium populorum, literariis monumentis ita verſatus eſt, ut voces, quæ nunc obtinent, cum deſitis contendere, & illas per has illuſtrare, noverit; in quibus præſidiis illud cumprimis numerandum eſt, quod Hiſtoriam naturalem, quam late ea patet, ſibi familiarem reddiderit, quæ ſcientia ſi negligatur, uti fere neglecta ad hunc diem fuit fruſtra ſocietates linguis perpoliendis, ac per apta vocabula locupletandis, inſtituantur, ſine ea quoque tum Gloſſaria, cum Lexica linguarum omnium, uti pleraque innumeris ad hoc tempus oppleta fuerunt vitiis & craſſis erroribus, ſic iisdem ſcatebunt in poſterum, niſi aut eorum Autores naturalis Hiſtoriæ periti ſint, aut ejusdem peritos ad ſingulas voces conſulant, quoniam nomenclationes, ad ejus forum pertinentes, ſextam ad minimum cujuslibet linguæ partem conſtituunt. Hoc vero ſtudium Autor præſentis operis in ſummis deliciis habere videtur; dolendum tantum eſt, eidem adhuc non obtigiſſe Mecænatem, qui alimenta, libros, & alia perinde neceſſaria commoda, ſuppeditaret. Audivimus quidem nuper, eum æſtate præterita ad iter Carpathicum, eo vero abſoluto, ad colligenda ſpecimina, naturali hiſtoriæ cujusdam provinciæ deſervitura, vocatum ſed propter oblatam præparcam mercedem non potuiſſe, quin deprecaretur hoc munus, quamvis ipſi ceteroquin gratiſſimum. Fungorum hiſtoriam, quæ perſpicua ſit & utilis, negat aliter confici poſſe, quam exhibitis ſingularum ſpecierum pictis imaginibus, quod conſilium qua ratione exequendum ſit, uberius pertractat. Sed veremur, ne hæc, ut alia, licet optima, deſideria in irritum cadant; Sic enim plerumque ſolet

ſolet in humanis rebus ludere pervicax fortuna, ut facultates conferat diſcere, vel prodeſſe, nolentibus, ad utrumque paratis eas deneget.

DE ARCUUM SECTIONE INDEFINITA, LATEribusque polygonorum regularium per formulas generales exhibendis, Annotatiuncula ABRAH. GOTTHELF. KÆSTNERI, *Mathem. Profeſſ. Publ. Extraord. Academ. Reg. Scient. & Eleg. Liter. Pruſſ. Soc. Reg. Scient. Gotting. nec non Inſtit. Bononienſ. Membri.*

Cum nuper legeretur mihi elegans Clariſſ. *Mosdorfii* de inveniendis æquationibus, quibus polygonorum latera definiantur, Obſervatio in *Novis Actis Menſis Februarii* ſuperioris *Anni*, repetii, quæ olim me memineram meditatum ad magni *Bernoullii* Sectionem indefinitam arcuum, his ipſis *Novis Actis Anni* 1712 *Menſis Junii pag.* 274 inſertam, in *Operibus* autem magni Viri *num.* 89 reperiundam. Horum aliqua edere jam libet, quod & *Bernoullianis*, ibi traditis, lucem ſunt additura, & ad enuntiata quædam, non quidem penitus nova, ſed tamen nondum adhuc nimium uſu trita, ductura.

1) Conſtat, eſſe $\int dx:(1+zz) = \frac{1}{2\sqrt{-1}} . l((\sqrt{-1}-z):(\sqrt{-1}+z))$, ſignificante litera l logarithmum, quod deducitur ex methodo *Bernoulliana* integrandi per logarithmos *Oper. Tom. I num.* 70, & in *Novis Actis A.* 1703 *Menſ. Jan. pag.* 26. Eſt vero integrale hic ſic acceptum, ut evaneſcat ad $z=o$.

2) $dz:(1+zz)$ = elemento arcus tangentis z, &, ſi ſit $z=1:z$, abibit elementum hoc in $-dz:(1+zz)$, eſt vero z cotangens ejusdem arcus. Unde, ſi z ſignificet ambigue tangentem, vel cotangentem, eſt $dz:(1+zz) = -$ elemento arcus cot. z.

3) Priori caſu $\int dz:(1+zz)$ evaneſcit ad $z=o$, altero ad $z=\infty$.

4) Sit

4) Sit $ndx : (1 + xx) = dy : (1 + yy)$, ſignificet vero x ſemper tangentem. Porro ſit etiam y tangens, eſt $n\int(dn : (1 + xx)) = \int(dy : (1 + yy))$, nulla addita conſtante, quia ad $x = 0$, & $y = 0$, utraque ſumma evaneſcit.

Ergo $\frac{n}{2\sqrt{-1}}\ l\ \frac{\sqrt{-1} + x}{\sqrt{-1} - x} = \frac{1}{2\sqrt{-1}}\ l\ \frac{\sqrt{-1} - y}{\sqrt{-1} + y}$,

& $\frac{(\sqrt{-1} - x)^n}{(\sqrt{-1} + x)^n} = \frac{\sqrt{-1} - y}{\sqrt{-1} + y}$ (A). Ergo, ſi ſit n impar, licet facere $\frac{(x - \sqrt{-1})^n}{(\sqrt{-1} + x)^n} = \frac{y - \sqrt{-1}}{y + \sqrt{-1}}$ (B),

ut utriusque fractionis numerator oppoſitum ſignum accipiat, prodeatque $(x - \sqrt{-1})^n . (y + \sqrt{-1}) = (y - \sqrt{-1}) . (x + \sqrt{-1})^n$, ſed, ſi n ſit par, hoc non licet, quia tunc $(\sqrt{-1} - x)^n$, non fiet negativum primi valoris, ſed $y - \sqrt{-1}$ fieret negativum prioris ſui valoris.

5) Significet x cotangentem, eſt $\frac{n}{2\sqrt{-1}}\ l\ \frac{\sqrt{-1} - x}{\sqrt{-1} + x} =$ Conſtanti $+ \frac{1}{2\sqrt{-1}}.\ l\ \frac{\sqrt{-1} - y}{\sqrt{-1} + y}$, & poſitis $x = 0$, & $y = \infty$, quia, ſi tangens arcus ſimpli $= 0$ cotangens multipli neceſſario $= \infty$, prodibit

$\frac{n}{2\sqrt{-1}}.\ l\ 1 =$ Conſt. $\frac{+1}{2\sqrt{-1}}\ l - 1$. Ergo

$\frac{n}{2\sqrt{-1}}\ l\ \frac{\sqrt{-1} - x}{\sqrt{-1} + x} = \frac{1}{2\sqrt{-1}}.\ l\ \frac{y - \sqrt{-1}}{y + \sqrt{-1}}$, &

$\frac{(\sqrt{-1} - x)^n}{(\sqrt{-1} + x)^n} = \frac{y - \sqrt{-1}}{y + \sqrt{-1}}$. Sit n par, & licet ponere $(x - \sqrt{-1})^n$, quod alias ob rationem prædictam non licet.

R Ergo

Ergo $(x - \sqrt{-1})^n . (y + \sqrt{-1}) = (x + \sqrt{-1})^n (y - \sqrt{-1})$.

6) Si fuerit n par, valebit formula hæc pro cotangente, pro qua non valet, ſi ſit n impar (§. 5), &, ſi n ſit impar, valet pro tangente, pro qua non valet, ſi n ſit par (§. 7). Quod *Bernoullius* l. c. ex differentialium logarithmicorum integratione conſtare, monuit, ſed non dilucide demonſtravit.

7) Ex æquatione *B Art.* 4 fit

$$\frac{(x - \sqrt{-1})^n + (x + \sqrt{-1})^n}{(x + \sqrt{-1})^n - (x - \sqrt{-1})^n} . \sqrt{-1} = y \ (C)$$

8) Formentur

$$(x+e)^n = x^n + Aex^{n-1} + Be^2 x^{n-2} + Ce^3 x^{n-3} + De^4 x^{n-4} \text{ \&c.}$$

$$(x-e)^n = x^n - Aex^{n-1} + Be^2 x^{n-2} - Ce^3 x^{n-3} + De^4 x^{n-4} \text{ \&c.}$$

$$\text{Summa} = 2.(x^n \ \star + Be^2 x^{n-2} \ \star + De^4 x^{n-4} \ldots).$$

$$\text{Differentia} = 2. \ (\star + Aex^{n-1} \ \star + Ce^3 x^{n-3}).$$

Patet, utroque caſu alternos terminos ſe deſtruere. A, B, C, D, &c. ſunt coefficientes binomiales, ſcilicet $A = n$, $B = n.(n-1) : 1.2$, $C = n.(n-1).(n-2) : 1.2.3$, $D = n.(n-1).(n-2).(n-3) : 1.2.3.4$, cet. In evehendo $x - e$ ob $-e$ fiunt ſaltem negativi termini illi, in quibus habet e dimenſiones impares. Si ergo ſit $e = \sqrt{-1}$, & $ee = -1$, $e^4 = +1$, & ſic alternatim, fit

$$y = (x^n \star - Bx^{n-2} \star + Dx^{n-4} \ldots) : (Ax^{n-1} \star - Cx^{n-3} \star, + Ex^{n-5} \ldots),$$ ut jubet *Bernoullius l. c.* verbis:

Evehatur $x + 1$ ad poteſtatem, cet.

9) Eſt

9) Eſt quoque ſcripto e pro $\sqrt{-1}$, ex (A) §. 4

$$y = \left((e+x)^n - (e-x)^n\right) e : \left((e-x)^n + (e+x)^n\right).$$

Hic, ſi n ſit impar, ſit $(e-x)^n = -(x-e)^n$. Ergo tunc numerator non mutatur. Similiter patet, $(e-x)^n$ in denominatore idem eſſe, ac $-(x-e)^n$ in denominatore §. 7. Proinde in caſu n imparis, expreſſio ipſius y hoc §. eadem eſt cum expreſſione ipſius y §. 7. Erat autem pro caſu n imparis y tangens. Ergo tunc exhibetur valor tangentis.

Deinde, ſi ſit n par, eſt $(e-x)^n = (x-e)^n$, unde fractio §. hujus 9 fit $y = \left((e+x)^n - (n-e)^n\right). e : \left((x-e)^n + (e+x)^n\right)$, inverſa, vel reciproca, fractionis §. 7. Aſt in caſu n paris y §. 8 eſt cotangens. Ergo valor fractionis præſentis §. 9 eſt 1: cotang., ſeu tangens. Utroque ergo caſu n paris & imparis, eſt y §. hujus noni tangens.

10) Expandantur ipſius $e+x$, & $e-x$ potentiæ n in ſeries incipiendo ab e, eſt

$$(e+x)^n = e^n + Ae^{n-1}x + Be^{n-2}x^2 \ldots\ldots + Pex^{n-1} + Qx^n;$$

$$(e-x)^n = e^n - Ae^{n-1}x + Be^{n-2}x^2 \ldots\ldots \pm Pex^{n-1} \mp Qx^n,$$

valentibus duorum ultimorum terminorum ſignis ſuperioribus pro n impari, inferioribus pro n pari. Eſt ergo pro caſu n imparis

$$\text{ſerier. ſumma} = e^n + Be^{n-2}x^2 \ldots + Pex^{n-1},$$

$$\text{ſerier. diff.} = Ae^{n-1}x + Ce^{n-3}x^3 \ldots + Qx^n \;\&\; (\S.9)$$

$$y = \frac{Ae^{n-1}x + Ce^{n-3}x^3 \ \ldots + Qx^n}{e^{n-1}x + Be^{n-3}x^2 \ \ldots + Px^{n-1}},$$

R 2 pro-

propter e ducendum in numeratorem, quod idem eſt, ac dividere denominatorem per illud, ſed pro caſu n paris eſt:

$$y = \frac{Ae^n x - Ce^{n-2} x^2 \ldots + Px^{n-1}}{e^n x + Be^{n-2} x^2 \ldots + Qx^n},$$

quod adhibendo ſigna inferiora obtinetur.

Utroque caſu habentur in illis terminis, tum numeratoris, tum denominatoris, quibus e ineſt, non niſi pares ejus potentiæ. Nam pro caſu n imparis prima ipſius e potentia habet exponentem $n - 1$ parem, ſed n parem pro caſu n paris; deinde in utraque formula potentiarum exponentes binario ſemper decreſcunt, ut, ſi primus par ſit, omnes pares exiſtant.

Jam ob $e = \sqrt{-1}$, ipſius e potentiæ exponentium parium omnes ſunt $+1$, ſi exponentes ſint pariter pares, -1, ſi ſint pariter impares, hoc eſt, ipſius e potentiæ pares ſunt alternatim $+1$, & -1. Ergo, ſi loco e ſubſtituatur ejus valor, in utraque ipſius y formula tum numerator, tum denominator, conſtant terminis alternatim poſitivis, atque negativis, ut poſitivi quidem ordiantur caſu n paris, ſi n ſit ſimul pariter par, ſed caſu n imparis, ſi $n - 1$ ſit pariter par, hoc eſt, n multiplum, quaternarii unitate auctum, reliquis autem caſibus ſint primi termini negativi. Cum vero utroque caſu potentiæ ipſius $\sqrt{-1}$ a pari quadam deſcendant per omnes pares ſequentes, omnibus caſibus id commune eſt, quod termini alternatim poſitivi & negativi exiſtant. Igitur etiam, ſi primi negativi ſint, poſſunt in poſitivos transmutari, mutatis ſingulorum ſequentium terminorum ſignis etiam in contraria. Generatim itaque, pro caſu n paris, aut imparis, poteſt exprimi y ſequenti formula:

$$\frac{Ax - Cx^3 + Ex^5 - Gx^7 \ldots}{1 - Bx^2 + Dx^4 - Fx^6 \ldots}$$

continuantur vero termini in caſu n

paris

paris	in numeratore	ad potentiam	$n - 1$	ipſius x
	.. denominatore	....	n	....
imparis	... numeratore	....	n	
	denominatore		$n - 1$.	

Bernoullius l. c. regulam hanc quidem tradit, ſed nec rationem ejus evolvit, nec omnino, quousque pro quovis ipſius n valore continuari debeant ſeries, diſtincte enuntiat.

11) Si circumſcribi debeat circulo polygonum n laterum, dimidium lateris hujus polygoni eſt tangens $\frac{1}{2n}$ peripheriæ, hoc eſt, $\frac{1}{n}$ ſemiperipheriæ. Ergo, ſi hoc latus $= 2x$, erit y tangens ſemiperipheriæ. Unde poni debet $y = 0$, ſeu $Ax - Cx^3 + Ex^5$ ... ponendum $= 0$ radixque æquationis eſt dimidium latus polygoni circumſcripti n laterum; æquatio vero per x diviſibilis exiſtit, quia unus valor pro $y = 0$ eſt $x = 0$. Dato autem latere polygoni circumſcripti datur latus inſcripti, cujus dimidium $= x : \sqrt{(1 + xx)}$.

13. Hæc ad *Bernoulliana* l. c. *Actorum Eruditorum*. Licere enim mihi arbitror, ut, quæ *Bernoullius*, majoribus intentus, breviter indicavit, eorum in gratiam, quibus difficiliora forte viderentur, dilucidius explicem. Sed, quando etiam proſtant formulæ generales pro polygonorum lateribus definiendis, quomodo ad illas perveniatur, hic oſtendere non erit incongruum.

14) Ex §. 1 eſt Arcus tangentis $x = \frac{1}{2e} \; l \; \frac{e - x}{e + x}$, ſi $e = \sqrt{-1}$.

Pro arcu 60 grad. eſt $x = \sqrt{3}$, unde ſexta peripheriæ pars $= \frac{1}{2e} \; l \; \frac{e - \sqrt{3}}{e + \sqrt{3}}$, & dimidia peripheria $= \frac{3}{2e} \; l \; \frac{e - \sqrt{3}}{e + \sqrt{3}}$.

Sit jam $x =$ tangenti arcus $\frac{1}{m}$ peripheriæ, eſt:

 $\frac{3}{me}$

Digitized by Google

$$\frac{3}{mc}\ l\,\frac{c-\sqrt{3}}{c+\sqrt{3}} = \frac{1}{2c}\ l\,\frac{c-x}{c+x}, \text{ unde}$$

$$(c-\sqrt{3})^{6:m}.\,c+x.\,(c-\sqrt{3})^{6:m} = (c+\sqrt{3})^{6:m}.\,c-x.\,(c+\sqrt{3})^{6:m},$$

ſeu $x = c.\left((c+\sqrt{3})^{6:m} - (c-\sqrt{3})^{6:m}\right):\left((c-\sqrt{3})^{6:m} + (c+\sqrt{3})^{6:m}\right).$

Ex. ſit $m=3$ ſeu quæratur tangens $\frac{1}{3}$ peripher. eſt $6:m=2$, & fit $x=-\sqrt{3}$, ut decet, quia $120° = 180° - 60°$.

15) Sit x tangens $\frac{1}{2n}$ peripheriæ, ut x ſit latus dimidium polygoni n laterum circulo circumſcripti. Erit

$$\frac{3}{2nc}\ l\,\frac{c-\sqrt{3}}{c+\sqrt{3}} = \frac{1}{2c}\ l\,\frac{c-x}{c+x}, \text{ unde}$$

$$y = c.\ \frac{(c+\sqrt{3})^{3:n} - (c-\sqrt{3})^{3:n}}{(c-\sqrt{3})^{3:n} + (c+\sqrt{3})^{3:n}}.$$

16) Sit ſemilatus polygoni inſcripti $= t$, ob $t = x : \sqrt{(1+xx)}$ eſt

$$t = \sqrt{-1}.\ \frac{(\sqrt{-1}+\sqrt{3})^{3:n} - (\sqrt{-1}-\sqrt{3})^{3:n}}{2\sqrt{(-4)}^{3:n}}.$$

17) Alia formula obtinetur ſic: tang. $30° = \text{cot. } 60° = 1:\sqrt{3}$. Unde arcus $30° = \frac{1}{2c}.\ l\,\frac{c-1:\sqrt{3}}{c+1:\sqrt{3}}$, quod reducitur ad $\frac{1}{2c}.\ l\,\frac{c+\sqrt{3}}{\sqrt{3}-c}$, neque enim ea, quæ calculi meri ſunt, ſyllabizare animus eſt. Hinc ſemiperipheria $\frac{3}{c}.\ l\,\frac{c+\sqrt{3}}{\sqrt{3}-c}$.

Sit jam tangens arcus $\frac{1}{2n}$. periph. $= x$ eſt, $\frac{3}{nc}\ l\,\frac{c+\sqrt{3}}{\sqrt{3}-c}$

=

Digitized by Google

$= \frac{1}{2x}, \; l\,\frac{e-x}{e+x}$, ſeu $\frac{(e+\sqrt{3})^{6:n}}{(\sqrt{3}-e)^{6:n}} = \frac{e-x}{e+x}$, & $x =$

$\frac{(\sqrt{3}-e)^{6:n} - (\sqrt{3}+e)^{6:n}}{(\sqrt{3}+e)^{6:n} + (\sqrt{3}-e)^{6:n}} \cdot e$, hinc, calculum debite peragendo, reperietur

$$2t = \left(\left(\tfrac{1}{2}\sqrt{3} - \tfrac{1}{2}\sqrt{-1}\right)^{6:n} - \left(\tfrac{1}{2}\sqrt{3} + \tfrac{1}{2}\sqrt{-1}\right)^{6:n}\right).\sqrt{-1}.$$

Formula ſine demonſtratione & analyſi data a Cel. *Cramero*, nuper eheu! immaturo fato literis erepto, in nota ad *Jac. Bernoullii Oper. n.* 74 *Epimetr.* 12 *pag.* 765.

ERNESTI ANTONII NICOLAI, POTENT. BORUSS. Reg. Conſiliar. Aulic. Med. Doct. ejusdemque Profeſſ. Publ. Extraord. in Regia Fridericiana, Syſtema materiæ medicæ, ad praxin applicatæ.

Halæ, ſumtibus Carol. Herm. Hemmerde, 1751, 4.
Plag. 22.

Materiæ medicæ cognitione ſubtiliori cum Medicus, aliorum ſaluti ſublevandæ, aut conſervandæ, natus, carere nequeat; ipſius rei neceſſitas exigit, ut omni adhibita opera eam certiorem reddere tentent ii, qui vel experientia, vel multiplici inſtituta disquiſitione, veritatis majorem ſpeciem ſunt conſecuti. Hunc tramitem itaque ingreſſo Cel. Autori non potuere non clariores fieri aliorum a recta via aberrationes; licet vero acutiſſimorum virorum detrahere autoritati quidquam nolit, cauſas tamen quasdam ſibi detexiſſe viſus eſt, quæ impedimento fuerunt, quo minus exaſciatam materiam medicam huc usque acceperimus. Sunt autem illæ in Philoſophiæ partim neglectu, partim in adhibitis

tis in diſquiſitione corporum naturalium minus convenientibus mediis, quærendæ, ad quam deſtillationem potiſſimum ſiccam, aliaque minus congrua chimica experimenta, refert, quem errorem a Cel. *Geoffroy* commiſſum docet. In viribus enim medicamentorum detegendis experientiam, & deinde Chimiam Phyſicamque conſulendam eſſe, ſuadet. Conſcripta eſt hæc materia medica ſcientifica, quam vocant, methodo, generalia præmiſſa ſpecialioribus, eo ſemper intento Autore, ut non meræ proponantur, inanes alias futuræ, conjecturæ, ſed ut uſus doceatur ſimul in praxi, & addantur, quod ſpectat ad remedia adhibendi modum, cautelæ, aliaque ſcitu maxime neceſſaria. Totius operis ſumma eſt in *duas Partes* diviſio, quarum *prior* materiam medicam in genere, *altera* in ſpecie, pertractat, hujus vero iterum *duæ* ſunt *Sectiones*, quarum *altera* de medicamentis evacuantibus, de alterantibus vero *altera*, inſcribitur. Prodiit, variis diſtracto impedimentis Cel. Autore, nunc tantum *prior Pars*, paucaque *ſecundæ Capita*. *Prior* illa *Pars ſex* conſtat *Sectionibus*. *Sectio I* medicamenta in genere conſiderat. Præmiſſa eorum definitione, genera Autor conſtituit, ad præſentem & amiſſam ſanitatem ſervandam reſtituendamque ſpectantia, ſubjectum eorum, corpus nimirum vivum, diſquirit, &, actiones, vel a medicamento, vel corpore, in quod agunt, pendere, demonſtrat. Ex qua actione varia alia proveniunt, nimirum effectus viresque medicamentorum, quarum diverſa adducuntur genera. Eſt enim vis, ſive virtus, medicamenti vel fundata, cujus ratio ſufficiens eſt in alia vi, vel fundamentalis, cujus ratio ſufficiens ex alia deducenda non eſt, porro medicata, immediata, totalis, vel partialis. Ad virium harum intelligendam naturam partes medicamentorum multum faciunt, hæ vero ſunt vel ſimilares, vel conſtitutivæ, & hæ quidem vel proximæ, vel remotæ. In iis vis inſita hæret medicamentorum, & indagandæ ſunt potiſſimum. Præterea in medicamentorum dijudicatione principia virtutis ſolicite penſitanda, nomina, ſynonyma, loci natales, modus exhibendi, doſis, characteres bo-

Digitized by Google

bonitatis, vel falſitatis, disquirere oportet, quam normam ſibi ſequendam in ſpeciali materiæ medicæ tractatione reſervavit doctiſſimus *Nicolai*. Progreditur is *Sectione II* ad medicamentorum ſpecies in genere. Agunt omnia medicamenta in ſolidas & fluidas corporis noſtri partes, & evacuant, vel non. Hinc duplicis ſunt generis, evacuantia, et alterantia, quorum multiplices dantur ſpecies, & nomina a variis effectibus, vel accedentibus conditionibus, deſumta, quæ adducuntur deſcribunturque. Partes medicamentorum conſtitutivas in genere *Sectio III* explicat. In omnibus fere medicamentis ſalis quædam particulæ continentur; quare primo de his loco agit, differentes eorum ſpecies exponit, omneque acidum vitriolicum eſſe aſſerit, ſive vegetabile, animale, aut aereum, ſit; alcalinorum ſalium characteres declarat, ſalia media disquirit, & horum præcipue diverſa genera perpendit. Conſiderantur deinde reliquæ, medicamenta conſtituentes, partes, ſulphureæ, oleoſæ, ſpirituoſæ, reſinoſæ, ſaponaceæ, fixæ & volatiles, gummoſæ, mucilaginoſæ, gelatinoſæ, pingues, terreſtres. Quicquid flammam concipit, ſulphuris nomine eidem venit, oleaque acidas partes in ſe continere demonſtrat. Explicata vero harum partium indole, tandem camphoræ, ut ſolidæ, volatilis, inflammabilis, & ſpiritu vini ſolvendæ, partis, disquiſitionem adjungit. Qua ratione denique hæ partes, quas conſtitutivas vocant, cognoſci & determinari poſſint, *Sectio IV* docet. Duplicem autem viam, eas explorandi, Chimia & ſenſus pandunt. A ſenſibus Autor exorditur, & guſtui, olfactui, viſuique præcipue, in dignoſcendis remediorum particulis, quid tribuendum ſit, demonſtrat. Guſtu ſaporum differentiæ innoteſcunt. Omnis autem ſapor cum a ſale proveniat, dulcem ab acido ſale, cum ſulphureis partibus mixto, proficiſci aſſerit, acidum & auſterum vero ab acidis terreisque partibus deducendum eſſe. Amari geneſis non ſatis liquet, balſamicus a ſale

S vola-

Digitized by Google

volatili oritur. Olfactus, ſi alliaceum odorem detegat, ſignificat præſentiam ſalis acidi communis, cum phlogiſto mixtam. Viſu diſtinguimus inflammabilitatem, efferveſcentias, præcipitationem, ſolutionem, ferri per magnetis applicationem præſentiam, aliaque plura. Dum chemice naturam remediorum indagamus, idonea adhibenda ſunt menſtrua & operationes, quæ non remotas, ſed proximas, eorum partes conſtituentes ſiſtunt. Hinc rejicitur deſtillatio ſicca, laudatur humida, cum aqua, vel ſpiritu vini, inſtituta, qua oleorum, æthereorum, ſalium, gummatum, nec non ſaponacearum volatilium partium, præſentia docetur, characteresque adducuntur, quorum ope terræ potiſſimum & ſalis mixtio detegitur. Deſtillatione enim ſicca falſas partes conſtituentes exhiberi, contra *Geoffroy* denuo monet, Gummi Ammoniaci vero & opii exemplis confirmat Autor. Difficilis admodum eſt explicatio actionis medicamentorum, in quantum nempe phyſica & mechanica corpuſculorum agendi ratio in medicamentorum actione valeat. *Sectione V* modum agendi medicamentorum in genere eruere tentat Cl. Autor. Principia hic, ab *Hambergero* propoſita, aſſumuntur, eorumque ductu cuncta explanantur. Actionem medicamentorum mediante corporis noſtri actione fieri, eamque vel cum, vel ſine, motu contingere, contendit, non autem a pondere particularum medicarum, verum ab earum cohæſione, hanc proficiſci, exinde magnitudinem, figuram, gravitatem ſpecificam, & pondus abſolutum, mutari, tum particularum medicamenti, tum corporis. His poſitis, diverſæ actiones declarantur, ſimulque ex iisdem principiis ſecretionis humorum ratio, nec non fluidarum ſolidarumque corporis humani partium natura, explanatur. Ex actionum eventu vires remediorum dijudicantur; quapropter *Sectio VI* de cognoſcendis & determinandis virtutibus medicamentorum in genere inſcribitur. Illæ ſunt vel abſolutæ, vel relativæ, id eſt, virtus pendet,

vel

vel a partibus conſtitutivis, vel a corpore ſimul agente, id quod diverſis exemplis probatur. Sic pro vario morborum ſtatu anodyna ex emollientium, relaxantium, roborantiumque, genere deſumi poſſunt. Ad calefacientium actionem determinandam, acidarum alcalinarumque in ſanguine naturam conſiderat, & ex earum in ſulphureas actione, exortoque motu, caloris geneſin declarat. Pari ratione autem de reliquis medicamentorum ſpeciebus diſſeritur.

Progredimur ad *alteram*, quæ materia medica ſpecialis eſt, *Partem*, cujus *Liber I* evacuantia conſiderat medicamenta. Primum hæc inter locum purgantia occupant, Tria horum genera nominantur, laxantia nimirum, draſtica, & catharctica completa. Mirum omnino videri poteſt, quod nunquam fluida excernantur in ſtatu naturali excrementa, cum tanta fluidorum vis, quam ex variis phænomenis colligit, ad inteſtina confluat. Produci tamen hicce effectus poteſt a variis cauſis, dum potulenta majori copia aſſumuntur, motus humorum progreſſivus angetur, ſerum reſolvitur, & ſecretorii excretoriique inteſtinorum ductus obſtruuntur, quippe qui, ab inhærente fluidorum quantitate diſtenti, majorem copiam poſtea una vice expellunt. Hanc ultimam autem actionem purgantia producere, evincitur. Verum, cum diverſi generis ſint purgantia, ex vegetabili, animali, & minerali regno, priorum primo actionem declaraturus, ad principia, ea conſtituentia, attendit, quæ gummoſa, reſinoſa, aut ſalina, eſſe aſſerit, præcipue ſubtilia & volatilia. Proponit deinde generalem omnium purgantium conſpectum, addita ſimul doſi, homini adulto exhibenda. Nimia autem remediorum cum farrago ſit, ſelectum quendam inſtituit, &, præſtantiora tutioraque commendans, ſpecialem horum agendi modum explicat. *Bœrhaavius* diverſas quoque purgantium claſſes conſtituit, quas ſimul cum remediis, huc pertinentibus, recenſet, & modum, ea adhibendi, docet. Ubi-

Digitized by Google

vis autem regulas quasdam practicas, ratione & experientia fultas, addit, quæ Cl. Autoris cognitionem practicam haud obſcure declarant. Ex purgantibus vegetabilibus nunc demum tria conſiderantur, Rhabarbarum, Jalappa, & Manna; reliquorum autem & totius materiæ medicæ explicationem propediem ſe daturum, promittit. Rhabarbari veri planta deſcribitur, ſpecies ab Autoribus adductæ recenſentur, &, quibus notis bonitas radicis conſtet, docetur. Virtutem agendi a principio volatili pendere, aſſumit, hoc ſalinum eſſe ſtatuit, experimentisque, ſecundum methodum, in *priori Parte* propoſitam, inſtitutis, confirmat; gummoſas præterea & ſaponaceas fixas, paucasque reſinoſas terreas, invenit, ita tamen, ut partes gummoſæ & ſaponaceæ fixæ maximam, reſinoſæ minimam, partem conſtituant. Ex quo conſequitur, ut Rhabarbari purgans virtus a ſale volatili & gummoſis partibus proveniat, hinc etiam alios effectus præſtet, inque multis morbis polychreſtum ſit remedium. Enumerantur deinde morbi, in quibus Rhabarbaro utendum, ſimulque ratio, illud varia ſub forma præſcribendi, nec non præparatorum modus agendi, explanatur. Similiter Jalappa deſcribitur, ejusque contentæ partes recenſentur. Sunt autem potiſſimum reſinoſæ, in quibus ſubacre & cauſticum hæret, deinde gummoſæ, terreæ, & ſaponaceæ fixæ, ex quibus ſimul conſideratis virtus determinanda. Pulvis radicis tenellis quoque infantibus conducit, in quibus vim anodynam exerit. Radicis tamen uſus reſinæ anteponendus. De Manna *ultimo* agens *Capite* Autor, varias conſtituit ſpecies, orientalem & Europæam, quarum differentia præterea ab arborum, in quibus deprehenditur, diverſitate pendet. Ex his Calabrina optima eſſe judicatur, cujus bonitatis notæ exponuntur, &, expoſita purgante virtute, differentia mannæ & mellis docetur. Continet autem manna ſal acidum, aquam, oleum, & terram. Virtus purgans pendet a ſale volatili, reliquæ vero, ſimul admiſtæ, partes alias virtutes exerunt; qua

quapropter & morbi indicantur, in quibus exhibenda, & præparata, quæ in officinis proſtant, accurate enumerantur.

ACROASES DIALECTICÆ UNDECIM JACOBI FACCIOLATI, habitæ in Gymnaſio Patavino ſingulæ ad ſingulorum annorum ſtudia inſtauranda.

Venetiis, typis Jo. Bapt. Albritii, Hieron. filii, 1750, 8 maj.

Plag. 11.

Acroaſes hæ limatiſſimæ tractant *Enthymema*, *Soriten*, *Pſeudomenon*, *Achillem*, *ignavam rationem*, *piſtilli verſationem*, *obſcuritatem in diſputando*, *Electram*, *ſcientiam & inſcitiam*, *quæ ad mores pertinet*, *de quo quærendum non ſit*, & *Epichirema*. *Prima* docetur igitur, *Ariſtotele* præeunte, ſyllogiſmum & inductionem ad Dialecticam pertinere, enthymema & exemplum ad Oratoriam. Illum *Ariſtotelem* multi licenter reprehendere dicuntur, pauci vero inter reprehendendum uti judicio ſuo, vel quia nolint, vel quia non poſſint. Hic etiam defenditur *Ariſtoteles*. Enthymematis notionem exponit *Quintilianus Inſtit. orat. Lib. V Cap. 10*, & *Ariſtoteles* ipſe, definiens, quod ſit, συλλογισμὸς ἐξ εἰκότων, ἢ σημείων. Hinc eſt ab ἐνθυμεῖσθαι, commentari, ἔξω τοῦ πράγματος, *Ariſtot. Rhet. I, 8.* Dum vero *Anal. prior. Lib. II Cap. 27* ſyllogiſmus imperfectus dicitur; in auxilium vocat Noſter *Julium Pacium*, quem *Ariſtotelis* interpretum, quot ſunt, quotque fuerunt, quotque futuri ſunt, longe præſtantiſſimum nominat. Is autem, τὸ ἀτελής, quatuor Codicum MStorum autoritate motus, in contextum irrepſiſſe, credit. Si tamen retineatur, per ratiocinationem, non haben-

Pag. 2. 3. 6. 7. 8.

Pag. 17. tem firmam concludendi virtutem, exponit. *Altera, Soritem*, evincit, interdum utilem argumentationem eſſe, certis ac perſpicuis legibus conſtantem, haud ſecus ac ſimplicem *συλλογισμὸν*, quas ſi quis violet, facili negotio refellitur, qui vero fallax & inexplicabilis ſit, *Chryſippeum* appellari, ſive quod a *Chryſippo* ſit inventus, ſive quod ab eo magna
21. contentione oppugnatus. Ad eundem argumentandi modum revocatur, quem Græci *Φαλακρὸν, calvum*, nominant.
24. Ut autem argumentationis modus, quem Soriten vocant, ſive ſimplex, ſive reciprocus, ſive mixtus, recte procedat; obſervari debet, quod docet *Ariſteteles* initio *Cap. III Cate-*
32. *gor.*, quo tanquam fundamento nititur. *Pſeudomenon*, de quo tractatio *tertia* ſequitur, ſi *Laertio* credimus, *Eubulides* invenit, *Demoſthenis*, Oratoris, magiſter. *Cicero de Divin. Lib. II Cap.* 4 nomen interpretatur; affert autem formulam interroga-
34. tionis *Gellius XVIII, 2.* Multi de illo libri ſcripti ſunt, ut ait *Seneca Epiſt. 45*, quem & fuſius exponunt *Cicero Acad.*
35. *Quæſt. IV, 29*, & *Hieronymus Epiſt. 83* ad *Oceanum*. Patet inde, hoc nomine cavillationes omnes ſignificari, e qui-
36. bus contrarium ſequatur. Quo in genere modus eſt aliquis, qui *κυριεύων*, vel *dominans*, dicitur, ſcil. fallacia, de qua *Ar-*
38. *rianus* ad *Epictetum Lib. II Cap. 19*, & *Themiſtius Orat. XIV*. Eodem pertinet *τὸ ἀσύστατον*, ut & *ἀντιστρέφον*, aut ad-
40. verſarii dilemma, quod in ipſum rejicitur. Latini *reciprocum* dicunt, de quo *Gellius V, 10, IX, 16. Lucianus* in *Sect. auct.* ad eandem inexplicabilium claſſem referre videtur fabulam Ægyptiacam, quam ipſe *κροκόδειλον* vocat, *Clemens Alex. Strom. Lib. V κροκοδείλινον λόγον*, *Quintilianus I, 10*, crocodilinam, *Doxipater*, enarrator *Aphthonii*, *πρίωνα*, vel ſerram.
43. *Achilles quartum* occupat locum, quo argumento veteres Phyſici, autore *Zenone*, ut eſt apud *Diogenem Laert. Lib. IX n. 29*, motum tollere conabantur. Conf. *Ariſt. Topicor. I, 11. Achilles* autem, ſi noſtros audimus, eſt ſophiſma, quod ambiguitate verborum ingenia minus promta ludificat; ſin conſulimus *Zenonem*, firmiſſimum eſt argumentum, quod neceſſaria conſecu-

ſecutione efficit nihil moveri. Princeps igitur argumentatio, quam adhibebat ad motum labefactandum *Zeno*, dicebatur *Achilles*, non tam quod eſſet validiſſima, quam quod ab *Achillis* velocitate ejus ratio & figura duceretur. Succedit *quinto* loco *ignava ratio*, turpe nomen inde nacta, quod tale quidpiam admittatur, quale per hanc argumentationem admitti Dialecticì volunt, omnis e vita tollitur actio. Quo cardine vertitur tota ratio fati, libertatis, neceſſitatis. Conf. *Cicero de Fato Cap.* 12, & *Auguſtinus de C. D. Lib. V.* Interrogandi modus, quem metentem, aut λόγον θερίζοντα, dicunt, ac de quo *Ammonius* ad *Ariſtotelem* περὶ ἑρμηνείας *Sect. II Cap.* 10, vel parum admodum differt ab ἀργῷ λόγῳ, vel nihil. Eodem ſpectaſſe creditur dominans ratio. Conf. *Arrianus* ad *Epict.* [illegible] In medio conſiſtit, quæ *ſextum* locum occupat, *piſtilli verſatio*, ὑπέρου περιτροπή, quo nomine dicitur argumentatio, quæ, ab eodem ad idem progreſſa, fertur in orbem, efficitque nihil. Quemadmodum, qui pinſit aliquid in mortario, piſtillum tollere ſolet ac deprimere, non autem circumagere; ſic diſputans haud ludere verbis circumeundo, ſed recta ferri, tundere, jaculari. Modus hic argumentandi circulus vocatur ab *Ariſtotele Poſterior. Lib.* I *Cap.* 3. *Septimo* conſiſtunt loco, qui diſputant obſcure, quorum non eſt una ratio. Nam alii diſputant ita, quod aliter nequeant, alii, quod aliter nolint. Illi vel impediuntur ingenio, vel ipſa re, de qua diſputant. Ad ingenium quod attinet, quidam, ejus anguſtia tarditateque, res, ad explicandum ſibi propoſitas, non aſſequuntur; quidam, nimia quadam celeritate & abundantia, rapiuntur ſupra res ipſas. Inde patet, aliis deeſſe facultatem ad res comprehendendas & collocandas, aliis modum. Primis diſputatione interdicitur, ſequentes arte corrigant animi fervorem, quo exæſtuant, & indidem ortam præſtandi libidinem. Aliis, vitia vitare volentibus, religio ſit, nihil dicere, aut ſcribere, quod non excuſſerint in partes omnes, penitusque cognorint, neve familiare

Pag. 44. 55. 56. 57. 70. 83. 84.

liare ſibi, diuturna meditatione & commentatione, red-
Pag. 86. diderint. Hinc &, quæ ſunt recte cogitata diſtributa
que, ſermone efferantur mundo & illuſtri, qui lumine ſuo
rerum pulchritudinem oſtendat. Sint aurea, quæ cogitaſti;
ſi verborum ſordibus infuſcas, ex auro lutum facis: quod
autem lutulentum eſt, quid mirum, ſi ſit idem tenebri-
95. coſum? Nos autem progredimur ad *Electram, octava* tracta-
tionis argumentum, quam *Diogenes Laert.* memorat in *Eu-*
96. *clidis vita Lib. II n. 108*, & *Lucianus* in *Sectarum auctione.*
Nomen habet ab *Electra*, quæ, cum *Oreſte*, nondum agnito,
loquens, *Oreſtem* eſſe fratrem, norat, quocum loqueretur, eſ-
ſe, non norat. Exemplum eſt in *Menone Platonis:* quod
quæris, vel ſcis, vel neſcis; ſi ſcis, fruſtra quæris; ſi neſcis,
105. etiamſi invenias, non agnoſces. Indidem occaſio mox repe-
titur, de ſcientia & inſcitia, quæ pertinet ad mores, agendi
114. in *nona* Acroaſi *Penultimum* occupat locum *Ariſtotelis* ad
116. *Lib. I Topic. Cap. 11* commentatio. Perveſtigatur hic, qua-
tenus de Dei cultu & amore parentum quæri poſſit; deinde,
liceatne in quæſtionem vocare, quæ ſenſibus percipiuntur;
poſtremo, quid ſentiendum de illis ſit, qui vel nimis plana
& explicata, vel recondita nimis & implicata, diſputationi-
127. bus agitant ſuis. Agmen denique claudit ἐπιχείρημα, ab
ἐπιχειρεῖν dictum. Ab *Alcinoo* in *Inſtitut. ad doctrinam Pla-
ton. Cap. 3* dicitur ars epichirematica, Logicæ pars, apodicti-
cæ oppoſita, quia, quod propoſitum eſt, non firma neceſſa-
riaque ratione demonſtrat, ſed, argumentorum in utramque
partem contentione, probabile facit. Conf. *Quintil. V, 10, 14.*
140. Ad finem undecim Diſſertationibus totidem Epiſtolæ dedica-
toriæ ſubjunguntur, ſingulis, cum antea ſeorſim ederentur,
præmiſſæ, partim occaſionem, partim qualemcunque præ-
viam expoſitionem argumenti, complexæ. In omnibus *Fac-
ciolatum* & ſubtilem diſputatorem, & caſtiſſimi ſermonis ſtu-
dioſum, agnoſcimus, de novo hoc cultiſſimæ eruditionis ſpe-
cimine non minus ei gratulantes, quam,
applaudentes.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLII.

Pars II.

LITURGIA ANTIQUA HISPANICA, GOTHICA, Iſidoriana, Mozarabica, Toletana, mixta, illuſtrata, adjectis vetuſtis monumentis, cum additionibus, Scholiis, & variantibus lectionibus, ad vetuſtiſſimorum Codicum fidem exactis.

Tomi II.

Romæ, typis & ſumtibus Hieronymi Mainardi, 1746, fol. Tom. I Alph. 3 plag. 18, Tom. II Alph. 6.

Præclarum quidem & ſplendidum, de quo dicere inſtituimus, Opus eſt; brevibus tamen monendi ſunt Lectores, haud novam plane eſſe Liturgiam, hic deſcriptam, ſed jam olim *ſex Tomis*, Venerabilis *Joſephi Mariæ Thomaſii*, ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalis Presbyteri, cura, editam. A quampluriinis vero ſacrarum & antiquarum rerum ſtudioſis optabatur, ut docti illi labores liturgici, una cum vetuſtis monumentis, anecdotis, annotationibus, ſcholiis, & variantibus lectionibus, ſingulari opere exhiberentur. Itaque juſſo illorum deſiderio nunc, gaudente orbe erudito, factum eſt ſatis. Ipſum autem inſtitutum tale eſt, ut, rem divinam Hiſpanicarum eccleſiarum perſpicuam

Digitized by Google

hic redditam, rituſque venerabiles ac vetuſtos, non ita feliciter olim plurimis intellectos, explicatos hic eſſe, atque in apricum prolatos, non poſſit non gratiſſimum eſſe partim exteris Romanæ eccleſiæ ſociis, partim ipſis nationis Hiſpanicæ hominibus religioſis, quibus hæc quaſi propria ſunt & domeſtica. Exhibetur itaque in *primo Volumine Præfatio generalis*, ſive admonitio ad Lectorem, in qua etiam *Excerpta* Clariſſimi Viri, *Joſephi Blanchini*, Congregationis Oratorii Romani Presbyteri, quibus eadem monumenta liturgica illuſtrat, expromuntur.

Pag. 1. Tunc in fronte Operis noſtri, ſeu, ſi mavis, *ſecundo* loco, legitur *Tractatus hiſtorico-chronologicus* de Liturgia antiqua Hiſpanica, Gothica, Iſidoriana, Mozarabica, Toletana, mixta, quam ex Hiſpaniæ Conciliis, Romanorum Pontificum geſtis, Regum Hiſpanicorum Diplomatibus, aliisque, ad præſens inſtitutum liturgicum utilibus, documentis, collegit, digeſſit, & illuſtravit, Vir Clariſſimus, *Joannes Pinius*, Societatis Jeſu

115. Theologus. Tum ſequitur notitia *Breviarii Mozarabici*, quod ita inſcribitur: Breviarium ſecundum regulam Beati *Iſidori:* quod magna cum diligentia perfectum, & emendatum per Rev. in utroque Jure Doctorem, *Alfonſum Ortim*, Canonicum Toletanum, quondam impreſſum in regali civitate Toleti, juſſu *Franciſci Ximenes*, ejusdem civitatis Archiepiſcopi, anno Chriſti ſupra milleſimum quingenteſimum ſecundo.

117. Exſtat hoc Breviarium in Bibliotheca *Vallicellana*. Excipit hoc monumentum antiquum *quarto* loco *Ordo divini officii Gothici Mozarabici*, excerptus atque in Latinum ſermonem converſus ex Hiſpanico libro de Vita & geſtis *Franciſci Ximenes*, S. R. E. Cardinalis, ab *Eugenio Robleſio*, Toletano. Deſumtum eſt hoc monumentum ex Bibliotheca *Renati Poterii*,

122. Epiſcopi Bellovacenſis. *Quintum* monumentum, cujus hic copia nobis facta, eſt *index libelli orationum*, ſive Orationarii eccleſia-

133. ſticorum officiorum Gothico-Hiſpani. Exſtat *ſexto* loco Cl. Viri, *Cajetani Cennii*, ſacroſanctæ Baſilicæ Vaticani Presbyteri Beneficiati, de libello orationum Gothico-Hiſpanico Codicis Veronenſis judicium, quod ex *Tomo I* operis *de Antiquitate eccle-*

137. *ſiaſtica* deſumtum eſt. Sequuntur *ſeptimo Joſephi Blanchini*,

Con-

Digitized by Google

Congregationis Oratorii Romani Presbyteri,annotationes in li-
bellum orationum antiquiſſimum ritus Gothico-Hiſpanici. Le-
gitur deinde *octavo* loco *Collectio Hymnorum antiquorum*, ab Pag. 138.
ipſo *Blanchino* illuſtratorum in ſuis annotationibus, cum
variantibus lectionibus. *Nono* ſequuntur *Excerpta* ex anti- 211.
quo libro rituali Provinciæ Remenſis de ritu benedictionis
cerei paſchalis; cui *decimo* additur diſquiſitio de Feſto Nati- 216.
vitatis S. *Joannis* Baptiſtæ, in eccleſia orientali & occidenta-
li celebrato, a PP. *Bollandinis* Societatis Jeſu conſcripta.
Reliqua, quæ hic ſequuntur, ſunt: *Excerpta* ex officiis S. *Am-* 290.
broſii, Epiſcopi Mediolanenſis, de S. *Laurentio*, Levita &
Martyre; Paſſio D. *Sixti*, *Laurentii*, & *Hippolyti*, ex MSto
Codice Bibliothecæ Alexandrinæ Vaticanæ; denique *Miſſa* 293.
de Paſſione, ſeu de Martyrio, S. *Joannis* Baptiſtæ, ex vetuſtis 294.
Sacramentariis Latinis.

Accedimus ad *ſecundum Volumen* operum & monumen-
torum liturgicorum, hic deſcriptorum, quorumque numerus
ad *ſeptem & viginti* exſurgit. *Primo* loco exſtat libellus ora- 1.
tionum eccleſiaſticorum officiorum Gothico-Hiſpanicus, ex
parte alias deſcriptus in Breviario Mozarabico, antiquiſſimi
ritus *Iſidoriani*. *Secundo* legitur *Præfatio* in Pſalterium Ve- 13.
nerabilis *Joſephi Mariæ Thomaſii*, S. R. E. Cardinalis, quam
ſtatim excipit diſtributio Pſalmorum & Canticorum in 149.
officia nocturna atque diurna ſecundum antiquum pſallendi
morem Eccleſiæ Romanæ. *Quarto,quinto,ſexto,& ſeptimo* lo- 150.
co, ſiſtuntur hæc: Hypotheſis *Euſebii Pamphili* in Pſalmos; S.
Baſilii, Epiſcopi Cæſarienſis, in Pſalterium Prologus; Præfatio 153.
S. *Hieronymi*, Presbyteri, in Pſalterium, quod ſecundum edi-
tionem LXX Interpretum correxit. *Octavum* penſum ab- 155.
ſolvit *Pſalterium* de translatione LXX Interpretum, iterum
emendatum a S. *Hieronymo* Presbytero, a Venerabili Cardi-
nale *Joſepho Maria Thomaſio* verſibus priſco more diſtin-
ctum, argumentis & orationibus vetuſtis, novaque literali
explicatione, breviſſime dilucidatum. Accedunt huic editio-
ni nova argumenta Pſalmorum ex Pſalteriis, Syriaco, Arabi-
co, Æthiopico, & ex *Hieronymo*, ab eodem Clariſſimo Autore

Digitized by Google

collata, atque ex avtographo Codice Bibliothecæ Eminen-
tiſſimorum & Reverendiſſimotum Principum Cardinalium
Albanorum cura *Joſ. Blanchini* edita; item Breviarium S.
Pag. 445. *Bedæ* Presbyteri de titulis Pſalmorum ex *Caſſiodoro*. *Decimo*
loco, & ſequentibus, occurrunt Hymni & orationes variæ,
449. ex antiquis Codicibus excerptæ; Symbolorum Catholicæ fidei
450. collectio; Index Pſalmorum pœnitentialium, gradualium, &
Allelujationum, quin & Exordia Pſalmorum & Canticorum.
452. Inde legimus Epiſtolam inſignem Eminentiſſimi & Reveren-
457. diſſimi Cardinalis *Dominici Paſſionei*, ad Abbates & viſitato-
res Congregationis Helvetico-Benedictinæ datam, quo tem-
pore fuit Nuntius Apoſtolicus apud Helvetios, de pio atque
460. ſalutari uſu Pſalterii. Hanc ſequuntur Venerabilis *Joſephi*
Mariæ Thomaſii de privato eccleſiaſticorum officiorum
Breviario extra chorum annotationes; Verſus pervetuſti de
463. S. *Gregorio Magno*; Conſtitutio S. *Gregorii* Papæ *VII* de
ordine Præfationis Pſalmorum in Eccleſia, ex Codice MSto
undecimi Seculi, ſervato in Bibliotheca Vaticana, deſum-
464. ta; *Prudentii*, natione Hiſpani, Epiſcopi Tricaſſini, liber,
inſcriptus: *Flores Pſalmorum*, cum ejus Prologo: accedunt
476. variantes Lectiones ex Codice MSto Vaticano; Litaniæ,
Preces, Hymni, Antiphonæ, & Orationes, quæ Floribus Pſal-
508. morum adjiciuntur; Explanatio Symboli Apoſtolici ex eo-
514. dem MSto Codice; Explanatio Symboli *Athanaſiani*; alia
explanatio ejusdem Symboli ex citato Codice Bibliothecæ
Vaticanæ; Orationes ad adorandam Crucem Domini no-
518. ſtri Jeſu Chriſti, & ad poſcendum ſuffragium omnium
Sanctorum; Orationes antiquæ ſuper ſeptem Pſalmos pœ-
521. nitentiales; itemque ad Angelos, & Sanctos varios, & ad
Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; Litaniæ ſacræ &
Rogationes ad honorem Dei, ſanctæ Dei genitricis *Ma-*
533. *riæ*, & omnium Sanctorum, pro quacunque tribulatione,
ſive aliqua neceſſitate, ex MSto Codice Bibliothecæ Vati-
canæ. Finem imponit Operi *Index* ſextuplex rerum
præcipuarum, & monumentorum ritualium, & divino-
540. rum officiorum, in hoc *Volumine* comprehenſorum; unde
eo-

Digitized by Google

copia & varietas rerum liturgicarum, in toto hoc Opere occurrentium, perſpicitur; ut adeo Theologis, fidem Romanam profitentibus, multo omnino liber iſte commodo ſit futurus.

SYMBOLÆ LITERARIÆ, OPUSCULA VARIA, philologica, ſcientifica, antiquaria, ſigna, lapides, numismata, gemmas, & monumenta medii ævi, nunc primum edita, complectentes,

Volumen I.

Florentiæ, ex imperiali typographia, 1748, 8 maj. Plag. 14, cum Tabb. 2 æri inciſis.

Admodum diligens, ac de literis optime meritus, Præpoſitus Florentinus, *Anton. Franc. Gorius*, Autor eſt utiliſſimi, nec ſatis laudandi, inſtituti harum *Symbolarum*. Cum enim in præſens magna volumina paret, quibus tam *Muſeum Etruſcum* continuandum ſuſcepit, quam Diptychorum collectionem edere in publicam lucem conſtituit; facile colligi poteſt, præſtantiſſimorum horum Operum apparatum & elaborationem omne ipſi fere tempus abſumere, atque eum impedire, quo minus aliis laboribus operoſis perfungi, atque amicorum ſuorum doctiſſimorum deſiderio, qui ſemper aliquid novi ab ipſo expetunt, ſatisfacere, poſſit. Hanc in rem, ne penitus, dum alia ab ipſo magna exarantur opera, ſileat, animum induxit collectionem hanc elegantiſſimorum opuſculorum in lucem proferre, ac tum doctas, a ſe ipſo elaboratas, tum amicorum, cum quibus literarum commercium habet, Diſſertationes ineditas ſuppeditare, paucis quibusdam, quæ jam in lucem educta, ſed rariſſima noſtro ævo, ſunt, inſertis. Ex ipſa *primi* hujus *Symbolarum Tomi* inſcriptione facile patet, quænam potiſſimum argumenta ſint, quæ in exhibendis Commentationibus tractabuntur. Exponent iſta nimirum de rebus ac monumentis antiquis, tam ſacris, quam profanis, de elegantioribus literarum ſtudiis, ad quæ & ea paſſim adjunget,

 get,

Digitized by Google

get, quæ ad monumentorum medii ævi cognitionem ſpectabunt.

Primum Volumen complectitur *admiranda antiquitatum Herculanenſium, deſcripta & illuſtrata ab Anton. Franc. Gorio*, quibus omnia, quæ adhuc de Herculanenſibus antiquitatibus, ex Veſuvii cinere ac pumicibus eruta, innotuerunt, juſto ordine, & tam copioſe, memorentur, ut elegans hæc Commentatio inter reliquas, quæ de hoc argumento editæ ſunt, facile adhuc

Pag. 2 ſeq. principem oblineat locum. Initium facit *plauſus orbis literati ſeptentrionalis* ob vetera monumenta, quæ ex recens detecto Herculaneo eruuntur. Exhibentur hic vota pro felici in proferendis atque eruendis Herculanenſibus monumentis ſucceſſu, Virorum Celeberrimorum, *Jo. Matthiæ Geſneri*, & *Hermanni Samuelis Reimari*, quorum uterque gaudium ſuum de tanta ex his cavernis exſpectanda literarum ſtudiis felicitate teſtatus fuerat, ille *Programmate pro ſolvendis Academiæ Gottingenſis votis decennalibus*, hic vero literis, ad Eminentiſſimum Cardinalem *Ang. Mar. Quirinum* ſcriptis, cujus ipſæ ejuſdem argumenti literæ ad Cel. *Jac.*

9. *Wilh. Feuerlinum* ibidem leguntur. His præmiſſis, Autor noſter Herculanei ſitum & finitima loca, eorumque vetuſtiſſimos incolas, deſcribit, allatis veterum Autorum, *Flori*, *Pomponii*, *Melæ*, *Senecæ*, *Plinii*, *Velleji*, & *Strabonis*, teſtimoniis, ex quibus conficit, civitatem hanc ad mare ſitam fuiſſe, & urbes Formias, Cumas, Puteolim, Neapolim, maxime Pompejos, habuiſ-

11. ſe vicinas. Ejuſdem infelicis hujus urbis memoriam etiam in nummis conſervatam nobis eſſe, Autor noſter credit, hancque in rem ad nummum inſignem Etruſcum, ex Muſeo *Montemellinio* in *Vindiciis Alphabeti veterum Etruſcorum*, quas Italice edidit, *pag. 166* jam exhibitum, provocat. Viſitur in antica parte, ut ipſe ex addito caduceo ſuſpicatur, *Mercurii* caput; in poſtica vero equus, velociter currens, cui eques cum palma inſidet. In utraque facie duo globuli, nummi ſextantis indices, cernuntur. Equiti ſubſcriptæ literæ ſunt Etruſcæ, quas HERKUL legit Noſter, & de noſtris Herculanenſibus interpretatur. Ab his nummum hunc percuſſum eſſe, cum adhuc

Digitized by Google

adhuc ſub poteſtate Etruſcorum eſſent, conjicit *Gorius*, utque conjecturam probabilem efficiat, tradit, Herculanenſes quidem præ ceteris Numinibus *Herculem*, tanquam ſui conditorem, attamen etiam *Mercurium*, ut ex inventis pateat, coluiſſe, & quidem eam potiſſimum ob cauſam, quod Deus hic una cum *Hercule* commerciis, negotiis, ponderibus, &c. fuerit præpoſitus, & mercatorum tutelare exſtiterit Numen; ipſi vero Herculanenſes ad mare portum habuerint celebrem, ex quo in Siciliam, opibus tum & mercaturis maxime florentem, fecerint tranſitum. Optime hæc monet, ac tum occaſionem ſibi facit, quædam de cultu, *Herculi* non ſolum ab Herculanenſibus, ſed etiam a reliquis Campaniæ populis, præſtito, diſputandi. Pag. 12. 14.

His delibatis, fata, quæ Herculaneum ſubiit antiquis temporibus, percenſentur. Ex *Vellejo Lib. II. Cap. 15* patet, captum id fuiſſe ſociali bello anno U. C. 663, ex *Seneca* autem *Lib. VI Natural. Quaſtionum*, anno U. C. 816, Chriſtiano autem 63, partem hujus urbis, graviſſimo terræ motu facto, collapſam eſſe. Huic acceſſit *Xiphilini* teſtimonium, ex quo luculenter conſtat, hanc, a *Seneca* memoratam, calamitatem excepiſſe alteram, ſub *Tito*, longe triſtiorem, qua Herculaneum & Pompeji, integræ urbes, populo ſedente in theatro, penitus obrutæ fuerint. Cauſa miſeræ hujus everſionis fuit fatale illud Veſuvii montis incendium, cumque ejusdem etiam *Plinius* junior mentionem faciat, atque, iisdem his exhalationibus avunculum ſuum ſuffocatum eſſe, memoret, facile ex comparatis inter ſe *Plinii* & *Xiphilini* effatis tempus definiri poſſe judicat Cel. *Gorius*, quando funeſtam hanc cladem duæ iſtæ nobiles urbes acceperint, menſem nimirum Novembrem anni Urbis conditæ 832, Chriſtiani vero 79, & imperii *Titi Caſaris* 1. His expoſitis, paulum a via aberrat Autor noſter, & tam ad commemoranda alia monumenta, quæ hodie in Italia erui cœpta ſunt, quam ad prædicanda inſignia Italorum in his literarum ſtudiis merita, animum adhibet. Ad monumenta, feliciter noſtro ſeculo detecta, refert præſtantem horarium obeliſcum, a *Pli-* 16. 19.

Pag. 21. *Plinio Lib. XXXVI Cap. 15* deſcriptum, quem ab *Auguſto* in
campo Martio poſitum, novimus; item iconem integri pa-
vimenti, muſivo opere picti, quod nuper inventum eſt in
vinea Presbyterorum Societatis Jeſu, aliasque veteris Romanæ
elegantiæ pariter ac majeſtatis reliquias, a *Joſepho Alexan-*
24. *dro Furietto* illuſtratas. His adjungit brevem deſcriptionem
magnæ illius præſtantiſſimarum rerum ſupellectilis, noſtris
temporibus in Volaterranis, Cortonenſibus, Florentinis, Se-
nenſibus, Cluſinis, & Arretinis agris, inventæ, & inprimis hy-
pogæi illius ſepulcri, in *Muziorum* prædiis haud longe ab
oppido, quod hodie *Poggibonſi* vocatur, reperti, quod fuſe
25. percenſetur. Conſpicuæ in hoc præ ceteris fuerunt undecim
elegantiſſimæ urnæ, operis Etruſci, in quarum altera Etruſco-
rum nuptiales cerimoniæ, in altera vero animarum ad cam-
26. pos Elyſios transvectiones, in reliquis aliæ memorabiles figu-
riæ, viſuntur, ad quas inſignis vaſculorum, paterarum, urceo-
27. rum, amphorarum, inſtrumentorum ſacrificalium, armilla-
rum, annulorum, &c. numerus accedit, quæ omnia, accurate
tabulis æreis expreſſa, in lucem ſe editurum, & commenta-
28. riis illuſtraturum, Celeberrimus Autor promittit. Ad hæc illu-
ſtria, noſtro ſeculo reperta, antiquitatis monumenta merito re-
fert Cel. Autor aheneam illam ſingularis magnitudinis ta-
bulam, in agro Placentino erutam, & nuper Neapoli inven-
tum Calendarium vetuſtum ſanctæ Neapolitanæ eccleſiæ.
In illa continetur deſcriptio prædiorum, aſſignatorum ad ali-
menta præſtanda pueris ac puellis alimentariis ex indulgen-
tia optimi principis *Trajani*. Hoc Calendarium *Ma-*
zochius, & *Ludovicus Sabbatinus de Amphora*, illuſtrandum
ſuſceperunt.

31. Multis tum verbis prædicat Autor noſter Italorum in ex-
plicandis, atque in lucem publicam proferendis, antiquis, tam
ſacris, quam profanis, monumentis merita. In his principem
aſſignat locum ſummo eccleſiæ Romanæ Pontifici, *Benedicto*
XIV, Præſulibus porro *Furietto* & *Bajardo*, ac doctis Neapo-
litanis, Canonico *Mazochio*, *Ignatio Como*, *Joſ. Aurelio de Ja-*
nuario, *Joanni Anton. Sergio*, aliisque. Addit *Ant. Mariam Lu-*
pium,

Lupium, Salvatorem Mariam de Blaſi, Dominicum Schiano, Jo. Battanium, Florentinum, *Franciſcum* Equitem *Victorium, Rudolphinum Venutum, Contuccium, Joſephum Blanchinium, Joſephum* & *Stephanum Evodium Aſſemannos, Dominicum Georgium, Cajetanum Cennium, Marangonium, Moretium, Vezzoſium, Roggerium, Mamachium, Antonellium, Emanuelem de Azevedo, Petrum Lazerium, Franc. Anton. Zachariam.* Hos præclaros Viros excipiunt Aquilejenſes, Veneti, & Mediolanenſes. Ad hos *Joſeph. Ant. Saxius, Jo. Andr. Iricus,* & *Philippus Argelatus,* ad illos *Zanettus, Anſelmus Coſtadonus, Mitarellius,* ad iſtos *Joannes Dominicus Bertolius*, referuntur. Tranſit deinde ad Brixienſes, Veronenſes, Bononienſes, Luccenſes, & Florentinos, qui hodie ingenii & doctrinæ laude florent, ac memorat merita Eminentiſſimi Cardinalis *Quirini*, Comitis *Mazuchellii*, Marchionis *Scipionis Maffei, Joſephi Bartolii, Trombellii, Gratiolii, Muratorii, Annibalis de Abbatibus Oliverii, Jo. Bapt. Paſſerii, Joſephi Pancratii, Joannis Dominici Manſii, Anton. Mar. Biſcionii,* 37. *Petri Aloyſii Galettii, Joannis Lamii, Dominici Mariæ Manni, Laurentii Mehuſii, Leopoldi Guadagnii, Stephani Fabrucii, Alexandri Politi,* & *Odoardi Corſinii*, ita ut brevem quaſi Italiæ Hiſtoriam literariam recentiſſimam nobis hic tradere *Gorius* videatur. Sequuntur *Notitiæ* Virorum doctiſſimorum de antiquitatibus Herculanenſibus, ad *Gorium* per literas miſſæ, quas itidem ſuo ordine nunc percenſebimus:

Pag. 34.

Notitia I complectitur literas *Joſephi Stendardi*, architecti Florentini, quibus de nonnullis inſignibus monumentis, 39.
A. 1711 in regia villa *di Portici* erutis, exponitur. Memoratur in his, eo anno ſtatuam *Herculis*, a Græco artifice factam, itemque *Cleopatræ*, ſimulacrum, &, præter alia, quadratum marmor, ſive baſin aliquam, inventam eſſe, qua perpurgata, comparuerint grandiores literæ aheneæ, eidem marmoreæ baſi inſertæ, hæc verba referentes: *Appius Pulcher Caji filius.* Aliquot diebus poſt inventas fuiſſe, eædem literæ referunt, ſeptem ſtatuas Dearum operis Græci, & varias columnas. *Notitia II* refert literas Marchionis *Marcelli Venuti* ad *Gorium*,

Digitized by Google

quibus, præter fragmenta duarum ſtatuarum equeſtrium æris Corinthiaci, ac tres ſtatuas pedeſtres, humanam figuram longe excedentes, de invento, ac feliciter detecto, Herculanenſium theatro diſſerit. Deſcribit & alias, eodem tempore erutas, præſtantes infelicis urbis reliquias, ac ſuppeditat hanc, apud theatrum Herculanenſe inventam, inſcriptionem:

. . . . F. MAMMI . . . . . RVFVS. IIVIR.
QVN TEATR. ORCH . . . . . DE SVO

itemque aliam:

L. ANNIVS L. F. MAMMIANVS
RVFVS. IIVIR. QINQ. THEATR.
. . . . . . P. NVMISIVS ARC . . . . . TEC . . . . .

Notitia III alias ejusdem Marchionis literas exhibet, quibus, laborem excavationis ſtrenue continuari, & theatrum magis magisque retegi, nuntiatur. Recte ibidem verba jam excitati marmoris: ORCH leguntur ORCHESTRAM.
Pag. 45. In *Notitia IV* literæ ſunt Abbatis *Rudolphini Venuti*, quibus fuſius de antiquo theatro agitur, & inſignia fragmenta ſtatuarum præſtantiſſimarum, ibi inventarum, maxime efferuntur. Laudatur inprimis ſtatua coloſſea *Titi Veſpaſiani*. Suppeditantur ibidem aliquot, ſimul erutæ, inſcriptiones, in quibus illa præ ceteris memoria digna eſt, qua quadringenta
46. libertorum nomina percenſentur. Apparent ibidem nomina duarum tribuum VENERIA ET CONCORDIA. Literis tum longe majoribus viſitur vocabulum ADLEGERVNT, & ſub iſto percenſentur varii ingenii homines, additis tribubus ſuis. Hi ſine dubio coloniæ Herculanenſis decuriones fuerunt, qui magno illi libertorum numero jura impertiverunt. *Notitia V* exhibet literas Abbatis *Rudolph. Venuti*, quibus Autor retectam cameram, optimis figuris exornatam, quam
47. columbarium fuiſſe putat, deſcribit. His adduntur alia inſignia antiquitatis monumenta, in his confiniis inventa, inprimis Sarcophagus, in quo *Meleagri* mors expreſſa cernitur.

Noti-

Notitia VI literas habet, ab eodem Cel. Autore ſcriptas, quibus de multis inventis picturis, de elegantiſſimo maximæ magnitudinis nummo, *Faunum* & ſacrificium exhibente, deque duabus inſcriptionibus, exponitur. *Notitia VII* referuntur aliæ Cel. *Venuti* literæ, quæ præſtantiſſimum illum pictum murum, quo *Theſeus* cum *Minotauro* exhibetur, breviter deſcribunt. His additur inſcriptio Etruſca in ara reperti templi *Herculis*, quæ una cum ipſius ſtatua inventa eſt, his literis compoſita: HERENTATEIS SVM. *Notitia VIII* & *IX*, quarum illa literas alias Cel. *Venuti* complectitur, hæc vero ex *Tomo primo Nov. literar. Florentin. pag. 138* & *139* deſcripta eſt, de iisdem elegantiſſimis, in muro reperto exſtantibus, pictis figuris imaginibusque exponunt. *Notitia X* literæ ſunt *Matthæi Ægyptii* ad *Gorium*, quibus ſtatua elegantiſſima *Tiberii*, & ara Etruſcorum cum inſcriptione Etruſca, cujus *Notitia VII* facta eſt mentio, deſcribitur. *Notitia XI* ex literis cujusdam docti Neapolitani de aliquot inventis inſcriptionibus antiquis, & de præſtantiſſima *Nonii Balbi* equeſtri ſtatua inventa, exponitur, cujus elegantiam Neapolitani ſupra omnem modum extollunt. *Notitia XII* generatim de inſigni inventorum antiquitatis monumentorum apparatu ac copia; *Notitia* autem *XIII* de picturis, nominatim de illa, quæ *Chironem* repræſentat, & in qua artem elegantiamque harum rerum periti vix ſatis mirari poſſunt; de erutis ſex ſtatuis togatis, miro artificio perfectis; de theatro, & de ſupra memorata præſtantiſſima equeſtri *Nonii Balbi* ſtatua, diſſeritur. *Notitia XIV* literas complectitur Neapolitani cujusdam Viri eruditi, quibus pictura, *Theſeum* cum *Minotauro* referens, ſummis laudibus effertur. Adduntur deſcriptiones aliarum aliquot picturarum, ac memoratur ſimul, inventa eſſe quoque vaſa vitrea. *Notitia XV* exhibentur literæ docti cujusdam Viri Neapolitani, qui ad ruinas illas Herculanenſes, ut eas curate videret, profectus fuerat. Deſcribuntur in his præſtantiſſimæ potiſſimum, quæ ibi erutæ ſunt, picturæ, illæ nominatim, quæ *Chironem* cum *Achille* infante; *Jo-*

Pag. 49.
51.
54.
56.
57.
62.
63.

vem a capra nutritum; *Jovem* ſenem; *Herculem*, cet. referunt. Miratur is inprimis architecturæ genus, quod paſſim in his picturis, ædificia columnasque referentibus, cernatur,
Pag. 65. idque plane tam a Græco & Latino, quam ab Etruſco, diverſum eſſe, obſervat, additque, deſcripſiſſe ſe XIII, ibi inventas, inſcriptiones Romanas, ex quibus eximiam lucem multis veterum ſcriptorum effatis accendi poſſe, ſibi perſuadet; ſine dubio vero nimium ſibi hac in re promittere videtur, quando, ni fallimur, XIII illæ inſcriptiones, de quibus tam magnifice gloriatur, in earum numero ſunt, quas Illuſtr. Marchio *Scipio Maffæus* jamjam *literis*, ad *Rubeiſium* ſcriptis, Veronæ A. 1748 in lucem publicam, una cum aliis, ibidem in-
67. ventis, emiſit. *Notitia XVI* varia ex literis *Pauli Mariæ Paciaudii* ſuppeditat, quæ in præſtantiſſima illa Opuſculorum collectione Rever. Patris *Calogiera Tom. XXXVIII pag. 349* exſtat. Varia ibi, in ſuperioribus jam percenſita, memorabilia miſeræ hujus urbis narrantur, tam quæ ad ſtatuas, ac præſtantiſſimas picturas, quam quæ ad eruta ſimul tot varia utenſilia, tripodes, pateras, urceos, candelabra, ſellas curules, cet. ſpectant. Addit, in repertis inſcriptionibus eas inprimis eſſe memoratu dignas, quæ decretum gymnaſiarchæ de ludis athleticis, &
70. duas honeſtas miſſiones, complecterentur. *Notitia XVII* continet paragraphum quartum libelli, Venetiis A. 1734 impreſſi, & ita inſcripti: *Notizie curioſe intorno allo ſcoprimento della città d'Erculano vicino a Napoli.* Præter ea, quæ aliis jam literis, modo percenſitis, traduntur, viſu inprimis dignam
71. judicat Autor auream Jovis ſtatuam erutam, una cum ſtatuis virorum conſularium, *Veneris, Nonii Balbi*, ac larvis ſcenicis. Reliqua, quæ in his literis ſunt, *Notitia XVI* jam deſcripta
73. cernuntur. *Notitia XVIII* de ſitu antiquo tam Herculanei, quam Retinæ, diſputatur, & accurata notiſſimæ illius, quæ adhuc doctiſſimorum virorum ingenia exercuit, de *Nonio Balbo* inſcriptionis interpunctio ita exhibetur:

M. NONIO. M. F
BALBO
PR. PRO. C
HERCVLANENSES

Quæ

Digitized by Google

Quæ interpungendi ratio, quoad literas PR. ſpectamus, cum interpretatione in Illuſtr. *Maffei* Epiſtola, ſupra memorata, *pag. 30*, & Cel. *Hagenbuchii Epiſt. Epigraphic. de Diptycho Brixiano Boethii Conſulis pag. 169*, optime convenit, quorum uterque ſiglas, ab aliis ita diviſas: P. R. conjungit, &, *Nonium Balbum* PRætorem ſine dubio Romæ exſtitiſſe, eoque munere depoſito, in provinciam aliquam miſſum fuiſſe, ut ibi proconſulare obiret officium, ſibi perſuadet. *Notitia XIX* exhibet alias docti cujusdam peregrini literas, qui prope Neapolim tum, cum literas has ſcriberet, commoratus eſſe videtur. Is vero dignis verbis maximam & effuſiſſimam illam veterum, adhuc erutorum, monumentorum copiam exprimere neſcit. Inprimis deſcribitur ibi villa Patricii Neapolitani, *Mazza*, ruderibus ac ruinis antiquæ villæ *Pollionis*, *Auguſti* amici, ſuperſtructa, de qua varia haud inutilia memorantur, inprimis quæ ad inventa ibi monumenta antiqua atque inſcriptiones ſpectant. Ex iſtis tredecim Autor ſuppeditat, quarum prima eſt Chriſtiana, reliquæ profanæ. Earum ſecunda *P. Ælii philologi* monumentum ſepulcrale, a Pag. 78. matre ipſius *Ælia Aphrodiſia* poſitum, continet. Literis his adduntur varia de notiſſimo illo, recens detecto, obeliſco horario, ab *Auguſto* Romam translato, ſed temporum poſtea injuria miſere in terram depreſſo ac ſepulto. *Notitia XX* deſcriptionem excavationis, quæ in villa Reſina fit, exhibet, miſſam ab Eminentiſſimo Cardinale *Angelo Maria Quirino* ad Cel. Gottingenſium Profeſſorem, *Jo. Matth. Geſnerum.* 85. Refertur in hac deſcriptione, jam ante quinquaginta annos prope ad eum locum, ubi nunc tot ſplendida monumenta eruantur, palatium exſtrui cœptum, inventasque ibidem fuiſſe ſtatuas pulcherrimas; quæ vero clam regno exportatæ ab aliis fuiſſent. Addit, regio poſtea juſſu noſtris temporibus ipſum excavationis opus ſuſceptum eſſe, tam felici, tamque optato, ſucceſſu, ut marmora, per quinque, vel ſex, annorum ſpatium eruta, tam illuſtre formaverint antiquitatis muſeum, quale terrarum princeps, qualiscunque fuerit, multis ſeculis nequaquam foret exſtructurus: nullum adhæc præterire

 diem,

diem, qui nova oculis noſtris haud ſubjiciat, ita ut quotidie numerus tot præſtantiſſimorum antiquitatis monumentorum augeatur, & majora incrementa capiat. Inprimis ſummis laudibus *M. Nonii* ſtatua equeſtris effertur, ac monetur, eam ſine dubio ab artifice Græco conflatam fuiſſe, & dignam, quæ celeberrimæ illi *Antonini* ſtatuæ Romanæ, ad Capitolium poſitæ, longe præferatur. In eundem fere cenſum refert ſtatuam *Vitellii*, miro itidem opere perfectam; ſex ſtatuas æreas, ultra hominis menſuram aſſurgentes; unam plane nudam *Neronis*, fulmen manu, ut *Jupiter*, tenentis, aliasque plures minores vix numerabiles. Statuis his præſtantiſſimis adjunguntur plurima vaſa ænea, culinæ potiſſimum uſui olim deſtinata, in quibus patina quædam primo fere loco ponenda eſt, quæ in furno quodam Herculanenſi, una cum clibanite, in ea incinerato, inventa fuit; quo &, præter præſtantiſſimas columnas, varii generis ſeræ, claves, repagula, cornices, cardines, arma, aliaque, referenda ſunt. Inprimis rumor urbem eo tempore peragrabat de invento libro æneo quatuor tabularum. Complectuntur iſtæ honeſtam militum ejus loci miſſionem; quibus vero verbis illa concepta ſit, nemini adhuc compertum eſt, cum ipſe Rex potentiſſimus quatuor has tabulas *ſub clave*, uti dici ſolet, conſervet, neque ulli, eas deſcribendi, facultas concedatur. Multæ præterea inſcriptiones erutæ invento huic vetuſti ævi monumentorum apparatui princeps fere ornamentum conciliant. In his ea inprimis laudatur, quæ familias Romanas percenſet, ſatis longa & elegans. Hæc omnia ſatis demonſtrant, ſitam ibi, ubi excavatio hæc fit, ſine dubio fuiſſe civitatem, quam Herculaneum eſſe, vel ex eo non ſine probabilitate intelligitur, quod ejus civitatis incolæ ſtatuam *M. Nonio Balbo*, de qua ſupra diximus, ſtatuerunt, ibi erutam. Ab hac, feliciſſimo ſucceſſu ſuſcepta, excavatione alia haud minus inſignis, quæ regio juſſu Cumis inſtituta eſt, differt. Inventa ibi eſt nobilis porticus cum ſtatuis Coloſſicis, in quibus *Hercules* inprimis omnibus maximam movet admirationem, tam bene fabrefactus, ut Farneſio *Herculi* palmam fere dubiam facere videatur.

tur. Eo & referuntur duæ optimæ inſcriptiones, quarum
altera Græce conſcripta, altera ligata oratione in laudem
Veneris compoſita eſt, intellectu ceteroqui difficillima, cui
accedunt infinitæ aliæ libertorum inſcriptiones ſepulcrales.
Quod in hac deſcriptione inprimis eſt notandum, ejus Autor,
non urbem Herculaneum, ſed villam *Retinam*, hodie *Reſi-
nam* vocatam, inventam, & ex hujus ruinis tot præſtantiſſima
antiquitatis monimenta eruta eſſe, ſibi perſuadet. Miranda
ceteroquin eſt bituminis, quod Veſuvius eructavit, & ſub quo
Herculaneum ſepultum fuit, altitudo. Ipſa enim excava-
tio 80 palmarum altitudinem habet, ex quo haud obſcure
conficitur, illius regionis tractum *Titi* temporibus tanto hu- Pag. 92.
miliorem ac depreſſiorem exſtitiſſe. Præſtantiſſimas eru-
tas picturas, manum pantheam, aliaque inſtrumenta parvula,
muliebria maxime, ut ſunt acus, vulſellæ, digitalia, prætereun-
do quaſi tangit Autor, ac orbi literato maximam facit ſpem,
fore, ut omnem optimarum harum rerum apparatum, qui a
peritiſſimo Romano artifice tabulis æneis regio juſſu ac ſum-
tu inciditur, brevi tempore luci publicæ expoſitum videat.
In *Notitia XXI* ex *Petri Laſenæ* libro *dell' antico Ginna-* 94.
ſio Napoletano, ejusque *Capite IV*, ea proferuntur, quæ ibi de
effato quodam *Dionis* & *Xiphilini* diſputata ſunt. Qua qui-
dem in re *Laſena* inprimis probare laboravit, Hercula-
neum non ſingulare habuiſſe theatrum; ea vero, quæ de iſto
apud *Dionem* occurrere videantur, de Neapolitano theatro
eſſe interpretanda. Erronea vero eſt hæc *Laſenæ* opinio, ut
infra monſtrabitur. *Notitia XXII* literæ docti cujusdam
Neapolitani Viri percenſentur, qui multa orbi literato a ſe ex-
ſpectanda ipſe promittit, ac de novo a ſe invento ſyſtemate
chronologico, quod ad Herculani ſpectaret fata, loquitur;
utrum autem vera dixerit, ſibique plauſum, quem ante divi-
nare videtur, conciliaturus ſit, eventus docebit. Sequitur de-
nique *Notitia XXIII*, qua literæ alius docti Viri, ad Cel. no- 101.
ſtrum Autorem ſcriptæ, ſuppeditantur. Generatim is fatetur,
omnia, quæ adhuc de his Herculanenſibus erutis monumen-
tis literis tradita ac memorata fuiſſent, admodum manca eſſe;
haud

Digitized by Google

haud tamen ngligentiam Neapolitanorum ea de re accuſat, ſed eos defendit potius, eosque dudum omnia, ſi ipſis licitum

Pag. 102. fuiſſet, præſtituros fuiſſe, credit. Lectu inprimis digna ſunt, quæ de rheda curſoria, ſive ciſio veterum, in antiqua pictura expreſſo, Autor diſſerit, quodque ejusmodi eſſe refert, ut facile ex eo ratio ejusmodi antiquorum curruum oſtendi ac concipi poſſit. Suppeditat quoque nonnullas, breves ceteroquin, inventas ibi inſcriptiones, quarum prima eſt:

L. ANNIO. L. F. MEN.
II VIR. ITER. QVIN
.... VIR. EPVLONVM

ſecunda:

M. CALATORIO L...
MEN. RVFO. FRAT....

tertia *Nonii Balbi* ſupra memoratum marmor exhibet; quarta vero aliam inſcriptionem, quæ *Nonii Balbi* nomen præ ſe fert, his verbis conceptam:

M. NONIO M. F. BALBO
PATRI
D. D.

quinta denique matris *Balbi* mentionem facit:

VICIARIAE. A. F. ARCHADI
MATRI. BALBI
D. D.

104. His *Notitiis*, quaſi fundamento, innituntur ea, quæ jam Cel. noſter Autor de Herculanenſibus antiquitatibus diſputare ag-

105. greditur. A. 1711 in viciniis regiæ villæ, cum puteus altius effoderetur, primæ egeſtiones factæ, ac varia marmorum antiquorum fragmenta reperta ſunt, in quibus primo loco marmoreum *Herculis* ſimulacrum, Græci ſculptoris opus, ponendum eſt. Continuato opere, apparebat quadratum marmor, ſeu baſis, in qua hæc legebantur:

AP-

Digitized by Google

APPIVS. PVLCHER Pag. 107.
CAII. FILIVS

Literæ hæ aheneæ ſunt, & lapidi inſertæ; ipſa vero hæc baſis 108.
utrum ſubjecta fuerit ſtatuæ ejusdem *Appii Pulcri*, in ipſo forſitan vicino templo collocatæ, an pertinuerit ad donarium aliquod votivum, ab *Appio Pulcro* in *Herculis* ædem delatum, incertum eſſe videtur. Templum, cujus rudera ibi detecta ſunt, *Herculis* fuiſſe, ex ſimulacro *Herculis* mar- 109.
moreo, ibidem invento, ex figura templi rotunda, & ex aliis, ibi inventis, *Herculis* ſtatuis, non ſine probabilitate colligi poſſe videtur. Reperta ſimul ſimulacra ſunt, circa templum diſpoſita, quæ ſine dubio *Muſas*, *Herculi* tanquam comites additas, olim repræſentarunt. De ipſo *Appio Claudio*, cujus 110.
nomen in baſi inventum fuit, ex *Glandorpii Onomaſtico* Cel. *Gorius* obſervat, *Appii* cujusdam *Ciceronem Lib. II de Offic.*, & *in Verrem VI*, & alibi, mentionem facere, quem tamen noſtrum fuiſſe, vix perſuadere nobis poſſumus, ob prænominum potiſſimum diſcrimen, quoniam *Ciceronis Appius Appii*, noſter vero Herculanenſis *Appius Caji*, prænomen tulit. *Appii* hujus meminit etiam vetus marmor apud *Murato-* 111.
rium Inſcript. pag. 675, in quo *ſeptemvir epularum* dicitur, ſuſpicaturque Cel. *Gorius*, *Appium* hunc vel condidiſſe, vel inſtauraſſe, Herculanenſium templum, *Herculi* conſecratum, vel etiam ſplendidiſſimum donarium eidem dedicaſſe, & appoſita ſumtuoſa & magnifica, literis ex ære auratis, inſcriptione exſtare voluiſſe ſuæ liberalitatis perpetuum monumentum. Ii, qui, egeſtiones has eo in loco, ubi Retina olim, quæ 112.
vulgo hodie Reſina, ſteterit, fieri, exiſtimant, Autori noſtro parum ſeſe commendant. Erroneam hanc eſſe ſententiam, 113.
tam ex *Plinio Lib. VI Epiſt. 6*, ubi Veſuvii incendium, & avunculi ſui mortem, accurate deſcribit, quam ex *Cluverio*, demonſtrat. Nec Autor illius deſcriptionis, quam Eminen- 114.
tiſſ. Cardin. *Quirinus* literis, ad *Geſnerum* datis, inſeruit, ipſi hac in re ſatisfacit, ſiquidem is antiquum Herculanei ſitum ita deſignat, ut eo in loco, ubi hodie *il torre del Greco* 115.
ſit, ſtetiſſe debuiſſet. Obſervat potius ex *Dionyſio Halicar-*

naſſenſi, Herculaneum, inter Pompejos & Neapolin ſitum,
portum habuiſſe & ſtationem claſſis, adeoque cum hoc vico
confuſum eſſe Retinæ unicum ſub Miſeno; Pompejos, op-
Pag. 116. pidulum, hodie *Scafati* appellatum, itidem, uti Hercula-
neum, *Herculem* condidiſſe, fuiſſeque iſtius numinis cultum
117. antiquiſſimum. Hæc cum ita ſint, merito quæritur, quisnam
ante ſociale bellum Herculanei ſtatus fuerit. Docet id *Strabo*
Lib. V pag. 247, cumque ex *Vellejo Lib. II Cap. 16* conſtet,
Herculaneum anno U. C. 663, ante C. N. 90, in Romanorum
poteſtatem veniſſe, facile colligi poteſt, ejus ſtatum talem,
118. qualis municipiorum & coloniarum exſtitit olim, fuiſſe. Eo,
ut ad alias Campaniæ civitates, deductam fuiſſe coloniam,
non dubium videtur; quando vero id factum ſit, nondum
ſatis liquet. Autor noſter deductionem coloniæ *Neroni* eam
ob cauſam potiſſimum tribuit, quoniam ipſius ſtatua coloſ-
ſica, *Jovis* ſpeciem habens, & dextra fulmen tenens,
inventa fuit, fatetur tamen ſimul, eam & aliis Imperatori-
bus, ut *Tiberio*, ut *Tito*, ut *Veſpaſiano*, haud minori probabi-
litate poſſe aſſignari. Patet porro ex inventis lapidibus, qui
memoriam conditi magnifici theatri ſervant, habuiſſe no-
120. ſtrum Herculaneum, ut alia municipia & reliquas colonias,
duumviros, cenſores, ædiles, quæſtores, curatores ſacrorum,
aliosque ejus generis, in municipiis & coloniis ſolitos, magi-
121. ſtratus. Sine dubio etiam Herculanenſibus, uti Pompejanis,
patroni haud defuerunt, id quod & de decurionibus non
122. ſine probabilitatis ſpecie affirmandum eſſe videtur. Id ex eo
quodammodo judicari poſſe, Celeberrimus noſter Autor exi-
ſtimat, quod, in vicinis urbibus, quarum ratio ab Herculanei
conditione ne minima quidem in re diſtabat, itidem decurio-
nes exſtitiſſe, novimus. Probari id poteſt ex *Plinio Hiſtor.*
Natural Lib. II Cap. 52, &, quoniam in inſigni aliquo Her-
culanenſi monumento *L. Annii Mammiani Rufi* mentio facta
eſt, qui ſuis ſumtibus theatrum & orcheſtram Herculanenſi-
bus exſtruxit, & duumvir quinquennalis fuit, haud abs re fore
arbitratur, ſi, dato ad deflectendum de via loco, paulo
123. excurreret, ac de duumvirum veterum ratione, deque *Annia*
cele-

celebri familia, quædam diſputaret. Pergit deinde ad alia reperta Herculanenſium templa, *Herculi* conſecrata, eorumque duo deſcribit. In horum parietibus præſtantiſſimæ picturæ omnium admirationem ſibi conciliarunt, illæ præſertim, quæ *Theſeum*, *Herculis* virtutum & gloriæ æmulum, interemto ad pedes ſuos *Minotauro*, & pulcherrimum labyrinthi Cretenſis ædificium, ob oculos ponunt, &, quoniam ita expreſſus eſt, ut fortiſſimo huic viro Athenienſes virgines & pueri lætantes manum oſculentur, occaſionem ſibi per id Autor noſter literatiſſimus facit, de priſca illa victorum manus oſculandi conſuetudine varia erudite diſputandi. Parem fere admirationem movet alia, in eodem *Herculis* templo inventa, pictura, quæ *Telephi*, *Herculis* filii, educationem ob oculos ponit. Num ad hanc aliæ pictæ tabulæ acceſſerint, non ſatis adhuc compertum eſt. Id affirmant literæ Neapolitanæ, ad quas Cel. Autor noſter provocat, inventum ibi quoque fuiſſe elegantiſſimum *Herculis* ex ære ſimulacrum, una cum menſa lapidea longitudinis fere trium Romanorum pedum, latitudinis vero paulo plus duorum. In medio hujus menſæ literæ Etruſcæ cernuntur, cumque primæ illarum tres HER debeant legi, Autor noſter, iis *Herculem* deſignari, conjicit; ſecus vero Doctiſſ. *Jo. Bapt. Paſſerius* in *Commentatione de Herculanenſium Junonali menſa ſacra*, infra a nobis percenſenda. Solidiora & doctiora ſunt, quæ ad has conjecturas, de menſis veterum ſacris fercula riis & libatoriis adjungit. Hæc de Herculanenſium templis, *Herculi* conſecratis. Habuerunt & alia templa, aliis Numinibus conſecrata, in quibus inventum *Jovis* templum præ ceteris obſervatu dignum videtur, maxime ob plurima vota tabellasque votivas, candelabra, pateras, tripodes, urceos, aras, cippos, ſellas plicatiles, ibi erutas. Maximus vero laboris fructus fuit *Jovis* ſimulacrum, ex auro conflatum, ibidem repertum, & ſubito ad regium palatium delatum. Præter *Jovis* templum & *Baccho* ædem conſecraſſe Herculanenſes, probabile fit ex picturis, quæ *Bacchi* nativitatem, Bacchantium & Baccharum choros, feſta, & Dionyſiaca ſacra, exhibent. Sine dubio & alia

Pag. 126. 128. 129. 130. 131. 133.

alia templa Herculanei fuerunt; ſi modo ex inventis Deorum ſtatuis, quæ cultum eorum non improbabilem efficiunt, id colligi debeat.
Pag. 135. Ex Neapolitanis enim literis ſatis conſtat, *Veneris*, *Minervæ*, *Martis*, aliorumque Deorum & Dearum, ſimulacra & ſtatuas ex Veſuvii cineribus emerſiſſe. Inventum quoque fuit in Herculanei ruderibus ſepulcrum, præſtantiſſimis picturis ornatum. Cernuntur ibi ferarum pugnæ, tigres juxta pampineas vites, uvarum racemis avide inhiantes, picta capita Faunorum, ſive oſcilla, quæ Faunos referebant & Gorgonum capita, quæ Autori doctiſſimo occaſionem præbent, in cauſas inquirendi, quare in antiquis ſepulcris ſæpe oſcilla, Faunorum & Gorgonum capita, expreſſa ſint. Addit de *Mercurio*, alis inſtructo, quod is itidem in memorato ſepulcro cernatur altero brachio puellum ſuſtinens, quem ſuſcipit inter ulnas fœmina, prope eum ſedens.
137. Haud inepte figura hæc de *Mercurio*, puerum *Bacchum Leu-*
138. *cotheæ* ad nutriendum tradente, explicari poteſt, quam vete-
139. rum Poetarum fabulam variis egregiis obſervationibus my-
140. thologicis Autor illuſtrat. Relictis locis ſacris, in conſpectum prodire *Gorius* jubet præclara Herculanenſium ædificia civilia, atque in his præ ceteris theatrum Herculanenſe, id quod ipſi ampliſſimum multa erudite diſputandi præbet argumentum. Eorum, quæ ibi commemorantur, brevem ſummam hoc loco indicaſſe ſufficiat. Ex priſcis ſcriptoribus ſolus *Dio Caſſius* theatri hujus fecit mentionem, reliqui omnes taciti id præ-
141. terierunt. *Camillus Peregrinus* narrationem hanc *Dionis Caſſii* in dubium per id vocavit. *Petr. Laſena* veſtigiis ejus inſiſtit; omnia vero, quæ de hoc theatro dicit, maxime confuſe profert; nec tempora diſtinguit. Falſo is ſibi perſuadet, Herculaneum & Pompejos tempore *Neronis* penitus ſubmerſas, cum tamen eo ævo pars tantummodo Herculanei corruerit. Errat porro graviter, quod, *Dionem Caſſium* de Neapolitano, minus vero de Herculanenſi, aut Pompejano, loqui, ſtatuat, ſibique perſuadeat, utramque urbem everſam eſſe, cum incolæ Neapolin confluxerint, ad ſpectandos ludos, in theatro in honorem *Neronis* inſtitutos. Nec omnis plane

erroris

Digitized by Google

erroris expers eſt *Capacius*, quando, maximam & totam everſionem harum urbium *Regulo* & *Virginio* Conſulibus factam eſſe, putat, quam tamen ad *Titi* tempora remittere debuiſſet. Pag. 143.
Facilis porro ad *Laſenæ* perſuaſionem eſt reſponſio, 144.
quod Herculaneum tantæ opulentiæ haud exſtiterit, ut theatrales ſumtus ferre potuerit. Si etiam antiqui ſcriptores theatri hujus mentionem haud feciſſent; res ipſa tamen hodie loquitur, & ruinæ oſtendunt, in noſtra hac urbe theatrum fuiſſe, id quod illuſtris *Marcellus Venuti* primus retexit atque invenit, cum, facta excavatione, in altiſſimum puteum ſeſe demitteret, & primum gradus, mox marmorum plura 146.
fragmenta, inveniret. Ornamenta quamplurima habuit id theatrum, in quibus ſtatuarum equeſtrium inauratarum ex ære fragmenta, fulgenti auro ſuperfuſa, triumphales quadrigæ, & equi ærei, Deorum Dearumque ſigna, Cæſarum ſtatuæ, 147.
& in his haud paucæ coloſſicæ, principem ſibi vindicant locum. Addit Autor varia haud inutilia de antiquorum thea- 148.
trorum ſtructura, refellitque *Muratorium*, qui in ſua *Inſcri-* 149.
tionum collectione *pag. 1999* theatrum hoc Reſinæ villæ vindicat, ejusque primam originem ad *Titi* tempora refert, ad quæ potius iſtius everſionem transferre debuiſſet. Ceterum incompertum adhuc eſt, utrum iſtud theatrum in ipſa 150.
urbe, an extra illam, fuerit poſitum. Prius tamen probabilius videtur. Sine dubio etiam ante conditum hoc theatrum vetuſtiſſimis temporibus Hippodromum, in quo Celetes decurrebant, Herculanei fuit, id quod haud obſcure ex poſtica parte nummi cujusdam Herculanenſis poteſt colligi. De theatro hoc Herculanenſi meritus maxime fuit *L. Annius Mammianus Rufus*, ut ex inventa inſcriptione ſatis conſtat. Voces, quæ ibi leguntur: DE SVO id ſatis indicant; ex his autem non certo confici poteſt, utrum ſolam orcheſtram, an totum theatrum, ſuis ſumtibus exſtruxerit. Obtinebat hic *Annius*, ut ex alio reperto, & nobis ſupra allato, marmore conſtat, munus Septemviri Epulonum, quod quale fuerit, a no- 151.
ſtro Autore erudite oſtenditur. In ipſa *Annia* gente, plebeja ceteroquin, aliquot familiæ conſulares enituerunt; Noſter au-

Pag. 152. tem *Annius* is fuiſſe videtur, qui *Veſpaſiani* temporibus vixit,
& de quo varia *Joſephus Lib. IV de Bell. Judaic. Cap. 9* me-
moriæ prodidit. Theatri hujus architectus *P. Numiſius* erat,
153. quem aureo *Auguſti* ævo floruiſſe, *Gorius* credit. Hercu-
lanei multæ quoque inventæ ſunt ſtatuæ Cæſarum & illu-
ſtrium virorum, nominatim coloſſea *Tiberii Cæſaris*, more
154. Deorum Dearumque haſtata, & toto corpore nuda; *Neronis*,
fulmen in manu gerentis; *Vitellii, Flavii Veſpaſiani, & Titi*;
auguſtarum porro fœminarum; togatæ item ſtatuæ conſula-
larium virorum, tam pedeſtres, quam equeſtres, quarum inſi-
gnis copia eo minus mira nobis debet videri, quod in noſtra
hac urbe multæ nobiliſſimæ familiæ exſtiterunt, de re publica
ſine dubio meritiſſimæ, & in quibus familiæ *Annia*, *Nonia*,
Memmia, *Viciaria*, *Atilia*, ſeu potius *Attia*, *Voluſia*, *Cornelia*,
156. *Alliatoria*, & *Numiſia*, haud infimum locum occupant. Inter
omnes has erutas ſtatuas palmam reliquis jure præripit eque-
ſtris illa *M. Nonii Balbi*, cujus pulcritudinem, qui præſentes
viderunt, dignis ſe verbis deſcribere haud poſſe, inge-
nue fatentur, & quæ eo majoris pretii eam ob cauſam eſſe vi-
157. detur, quod præter antiquam *M. Aurelii* Imperatoris ex ære
equeſtrem ſtatuam, quæ Romæ conſpicitur, nulla alia antiqua
integra, & quæ nulla temporum labe corrupta ſit, ſtatua eque-
ſtris e marmore, quam hæc, in toto orbe facile deprehendatur.
Ab ipſa hac equeſtri ſtatua alia pedeſtris, itidem inventa, pro-
159. be diſtingui debet. Hæc, ſive pedeſtris, patri hujus *Nonii*
Balbi poſita, & initio menſis Junii A. 1739, illa vero, eque-
ſtris nimirum, A. 1736, eruta fuit. Inprimis huc ea perti-
nent, quæ apud *Muratorium pag. 2024* habentur. Ex eo
enim diſcimus, Herculanenſes non ſolum patri & filio, *Mar-*
cis Noniis Balbis, ſed etiam conjugi & matri, marmoreas
ſtatuiſſe ſtatuas. Inſcriptionem, quæ baſi marmoreæ ſtatuæ
equeſtris inciſa eſt, ubi ſpectamus, omnes, qui iſtam deſcri-
160. pſerunt, ſibi invicem quoad orthographiam contradicunt. Cu-
jus inconſtantiæ principem cauſam ex eo deducendam eſſe,
Cel. Autor ſuſpicatur, quod nemini, Herculaneum adeunti,
& erutas antiquitates luſtranti, cum civi, tum per-
egri-

Digitized by Google

egrino, permiſſum ſit, deſcribere & delineare ea, quæ obſervavit. Proinde ſine dubio factum eſt, ut nonnulli, quæ memoria exceperunt, poſtea, domum reverſi, ſibi demum amicisque deſcripſerint. Hinc facile vero accidere potuit, ut verba inſcriptionis tot diverſis modis, quoad puncta & ſigla, exprimerentur. Diverſas has ſcribendi rationes, in medium ſimul allata parte epiſtolæ Eminentiſſimi Cardinalis *Quirini* Pag. 161.
ad Cel. *Geſnerum*, percenſet noſter Autor; fatetur tamen ſimul, ob tam variam, tamque inconſtantem, hujus inſcriptionis orthographiam ſe incertum eſſe, nec quidquam definire in re tam incerta velle. Nondum ſatis adhuc liquet, quinam fue- 166.
rint *Nonii* illi *Balbi*, tam pater, quam filius. Apud *Dionem Caſſium Lib. I.* mentio fit Tribuni plebis, *Nonii Balbi*, qui egregie *Cæſarem* defendit, atque interceſſit, ne *C. Soſſius*, qui multa verba in *Antonii* laudem, & *Cæſaris* vituperationem, fecerat, edictum contra hunc, ut ipſe volebat, confeſtim faceret. Forſitan is idem *Nonius Balbus* fuit, cui Herculanenſes pedeſtrem ſtatuerunt ſtatuam. Quæ ubi ita ſunt, ſine dubio alter *Nonius Balbus*, ſtatua equeſtri ab Herculanenſibus ornatus, temporibus *Auguſti*, aut *Tiberii*, floruit. Utcunque 167.
vero hæc omnia ſeſe habeant; id tamen veriſſimum eſt, equeſtrem ipſam ſtatuam eſſe opus omnium fere, quotquot benignior fortuna nobis poſteris indulſit, abſolutiſſimum & perfectiſſimum. Id omnes fateri debent, ſi modo ejus figu- 168.
ram, tabulæ æneæ inciſam, & hoc loco a noſtro Autore ſuppeditatam, curatius intueri velint. Relictis ſtatuis, 169.
oratio ad alia præclara Herculanenſium ædificia, quorum nonnulla ex pulvere & cineribus in lucem jamjam extracta ſunt, revocatur. Plurima eorum ſunt mirabilis ſtructuræ & 170.
amplitudinis, architectonicis artibus & ornamentis inſignia. In his principem obtinent locum porticus, ex cujus parietibus nobiliſſimæ pictæ tabulæ ſectæ ſunt, item gymnaſium, ponderarium, baſilica, chalcidicum, & ſchola, quam *Reineſius* de porticu, otioſorum hominum deambulationibus deſtinata, explicat, de ludo literario explicaſſet aptius & probabilius. Quod ad ponderarium, chalcidicum, & ſcholam, attinet, neutrum

trum quidem horum ædificiorum adhuc retectum eſt; patet
autem id ex vetuſta & ſatis longa inſcriptione, quam ex *Capa-*
Pag. 171. *cio Lib. II Hiſt. Neapol. Cap. 9*, & ex *Reineſio*, Cel. Autor
174. ſuppeditat, eam Herculanenſibus vindicans, doctiſque obſerva-
tionibus illuſtrans, in quibus potiſſimum de ponderariis &
chalcidicis veterum, de variis ſcholarum apud veteres gene-
ribus, de decurioribus & ſenatu Herculanenſium, de decre-
to, eo tempore in honorem *MM. Memmiorum Ruforum* fa-
cto, de oratoribus, qui tum verba fecerunt, ac de ſitu horum
memoratorum ædificiorum, erudite diſputatur. Ædificii alius
Herculanenſis mentionem quoque facit hæc apud *Capacium*
Lib. II Hiſt. Neapol. Cap. 9, & *Reineſium Claſſ. II Inſcr. 33*,
inſcriptio:

. . . . . . O. D. LOCVM. AB. INCHOATO
. . . . . . VM. TECTORIS
AVGVSTALIB. DATVM.

Idem *Capacius* edidit *Lib. I Cap. 21* & aliud marmor, ex
quo innoteſcit, Herculanenſes, ut gratum ſignificarent *Mem-*
miis his *Rufis* animum, eis conceſſiſſe, ut publicam aquam
non fluentem tantum per formas acciperent, ſed & ſa-
lientem imitatu ſalientium publicarum honoris cauſa in
177. ſuis ædibus haberent. Accedit, quod artibus præſtanti-
bus operam Herculanenſes dederunt. Id Autor noſter ex
ſupra allatis ac percenſitis *Notitiis*, uti eas vocat, ſatis ſu-
178. perque oſtendit, ac inprimis de pictura, ſculptura, archi-
179. tectura, ſtatuaria, & plaſtica arte, de officina vaſcularia, de
180. fabris ferrariis murariis, ſtructoribus; de eorum collegiis; de
181. opificibus muſivariis, ac de mercatoribus Herculanenſium,
182. egregie diſputat. Quod inprimis ad mercaturam Hercula-
183. nenſem attinet, inſigne ad poſteritatem delatum eſt mar-
mor, a *Capacio Hiſt. Neapolit. Lib. II Cap. 9*, & *Reineſio*
Claſſ. VII num. 11, ſuppeditatum, ex quo conſtat, edicto *Clau-*
dii Cæſaris vetitas fuiſſe apud Herculanenſes iniquas vendi-
tiones fœdaſque emtiones operum, quæ inter ornamenta pu-
blicorum ædificiorum, domuum, & villarum, cenſebantur,
illata

Digitized by Google

illata pœna, ut, qui ea ædificia diruerет, & ex iis ad cultum ſpectantia emeret, venderetque, duplam pecuniam, ærario Herculanenſi inferendam, ſolveret. Ad hæc ipſe ſitus noſtræ urbis ad mercaturam quaſi factus videbatur. Celebris enim eo ævo fuit in proximo mari portus, in quo, teſte *Dionyſio Halicarnaſſenſi*, Romanorum naves ſtationem ſuam habebant, id quod ampliſſimam Herculanenſibus noſtris occaſionem dedit, ineundi cum exteris populis commercium. Ut Pag. 184.
autem Cel. noſter Autor omnia, quæcunque de Herculanenſibus ad nos pervenerunt, illuſtret, in medium affert lapidem antiquum ex *Grutero pag. 439 Inſcr. 6*, & *Capacio Lib. II Hiſt. Neap. Cap. 9*, in quo *regionis primariæ ſplendidiſſimæ Herculanenſium* facta eſt mentio. Ipſum marmor hodie non amplius viſitur. *Gruterus* id e Græco elogio in Latinum verſum, *Capacius* vero lapidem hunc Herculaneo Neapolim delatum eſſe, ſtatuit. Ipſum marmor non *Auguſteum* ævum, ſed inſecuta tempora, redolet. Autor noſter cum *Reineſio* haud ex vano ſibi perſuadet, inſcriptionem hanc non ad Herculaneum, ſed ad Neapolim, ſpectare, hancque urbem diviſam fuiſſe in regiones, quarum una a vicino Herculaneo nomen accepit. Patet id ex eo, quod & aliarum regionum hujus ur- 186.
bis nomina in antiquis ſaxis deprehendantur, cujusmodi ſunt regiones Neapolitanæ *Agathonenſium* & *Thermenſium*, Quid? ſi dicamus, regionem Neapolitanam Herculanenſium poſt Herculanei fata exortam demum, & ex miſeræ hujus urbis incolis, Neapolim aufugientibus, conflatam eſſe. Præterea Ro- 187.
mani in viciniis Herculanei inſtructiſſimas & elegantiſſimas villas habuerunt. Eo ſpectat inprimis Pompejanum *Ciceronis*, quod proximum Pompejis, & Herculanei vicinum, exſtitit, ita ut per noſtram urbem tranſire, ac interdum ibi morari, ſoleret *Cicero*, ut ex *Lib. VII Epiſt. 3 ad Attic.* ſatis 188.
patet. Accedunt aliæ ejusdem villæ & prædia, ut Puteolanum, Trebulanum inter Capuam & Sueſſulam, Cumanum, ad lacum Lucrinum poſitum, & Formianum. In memoratis his villis principem obtinebat locum villa Puteolana, ubi Academiam ſuam habebat *Cicero*, ne de aliis, in his confiniis poſitis, villis

dicamus, quas ipſe Autor noſter ſilentio prætermittit.
Non ſine ratione ſperat, fore, ut, qui adhuc ſub terra, ubi
præclaræ iſtæ villæ ſteterunt, lateant, maximi eruditæ vetuſta-
tis ſignorum & ædificiorum theſauri effodiantur. Vota, quæ
cum aliis pro inveniendis Codicibus manu exaratis facit, ve-
remur, ne irrita fiant. Finem denique Autor noſter brevi
narratione de hodierno iſtius Campaniæ tractus ſtatu; &
Pag. 190. disquiſitione: quare villa regis a porticibus acceperit nomen,
facit.

Progredimur *Jo. Bapt. Paſſerii, Piſaurenſis, Junonalis ſacra*
menſa Herculanenſium illuſtrata, ad nobiliſſimum & præſtan-
tiſſimum Virum Diamantem, Comitem a Monte Mellino, Patri-
195. *cium Peruſinum.* Præmiſſis quibusdam generalioribus de feli-
197. ciſſima illa, quæ in eo loco, ubi Herculaneum ſtetit, detecta eſt,
excavatione, ad rem ipſam Celeberrimus Autor accedit, ac de
menſa illa, in ruinis Herculanei inventa, literisque Etruſcis or-
198. nata, erudite & ingenioſe commentatur. Poſtquam non ſolum
ex ipſa dedicatione hujus menſæ, ſed etiam ex limbo ejus,
circa aream eminente, probavit, menſas, has ad ſupellectilem
199. ſacram olim pertinuiſſe, easque in curiis & prytaneis olim
poſitas fuiſſe; erudite obſervat, earum omnes, etiam familiares
ac domeſticas, Diis olim ſacras exſtitiſſe, maxime geniis,
200. *Mercurio* atque *Herculi*, immo etiam mortuis. Addit, ipſas
ab aris ac cippis probe eſſe diſtinguendas. Inprimis fre-
quens earum uſus fuit in templis, quamvis non admodum
multæ ad poſteros delatæ ſint. Præ ceteris talis menſa ſacra fuit
inſignis illa Iſiaca, quam *Pignorius* & *Kircherus* illuſtrarunt;
itemque illa Ægyptiaca, quam *Ficoronius* in *Veſtigiis & ra-*
ritatibus Romæ antiquæ, qui liber Italice prodiit, *pag. 80* edi-
dit. In antiquis marmoribus menſæ ab aris diſerte diſtin-
guuntur. Menſæ deſtinatæ inprimis erant epulis apparandis &
201. inſumendis, lectiſterniis Deorum adornandis, libationibusque
202. ſuſcipiendis; ipſum vero earum uſum Romani ab Etruſcis ac-
cepiſſe videntur, ita ut in præcipuis urbium templis, in qui-
bus cœtus hominum & ſenatus haberi ſolebat, immo in ſin-
gulis curiis, talis menſa poneretur, cumque Senatusconſulta
ſæpis-

Digitized by Google

ſæpiſſime in templis haberentur, & concilia a Deorum ſupplicationibus inchoarentur, patres in his menſis ſacris vina funderent, & rem ſacram facerent. Talis eſt menſa, quæ in ruderibus Herculanei reperta fuit. Cel. noſter Autor eam *Junoni* tribuit, quanquam ipſe haud dubitat, etiam *Herculi*, tanquam conviviorum menſarumque præſidi, in ejusmodi menſis libatum fuiſſe. Menſæ huius inſcriptio, quam non ex antiquiſſimis eſſe, ſed ea tempora reſpicere, putat, quibus Latinus ſermo cum imperio propinquarum urbium dialectos perturbavit, deprehenditur, altera in fronte, altera in latere quodam. Illam, quæ in fronte, & literis Etruſcis conſignata, habetur, hoc modo legit Cel. Autor: HERENTATEIS SVM, eamque ita interpretatur: IVNONALIS SVM, putatque, verba hæc indicare nihil aliud, quam *locus Jononi ſacer*; quamvis ipſe addat, poſſe quoque hac voce deſignari nomen illius, qui menſam dedicavit. Quod attinet ad ipſam loquendi rationem, Autor inter alia obſervat, ſolenne fuiſſe antiquis, inſcriptiones in perſona prima, quaſi donarium ipſum, seu ſimulacrum, loqueretur, concipere, ut EGO SVM ISIS — EGO SVM OSIRIS, cujus ſcribendi rationis inſigne admodum ac præclarum exemplum habemus in illa notiſſima Sigæa inſcriptione, in qua donarium ipſum Phanodici pari modo in caſu nominandi de ſe loquitur: PHANODICI SVM cet. Quod ſpectat ad alteram inſcriptionem, lateri hujus menſæ inciſam, ea itidem Etruſcis literis eſt concepta, quas ita legit Autor:

Pag. 204. 205.

L. SLABIIS. L. AVCHIL. MERRISS. TVCTIKS
HERENTATE . . . PRVKINAI. PRVFFER

Singulæ hæ voces ita explicantur: L. SLABIIS. L. AVCHIL. Vocabula hæc indicant nomina eorum, qui menſam poſuerunt & conſecrarunt. Videmus in his repetita *Lucii* prænomina, illaque appoſita geminarum familiarum nominibus, *Slabiæ*, ſeu Salviæ, Laviæ, & *Auchil*, id eſt, *Aukiliæ*, ſive Aquiliæ. MERRISS. TVCTIKS ſunt geminæ voces, munus indicantes, quo duo hi viri, qui menſam conſecra- 209.

 runt,

runt, apud Herculanenſes perfuncti ſunt. Ob oculos nimirum vocabula hæc ponunt Campanorum illam dignitatem conſularem, de qua *Livius Lib. XXVI Cap. 6: Meddixtuticus, qui ſummus magiſtratus apud Campanos eſt.* Compoſita vox eſt ex ΜΕΔΩ, *impero, curo,* & ΑΣΤΥ, *urbs.* Quapropter *Mediaſtuticus* idem eſt, ac *curator urbis.* Oſci populi, Campanis affines, qui itidem Herculaneum ante Etruſcorum & Pelasgorum adventum tenuerunt, dimidiatam hanc vocem pro eorum Conſulatu exprimendo adhibuerunt, hoc eſt,
Pag. 211. MEDDIX, ut ex *Ennio* & *Feſto* poteſt comprobari. Quænam hujus magiſtratus fuerit ratio, quantum in re tam obſcura fieri potuit, Autor oſtendit; quod vero in noſtra hac
212. inſcriptione is MERRISS, non autem MEDDIX, nuncupetur, id vel peculiari dialecto tribuendum eſſe, arbitratur, vel quod ex alio fonte hunc dignitatis titulum derivatum uſurparunt, cujusmodi forſitan fuit vox ΜΟΙΡΑ, *tribus*, a ΜΕΙΡΩ, *ſortiri.* Noſſe ſufficiat, nomen fuiſſe duumviratus, qui in ejusdem Herculanenſis reipublicæ ſenatu vel primas partes obtinuerit, vel ſaltem in tribu aliqua populi Herculanenſis. Vocabulo MEDDIX additur TVCTIKS, quod vel ab ΑΣΤΥ, unde ASTVTIX, ASTVTICS, *urbanus*, formari poteſt, ita ut dicatur, per aphæreſin, Tuſcis familia-
213. riſſimam, in TVTIX id mutatum fuiſſe, vel ab antiquo verbo *tueor*, ita ut MERRISS, quatenus a ΜΟΙΡΑ deducitur, & TVCTIKS nihil aliud ſit, quam *tuitor, cuſtos tribus.* HERENTATE. Vocabulum hoc indicat aut nomen numinis, id eſt, *Junonis*, cui menſa hæc conſecrabatur, aut locum curiæ, in qua Mediaſtutici, *L. Slabius* & *L. Aquilius*, menſam dedicarunt. In ſuperiore inſcriptione poſitum id cernimus in caſu genitivo: HERENTATEIS pro HERENTATIS; hoc loco vero ordo alterum poſtulabat caſum,
214. ideoque exſtat HERENTATE. PRVKINAI. Hoc vocabulo ædilitiam, ſeu cenſoriam, dignitatem indicari, exiſtimat Cel. Autor. PRVKINAI ſecundum ejus interpretationem eſt ΠΡΟΚΟΙΝΟΣ, *reipublicæ curator, ædilis,* aut *quæſtor, a* ΠΡΟ & ΚΟΙΝΟΣ, *communis;* aut, ſi literula interponeretur, deduci

ci commode poſſe putat a ΠΡΟ & ΚΡΙΝΟ, *ante alia conſtituo*, unde ΠΡΟΚΡΙΝΟΣ, *præpoſitus*, ſeu *loci cuſtos*, *æditus*. PRVFFER vocabulum deducit a *profero*, creditque, vocem hanc reſpondere verbo *offero*. Ipſum PRVFFER vero eſt vox truncata, & legi debet *proferunt*, ſeu *offerunt*. Hæc ubi ita ſeſe habent, ſenſus totius inſcriptionis talis eſt: Pag. 216.

I V N O N A L I S. S V M
L. S L A B I V S. L. A V K I L I V S. M E D. I A S T V T I C I
I V N O N A L I. P R A P O S I T I. C V S T O D E S
P R O F E runt.

Appendicis loco annectitur interpretatio gemmæ Etruſcæ perraræ, circa fines Tudertium effoſſæ. Jaſpis eſt ſubflavi coloris, & equum repræſentat decurrentem. In quo id potiſſimum notatu dignum eſt, quod in ceteris ejusmodi gemmis equi ſine habenis videantur, in hac vero gemma non habenæ modo, ſed & loca, adſint. Novum eo repræſentari, putat Autor, decurſionis genus, quod inſuper non injucundum fuiſſe credit, videre nimirum equos decurrentes, & ſecum trahentes ea, quæ curſum ocyſſimum præpediunt, & quorum lapſus ſpectatoribus riſum & lætitiam affert. Figuræ, gemmæ additæ, ſunt literæ Etruſcæ, quas legit: AVI, iisque aut feſtivam populi Etruſci acclamationem, quatenus *avi* a *vivere* deducitur, aut nomen ipſum equi decurrentis, quod forſitan VIVAX fuit, deſignari conjicit. Ceterum ipſa gemma luculentum præbet teſtimonium, Etruſcos non ſolum theatra, ſed etiam ſtadia & hippodromos, habuiſſe, in quibus equeſtres decurſiones exhiberentur. Quis ex ejusmodi interpretationibus literarum Etruſcarum, illarum maxime, quæ in menſa illa Herculanenſium exhibentur, haud manifeſte ingenium Cel. Autoris perſpicit? Nemo id negabit, prolatam explicationem ingenio ſeſe commendare; dubitamus autem maxime, utrum etiam veritate, aut ſaltem tanta probabilitate, ut omnibus reliquis interpretandi modis antecellat. Si vera fateri debemus, adhuc a nobis impetrare haud poſſumus, ut crederemus, in inſcriptionibus Etruſcis tam legendis, quam expli- 218.

 candis,

candis, rem ad aliquam certitudinem poſſe perduci. Si modo Alphabeta Etruſca, quorum XIII Celeberrimus *Gorius* in *Difeſa dell' Alfabeto degli antichi Toſcani pag. 139* edidit, inter ſe conferamus, manifeſte videbimus, varias eſſe literas, quarum valorem, ſignificationem, atque lectionem, nemo adhuc rite indagare, demonſtrare, ac contra diſſentientes rite probare ac tueri, potuit. Quid vero, ſi ne literas quidem omnes certo noſcimus, quomodo, quæſumus, tutum pedem in interpretatione ipſa poſſumus figere? Liquido id apparebit, ſi literas ſecundum alphabetum *Buonarottianum*, easdemque porro, ut celeberrimus *Chishull* vult, legimus, ac denique ea cum præceptis aut *Bourgetii*, aut *Gorii*, aut *Maffei*, comparamus. Næ ſemper alias voces pro diverſa legendi ratione habebimus. Aſt ponamus, diverſitatem hanc nihil impedimenti afferre, num, quæſumus, res omnis expedita eſt, quando deprehendimus, hanc, vel illam, vocem Etruſcam quoad pronuntiationem habere aliquam convenientiam cum Græco, aut Latino, verbo, quæ tamen ſæpe leviſſima eſt? Nonne multæ aliæ Græcæ voces inveniri facili negotio poſſunt, quarum ſingulæ ad pronuntiationem vocis cujusdam Etruſcæ quodammodo accedunt, demtis, vel interpoſitis, paucis literis, & quæ omnes diverſam admittunt interpretationem? In nominibus propriis eruendis, quæ in inſcriptionibus Etruſcis occurrunt, via longe expeditior eſt; ſed eorum tantam copiam adhuc non habemus, ut ex his & alia verba ac vocabula rite legi atque explicari poſſint.

PLUTARCHUS DE PUERORUM EDUCATIONE, & de audiendis Poetis; ISOCRATIS Orationes tres; HESIODI Opera, & THEOGNIDIS Sententiæ, Græce, in uſum Scholarum. Recenſuit, Præfationem, & vitas Autorum, præmiſit, M. CHRISTOPH. KRETZSCHMAR, Cruciani Dresd. Conrect.

Dresdæ & Lipſiæ, apud Fridericum Hekel, 1750, 8.

Plag. 20.

Variæ

Variæ ſunt cauſæ, propter quas hoſce Scriptores conjunxit præclariſſimus Editor. Inopiæ conſuluit tum exemplorum, tum diſcipulorum, diſtinctionum, capitum, penſorum, ac membrorum, quæ junxit ubique, conformationi, verſioni Latinæ, pigritiæ confugio removendæ. Nominatim interpretationes Latinas admodum eſſe Græcarum literarum ſtudioſis noxias, haud præter cauſam opinatur, quicquid ſenſerint alii, potius oſtentationem, quam eruditionem, juvantes; quanquam iidem haud approbent Scriptores Latinos, verſionibus Germanicis inſtructos. Noſter lubentius & obſervationes contemnit, quæ ſæpius loca tantum faciliora tangant, difficilioribus ſilentio prætermiſſis; ſæpius aberrent a ſcopo, vix Autoris animo percepto; ſæpius ipſas Grammaticorum reſolutiones falſas ſuppeditent. Exempli loco nominatur editio *Junckeriana Plutarchi* & *Iſocratis* libellorum, vitiis adhæc ſcatens grammaticis, ut fere non ab Autore ipſo conſignatæ videantur, pallium præterea pigritiæ ferentes, obſervationes. Invenimus in Actis ſcholaſticis *Bidermannianis* longum ſatis ejusmodi vitiorum indicem, qui hoc loco dicta maxime confirmabit. Tanto magis habemus, cur tempus ac vires voveamus *Kretzſchmaro* noſtro, ad Lexicon horum Autorum, quale dedit in *Ælianum*, feliciter elaborandum. Licet enim *Schrevelius* aliique præluſerint; non tamen inde minima Græcarum literarum emolumenta ſperamus. Inprimis ita via panditur & ad philologicum Græcæ linguæ Lexicon, quod nobiscum adhuc deſiderat Noſter. Utique mole, pretio, raritate, defectibus ſuis, laborat Theſaurus *Stephanianus*, ex quo *Scapulæ* contractum eſt opus. Optimum eſt *Hedericianum* Lexicon, apud ipſos Anglos typis repetitum, haud vero quia dari nequit melius, ſed quia nondum datur. Cumulantur ſubinde ſignificationes, id quod in editione *Lycurgi* nupera moneri meminimus; partim vero quoque deſunt nonnullæ. Interim iſto contenti Catone, Scriptorum e vitis, cum cetera non niſi contextum Græcum, opera quidem laudabili, aliqua ſiſtant, excerperemus. *Plutarchi* vitam, præter *Jo. Rualdum*, *Mart. Hanckium*, *Decium*

cium Celerem, Jo. Jonſium, Voſſium, & alios, exhibet *Fabricius*. Circa decimum annum Imperatoris *Claudii*, qui 50 eſt Chriſti, natus eſſe videtur. Præceptorem habuit *Ammonium*, Philoſophum celeberrimum, qui Athenis exceſſit vita. *Neronis* a temporibus ad *Hadrianum* usque claruit, cujus anno quarto, vel quinto, diem obiit ſupremum, procuratoris Græciæ Pythiique Apollinis ſacerdotio functus. *Iſocratis* vitam ex *Plutarcho, Laertio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Suida, Photio*, ceteris, idem *Fabricius* collegit, ſi quidem illius antiquioris ſunt, quæ conjunguntur, Orationes. Is natus eſſe dicitur annis 436 ante Chriſtum natum, tantique conſignandis orationibus æſtimatus, uti pro una Oratione, *Nicocli* regi ſcripta, viginti talenta acciperet. Præterea magnum diſcipulorum numerum erudivit, & inter illos *Hyperidem* & *Iſæum*, aliosque. Verborum in poſitu ſuaviter & eleganter concinnando perquam operoſus fuit; unde quidem elegans & admirabilis, ſed elumbior interdum, eruditis videtur. Ex inedia ſibi libere conſcivit mortem ætatis A. 98, Olympiadis 110 tertio. Sepulcro triginta cubitorum columnam impoſitam fuiſſe, teſtantur veteres. In Orationibus tres eminent παραινετικαὶ, pulcherrimis ſententiis refertæ, πρὸς Δημόνικον, *Hipponici* filium, *Calliæ* fratrem, clarum Athenienſem, quam, Noſtro judice, perperam aliis alii tribuunt, quibus tamen & ſcribendi genus, & orationis ſtructura, reclament, totam de moribus doctrinam, quamvis ordine nullo, complexam; πρὸς Νικοκλέα de regno, civiumque muneribus; quibus & Νικοκλῆς dedicatur. *Heſiodi* vitam, præter *Fabricium, Lilius Greg. Gyraldus Dialog. II de Poetarum hiſtoria, Jo. Tzetzes* in ſuis ad ἔργα προλεγομένοις, *Fulv. Urſinus* in *Elogiis, Gerhard. Jo. Voſſius*, aliique, conſignarunt. Nomen ille nonnullis παρὰ τὸ ἧσιν ᾄδειν, a ſuaviter canendo, nactus eſſe dicitur. Id certum eſſe, nemo negabit, elegantiſſimum fuiſſe Poetam *Heſiodum*, carminis elegantia priores *Homero* partes non concedentem, quem *Vellejus Paterculus Lib. I Cap. 7, Lucianus*, & alii, laudant. In ejus conſcriptionibus primas fert, atque veteribus maxime laudatur, liber de operibus ac diebus, quem *Seleuco*

Nica-

Nicatori tam in deliciis exſtitiſſe putant, ut defuncti capiti ſubjectus inveniretur. Ἀσπὶς Ἡρακλέους num legitimus ſit fœtus *Heſiodi*, multi dubitant. Id autem ejus lectores fatentur, illud etiam inſigni elegantia pollere, juvenumque induſtriæ propter ſtili concinnitatem, & fabularum cognitionem, lectoribus Poetarum neceſſariam, commendari debere. Tandem, a pluribus veterum *Heſiodo* tributum, adhuc reſtat carmen, Θεογονία inſcriptum, *Herculis* ſcuto, jam recenſito, plane præferendum, utpote in quo Deorum originem, a veteribus fictam, elegantiſſimo ſcribendi genere tradit Autor. *Theognidis* vitam concinnam editit *Elias Vinctus*, quæ variis Sententiarum illius editionibus præmittitur. Is elegantiſſime de moribus ſcripſit, Megarenſis Atticæ, non Siculæ, civitatis indigena. Tanti ſunt viri, quorum reliquiis commilitones ſuos ſapienter donavit Editor, cui faventem ſemper Lucinam exoptamus.

Gedancken von der wahren Schäßung der lebendigen Kräfte, ꝛc.

hoc eſt,

MEDITATIONES DE VERA ÆSTIMATIONE VIrium vivarum; quibus additum eſt examen demonſtrationum, quibus Leibnitius, aliique Mechanici, uſi ſunt, præmiſſis generalioribus de vi corporum; Autore IMMANULE KANT.

Regiomonti, 1746, 8.
Plag. 11.

Primo Capite Autor de vi corporum in genere agit. Corporis generaliſſime acceptam vim mavult *activam*, quam *motricem*, appellari. Ex activæ enim vis notione mira facilitate *motum* deduci poſſe, judicat. Rem ita explicat §. 4: *Subſtantia A, cujus vis determinata eſt, ut extra ſe agat, hoc eſt, ut aliarum ſubſtantiarum ſtatum internum mutet, primo conatus ſui momento vel objectum reperit, quod totam ejus vim patitur, vel non. Primum ſi omnibus ſubſtantiis accideret, motum omnino noſceremus nullum, neque orta eſſet motricis vis*

appellatio. Sed, ſi A *ipſo conatus ſui momento totam ſuam vim impendere nequit, partem ſolum impendet; reliqua vero pars ut plane non agat, fieri nequit, cum ſemper vis tota agat, qua, niſi tota impenderetur, vis non eſſet. Cum igitur, quod ex hoc vis agentis exercitio reſultat, in coexiſtenti rerum ſtatu non reperiatur, erit illud in ſecunda mundi dimenſione, in ſerie ſucceſſivorum. Corpus igitur vim non omnem ſimul, ſed ſucceſſive, impendet. At ſequentibus momentis non poteſt in easdem ſubſtantias agere, in quas initio agebat; hæ enim primam ſaltem vis ſuæ partem recipiebant, reliquæ recipiendæ idoneæ non ſunt. Ergo* A *continuo in alias aliasque ſubſtantias agit. Subſtantia vero* C, *in quam agit momento ſecundo, alias plane loci & ſitus relationes habet erga* A, *quam ſubſtantia* B, *in quam* A *initio agebat, alias ratio nulla eſſet, cur* A *initio non ſimul tam in* C, *quam in* B, *egiſſet. Similiter ſubſtantiæ, in quas ſequentibus momentis agit, ſingulæ alios ſitus habent reſpectu primi loci corporis* A, *hoc eſt,* A *locum mutat, dum ſucceſſive agit.* Hæc clariſſima Autori videntur, nobis qui aliam ſubſtantiarum actionem, quam quæ cum motu conjuncta eſt, intelligimus nullam, neque hanc in motu contingentem tam intelligimus, quam experientia edocti novimus, omnia hæc ſine mente ſoni ſunt. Quid enim eſt vis illa ipſius *A*, ad extra ſe agendum determinata? Unde eſt, quod aliqua ſubſtantia illi omni vi perferendæ par non ſit? Quid hoc eſt, *pati vim alterius ſubſtantiæ*, ſi vis, quæ tota non impenditur, vis non eſt, &, ſi corporis *A* vis primo momento tota non impenditur, vis corporis *A* primo momento vis non erit, aut, ſi vis eſſe poteſt, quæ tota primo momento non impenditur, quanto tempore impendi debet, ne virium ordine excidat. Horum omnium aliqua, ſi de motu in ſpecie quærantur, ex phænomenis, quæ ſenſu edocti ſumus, utcunque explicare poſſe nobis videmur, ſed, ad hæc abſtractiora delati, nihil omnino nos cogitare, libenter pronuntiamus. Sed alia adhuc in eodem *Capite* habentur, ſublimiora multo, quam quæ capi a nobis poſſint. Trinam ſpatii dimenſionem inde eſſe, quia *ſubſtantiæ in mundo exiſtente, cujus pars ſunt, vires eſſentiales ita comparatas habeant,*

beant, ut in nexu mutuo pro ratione reciproca duplicata diſtantiarum operationes ſuas exſerant, ut deinde totum, quod hinc oritur, proprietatem trinæ dimenſionis habeat, hæc vero lex arbitraria ſit, potuiſſetque a Deo alia quævis lex, ut reciproce triplicata, eligi, ex qua diverſa lege extenſio aliarum dimenſionum & proprietatum fuiſſet. Scientia omnium horum poſſibilium generum ſpatii procul dubio geometria maxime ſublimis eſſet, quam intellectus humanus complecti poſſet. Quod vero plures, quam tres, dimenſiones repræſentare nobis non poſſimus, Autori inde eſſe videtur, quia anima noſtra impreſſiones externas etiam in ratione reciproca duplicata recipit, & natura ſua ita comparata eſt, ut ſic patiatur & agat. Videas hic hominem, qui aliqua de actione in reciproca duplicata diſtantiarum, & de trina dimenſione, fando inaudivit, hæc ita conjungere, ut ſomniando ideas conjungimus; intellectus enim inter utrumque nexum neceſſarium perſpicit nullum, neque Mechanicis de pluribus ſpatii dimenſionibus quidquam innoteſcit, dum virium, in alia quavis, quam reciproca duplicata, agentium, leges conſiderant. Sed, ne toti in *primo Capite* hæreamus, addemus, *ſecundum Caput de viribus vivis* inſcribi, & *Leibnitianorum* argumenta examinare; *tertium Caput veram*, ex Autoris ſententia, *virium æſtimationem* proponere. Eſt ea (§. 84): *Corpus quodvis, quod velocitatem ſuam motu libero in infinitum absque diminutione conſervat, vim poſſidet vivam, cujus menſura eſt quadratum velocitatis, ſed his additis conditionibus, ut:* 1) Corpus rationem in ſe contineat in medio non reſiſtente motum uniformem, liberum, & perpetuum, conſervandi; 2) hanc vim corpori non a cauſa externa inditam eſſe, quæ in motum eum concitavit, ſed poſt excitationem externam ex vi naturali interna corporis oriri; 3) hanc vim in eo, tempore finito, generari. Sed hæc explicata & demonſtrata legant apud Autorem, quibus volupe eſt. Nobis ſat chartæ & temporis jam cum hoc libello periit.

DISSERTATIONS SUR LA FONDATION DE LA ville de Marſeille, &c.

Digitized by Google

hoc eſt,

DISSERTATIONES DE FUNDATIONE URBIS Maſſilienſis, de hiſtoria Regum Boſphori Cimmerii, & de Lesbonacte, Philoſopho Mitylenenſi.

Pariſiis, apud Jac. Barrois, 1744, 12.
Plag. 6½.

Autor hujus libelli dicitur *Cary*. In *prima* Commentatione principem locum occupant teſtimonia veterum, *Herodoti Lib. I Cap. 162*, *Thucydidis Lib. I pag. 11*, *Iſocratis* in *Archidamo*, *Ariſtotelis*, qui ſingularem librum, jam amiſſum, *de Maſſilia* ſcripſit, *Strabonis Lib. IV pag. 270*, *T. Livii V*, *34*, *Pauſaniæ* in *Phoc. pag. 623*, *Lucani Lib. III*, *Plutarchi* principio *vitæ Solonis*, *Juſtini Lib. XLIII*, *Athenæi Lib. XIII*, *Solini Polyb. Cap. 2*. *Auli Gellii X, 16*, *Amm. Marcellini Lib. XV pag. 63*, *Senecæ Conſol. ad Helv. Cap. 8*, & *Euſtathii* in *Cap. 75 Dionyſ.* quorum teſtimonia proferuntur, comparantur, ac
Pag. 55. dijudicantur. Evincitur inde fundatio ipſa, relata ad Olymp. 54, aut annum 154 U. R. C. ante C. N. 599. *Altera* Com-
70. mentatio tribus conſtat membris. Siſtuntur enim obſervationes criticæ in *Vaillantianam* Cimmeriorum Regum hiſtoriam; nova ſententia de tempore, quo regnarunt ipſi; nummus
71. *Teiranis*, ignotioris ad Boſphorum Regis. Laudantur inprimis, inter eos, qui antea hoc argumentum tractarunt, *de Boze* & R. P. *Soucietus*, qui ſingularibus Diſſertationibus ſingulatim in Commentariis Academiæ elegantiorum literarum
73. hoc argumentum perſecuti fuerunt. Boſphorus hujus regni
74. provincias in duas partes dividebat, in Europæas & Aſianas. Illius erat urbs primaria Panticapea, hujus autem Phanagora, priſcæ Cimmeridis locum occupans. Scythæ vicini ad annum 640 ante C. N. invadere in Aſiam cœpere, Cimmeriis de ſuo loco fugatis, qui, Sardes ſeſe recipientes, inde mox iterum depellebantur, denique vero naturale redibant in regnum.
75. Certe 150 annis poſt invenimus a *Diodoro Siculo Lib. XII* me-
76. moratos eorum dominos, & Archæanactidas dictos. Alteram

dyna

Digitized by Google

dynaſtiam cœpit *Mithridates* M. anno U. C. 640, vel 639, ante C. N. 114, aut 115, qui, rebellibus victis, *Macharen* fi- Pag. 77.
lium A. U. C. 675 impoſuit 14 annorum dominum. Hic, 78.
pacto cum Romanis inito, patris appropinquantis iram veritus, ſeſe ipſe interemit; alter autem filiorum, *Pharnaces*, prodidit ipſum Romanis, &, cum ſemet interfeciſſet *Mithridates* A. U. C.
691, ei ſucceſſit. Huic A. U. C. 706 ſucceſſit *Aſſander*, Rex, 79.
aut ethnarcha Boſphori, *Scribonium* habens ſucceſſorem A. 82.
U. C. 740, aut A. C. 11, ab *Auguſto* miſſum: qui vix jungendus 83.
videtur, cum anno ſtatim proximo ſecutus ſit *Polemon I.*
Hunc excepit *Pythodoris* regina, conjux altera *Polemonis*, 89.
trium liberorum mater, quæ poſtea nupſit *Archelao*, rurſus- 92.
que vidua, natu maximum filiorum regni ſocium accepit, 93.
cum alter *Zenon* Armeniam obtineret, & Thracum alicui re-
gi nuberet filia. Solus Rex evaſit hic *Polemon II* A. C. 38, 95.
confirmatus a *Caligula*. Quatuor annis poſt *Claudius* tradi- 96.
dit illud regnum *Mithridati* cuidam; *Polemon* autem Ciliciæ
parti præfectus eſt. Pontus Romanorum provinciis annu- 100.
meratus eſt A. C. 65. *Cotys I*, dejecto fratre *Mithridate*, inde
ab A. C. 49 adhuc per aliquot annos regnarat. Redibant 116.
nihilo minus Reges *Ininthymeyus* A. C. 88, *Rheſcuporis I* ab 117.
A. C. 96 circiter, *Teiranes* A. C. 130, cujus, quem unicum 120.
exiſtimat Noſter, ſimul nummus delineatur æneus. Altera parte ſiſtitur caput Regis, cum literis ΒΑCΙΛΕΩC ΤΕΙΡΑΝΟΥ, altera cujusdam imperatoris literis ΓΟΦ 573.
Magnitudo nummi, ſculpendi modus, forma literarum, notitia 121.
temporis, Noſtro perſuadent, illum nummum huc pertinere,
temporiſque notationem æram eſſe Boſphori. Succeſſere 123.
Teirani, alias nullibi nominato, *Cotys II*, A. U. C. 889, *Ha-*
driani 19, defunctus, *Cyrator Rimetalcis*, & hic ipſe ab *Antonino* 124.
Pio Boſphoranum in regnum remiſſus, *Rhescuporis II*, A. C. 126.
175, vel 177, regnum adeptus, aliique. Patet enim e *Zoſimo*, 127.
regnum illud ſub *Valeriano* ſaltem finitum eſſe. Nu- 131.
mus æneus additur, ſub *Auguſto* cuſus, & *Leſbonacti* ſacer, cujus in altera parte cernitur imago coronata, cum verbis ΛЄCΒΩΝΑΞ ΗΡΟC ΝЄΟC, in altera repræſentat

virum, inſtructum baculo, cum verbo: ΜVΤΙΛΗΝΑΙΩΝ.
Pag. 132. Agitur hac occaſione de variis literatorum honoribus, exci-
133. tantibus ingenia, & prorſus ſummis. Nummus autem ille, prius ignotus, fulcitur teſtimonio *Suidæ* in voce Λεσβῶναξ, ubi legitur: Λεσβῶναξ Μιτυληναῖος φιλόσοφος γεγονὼς ἐπὶ Αὐγούστου, πατὴρ Ποτάμωνος τοῦ φιλοσόφου ἔγραψε πλεῖστα φιλόσοφα. Qua quidem occaſione ſuppeditata, de patre filioque plura diſputantur.

AMUSEMENS PHILOLOGIQUES, &c.

hoc eſt,

DELICIÆ PHILOLOGICÆ, SEU MISCELLANEA jucunda diverſarum meditationum, commentationum, relationum, hiſtoriam perſonarum celebrium, eventus memorabiles, ritus antiquorum, atque monumenta, doctrinam morum, mythologiam, & hiſtoriam naturalem, ſpectantium, & ad præparationem in literarum ſtudiis pertinentium.

Tomus I.

Halæ, ſumtibus Orphanotrophei, 1749, 8.
Alph. 1 plag. 9, Figg. æn. 5.

Autori hujus collectionis docto & polito nomen eſt *Davidis Stephani Choffini*. Miſcet is utile dulci, linguam nempe Gallicam, hodie tam adamatam, rebus ad doctrinam naturalem ac moralem, nominatim autem ad hiſtorias & antiquitates, pertinentibus. Habemus æqualis argumenti collectionem in lingua Latina, quæ, non iniquos judices experta, quantopere delectet varietas, oſtendit. Noſter autem Autores ſecutus eſt *Fenelonium, Fontainium, Rollinum, Olivetum* Abbatem, Autorem Spectaculi naturæ, ceteros. Recte ſcribendi ratio, quam ὀρθογραφίαν appellant, conformis eſt Academicæ Gallicæ Pariſinæ, diligenter obſervatis accentibus, ad eo melius figendam pronuntiationem. Ita, ſententiis optimis optimo cum enuntiationis modo conjunctis, duplici dote liber commendatur, uti-

utique ſermonis Gallici ſtudioſis convenientior, quam ſunt fabulæ Romanenſes, libri ſolam doctrinam civilem pandentes, aliique, ſtilo tam ſublimi, ſubindeque nubila captanti, conſignati, ut grallis incedant & cothurnis, quicunque loquendi modos imitentur. Conſiſtit autem opus centuriis penſorum tribus ac dimidia: quorum cum excerpere vix quidquam deceat, quippe tantum collectorum, vel ſumma capita quædam indicabimus. Inſunt ergo Centuriæ primæ hæc: Verſandi modus *Cyri* junioris in aula *Aſtyagis* avi; brevis & ad animi motus pertinens allocutio copiarum *Henrici IV*, quam & alicubi Laconicæ dictionis exemplum invenire meminimus; plus audiendum eſſe, quam loquendum, ſapiens reſponſio *Gorgonis*, octennis filiæ *Cleomenis*, Laconum Regis; amicitia rara *Damonis* & *Pythiæ*; mors pulchra *Annæ*, filiæ tertiæ *Caroli I*, Regis Anglorum; de duobus malis eſſe minimum eligendum; ſtultum haud poſſe ſilere; *Ciceronis* propoſita de religione; prudentia *Papyrii* juvenis; fabula, verſibus Gallicis concepta, de cicada & formica; cauſarum patronus, aſtute fraudulentus, punitus; virtus præfecti militaris, qui pedem alterum amiſerat in bello, neque minus redibat; characteres *Epicteti* cum explicationibus Abbatis *de Bellegarde*; examen naturæ, e *Fenelonii* libro de exiſtentia Numinis excerptum; perſonæ principes, dummodo volunt, adamatas ſeſe reddere poſſunt; reſponſio *Socratis*, ad inurbanum ſpectans; Academiarum origo; terra; machlis; compenſatio veritatis atque mendacii; ſeptem orbis miracula; Pharus Alexandriæ; Characteres *Epicteti* continuati; *Fabricii Luſci*, Romanorum ducis, rarus verſandi modus; vanitas confuſa, fabula poetica; nobilitas vera, compenſatio virtutis; amicitia ſalutaris; fidelitas *Epaminondæ*; cæcus clare videns; *Lucretiæ* præconcepta ſententia, quod ad *Amaſim*, Ægypti Regem, pertinet, confuſa; vehiculorum publicorum origo; quælibet vitæ conditio gaudet commodis ſuis; *Polycrates*, Samiorum tyrannus; *Ervei* nimia fortitudo; benignitas Imperatoris *Rudolphi*; examen naturæ aquæ; ſeveritas inſignis *Cambyſis* ſecundi; meditata *Cice-*

Digitized by Google

Ciceronis de conſcientia; *Timoleontis* admirabilis moderatio; ejus amor publicæ rei; Phœnix; generoſa verſandi ratio compenſata; melius eſt prævenire, quam præveniri; conſecratio perſonarum principum apud veteres; ſecreta tegenda; pauci ſeſe cognoſcunt favente fortuna, fabula poetica; *Romulus* & *Remus*; ætates mundi variæ ſecundum ideas Poetarum; debilitas ac fortitudo Mahometani; de diſceſſu hirundinum hiemali; temeritatis fructus; de aere meditatio; ſupremus Anglicani regni ſenatus; *Alexander Magnus*; profanarum gentium oracula; *Semiramis*; crocodilus, equus marinus, & ichnevmon; Areopagus; magnanimis *Tiberii* reſponſio; mens ingratorum grata, vel poetica verſio fabulæ de ciconia lupoque; Poeta celeberrimus *Homerus*; obedientia Lacedæmoniorum exacta, pugnaque prope Thermopylas; *Papiniani* probitas; *Molochus*, ſeu *Milcom*; Ammonitarum fictitium numen, ignis natura; ſolitudinis atque vacationis uſus; Mumiæ, ſive cadavera aromatibus condita; aurea pariens ova gallina, fabula poetica; ſeptem Græciæ ſapientes; purpura; imago concordiæ *Scyluri*, Scytharum Regis; faſciculus ſagittarum; incomparabilis *Zopyri* fidelitas; admirabilis *Artabazanis* atque *Xerxis* animorum conjunctio; *Thomas Morus* judex utilitatis ſuæ neutiquam ſtudioſus, quin potius ſincerus & incorruptus; Capitolium; maximus proditor adulator, fabula poetica; veterum ludi ſolennes; veterum ſingulatim gymnici atque circenſes, ſive magni, ludi; ratio, quare *Thales* uxorem ducere noluerit; *Crœſi* filius *Atys* infortunatus; rarior in aulis veritas *Antiochi* exemplo; natura cæli examinata; Amazones; vindicta generoſiore mente *Ludovici XII* non ſumta; fabula poetica de ſpeculo; *Curiatiorum* & *Horatiorum* pugna; margaritarum origo, quæque ſunt alia repetiti præſertim argumenti ex *Epicteto* atque *Cicerone*. Fuſum eſſet, ſumma reliquarum Centuriarum capita conjungere, licet majoris nonnulla ſint ponderis. Id ſaltem addimus, quod aliqua fuſiora rurſus in minora membra diſtribuantur, e. g. de ſeptem mundi miraculis; de ſeptem ſapientibus, & hujusmodi. Tandem æneis figuris repræſentan-

tantur Ægyptiorum pyramides, frutex fabæ Caffé, & ejus fructus, canna ſachari varia, nux de Cacao cum fructibus, multæ mirabilesque nivis figuræ, ab ipſo *Choffino* deſignatæ. Singula hæc nobiscum invitabunt Lectores ad futuras quoque lucubrationes cupide exſpectandas.

TRAITÉ DE PORPHYRE, TOUCHANT L'ABSTInence de la chair des animaux, &c.

hoc eſt,

TRACTATIO PORPHYRII DE ABSTINENTIA AB animalium carne, cum vita Plotini, ab eodem Philoſopho ſcripta, & Diſſertatione de Geniis per Dominum DE BURIGNY.

Pariſiis, apud de Bure, ſeniorem, 1747, 12.
Plag. 20.

Notum jam dudum eſt opus utrumque *Porphyrianum*, cujus hic liberam invenimus converſionem. Prius eſt Diſſertatio curioſa, paradoxis opinionibus plena, pandens ſingularia facta, dijudicationes ac meditationes audaciores, neque tamen ſine principiis quibusdam, quæ nec purior religio penitus improbaret. Certe jam *Holſtenius* opus nunquam ſatis laudatum appellavit, & *Galeus* aureum, ingenio magno & eleganti doctrina elucubratum. Antiquior exſtat ejusdem libri interpretatio Gallica ſub titulo: *Porphyrius, Philoſophe Pythagoricien, l'un des plus célébres de l'Antiquité, de l'Abſtinence Pythagorique, traduit du Grec par le Sieur* de Mauſſac, *Conſeiller du Roi en ſa Cour de Parlement de Toulouſe, à Paris, 1622.* Eſt autem eadem infidelis, impura, obſcura. Conceditur quidem, neque contextum Græcum nos omnibus numeris abſolutum habere; docet tamen Noſter, ſenſum ubique ſatis commodum reperiri. *Davides Hæſchelius* & *Th. Galeus* editionem polliciti ſunt accuratiorem; eos autem antea mors abripuit, quam ſatisfacere promiſſis potuerunt. *Plotinus*, cujus additur vita, fuit etiam inter extraordinarios homines, de quo potiſſimum narrationes *Porphyriana* legi merentur a Philoſophis. Idem ille ſpeculationes inprimis ſuas in genios, aut ſpiritus, extendit;

Digitized by Google

quod argumentum dignum exiſtimavit Cl. *Burigny*, de quo Diſſertationem ſubjungeret; ut ideo *Porphyrii* vitam præmiſit, quoniam, experientia doctus, didicit, lubentius legi tractationes, quarum Autores antea cogniti ſint atque perſpecti. Tyrius erat *Porphyrius*, natus anno 12 *Alexandri Severi*, vel A. C. 233. Initio vel ipſe Chriſtianus, vel admodum tamen cum iisdem verſatus, fuit, alioqui vir eruditiſſimus elegantioribus literis, hiſtoria, geometria, ceteris doctrinæ generibus. In ejus tamen ſcriptis ordo ſubinde deſideratur ac perſpicuitas. Scripta ſacra diligentiſſime legit, eo tamen conſilio, ut de floribus venenum, & arma reperiret, quibus convelleret Chriſtianos. *Conſtantinus* itaque ſeveriſſimum edictum publicavit adverſus ipſius memoriam & ſcripta, maximisque eum odiis exponere cupiens, Arianos *Porphyrianos* appellari juſſit. Nihilo minus alii, non ſine honore, mentionem illius faciunt. His e dictis confirmabitur, quod antea de ſcriptis latum judicium fuit. Nos autem habemus, cur potius ad eam, quæ recens acceſſit, tractationem, verſiones prætereundo, pedem proferamus. Exponitur ibi, quid populi Philoſophique celeberrimi cogitarint de geniis. Initium facit ſanctiſſimarum literarum doctrina de mentibus ac ſpiritibus divinitus factis, quæ notior eſt, quam ut hic loci repetatur, quamvis vel ordines memorentur Pontificiorum, Patrumque jungantur opiniones: inprimis poſtquam Cel. *Schubertus* hoc argumentum ſingulari libro fuſius perſecutus eſt, ut alias partim antiquiores, partim minores, tractationes taceamus. Poſtquam & pravarum hæreſium fautores, cum ſententiis ſuis, vel memorati, vel æque refutati, ſunt, in ſcenam producuntur Philoſophi profani celebriores. Ægyptii diverſi generis ſpiritus & ordinis admiſerunt. *Mercurius Triſmegiſtus* dicitur de hoc argumento viginti millia voluminum conſignaſſe. Bonos & malos dæmonas agnoſcebant & Chaldæi. De iisdem Græci non minus perſuaſi fuerunt. Eorum Poetæ, tanquam primi Theologi, nos edocent varia, huc pertinentia. *Orpheus* agnoſcit inſignem varii generis ſpirituum numerum, ubique velut diſperſorum. Idem credidit, quemlibet hominum habere genium.

nium. Malos etiam eſſe genios, ſtatuerunt *Empedocles*, *Plato*, *Xenocrates*, *Chryſippus*, *Democritus*, ceteri. Qua quidem occaſione doctrina de ſingulis ſpiritibus, ſingulorum hominum tutela, diſcutitur, neque minus eorum ſententia expenditur, qui, morbos hominum tot eſſe dæmonas, crediderunt. His expoſitis, doctrina *Jamblichi* de ſpiritibus examinatur, qui, præ ceteris omnibus, illam doctrinam accuratius tradidiſſe dicitur, diſtinctius proponitur & explanatur. Ad generalem doctrinam reverſus, obſervat, credidiſſe veteres, quod ſpiritus mutationem ſtatus mererent, adhæc eſſent immortales, inſignique numero. Sed nos integram expoſitionem legendam permittimus harum rerum ſtudioſis, vel ex aliis tantum collecta hic nolumus repetere.

CHRISTIANI ALBERTI DOEDERLINI ANIMADverſiones hiſtorico-criticæ de Thaletis & Pythagoræ theologica ratione.

Gottingæ, typis Jo. Frid. Hageri, 1750, 8. Plag. 14½.

Latet paſſim in occulto ſanctior profanarum gentium doctrina, licet extricarint paſſim *Stanleji*, *Buddei*, *Bruckeri*, *Bielckii*, *Menagii*, *Cudworthi*, aliique. Non ergo contemnendus erit, quicunque ſpectat iſtuc, conatus. Inprimis eo nomine laudari meretur, cujus e jamjam indicato ſpecimine facultatem, velut ex ungue leonem, agnoſcimus, Clariſſ. Autor. Illi quidem cum eſſet in animo, ſummam ſacrorum Chriſtianorum præſtantiam uberius inde probare, quod omnes omnium gentium eruditi, quotquot ſacrarum literarum lumine caruerunt, erroribus turpiſſimis graviſſimisque de natura divina conſtricti fuerint; incidit in accuratiores paulo quæſtiones de ſanctiore diſciplina Græcorum, in quam, veluti commune receptaculum, ceterarum gentium errores omnes emiſſi derivatique videantur. *Thales* & *Pythagoras* hic loci ſunt teſtes, quorum diſciplina ſanctior *duobus Capitibus*, altero *ſeptendecim*, altero *viginti*, membrorum, pro-

ponitur. Antea monentur quædam de Græcorum Philoſophorum doctrina diviniore generatim, & conſilii ratio exponitur. Hinc *Thales* ſingulatim prodit, cujus opiniones cum aliter explicent alii, quadripartita diſputatio ſuſcipitur. Unum is omnino totius naturæ principium probat, ubi ſimul *Ariſtotelis* locus explicatur *Metaphyſ. I, 3*, neque minus alia rei teſtimonia proferuntur, quibus æque demonſtratur, partim unius terræ noſtræ principium aquam eſſe, partim eandem habere ſignificationem e *Ciceronis* mente principium & initium, quamvis nonnihil diverſitatis notatio prodat. Eadem ratio placuit *Anaximandro* & *Anaximeni*, quod uberius explanatur, ac, defenſionem illorum hominum fruſtra ſuſcipi, docetur. *Anaxagoras* erat primus, qui mentis effectionem induxit. *Thales* autem generationem rerum ex eadem, & in omnibus partibus ſuis ſibi ſimili, materia ſic explicuit, ut, aquam univerſi principium eſſe finemque, ſtatueret. Idem materiam primam in minima diſtribuit & individua corpuſcula: neque minus animatam, & intelligentia ſenſuque præditam, judicavit. Eatenus hæc ipſa *Thaletis* ſupremus eſt Deus: unde, quod & *Ariſtoteles* præcepit, reliqua Deorum cohors prodiit. Poſt enim, quam illius aquæ divinæ magna pars condenſata privataque motu velociſſimo craſſiorem in materiam abierat, reliquum ſubtiliſſimum divinumque corpus animæ permeat tardam iſtam materiæ molem, intentumque per univerſam rerum naturam animat cuncta, mundique gubernat ornatum ratione. *Thales* autem Theologiam ſuam totam ad civilem rationem transtulit. Approbavit tamen immortalitatem animorum. Quibus demum e dictis concluditur, partim quod Ægyptiorum atque Phœnicum ratio ſit a *Thalete* mutata, partim quod Ionicorum & *Heracliti* theologia valde cognata. *Pythagoræ* ſententiis exquirendis præficiuntur leges quædam, antea velut obſervandæ. *Pythagoras* autem in duas partes diſtribuit univerſitatem rerum calidam & frigidam, inque calido principio divinam naturam ponit. Hinc & ex illius opinione corporeus eſt Deus. Alterum principium, frigidum

gidum nempe, non eſt ortum e calido, quamvis nonnulli *Pythagoraeorum* aliter ſenſerint. Frigidum principium iterum a *Pythagora* tributum eſt in tres naturas, aut elementa. Vim aliquam in illis & motionem propriam ineſſe, *Pythagoras* ſtatuit. Adhaec & Deum & eventa mundi ſingula fato ſubjicit *Pythagoras*, inferiorumque Deorum ordines varios ac diverſas conſtituit claſſes. Additur de famoſis illis Philoſophi numeris diſputatio, quibus haud ineſſe *Platonis* ideae Noſtro videntur. Potius hic, univerſo numerorum genere nihil aliud contineri, putat, niſi naturam fati, ſive τὴν συμπλοκὴν τῶν αἰτιῶν, unde ſimul oſtenditur, haud omnino ſatisfeciſſe rei *Thomam Burnetum*. Hinc expenduntur ſinguli numeri, quaeque ſit vis τῆς μονάδος, demonſtratur. Plurimum enim intereſt inter τὸ ἓν, & τὴν μονάδα. Τὸ ἓν eſt omnis univerſitas rerum, antequam ornatus mundi efficeretur. Inde facilius erit perſpectu, quid ſit dyas, trias, tetractys, & denarius, neque minus animi noſtri de natura quid arbitretur Philoſophus. Nimirum eadem in duas partes diſtinguebatur, nobiliorem & ignobiliorem, quarum illa particeps rationis, haec expers. Poſterior denuo dividebatur in iracundiam & cupiditatem. Quare & *Diogenes* tres e ſententia *Pythagorae* tribuit animo partes, φρένας, mentem, ſolis hominibus peculiarem, νοῦν, & θυμὸν, ἐν τῷ ἀλόγῳ Tetractyn autem divinam, e teſtimonio carminum *Pythagoricorum*, animo noſtro traditam, compoſitionem quatuor elementorum eſſe, Autor contendit, ut alia ſingularia, compendii faciendi cauſa, reticeamus.

VITA PHILIPPI THEODORI VERPOORTENNII, S. S. Theol. quondam Lic. & Profeſſoris in illuſtri Gymnaſio Coburgenſi Publici, quam breviter ſtrictimque expoſuit, eamque religionis, dexteritatis, atque diligentiae, in Scholaſtico requiſitae, exemplar filio ſuo, JOANNI FRIDERICO, liberalium Artium Magiſtro, qui Lipſiae Scholae Thomanae Conrector nuper evaſit, ad intuendum & imi-

Digitized by Google

tandum propoſuit, ERDMANNUS RUDOLPHUS FISCHERUS, Miniſterii Eccleſiaſtici Coburgenſis Senior, & Archidiaconus, Sereniſſimi item Ducis Saxoniæ Coburgenſis & Salfeldenſis a Confesſionibus.

Coburgi, in officina Ottoniana, 1751, 8.
Plag. 5.

Joannes *Caſimirus*, ſub initia ſuperioris Seculi, Gymnaſium Coburgenſe condidit, in Orientali Franconia. Natus eſt hic loci A. 1677, patre D. *Guil. Verpoortennio*, tunc temporis Superintendente generali Coburgenſi, Senatus ſacri ducalis Aſſeſſore, Paſtore Mauritiano primario, Gymnaſii Scholarcha, & Profeſſore Theologiæ publico, (de quo vide *Ge. Henr. Gœtzii Elogia Germanorum quorundam Theologorum pag. 601 ſeq.* D. *Gottfr. Ludwig Ehre des hochfürſtlichen Gymnaſii Academici in Coburg P. II pag. 194 ſeq. Jo. Chr. Thomæ Licht am Abend pag. 418 ſeq.* cet.) *Philippus* ille *Theodorus*. Mater erat *Lucia Eleonora Hannekenia*, paternus avus *Jacobus*, mercator Lubecenſium eximius, proavus *Joannes*, mercator primum Antverpienſis, ob immanem Hiſpanorum ſævitiam, ſacraque puriorum partium, exul, & mox inter Hamburgenſes mercatura celebris, avus maternus *Meno Hannekenius*, Lubecenſium antiſtes, proavus D. *Balth. Menzerus*, ſenior. Noſter, vix quadriennis, ſcholam apud Coburgenſes ſenatoriam ſua ſponte frequentavit, in ſeptimam, aut extremam, claſſem receptus a *Martino Hegnero*, tunc illius ordinis præceptore. Singulis ordinibus ſcholæ peragratis, vix duodecim annorum adoleſcens, A. 1689 Gymnaſii *Caſimiriani* civibus adſcriptus, inque ducale Pædagogium translatus, triennio autem poſt illuſtris Collegii publicis auditoribus adjunctus fuit. A *Jo. Schubarto*, &, qui ſucceſſit, *Jo. Sauerbreio*, Gymnaſii directoribus, ſanctiorem diſciplinam ac Philoſophiam addidicit. *Fr. Calenus*, Pædagogiarcha, Eloquentiæ, Hiſtoriæ, & Philoſophiæ

phiæ moralis, Profeſſor, ſtilum Latinum, oratoriam artem, & linguam Italicam, docuit, *Jo. Achatius Colerus*, Mathematum & Orientalium linguarum Profeſſor, hæc ipſa, *Jo. Phil. Junckerus*, linguæ Græcæ & Poeſeos Profeſſor, Græcas literas. Hujus in locum cum *Jo. Franc. Buddeus* ſufficeretur, ut Græcam & Latinam linguam inſtillaret, ejus quoque ſcholas frequentavit. Domeſticis ſtudiis, cum vix novenni pater eſſet ereptus, opem tulit frater natu maximus, *Albertus Meno*, Theologus poſtea maximus. *Phil. Theodorus* in Academiam Vitembergenſem diſceſſit A. 1695 cum modo laudato fratre, præſertimque *Conr. Sam. Schurzfleiſchio* adhæſit, qui & antiquitatibus, & Critica Græca Romanaque, & Hiſtoria quavis Germanica, potiſſimum imbuebat animos. Matheſin debebat *Martino Knorrio*, Philoſophiam moralem *Chriſtiano Rœrenſeo*, Logicam & Metaphyſicam *Ge. Frid. Schrœero*, linguas Orientis & antiquitates Ebræas *Theod. Daſſovio*, ſanctiorem diſciplinam *Phil. Lud. Hannekenio*, avunculo, *Jo. Ge. Neumanno*, *Jo. Deutſchmanno*, *Caſp. Læſchero*. Triennio poſt acceſſum Philoſophiæ Magiſter creatus eſt a *Rœrenſeo*. Commendatus a *Schurzfleiſchio*, Ratisbonam ad *Jo. Chriſtoph. L. B. de Limbach* diſceſſit, ut ejus filiorum ſtudia moderaretur: qua quidem occaſione Germanicam Hiſtoriam & occidentales linguas admodum auxit. Inde redux, *Antonium Ulricum*, Ducis Meiningenſis, *Bernhardi*, filium principem, bonis literis formavit. Brevi poſt mortuo *Chriſtiano Fuchſio*, cunctis Sereniſſimorum altorum ſuffragiis ſucceſſor datus eſt A. 1702, linguæque Græcæ ac Poeſeos Profeſſor nominatus. Introductus eſt ab *Ern. Sal. Cypriano*, Directore, ſine ulla pompa & ambagibus, quæ poſthac adhiberi cœperunt. Profeſſionem Poeſeos A. 1706, cum *Gibnleinius* Profeſſor Juris nominaretur, cum eloquentiæ profeſſione commutavit. Eo tempore tantus erat Caſimiriani civium numerus, quantus neque prius, neque deinceps unquam. A. 1708 Altdorfium ſe contulit, ibique, Diſſertatione habita *de fidei πληροφορία*, ſacrarum literarum ſummam dignitatem adipiſcen-

ſcendi licentiam obtinuit. Hinc eodem anno celebravit nuptias cum *Eliſabetha Maria, Jo. Sauerbreii*, miniſterii Erfurtenſis ſenioris, unica filia, quæ vero A. 1712, alterum infantem enixa feliciter, 13 diebus poſt exſtincta fuit, ac diurnis juſtis elata. Indixit funus Gymnaſium Caſimirianum, cujus Programma pariter hic inſertum habemus. Filia vero, iſthoc edita partu, nupta jam eſt *Andreæ Eliæ Büchnero*, S. R. I. Nobili, Boruſſorum Regis a conſiliis intimis, Medicinæ & Philoſophiæ naturalis in Halenſi Academia Profeſſori. Eodem, quo conjux, anno pariter obiit *Verpoortennius*, d. 30 Decembris, phthiſiacus. Vir, ut diligentiſſimus ac munerum obſervantiſſimus, ſic & eruditiſſimus non utraque ſolum lingua & eloquentia libera, ſed etiam ligata, cujus eximium ſpecimen additur. Inter ejus ſcripta ſunt *Regnum Salaminium in Cypro breviter Diſp. delineatum*, 1704; Diſp. *de Græco verbo ξένος, & peregrinorum apud veteres conditione, ad Eph. II, 12*, 1708; *Theſes theologicæ de fidei πληροφορίᾳ*; Orat. *de Ducatibus in veteri Germaniæ regno hæreditariis*, Coburgi, 1707, 4, quam multis notis, manu ſua ſcriptis, auctam reliquit, *Jo. Ehrenfr. Zſchackwitz* autem recudendam curavit; Oratio, diſcrepantia Dei & hominum de ſcholis judicia proponens, Coburgi, 1709, 4; varii generis proluſiones, ſparſim editæ; *P. Ovidii Naſonis Triſtium Libri V*, & *Epiſtolarum ex Ponto Libri IV*, ſcholiis perpetuis explanati, Coburgi, 1712, 8; ut alia taceamus, quorum indici annectitur inſcriptio, quas recens condidit *Verpoortennius*, ædibus ſubjecta, neque minus laudatio funebris, a Cel. *Cypriano* noſtra lingua dicta, qua cum *Theodoro Gaza Verpoortennius* comparatur, & Programma funebre *Jo. Conr. Schwarzii*, quem habuit ſucceſſorem, Gymnaſii nomine conſignatum. Commendamus nos quidem *Fiſchero*, Filio, Viro doctiſſimo, laudatum ab ipſo Ven. Parente luculentum illud exemplum, ita tamen, ut vitam ei longe diuturniorem & ſereniores dies comprecemur. Plurimum enim ab ejus induſtria & cultiſſimis ſtudiis ad bonas literas rediturum emolumenti eſſe, certi gaudentesque auguramur.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCLII.

HISTORIA MUSCORUM, IN QUA CIRCIter ſexcentæ ſpecies veteres & novæ, ad ſua genera relatæ, deſcribuntur, & iconibus genuinis illuſtrantur: cum appendice & indice ſynonymorum, opera JO. JACOBI DILLENII, M. D. in Univerſitate Oxonienſi Botanices Profeſſoris Sherardini.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1741, 4 maj. Alph. 3 plag. 3, Tabb. æn. 85.

Poſt indicem ſynonymorum hæc adjecta leguntur: *Hujus libri ducenta quinquaginta exemplaria impreſſa ſunt: 200 quidem charta Belgica communi, 50 vero charta denſa & pura;* quod monitum in artibus eorum, qui rem exercent librariam, ponendum non eſſe, ſatis evincit raritas libri. Ea certe cauſa fuit, quare ſummam hujus Operis aliquanto ſerius, & nunc etiam commodato exemplari uſi, Lectoribus tradamus.

Huic Muſcorum hiſtoriæ præluſit Cl. Autor ante annos duos & viginti *enumeratione muſcorum, ſponte circa Giſſam naſcentium.* Videatur omnino *Catalogi Giſſ. pag 231.* Rationem illam digerendi muſcos in claſſes, genera, ſpecies, præſens Opus auctam emendatamque ſiſtit. Univerſa igitur plantarum dictarum ſoboles in *tres Claſſes* protinus diſpeſcitur. *Primam* occupant Muſci, partibus uniformibus inſtructi, & ſteri-

ſteriles, qui proinde capitulis, acetabulis, peltis, ut paucis dicamus, omni propagationis per flores ac ſemina faciendæ veſtigio, quod quidem humana ſagacitas ad hunc diem explorare potuerit, carere deprehenduntur, qualia genera ſunt *Byſſus*, *Conferva*, *Tremella*. *Claſſem alteram* conſtituunt Muſci, e partibus formæ diſparis compoſiti, qui propterea quandam ſaltem, etſi minus perfectam, fructificationis ſpeciem oſtentant, ſive qui floris & fructus loco proferunt aliquid, quod generandi, vel concipiendi, organis reſpondeat, orbiculos, tubercula, ſcutellas, &c. cujusmodi genera muſcorum ſunt *Uſnea*, *Coralloides*, *Lichenoides*, odioſa Cl. *Linnæo* nomina. *Tertiam*, præcedentibus multo ampliorem, *Claſſem* perfectiores (noſtra quidem judicandi ratione) conſtituunt muſci, genituræ manifeſtæ inſtrumentis præditi, florum ſcilicet æmulis partibus, obtutui noſtro patentibus, vel ſeminibus, vel utrisque ſimul, inſignes. His muſcorum e numero plantis, in ſuas familias diſtributis, indidit Cl. Autor hæc nomina: *Mnium*, *Sphagnum*, *Fontinalis*, *Hypnum*, *Bryum*, *Polytrichum*, *Selago*, *Lycopodium*, *Porella*, *Selaginoides*, *Lycopodioides*, *Anthoceros*, *Lichenaſtrum*, *Lichen*. Caules emittunt, ac ramis plerumque luxuriant, hæc genera, foliis ornata fere pellucidis, mollioribus, aut rigidioribus, haud unius formæ, longitudinis, atque latitudinis, e quorum alis, vel cauliculorum apicibus, capitula naſcuntur diverſæ itidem figuræ. Mnium, Lycopodioides, Polytrichum, Lichen, perſpicua ſexus edunt utriusque indicia. Quædam Hypni ſpecies per gemmas, in alis foliorum hærentes, quales etiam in foliis Lichenaſtri XLII obſervavit Autor, veluti per muliebres fœtus ac ſemina, videntur propagare ſui ſimiles plantas. Cum in Bryi ſpeciebus nonnullis veſtigia perfectæ fructificationis deprehendantur; hinc judicari poteſt, in reliquis etiam Bryis naturam eo modo rem agere, quanquam ſemina propter parvitatem conſpecta nondum fuerint. In his XX Muſcorum generibus, quibus ſexcentæ admodum ſubjiciuntur ſpecies, exiſtimat Autor, nos acquieſcere poſſe, donec reperiantur plantæ ſingularis naturæ, quæ novis mereantur compellari nominibus.

Digitized by Google

bus. Erectas a ſe ſpecies tanto illuſtravit ſynonymorum apparatu, ut, eum non tantum pertractatam penitus ac perſpectam habuiſſe naturam iſtarum ſtirpium, ſed viam etiam ad eas pernoſcendas aliis egregie muniviſſe, conſtet, quibus favens fortuna rariorem hunc librum emendum, aut, cum opus eſt, utendum, indulſit.

Byſſos Dillenius, Giſſæ in Haſſia degens, nondum videtur obſervaſſe. Quoniam generis hujus capillatæ ſpecies ad Conſervas accedunt, ſaltem natalibus illas diſcerni poſſe, docet. Byſſi terreſtres ſunt, aut ſummis tantum aquis innatant; *Conſervæ* ſub aquis naſcuntur, & pleræque in iis fluitant. *Tremella*, foliorum ampliorum, varie diſſectorum, forma naſcens, herbacei generis planta, a Lichene Dilleniano, cui maxime ceteroquin affinis comperitur, ſimilitudine pronæ ac ſupinæ partis, nec non ſterilitate ſua, haud ægre diſtinguitur. Eadem ratio Conſervam ab *Uſnea* ſeparat. Illa nihil fert, hujus vero orbiculi, caulibus inſidentes, aliquam ſaltem floris, aut fructus, quamvis imperfectam, ſimilitudinem præ ſe ferunt. De *Coralloide* quædam poſtea monebimus, demonſtraturi, multiplicem illam notionem, quam huic ſuo generi ſubjicit Autor, claſſem potius repræſentare. *Lichenoides*, a Lichenis appellatum ſimilitudine, minus apertis generationis indiciis ab eo dignoſcitur, nempe tuberculis, acetabulis, aut peltis, nullo, vel breviſſimo, pediculo fultis. At Lichen, utriusque ſexus genitalibus a natura donatus, capitulis, polline maſculino fœtis, vel certe ſeminibus, quæ, propriis in capſulis naſcentia, ſub adſpectum veniunt, a Lichenoide facile diſcernitur, ac a ceteris quoque muſcorum generibus, quæ perfectiori fructificatione gaudent. Ex his primum occurrit *Mnium*, capitula producens biformia, quorum alia veræ capſulæ ſunt, calyptra veſtitæ, & ſimiles illis, quas cernimus in Hypno ac Bryo; nuda alia, calyptræ capſulæque expertia, & a prioribus omnino diverſa. Generum ſequentium capitula ſic a natura conſtructa ſunt, ut eorum opercula transverſe abſcedentia defluant; quæ capitula quoniam *Sphagnum* uniformia gerit, hoc genus ea ratione differt a Mnio; capſulis

autem nudis, ſive calyptra deſtitutis, (nam illæ duriori operculo & foliis protectæ ſunt,) a *Fontinali* dignoſcitur. Huic ſeminales thecæ calyptratæ quidem ſunt, at calyce præterea circumdatæ, quæ ſingularis nota eſt iſtius generis. *Hypni* capitula nullo amiciuntur calyce. Pediculi, ſquamoſo ex involucro, quod Autor *perichætium* vocat, egredientes, Hypna diſtinguunt a *Bryis*, quibus pediculorum exortus tuberoſi ſunt. Calyptra villoſa *Polytrichum* ab aliis generibus diſcriminat. Calyptris & operculis carent ſequentium generum capſulæ, quæ, ſi pediculis quoque nullis inſiſtant, farinoſæ tantum, uniloculares, & reniformes, ſint, ac e foliorum alis oriantur, characterem *Selaginis* conſtituunt. Si vero capſulæ, modo deſcriptis haud abſimiles, digeſtæ ſint in clavas, ii muſci *Lycopodia* dicuntur. *Porellæ* Capſulæ per plura foramina, quibus earum latera pervia ſunt, pollinem diſſipant. Hoc nomen videtur Dillenius curis poſterioribus immutaſſe. Nam in opere quidem atque indice Porellam appellavit; verum *Intr. pag. 14, verſ. 9* ac *22*, porro in *Tabula generum pag. 16*, abſoluto operi ſine dubio ſuperaddita, *Poroniam* dicere maluit. Si capſulæ, pediculis orbæ, ſint unius generis, ac ſeminibus tantum fœtæ, is muſcus *Selaginoides* appellatur; *Lycopodioides* autem, ſi capſulæ diſpoſitæ quidem in ſpicas, quemadmodum in Lycopodio, ſed duplicis naturæ, ſint, quædam continentes ſemina, pollinem aliæ. Capſulis pediculo nixis, ab apice terram verſus inſtar ſiliquæ bifariam diſſilientibus, ſe prodit *Anthoceros*, quadrivalvibus *Lichenaſtrum*, quod genus ab aliis in varia diſtrahitur, uti *Lichen* Dillenianus. Hic muſcorum claudit agmen, illas comprehendens plantas, quas alii nominibus Hepaticæ, Marchantiæ, Lunulariæ, judice Dillenio non neceſſariis, inſigniverunt. Perfectiſſimo ſtatu genituræ, cui quidem peragendæ hæc plantarum claſſis idonea ſit, virili nempe ac muliebri ſexu evidenter diſcretis, quorum iſte ſemina conſpicua liberis oculis, tametſi parva, compreſſa, & orbicularia, patentibus in ſcyphis, ille pollinem aliis in vaſculis, altiori pediculo ſuſtentatis, per ejuſdem plantæ, vel diverſarum, folia naſcentibus, elaborat, Lichen ab omni-

omnibus reliquis muſcorum generibus haud ægre internoſcitur. In hac planta Autor incrementa ſeminum, tum & ex iis, in terram excuſſis, orta germina, novarum plantarum rudimenta, non ſecus ac in Filicibus, nuda oculorum acie vidit. Hæc eſt ſumma Dillenianorum generum, in Hiſtoria muſcorum ſic enarratorum, ut ejus conditor ubique, quod *Præfat. pag. 5* ingenue fatetur, ipſe ſibi nondum ſatisfecerit; quare licebit nobis eo liberius aliqua notare, quæ minus probari videbuntur.

In Hiſtoria deſcivit Autor hic atque illic de ſententia, quam foverat olim, dum Giſſenſem ſcriberet Catalogum, longe autem plura adjecit, uti nova Anthocerotis, Byſſi, Coralloidis, Fontinalis, Lycopodioidis, Tremellæ, atque Uſneæ, genera. Prima Fontinalis hiſtoriæ Selago vocabatur in *Catalogo pag. 230.* Uſneæ genus erexit, ut Conſervæ ſpecies æquo numeroſiores minueret, iis nimirum, quæ aquaticæ non ſunt, Uſneæ contributis, una paluſtri, extra Giſſam obſervata, *Append. 16*, ad *Tremellam* reducta. Muſcis, qui fungorum, ſcyphorum, aut corallii, figuram imitantur, in Catalogo Lichenoidi adſcriptis, in Hiſtoria nomen Coralloidis impoſuit. Hæc certe appellatio melius congruit exſuccis & durioribus plantis, cujusmodi ſunt muſci, de quibus agimus, quam fungis mollibus & veſcis. Quanquam autem, ſubmotis Coralloidum familiis, genus Lichenoidis, multitudine ſpecierum oppreſſum, ſublevaverit nonnihil; diffuſius tamen adhuc eſt, quam id perſpicuitatis ratio patiatur, quippe cujus ambitu ſupra 130 ſpecies arctari debent, quæ porro in ordines, ſeries, diviſiones, ſubdiviſiones, partiendæ fuerunt, ne ſingularum tituli juſto longiores evaderent. Meliori ſane conſilio tam vaſtum genus in plura diſcerpſiſſet, ordinibus genera totidem ſubſtituendo, quorum primum *aphyllas*, alterum *folioſas*, *tuberculoſas*, & *ſcutellatas*, tertium denique *ſpecies peltatas*, complecteretur, habitudini plantarum nulla hoc pacto illata vi, quando prodigioſa naturæ ubertas, humanarum alioqui legum contemtrix, tam multiplices ac propemodum infinitas opes mortalibus offert, quas qui ſic modo perſecutus fuerit enumeran-

Digitized by Google

merando, ut legentes eum intelligant, ille nimirum omne feret punctum. Quanto autem impeditior ſit res, onus memoriæ quoque moleſtius, plurimarum ſpecierum *ordines*, ordinum *ſeries*, ſerierum *diviſiones*, quaterque repetitas diviſionum *ſubdiviſiones*, mente comprehendere, quam tria genera, quorum ſingula pauciores ſub ſe contineant ſpecies, illis dijudicandum relinquimus, quorum ſententiæ minus affectibus, quam veritate, reguntur. Adde, quod ipſum Dilleniani Corolloidis genus, quanquam Hypno, Bryo, ac Lichenaſtro, adductius re vera & circumſcriptius, ob majorem tamen muſcorum, ſub id coactorum, inter ſe diſſimilitudinem, quam quæ ſpeciebus competere poſſit, in plura ſecandum erat genera. Sane, ſi Autor, quod adverſus *Michelium* ubique recte monet, ſepoſitis valde ambiguis fructificationis indiciis, *figuram* plantarum *craſſius conſiderandam eſſe*, contendit, quæ, obſecramus, formæ exterior convenientia, ſcyphorum æmulas ſpecies cum cornutis ramoſis conjungit? ut fungiformes prætereamus, quas inſuper a Clavariis non ſatis luculenter diſterminat. Quare, ſi loco trium ordinum, in quos Corolloidis ſpecies digeſſit, potius tria genera ſtatuiſſet, ſingula notis oppido diverſis, nempe ſimilitudini fungorum capitatorum, ſcyphorum, fruticumque ramoſorum, innixa, nos utique tale inſtitutum, neque ſoli fortaſſis, at cum illis omnibus, laudaviſſemus, quibus nequaquam in paucitate generum, ſpeciebus onuſtorum, neque in ſpeciebus, ad male definitas varietates relegatis, verum in pluribus generibus, quæ ad ſpecierum inconditam farraginem ſegregandam & imminuendam accommodata ſint, botanicæ doctrinæ perſpicuitas conſiſtere videtur. Eandem rationem vel maxime ad fungos, quorum hiſtoria fœde adhuc afflicta jacet, extendi velimus, omnino perſuaſum nobis habentes, fore, ut, doctrinam, de illis adhuc publice traditam, perſpicaces viri, tam diu *chaos* eſſe, querantur, donec unicum hoc ſalubre conſilium arripiant, plurima genera conſtituendi, millenis, & quod excurrit, ſpeciebus aptanda, cujus rei periculum ad uſum noſtrum privatum, quemadmodum in colligendis Coralloidis Dilleniani ſpeciebus, fructu nondum pœnitendo, fecimus.

Byſſi

Digitized by Google

Byſſi quoque genus perinde monſtroſum eſt, ita nempe comparatum, ut tergemino maxime diverſo habitu diſcretæ, nec unius capaces notionis, plantæ, ſi tamen plantas nuncupare convenit, eodem nomine deſignentur. Nam Byſſi Dillenianæ ſpecies nonnullæ, a primo exortu læves & glabræ, nunc veluti membranæ, nunc tanquam cruſtæ ſubtiles, inſtar albarii, corporibus inducuntur, dum aliæ granoſæ ſunt, e globulis acervatim aggeſtis compoſitæ, quæ propterea botryodes appellantur. Demus autem, hos duos ſpecierum ordines non eſſe adeo ſibi diſſimiles, quin ſub idem genus compingi queant; eadem certe nequaquam erit ratio ceterarum ſpecierum, quæ velleris, aut heteromalli ſerici, modo lanuginoſæ, e filamentis implexis, hisque etiam ramoſis, imo interdum ad altitudinem ſeſcuncialem aſſurgentibus, contextæ ſunt, ut ultimam taceamus, quæ fragilibus e ſetis conſtare dicitur. Hæc tam diſparia naturæ opera diverſas utique poſcebant appellationes, primis ſaltem quinque ſpeciebus a Byſſo excluſis, & lanuginoſis tantum piloſisque eidem contributis. Porro doctrinæ claritati non conſulitur, ſi genera, multitudine ſpecierum laborantia, dividantur in has *foliis anguſtiſſimis*, illas *foliis anguſtis*, *mediocriter latis*, alias denique *foliis latioribus*; neque commodior eſt ratio foliorum *breviorum* ac *longiorum*, quibus diſtributionibus uſus eſt Autor in recenſendis Lichenoidis ac Bryi ſpeciebus. Quis enim de objecti muſci foliis, citra omne aberrationis periculum, judicaverit, latiuſcula ſint, anguſta, an anguſtiſſima, nullam edoctus pro ſingulis diviſionibus latitudinis menſuram, fortaſſis alia quoque deſtitutus planta, cum qua comparationem inſtituat? Mnium *pag. 229* definiens, capitulis nudis muliebrem ſexum adſcribit, &, eorum pulverem, qui, per vitream lentem inſpectus, corpuſculis conſtat oblongis lucidisque, ſemina eſſe, cenſet. Alterius formæ capitula, quæ veræ membranaceæ capſulæ ſunt, calyptris ſingulæ ſuis obtectæ, quæque transverſe aperiuntur, ut in Hypnorum Bryorumque ſeminalibus receptaculis uſu venit, capitula maſculina vocat, eorum pollinem antheris florum comparans, quapropter etiam *Intr. pag. 15, v. 22, capitula* hæc

anthe-

antheracea nominat. E deſcriptione primæ Mnii ſpeciei colligitur, nuda capitula fugacia eſſe, capſulas autem ferentia tardius mateſcere, diutiusque in plantis perſiſtere. Si analogia gignentium advocanda ſit in judicium, illa docebit, nuda capitula, quod iis ætas breviſſima, potius antheracea dici debere, niſi inverſus hic ſit naturæ ordo. Nam Coryli, Juniperi, Nucis, Abietis, Pini, Mercurialis Cucurbitæ, Bryoniæ, Cucumeris, omniumque reliquarum, ſexu haud eadem ratione diſcretarum, ſtirpium flores fugaces, antheracei ſunt, marium tantum genitalibus inſtructi; fructus autem, fœmineis floribus ſuccedentes, diutius inhærent plantis. Opinionem Dillenii ſuſtinere quidem videtur craſſitudo granulorum, in capitulis præcocibus naſcentium. Sed operæ pretium eſt, examinare, quibus vacat, an non illa, Autori obſervata, corpuſcula naturam antherarum habeant, quæ, maturitatem adepta, rumpantur, effuſis longe ſubtilioribus pulviſculis. A nomine *Anthoceros*, quod *florem corniculatum* ſignificare ait, interprete Michelio, deducit cum illo genitivum *Anthoceri;* nam *Intr. pag. 14* ſcribit: *Simili more aperiuntur capſulæ Anthoceri.* At, ſi vocabulum coaluit ex ἄνθος & κέρας, ατος, uti vult Michelius, videtur potius, more nominum tertiæ formæ, cum incremento inflectendum eſſe, quando a vocibus, plane ſimili ratione compoſitis, *ægoceros*, *monoceros*, *platyceros*, *rhinoceros*, Latini, Græcam normam ſecuti, recte (certe uſitatius) formarunt genitivos, *ægocerotis*, *monocerotis*, *platycerotis*, *rhinocerotis*. Deſcriptionum ſtilus hic atque illic durus eſt, aut jejunus, interdum etiam obſcuritate moleſtus, ubi nempe Autor vocibus utitur minus aptis, quæ omnia, tametſi in vitiis numerari debeant, ſi tamen cum aliis libri utilitatibus ponderentur, ita comparata invenies, ut illius pretium non admodum imminuant, cui laus ea conſtat, Hiſtoria Muſcorum Dilleniana Botanicorum neminem, niſi ægerrime, carere poſſe.

Icones Muſcorum ſunt excellentes ac nitidæ, ſed illæ tantum, in quibus parcior, aut nulla, umbræ luminique inducendis neceſſitas fuit. Hoc enim habitu lineis exprimendo

tan-

tantum abeſt, ut eminuerit Autor, ut mediocribus etiam chalcographis palmam concedere debuerit. Certe, ſi quis *Tabulas XXVII* ac *XXIX* contempletur, uæ is nitorem, imo perſpicuitatem figurarum, & graphidis ſcientiam, in illis magnopere deſideret. Hic profecto cælum illud, cujus rudimenta Catalogus Giſſenſis nobis exhibuit, primo obtutu aperte ſe prodit, quanquam Dillenius id non indicaſſet *Præf. Hiſt. pag. 5* his verbis: *Ne vero delineationes meæ a chalcographo, quod in minutis plantis fieri ſolet, corrumperentur, omnes partim acu & aqua forti, partim graphio, prout ſingularum conditio ferebat, æri incidi ipſe, labore ſane improbo, ſed neceſſario.* Jucundum erit porro, cognoſcere, quale judicium Autor ipſe de ſuo labore quondam fecerit. In *Præfat. Catal. Giſſ. pag.* 4 ſcribit, *icones muſcorum numeroſiſſimas* jam tum paratas, *omnes perquam nitide & accurate ad vivum ſua manu delineatas* fuiſſe. De iconibus, dicto libro inſertis, hanc etiam ipſe tulit ſententiam *Præfat. Append. pag. 5*: *Figuras ſumma accuratione ipſe depinxi, quin &, cum chalcographo præſtantiori, cui adeſſem, deſtituerer, figuras has, Fabium Columnam imitatus, æri ipſe incidi, & accuratæ quidem eæ ſunt, & ſatis etiam nitidæ, pro primo ſaltem αὐἰοδιδασκαλίας ἔργῳ. poſteriores præſertim, ad quas cum ventum eſſet, cæli uſum demum didici.* Neque ſegnius, at neſcimus quam acute, laudavit icones, Hiſtoriæ Muſcorum illatas, *Præfat. pag. 4: Satis mihi copiarum ad inſtruendam Muſcorum claſſem habere videor, & ſpero, quod eam rite diſpoſuiſſe, & ſingularum ſpecierum icones accurate feciſſe, comperiar; in qua re non tam eorum, qui umbratili figurarum nitore delectantur, quam qui & ipſas plantas noſcunt, & graphices non prorſus ignari ſunt, judicium exſpecto. Ego vero conſulto in multis omiſi umbras, tanquam non neceſſarias, &, ne obſcurarent lineas differentiales, eas tantum adhibui, quæ figurarum formam juvant, quibus lineis ducendis tam ſolicitam dedi operam, ut, quod præfiſcine dixerim, accuratiores, & naturæ rerum magis reſpondentes figuras concinnari poſſe, negem, niſi a quodam & rei herbariæ, & delinean-*

neandi artis, me magis perito. Ex his locis apparet, quam ardua ſit res multis Autoribus, evitare, ne ſcriptis ſuis latentes nævos in publicum efferant, quando etiam Noſter illum animi ſua pulchra æſtimantis morbum, a *Rivino* quondam animadverſum, ſibique objectum, vel in ſenectute diſſimulare non potuit.

Poſt Præfationem enumerat illorum nomina, qui, collatis muſcorum exemplaribus, eorum hiſtoriam locupletarunt, ad quam concinnandam non ſolius Europæ, ſed alterius etiam orbis, proventus conquiſiti ſunt. Obtigerunt Autori faſciculi plures, e Virginia & Penſilvania miſſi, e quibus cognovit, tertiam circiter muſcorum, ibi naſcentium, partem novam eſſe. In auſtralibus novi orbis partibus inventæ ſpecies ab Europæis utplurimum differunt. Montes, tropicis comprehenſi, fruteſcentes, elegantiſſimos, filicibus affines, educant muſcos. Grœnlandici, cum Lapponicis, a Cambricis, & Alpinis Helveticis, fere non diſcrepant. *Præfat. pag. 6 ſeq.* retundit vulgarem illam reprehenſionem contemnentium ea, quæ non intelligunt, & ſciſcitantium, quapropter in rebus tam exilibus tantum laboris inſumatur. Reſpondet, ut cognoſcamus ex his Dei ſapientiam, nec minus ejusdem benignitatem erga humanum genus. Elucet autem illa prior divina virtus perinde in minimis plantis, atque in maximis. Quis enim non miretur, pediculis pilo interdum tenuioribus materiam ſeminalem in capitula transmitti, inque iis perfici, & idoneam reddi ad producendos novos fœtus? Capitulorum foliorumque conſpicua varietas, & in illis operculorum & calyptrarum diverſa ſtructura, non ſolum oculis jucundum præbent ſpectaculum, verum etiam rimantibus harum plantarum diſcrimina ſingularem afferunt utilitatem. Obſtupeſcit naturæ ſcrutator, dum radiculas tomentoſas, e fibris, omni pilo ſubtilioribus, compoſitas, perluſtrat. Eas certe mente potius, quam oculis, deprehendit minimis ductibus pervias eſſe, quibus humorem ſugunt, foliiſque ſubvehunt, iis ac ceteris partibus per meatus, itidem viſum fugientes, diſtribuendum, totique plantæ in alimentum ceſſurum. Hæc omnia,

quo

Digitized by Google

quo argutiora ſunt, inquit Autor, eo magis admiranda comperiuntur, ſi oculis vitro armatis examinentur. Ad muſcorum ſingularem naturam & hoc referendum eſt, quod ſiccati & repoſiti, poſt plurimos annos, immiſſione in aquam quaſi reviviſcunt, ac virorem deperditum reparant.

Bonitatem æterni Numinis declarat harum, opinione quorundam, tam vilium plantarum egregius & multiplex uſus, medicus, œconomicus, mechanicus. Uſneis vim adſtrictoriam & roborantem, ſedativam in tuſſi convulſiva & pulmonum affectibus Coralloidis, Lichenoidis, ac vulgaris Polytrichi, ſpeciebus, eorum opifex Deus indidit. Lichenoidis 10a ad præcavendam hydrophobiam laudatur efficacia. Licopodii communis, ad multa alia utilis, pollen ſeminale prodeſt in nephritide. Ejusdem quinta ſpecies apud Indos celebratiſſimum eſt adverſus varios morbos remedium. Vi draſtica ſummeque emmenagoga pollet Selago vulgaris. Hepatis incommoda propulſant Lichenes, unde illos nomen adeptos eſſe, cum *Plinio* quidam exiſtimant. Id verò ſingulari animadverſione dignum eſt, quod muſci, qui noſtris in regionibus limacum duntaxat, cochlearum parvarum varii generis, aliorumque inſectorum, pabulum ſunt, in ſeptentrione extremo hibernis menſibus quadrupedia nutriant, Rangiferorum nempe armenta. Victitat hoc animal, quod Cervi tertia ſpecies eſt *Linn. Faun. 39*, præcipue Coralloide 29, planta iis in regionibus abunde proveniente. Filtris idoneæ ſunt Confervæ. Quædam piſcibus & avibus maritimis alimentum ſuppeditant, aliæ nidos, quæ & fœturæ conchyliorum, aliorumque aquaticorum inſectorum, deſerviunt. Hypna, tenuiſſimis amicta foliis, minorum avium conſtruendis cubilibus accommodatiſſima ſunt. In arte tinctoria quidam aridiores muſci, uti Coralloides 39, Lichenoides 10, 60, ac 61, præſtantem habent uſum; nec dubium eſt, quin plures reperirentur ſpecies, eam facultatem a natura ſortitæ, ſi, quæ illarum ſit indoles, curioſius indagarent periti. Alliciunt vero eosdem & invitant ad hoc ſtudium ipſæ plantæ; nam charta, in qua Uſneæ quædam aſſervatæ fuerint, interjecto aliquo

Cc 2 tem-

tempore, ſubrubro colore imbuta conſpicitur. Muſci cruſtacei rupes adverſus tempeſtatum injurias tutantur. Et illi, & Hypna, borealibus arborum lateribus innaſcentia, frigus arcent, ac per deſerta plagam oſtendunt viatoribus. Muſci paluſtres viam ſternunt per paludes, inquit Autor. An vero iſtud in eam velit accipi partem, ut intelligat, ſolum humore nimio irriguum, & ſub pedibus vacillans, veſtigiis humanis ea de cauſa infidum, ac cœnoſis gurgitibus hauſturum illos, qui ſe fidentius eidem committerent, muſcorum ſolidari textura; id quidem radicibus caricum, juncorum, aliarumque robuſtiorum paluſtrium herbarum, potiori jure tribui poſſe arbitramur. Sphagna & Hypna ſedilibus culcitisque effarciendis, pilorum ac plumarum loco, a pauperibus adhibentur. (Quin Lappones ſimplicius ipſis ceſpitibus muſcoſis, e terra erutis, incubant.) Non tantum ruſtici, & egentiores quique de plebe, muſcis domiciliorum ſuorum rimas obſtruunt, verum etiam lautiorum ædium tegulis Hypna promiſcua ſupponuntur, ad repellendum nimium calorem, frigus, pluvias, & nives. Ad ſtirpes vivas peregre deportandas eadem Hypna tantum habent commodi, quantum fortaſſis nulla præterea res. Succulentæ quidem ac pingues plantæ arenti muſco obvolvuntur, frutices humenti, qui neque caleſcit, neque fermentat, uti fœnum, ſtramen, aliaque, in hunc uſum vulgo adhiberi ſolita. Ad muſcorum laudem hoc denique pertinet, quod hibernis menſibus, poſtquam herbarum interitus, & arborum fruticumque amiſſus viror, ferias imperaverunt Botanicis, muſci ſoli eos tum grato ſpectaculo diſtineant, quoniam plurimæ illorum ſpecies eo tempore maxime vigent. Aſſeverat Autor, deambulationes ejusmodi brumales, in Germania muſcorum obſervandorum gratia quondam ſuſceptas, mentis & corporis vires egregie ſibi recreaſſe. Hæc de utilitatibus muſcorum, e Præfatione, ipſorum hiſtoriæ præmiſſa, verbis paululum immutatis, deprompta ſunt. Adjiciamus nonnullas alias, præſertim œconomicas, per eas Germaniæ provincias, quæ magis in auſtrum vergunt, a nobis animadverſas; de harum enim regionum muſcis Dillenius

Digitized by Google

nius nihil inaudivit; nihil, propter incolarum negligentiam atque ſocordiam, literis conſignatum reperit.

Primo quidem loco memorandus eſt ille præſtantiſſimus uſus, quem habent muſci in conſtruendis navibus. Eas autem intelligi velimus onerarias Danubianas naves, quarum quæ maximæ, 120 pedes longæ, triremium ad formam accedunt, ſi tranſtra, multitudinem remorum, ac vela, demas, quibus carent, ſimiles fortaſſis earum, quæ barbarorum ſeculorum ſcriptoribus *ciulæ* appellatæ fuerunt, ſono certe hodierna in voce ſuperſtite, niſi potius dicendum ſit, generale navis apud veteres hoc fuiſſe nomen. Conſulantur in Gloſſario Cl. Wachteri vox *kele*, navis, porro in Friſchii Lexic. German. voces *kiel* & *zeil*, ad quæ loca notetur, hodie ſuperſtes vocabulum non eſſe *zeile*, ſed *zile*. Ad naves igitur ædificandas, quæ Ratisbonæ maximo numero, eæque laudatiſſimæ, fiunt, præter materiam, ſunt muſci una earum rerum, quibus ad id maxime eſt opus. Nam ſtupæ vicem obtinent. Iis non ſolum reficienda iſtiusmodi navigia, ſed recens compacta obturantur, ac deligunt in hunc uſum ſpecies, quarum cauliculi foliis denſe comati ſunt. Obſervavimus in cumulis, quos operæ, ſtructuræ incumbentes, per ripam aggeſtos habent, Brya quædam & Sphagna, præcipue Hypna; nec Polytricha rejiciunt. Tabulas, marginibus aſcia leviter complanatis, coſtis affigunt, juncturasque hiantes muſcorum faſciculis oppilant, quos cuneis ligneis malleo adactis inferciunt, & anſis ferreis, per interpoſita minima intervalla deſuper impactis, communiunt; quapropter, cum hic labor maximi ſit momenti, cumque ſumma, ad eum rite peragendum, ſit opus dexteritate, artifices non fabricatores iſtarum navium, ſed ſtipatores (*zilen-ſchopper*), appellantur. In Franconia, quemadmodum circa Norimbergam vidimus, perque totum Palatinatum ſuperiorem, qui tractus reſinoſis abundant ſilvis, fœturæ muſcorum apprime commodis, horum ingens vis, nullo delectu, raſtris congeritur, ac domum comportata farragine, pro ſtabulis acervi grandes exſtruuntur, boum pecorumque ſtramentis deſtinati, quibus, poſtquam lente compu-

truerunt, agri deinde ſtercorantur. In Auſtria ſuperiore moles fluviorum aquis objiciendæ, lapidibus conquadratis, ſuper Hypnorum ac Sphagnorum ſtrata, quæ calcis vice funguntur, diſpoſitis, exædificantur. Hæ maceriæ diu ſub aquis illæſæ perſtant, fere inſtar muri cæmento & calce durati, niſi a vehementiori quapiam externa vi diruantur, vel, ſuffoſſis aquarum impetu fundamentis, collabantur. Hujusmodi munimentis ſubſtructæ ſunt crepidines fluvii Cremiſæ, qui monaſterio Cremiſanenſi nomen dedit; nec aliis aggeribus coercetur rivus ille rapidus, ac pluvio tempore ferox, qui, collectis *ſpecioſæ vallis* fontibus auctus, in forum, eoque rigato in Cremiſam, devolvitur. Hic loci obſervavimus etiam alium haud contemnendum muſcorum uſum. Nam his in commoda ſua convertendis incolæ dant operam, propter incredibilem iſtarum plantarum & moleſtam copiam, quarum, uti & fungorum, non alia fertilior eſt humus. Per hunc Auſtriæ clivoſum agrum, fontibus ubique proſilientibus, ultra quam ſatis eſt, irriguum, in aere humido, & propter Alpium viciniam perfrigido, tanta ubertate pullulant muſci, ut ſilvarum non modo omne ſolum, & feras arbores, ſed fructiferæ quoque pomariorum, prata ipſa, variis dictarum plantarum generibus obtecta, veluti tapetibus inſtrata, vireant. Dum vero nimia muſcorum abundantia lethalis eſt indigenis arboribus, eadem peregrinas ab interitu liberat, interveniente induſtria hominum, quæ noxam in emolumentum convertit. E vaporariis, in quibus Italicæ, vel longius advectæ, ſtirpes hibernant, illa commodiſſima ſunt, quæ arboribus, in terram depactis, quantæcunque illæ ſint altitudinis, trium quatuorve dierum ſpatio ſuperſtruuntur. Hac ratione ficeta, Italicis caudicum proceritate, craſſitudine, ramorumque amplitudine, paria, conteguntur in Auſtria ſuperiore. Arbuſtum lapideis, aut cæmentitia ſtructura excitatis, & æquabili menſura disjunctis, pilis circumdatur, quarum latera, quæ ſe mutuo reſpiciunt, geminis profundioribus crenis, ſeſquipedis, aut paulo ampliori ſpatio diſtantibus, & eodem intervallo ab apice usque ad baſin ductis, excavantur. Poſtquam crenæ tabulis

ad

Digitized by Google

ad perpendiculum demiſſis impletæ ſunt, muſci per omne ſpatium, quod inter parietem utrumque patet, conſtipantur, tum ſubitariæ fabricæ tabulatum, identidem muſcis, aut fœno rejiculo, conſternendum, ſuperjicitur, cui poſtremo tectum imponitur. Latus apricum ſpecularibus inſtruunt, reliqua tabulatis parietibus, quæ jam deſcripſimus, claudentes. Ad eum modum horti integri, plantis conſiti peregrinis, adverſus hiemis injurias defendi, nec ſole tantum foveri, ſed lignis etiam calefieri, poſſent. Ad illum muſcorum hortenſem uſum, quo taleis, vel ſtirpibus, alio mittendis, vita conſervatur, addamus & eum, quo hoc molle & folioſum plantarum genus inſitionibus deſervit. Lutum nempe, quo hiatus fiſſæ arboris, receptis ſurculis, oblinitur, vulnus defendit ab aere; faſciculus vero muſci, quo lutum obvolvitur, ſalicis luteæ viminibus alligatus, ab eo ſolem arcet, ac nimium pluviæ humorem, temperato, qui inſitioni amicus eſt, tenacius cuſtodito. Rivorum Celeienſium aſtaci, propter eximiam magnitudinem longe lateque celebratiſſimi, ſi corbibus imponantur, humenti muſco inſtratis, eoque undique probe contegantur, Græcium usque, & ad alia plurium dierum itinere disjuncta loca, vel media æſtate, vivi perferuntur a Vindis. Horum matresfamilias, panificii peritiſſimæ, furnos everrunt peniculis, quos e Lycopodii vulgaris, *Omelu* ipſis dicti, flagellis, plures cubitos longis, in faſces colligatis, ſibi parant. Fruticoſæ Dilleniani Coralloidis ſpecies, quæ ſolæ id nominis digne, ac proprio quodam jure, ſuſtinere videntur, gypſo cruſtatæ, & variis imbutæ coloribus, quod arbuſculas lepide referunt, affixæ per rupes, adſperſis temere pigmentis diſtinctas, exornant ſpecus illas voluptarias & portatiles, quæ pueris oblectandis per Auſtriacas provincias conficiuntur. Alia muſcorum genera, per easdem regiones promiſcue maximaque copia Decembri exeunte collecta, uſum præbent vulgatiſſimum ſaxoſis illis præſepibus conveſtiendis, quæ, ad recolendam piam Chriſti naſcentis memoriam, a pueris domi, in templis vero ab æditu:s, eriguntur. Hæc, in ſupplementum Dillenianæ Muſcorum

Digitized by Google

rum Hiſtoriæ prolata, ſufficiant. Argumento huic votum ſubjicimus, illud etiam atque etiam optantes, ut doctiſſimi Angli, quibus nihil deeſt præſidiorum ad ornandas ac promovendas quaslibet ſcientias, erga rempublicam literariam beneficentiores, minorem operam dent augendis librorum, a ſe editorum, pretiis, quam juvandis per exemplaria plura illorum conatibus, quos communione ſtudiorum, præſertim Hiſtoriæ naturalis, ſibi conjunctos habent.

DE RE ICHNOGRAPHICA, CUJUS HODIERNA praxis exponitur, & propriis exemplis pluribus illuſtratur; inque varias, quæ contingere poſſunt, ejusdem aberrationes, poſito quoque calculo, inquiritur.

Viennæ Auſtriæ, proſtat apud Leop. Kaliwoda, aulæ Imperialis typographum, 1751, 4 maj.
Alph. 1 plag. 16, cum permultis Tabb. æn.

En novum ingenii fœtum Viri Cel. *Jo. Jacobi de Marinoni*, S. R. I, nec non Utinenſis, Nobilis, Cæſareo-Regii Conſiliarii, & Mathematici, edito jam aliquot abhinc annis egregio *de Specula domeſtica & apparatu aſtronomico* Opere inter eruditos ſatis ſuperque clari. In quo cum, quid in cœli & ſiderum obſervatione atque dimenſione præſtiterit, demonſtrarit, nunc, quantum & in menſuris in terra inſtituendis valeat, palam facit. Equidem in gæodetica hac, in quam nunc deſcendit, palæſtra verſati ſunt jam plurimi, adeo, ut nil fere novi hac in re exſpectari poſſe videatur. Verum enim vero nec eodem inſtituto, nec ſucceſſu æque felici, eam aggreſſi ſunt Autores. Plerique, ſolam praxin expoſuiſſe contenti, de demonſtrationibus parum laborant. Alii, in theoria nimis ſubſiſtentes, ad varias, quæ in praxi actuali occurrere poſſunt, circumſtantias haud deſcendunt. Ad ipſam rem ichnographicam quod ſpeciatim attinet, eam non niſi leviter attigerunt Mathematici magni etiam nominis, ita, ut v. c. *Tacquetus* eam unico Problemate, mediaque in *pagina 68 Geometria*

Digitized by Google

tria practica, in fol. Antverpiæ editæ, complexus fuerit. Alii, ejus accuratiſſimam praxin ſolis lineis, in ſolo menſuratis, inniti, arbitrati ſunt, deſpecto angulorum uſu, quia eorum opem non ſenſerant. Hoc itaque argumentum ex inſtituto pertractare, enucleare omnia, circumſtantias omnes perſequi, totumque multo latius extendere, magno Gæodeſiæ bono conſtituit Cel. Autor. Anſam dedit præſenti Operi notiſſimum illud inſtrumentum gæodeticum, a *Prætorio* inventum, quod quidem tertio poſt Autoris obitum anno vulgatum, integro fere ſeculo parum inclaruit, & vulgo quoque ſub exiguo *menſulæ* nomine fere vilipenditur, aliisque, magis compoſitis atque artificioſis, poſtponitur; at, ob eximium, quem pro ſimplicitate ſua præbet, uſum, jure meretur, ut majorem in lucem proferatur. Huic itaque inſtrumento manus admovit Noſter anno hujus Seculi quarto; dein, cum in proximo fere integro, ſingulorumque ſequentium parte, eo uti pergeret, id adeo præſtans invenit, ut ipſum anno jam decimo nono pro re utraque, ichnographica, & ichnometrica, proponere non dubitarit, perque varia ſolennia experimenta, publice habita, præferendum oſtenderit. Quem igitur jam tunc ſibi propoſuit de integra re ichnographica librum edere, is nunc demum comparet. Qua in re ita verſatus eſt, ut omnia eximio ordine, methodo, perſpicuitate, expoſuerit, qualia in ejusmodi libro nondum nos inveniſſe meminerimus.

Ichnographiam generatim definit per *delineationem baſis, veſtigii, ſituumque horizontalium, in quibus apparerent omnia ex ſublimi quopiam verticali puncto, ſi ſingula directe conſpici poſſent*. In *Parte prima*, quæ eſt *organica*, ante omnia id agit, ut dictæ illi menſulæ palmam deferat. Sed fatendum, eam non eſſe ſimplicem illam & exiguam *Prætorianam*, ſed variis modis ab Autore noſtro emendatam. Non enim ſolum amplior ipſi forma eſt tributa, & fulcrum firmius; ſed &, præter motum ejus circularem, (ipſum quoque leviſſimum effectum,) additi duo alii rectilinei, ſibi invicem normales, quorum uno directe impelli poteſt ad partem dextram, vel ſiniſtram, altero vero antrorſum, vel retrorſum. Regula porro

Digitized by Google

dioptrica facta & major, & ſtructuræ aptioris. Pinnulæ nimirum factæ altiores & duplicatæ, quo ipſo campus viſionis multum ampliatur. Jam perfectioris hujus menſulæ uſum atque præſtantiam oſtendit Autor; objectiones, contra eam allatas, (a *Zollmanno* inprimis in *Gæodeſia*, Germanico ſermone Halæ A. 1744 in fol. edita,) diluit; &, quomodo incommodis ejus occurri poſſit, edocet. Eadem occaſione quoque modum, regulam dioptricam examinandi, ut & ſcalas in laminis metallicis accuratiſſime conſtruendi, exponit. In ſubſidium tabulæ *Prætorianæ* quandoque adhiberi poteſt acus magnetica, cujus notitia generalis hic traditur; conſtructio pyxidis, & fabrica ipſius acus, in qua arcanum jactant artifices, exponitur; ſiſtitur quoque deſcriptio & uſus machinulæ pro obſervanda magnetis declinatione (qualem elapſo menſe Auguſto in acu 9 poll. invenit Autor *11° 50′* & *11° 55′* verſus occidentem, cum ante 15 annos fuerit *12°*,); denique modus, declinationem in ipſa pyxide notandi, nec non parallelismum acus obtinendi. His ſubjungitur Commentatio de variis, lineas rectas, horizontales, & inclinatas, actu metiendi modis, quos inter præfertur catena menſorum hodierna, (quam & celeritate, & accuratione, præſtare, experimentis factis deprehendit Autor,) ejusque ſtructura & uſus exhibetur.

Deſcriptis hactenus inſtrumentis, ad Gæodeſiam neceſſariis, nunc ad ipſam hanc in *Parte ſecunda, practica*, accedit Cel. Autor. Ut methodice admodum in tota hac tractatione verſatur; ita ante omnia praxis hujus ichnographicæ adjumenta quædam notat, ut: punctorum & linearum in campo deſignationem per erectas perticas, & infixos bacillos, nec non adverſaria, pro adjumento memoriæ in uſum vocanda. Jam ipſam exercitationem ichnographicam, eamque in areis primo minoribus, ſiſtit; ubi vel area campi, ſi pervia eſt, deſumitur ex unica ſtatione, ſi non ubique pervia, e duabus, in tertia denique confirmantur puncta, per duas præcedentes inventa, & alia nova eliciuntur. Hinc pergit ad areas majores, quæ integra territoria conſtituunt; denique ad domi-

nia,

nia, & ditiones integras. Hæc omnia illuſtrantur copia ſat magna exemplorum ſelectiorum, multiplicis generis, actu exiſtentium, quæ ita clare explicantur, ut tironum captui videantur egregie accommodata. Cum vero in omnem praxin irrepere poſſint errores, quorum limites cognoſcere, ad accuratam quæſitorum determinationem requiritur; ſubjunxit hiſce doctrinam de variis praxis ichnographicæ aberrationibus, materiam jucundam non minus, quam utilem, in qua elegans & ingenioſa theoriæ geometricæ applicatio ſiſtitur; eoque magis notatu dignam, quod negligi fere ſoleat ab aliis omnibus ſcriptoribus gæodeticis. Quare, rem haud ingratam Lectoribus, nos ſperamus, præſtituros, ſi in ea paulo moremur, &, quæ hac de re invenerit Vir Cel., exponamus. Conſiderat primo eum caſum, quo determinatur baſis e duobus lateribus & angulo, his incluſo, & quærit, quantus ſit error ejus, ex eo oriundus, ſi, poſitis lateribus, accurata dimenſione cognitis, angulus iſte certa quantitate erronea augeatur minuaturve. Eſt autem error baſeos ſemper duplex, alter longitudinis, alter declinationis. Omnes, qui hic occurrere poſſunt, caſus ſigillatim examinat, a ſimplicioribus ad magis compoſitos procedendo; &, quænam in iis contingant variationes, quænam maxima & minima, & qualis hinc aſſumenda poſitio, vel longitudo, laterum optima, determinat. Ut vero hæc ad ipſam praxin traducantur, inſtitutis ſolicite obſervationibus, inquiſivit, quantus eſſe poſſit error actualis maximus in directione regulæ dioptricæ ad objectum viſum, attente peracta; invenitque, angulum 5 minutorum jam valde ſenſibilem fieri, ita ut eo usque nemo aberrare queat, niſi omni prorſus attentione neglecta; quin imo, directione hac ab exercitato attente peracta, vix duabus minutis errari poſſe. Non hic aſſentitur iis, qui teleſcopium inſuper applicari voluerunt menſulæ, experientia edoctus, directionem ejus non niſi lente, nec ſine moleſtia, obtineri. Eum dein caſum evolvit, ubi baſis impervia definitur per angulum, ipſi adjacentem unum, & latus, vel plura latera, & angulos, ſibi ſucceſſive annexos; dum in angulis hiſce peccatur exceſſu, vel

defectu. Porro quærit, ſi anguli, baſi notæ trianguli adjacentes, ſint erronei, quanam ratione alterentur latera oppoſita. Ulterius examinat, quomodo vitietur operatio per erroneam poſitionem baſis ichnographicæ, in tabula ſignatæ, quæ in altera ſtatione ita ſiſtitur, ut ejus directio ſenſibiliter declinet a verticali plano, in quo ducta fuit. Statim patet, ejusmodi aberrationem diffundi per totam ichnographiam, lineis omnibus, in priore ſtatione ductis, poſitionem ſibi parallelam haud retinentibus, adeo, ut omnia interſectionum puncta, exinde preditura, ſint erronea. Variis autem error iſte contingere poteſt modis. Vel enim transpoſitus eſt ſcopus, quo punctum ſtationis adeundæ ſignari debuit; vel male ſignata eſt linea baſis realis; vel denique ſumta quidem eſt ſtatio in ipſa baſis realis linea, ſed tabula perperam collocata. Quales ex omnibus hiſce conſequantur effectus, ſubducto calculo, oſtenditur. Notari hic inprimis meretur, (quod a nemine adhuc animadverſum meminimus,) ipſam longitudinem baſis realis, ſeu diſtantiam ſtationis alterius, quæ pro arbitraria haberi ſolet, talem re vera non eſſe; ſed dari aliquam, in qua exceſſus, vel defectus, ortus ex aberratione, vel tabulæ a baſi vera, vel regulæ dioptricæ a linea viſuali, ad objectum tendente, ſit minimus omnium poſſibilium. Hæc ſtatio, quam *minimi erroris* dicit Autor, quomodo inveniri poſſit, cum ſit *Problema* geometricum, non minus elegans, quam utile, hic exponemus. Sit ergo objectum inacceſſibile *B*, ſtatio prima *C*, directio alterius ſtationis data, vel arbitraria, *CZ:* ſitque in hac aſſignanda ſtatio altera *S*, talis, ut, ducta *SB*, poſitaque aberratione *BSD* in exceſſum, vel *BSE* in defectum, utraque certæ quantitatis (e. g. 5 minutorum), oriatur exinde in erroneo latere majore *CD* exceſſus *BD*, vel in minore *CE* defectus *BE*, uterque minimus omnium ſimilium, in diverſis quibuscunque ſtationibus, ut *P*, *Q*, &c. prodeuntium. *Conſtructio:* Biſecetur angulus *BCZ* recta *CF*, cui occurrat in *F* normalis *BF*, ex *B* in *CB* ducta, ex *F* ducatur ad *CZ* normalis *FS:* habebitur punctum quæſitum *S*. *Demonſtratio:* Patet, △△ *CBF*, *CSF*, ob com-

munem

munem *CF*, biſectum ang. *C*, & rectos ad *B*, *S*, fore æqualia; unde, ſi centro *F*, radio *FB* deſcribatur circulus, eum contingere rectas *CB*, *CS*, in *B*, *S*. Sit nunc in recta poſitione data *CZ* aliud punctum *P* inter *C* & *S*, & fiat angulus aberrationis in defectum *BPO* = priori *BSE*. Secabit igitur *BP* circulum ut in *R*. Ducatur chorda *ER*, eritque ang. *BRE* = *BSE*, ideoque = *BPO*, unde *PO* parall. ipſi *RE*; ſecabit ergo latus *CB* citra *E*, ut defectus *BO* fiat major, quam *BE*. Eodem modo, ſi ad alteram partem rectæ *PB* aberretur in exceſſum, patebit, exceſſum inde oriundum in latere *CB* fore majorem priore *BD*. Simile prorſus ratiocinium valebit, aſſumto puncto *Q* ultra *S*: nam ducta *BQ* iterum ſecabit circulum, ut in *M*; unde, ſi fiat angulus aberrationis in exceſſum *BQL* = priori *BSD*, erit *QL* parall. chordæ *DM*, ideoque ſecabit latus *CB* ultra *D*, ut exceſſus *BL* fiat major, quam *BD*. Atque idem locum habebit, ſi aberratio hic ſit in defectum. Liquet igitur, longitudinem eligendam *CS* æquari quæſitæ *CB*; ſeu, quod eodem redit, ſtationem alteram *S* aſſumendam eam eſſe, ubi angulus *CSB* deprehenditur æqualis ſemicomplemento dati anguli *BCZ*. Silentio prætérimus varia, quæ exinde deducit Clariſſ. Autor, Corollaria, circa aberrationes, prodeuntes, ſi aſſumatur ſtatio in variis diſtantiis reſpectu punctorum *C* & *Z*, digna omnino, quæ apud ipſum evolvantur. Ultimo loco de ea aberratione diſquirit, quæ oritur ex erronea linearum dimenſione, in campo peracta. Hic iterum varios caſus examinat, prout aberratur vel in plano horizontali variis modis, vel adſcendendo, aut deſcendendo. TAB. II.

Præcedentia omnia ſpectabant ad operationes, in campo inſtituendas. His ſubjungit, quæ ad omnimodam ichnographiæ elaborationem domi requiruntur. Huc ſpectant confectio exemplaris nitidi, ubi de variis modis, id e radimento transſumendi, & notatio ſingulorum debitis formulis & coloribus; denique graphica mappæ confectæ reductio ad modulos cujuscunque formæ minoris. Variæ hic recenſentur methodi, hunc in finem uſitatæ, quas inter præ reliquis com-

Dd 3 men-

Digitized by Google

mendatur parallelogrammum graphicum *Scheinerianum*, ſed variatum emendatumque, idque tribus modis, paulo a ſemet diverſis. Hujus conſtructio ampliſſime explicatur, & notantur circumſtantiæ omnes, in ipſa praxi obviæ, adeo ut nunc uſus ejus habeatur expeditiſſimus. Huſce colophonem imponit Operi elegantiſſimo Autor doctiſſimus, quem non tironum ſaltem uſui egregie accommodatum reperimus, ſed in quo invenient & ulterius provecti, quæ ipſis maxime placere poſſint. Nulli itaque dubitamus, quin rem præſtiturus ſit Vir Clariſſimus omnibus, qui hæc ſtudia amant, longe gratiſſimam, ſi, quem promittit, librum alium de *re ichnometrica*, prelo jam deſtinatum, haud diu nobis invidere voluerit.

STORIA MEDICA D' UNA POSTEMA NEL LOBO deſtro del Cerebello, che produſſe la Paraliſia delle membra dalla parte deſtra, &c.

hoc eſt,

HISTORIA MEDICA ABSCESSUS IN DEXTRO lobo cerebelli, qui paralyſin excitavit in membris a parte dextera in nobili adoleſcentulo; cui adjectæ ſunt Obſervationes variæ anatomicæ, habitæ in ſectione cadaveris ejusdem, JANO PLANCO, (ſeu GIOVANNI BIANCHI,) Arimini Medico primario, Autore.

Venetiis, 1752, 12.
Plag. 2, Tab. æn. 1.

Opuſculum hoc, in *Tomo XLVI Opuſculorum Angeli Calogeræ* inſertum, & ſeorſim quoque editum, Autorem habet, ut in titulo expoſitum fuit, *Janum Plancum*, Arimini Medicum primarium, rei anatomicæ jam in Academia Senenſi Profeſſorem celeberrimum, Virum cultiſſimæ doctrinæ, cujus frequenter in *Actis* noſtris opuſcula varia,

ria, docta ſane, & ſuo Autore digna, laudavimus. In hoc opuſculo narrat is primum hiſtoriam medicam adoleſcentuli cujusdam nobilis Cæſenatis, qui febri acuta & inflammatoria ex hemitritæorum genere per quatuordecim dies circiter laboravit, quæ, ut in ſectione cadaveris repertum fuit, ex abſceſſu in dextro lobo cerebelli originem traxit. Ultimis morbi diebus puer factus eſt paralyticus, ſeu hemiplegia laboravit in brachio ac pede dextro, contra ac evenire ſoleat in abſceſſibus, læſionibusque aliis cerebri, in quibus ægri, ſi paralytici fiant, in membris in parte oppoſita fiunt, ut *Hippocrates* ipſe, & poſt *Hippocratem* Anatomici varii, *Valſalva* præſertim in Tractatu de aure, docuerunt. Cerebellum igitur, ut *Plancus* animadvertit, iis legibus hac in re non ſubjacet, quibus cerebrum. Notat inſuper *Plancus*, verti poſſe in dubium *Williſii* opinionem, quam multi amplectuntur, an ſpiritus animales cerebelli motibus naturalibus, cordis ſcilicet, arteriarum, pulmonis, periſtaltici inteſtinorum, inſerviant. Nam, ut obſervat, puer iſte per univerſum morbi curriculum ſatis bene reſpiravit, pulſum ſatis validum habuit, fæces alvi ſatis bene dejecit, ſemperque optime minxit; quæ omnia pæne abolita, vel ſaltem dimidiata, fuiſſent, ſi vi ſpirituum animalium, e cerebello prodeuntium, functiones hæ fierent. Obſervat præterea, lobulos cerebelli non uniri inter ſe per lineam curvam, ut ſic unitos depingunt in Tabulis ſuis *Williſius* & *Vieuſenius*, ſed per angulum acutum; interque hos lobulos, notat, interdum reperiri proceſſum alium falcatum in dura matre, qui hoſce lobulos diſpeſcit, uti reperiebatur in hoc adoleſcentulo, & ut reperit *Plancus* in dura matre in aliis cadaveribus. Ramificationes item docet ſubſtantiæ medullaris cerebelli non eſſe quatuor, vel quinque, uti eas faciunt Anatomici plerique in Tabulis ſuis, ſed ultra decem protendi; ſulcos denique cerebelli non eſſe ita parallelos inter ſe, uti ab Anatomicis finguntur, ſed obliquos, & varie contortos. Quare ex hoc opuſculo, licet parvo, multa addiſcimus, & *Planci* peritiam in re medica, phyſica, atque anatomica, ex merito ſuſpicimus.

SUP-

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM MONITI AD ASTRONOMOS, quod publici fecerat juris Dn. DE LA CAILLE, Academiæ Scientiarum Regiæ Pariſienſis Socius, occaſione Obſervationum, in hemiſphærio auſtrali habitarum, (*vide* Nova Acta eruditorum A. 1751 Menſ. Mart. P. I pag. 135-144.) *Autore A. N. GRISCHOW, Profeſſore Aſtronomiæ, & Secretario congregationum Academiæ Imperatoriæ Scientiarum Petropolitanæ; ex Gallico ſermone in Latinum converſum.*

Moverat Dominum *De la Caille* cum tutamen, quo Rex Galliarum fovet & protegit artes, tum felix ſucceſſus celebratiſſimorum tentaminum, quibus Academia Scientiarum Regia Pariſienſis hiſtoriam ſeculi præſentis exornat. Annus eſt, ex quo in promontorio bonæ ſpei obſervationes habere cœpit determinandi parallaxin lunarem, prout in Monito, tunc temporis evulgato, ediſſeruerat. Utilitas & pretium tam nobilis inſtituti manifeſtum effecit, ut cura infinita ab Academia Scientiarum Regia Pariſienſi adhiberetur, quo pro voto illud ſuccederet. Hinc totius fere Europæ Aſtronomi obſervationes reſpondentes unanimi aggrediebantur conſenſu zeloque tanto majore, quod ſtabiliendum erat elementum theoriæ lunaris, quo ad notitiam multo pleniorem ducimur omnium reliquorum principiorum orbitæ lunaris. Academia Scientiarum Imperialis, ſemper efflorescens protectione & liberalitate Auguſtæ Monarchæ, ſemper excitata cura ſumma Illuſtris Præſidis, Excellentiſſimi Comitis *de Raſoumoffsky*, nihil plane omittentis, quod vel quasvis ſcientias promovere, vel easdem, una cum omnibus artibus, in provinciis Imperatricis, cultiores reddere, valeat; Academia, dico, etiam Imperialis non defuit, ſimul ac inſtitutum ad eam perlatum, quo & hic obſervationes reſpondentes ſumma, qua fieri poterat, haberentur perfectione.

Ad manus ſunt optima inſtrumenta, præcipue excellens inſtru-

ſtrumentum tranſitus, & quadrans, cujus diviſio ſuperiorem vix agnoſcit. Autumno ergo anni elapſi obſervationibus lunaribus invigilavi. Prævidebam tamen ob deteſtandum cœli ſtatum non interruptum, numerum obſervationum, ſimul habitarum, ſat parvum fore, & forſan vix ſuffecturum, ut exacte erui poſſet quantitas parallaxis lunaris in præcipuis orbitæ ſuæ punctis. Quæ inde meditatus eram, communicabam cum Domino *de la Condamine*, Academiæ Scientiarum Regiæ Pariſienſis Socio. Exardeſcit hic amore ſummo in omne id, quod utile ſcientiis. Meditationes meas Academiæ Regiæ ſubmittebat, ac juſſu illuſtris Corporis ſcribebat, non modo me præventum, cum Dominus *de la Caille* ſe ipſe obtulerit ad annum alterum in promontorio exigendum, ſi aut utile, aut neceſſarium, id Socii judicarent, id quod ambabus acceperit Academia, ſed & eum denuo invitatum iri primis literis, quas ad eum dare liceret.

His novis tam magni momenti gaudens, invitatusque a Domino *de la Condamine*, non poſſum, quin omnibus cum Aſtronomis hæcce communicem, exhortando eos, velint duplo quaſi majore pergere cura in re, æque glorioſa Academiæ Scientiarum Regiæ Pariſienſi & omnibus cooperantibus, ac utili ad perficiendam lunæ theoriam, & omnium, quæ inde pendent.

Ego ſupra memoratis inſtrumentis obſervationes habebo ſimultaneas, donec perfectum nanciſcamur murale radio 8 pedum, quod Academia Londino exſpectat. Hoc ipſum Corpus, ad convincendum eruditos, quam habeat cordi tantæ celebritatis opus, & quo ex obſervationibus noſtris tanto major hauriri queat fructus, me iter in inſulam Oeſeliam juſſit ſuſcipere. Hæc provinciarum Imperii Ruſſici maxime occidentem ſpectat, ideo omnium minime a meridiano promontorii bonæ ſpei diſtat. Re vera limites regionum Imperatricis excurrunt ad perquam paucos gradus cis meridianum promontorii, ipſo obſervatorio Imperiali 12 gradibus longitudinis, aut circiter, inde diſtante. Murali, de quo ſupra, nondum fixo, convenit, eodem utamur in loco omnium ma-

Digitized by Google

xime idoneo ad eas obſervationes, quas habere manet alta mente repoſtum.

In Catalogo ſequente obſervationum lunarium ad determinandas ejus parallaxes inſiſto regulis, quas commendaverat Dominus *de la Caille* in Monito. Elegi, quantum fieri poterat, ſtellas maxime propinquas margini lunari rotundo, non aſpero, ſive in promontorio, ſive in Europa. Hæ ergo aut ibi, aut apud nos, comparari poſſunt cum luna, ſolius micrometri ope, non mutato inſtrumento toto temporis intervallo inter tranſitum ſtellæ & lunæ. Sic liberi ab erroribus, qui orirentur forſan a perquam modica quadam inæqualitate intervallorum, inter puncta diviſionis inſtrumenti.

Prætuli ego ſtellas vel paulo ante, vel poſt, lunam meridianum tranſituras. Si tamen aliquando intervallum duos inter tranſitus videatur longiuſculum, non fit, niſi in caſu, ubi obſervatio momenti eſt maximi; ubi luna meridianum tranſit circiter eadem altitudine cum in promontorio, tum in iis Europæ locis, ubi obſervationes reſpondentes inſtituuntur; ubi tandem momenta culminationum contingunt nocte jam profunda ſatis: tunc enim variabilitas refractionum, collata cum mutabili temperie aeris, utplurimum omnium eſt minima. Ceterum ſemper liberum eſto, obſervationes eligere, quæ reliquis palmam ablaturæ videntur, pro perfectiſſima accuratione conſequenda. Tempora notata meridiani ſunt Pariſienſis, nota ♒ ſignat obſervationes præcipuas. Litera *A*, auſtralis, & *B*, borealis, quæ poſt ☾, marginem lunæ indicant plenum.

1752.
MART. n. ſt.
Tranſitus per Meridian.

		H.	M.
2.	☾ A - -	14.	c
	α ☞ - -	14.	15
5.	♎ - -	15.	53
	☾ A - -	16.	2.
	β ♏ - -	16.	42

1752.
MART. n. ſt.
Tranſitus per Meridian.

		H.	M.
7.	γ Hydræ	13.	50
	δ ♏ - -	16.	30
	☾ A ☞	17.	57
21.	☾ A - -	5.	0
	ζ ♊ - -	6.	44

1752.
MART. n. ſt.
Tranſitus per Meridian.

		H.	M.
22.	☾ B - -	5.	58
	ζ ♊ - -	6.	40
	γ ♌ - -	9.	56
23.	☾ B - -	6.	57
	η ♌ - -	9.	40

1752

1752.
MART. n. ſt.
Tranſitus per Meridian.

		H.	M.
24.	☾ B - -	7.	52
	β ♌ - -	11.	19
25.	☾ B - -	8.	44
	ο ♌ - -	9.	7
	Vindemiatrix	12.	29
26.	α Orionis	5.	18
	Procyon - -	7.	2
	☾ B - -	9.	35
28.	☾ B - -	11.	12
	δ Serpentarii	15.	29
29.	α Hydræ	8.	40
	☾ - - -	11.	59
	β ♎ - -	14.	28
31.	β Corvi -	11.	20
	δ - - -	11.	34
	☾ A - -	13.	33
	α ♎ - -	13.	54

APRIL.

1.	ι ♎ - -	14.	15
	☾ A - -	14.	25
	β ♏ - -	15.	4
3.	γ Hydræ.	12.	12
	δ ♏ - -	14.	52
	☾ A - -	15.	58
4.	γ Hydræ	12.	8
	δ ♏ - -	14.	48
	☾ A - -	16.	46
5.	β ♏ - -	14.	50
	☾ B - -	17.	35
23.	☾ B - -	8.	29
	β ♍ - -	9.	31

1752.
APRIL.
Tranſitus per Meridian.

		H.	M.
24.	ε ♌ - -	9.	7
	☾ B - -	9.	15
26.	☾ B - -	10.	48
	α ♍ - -	10.	54
27.	☾ B - -	11.	34
	α ♎ - -	12.	15
29.	☾ A - -	13.	10
	β ♏ - -	13.	21
30.	☾ A - -	14.	2
	π ♐ - -	16.	20

MAJ.

1.	γ Hydræ	10.	28
	δ ♎ - -	13.	8
	☾ A - -	14.	46
3.	ι ♎ - -	12.	17
	β ♏ - -	13.	6
	☾ B - -	16.	23
23.	☾ B - -	8.	46
	α ♏ - -	9.	9
	β ♎ - -	11.	0
26	ι ♎ - -	10.	46
	☾ B - -	11.	7
	ζ ♏ - -	11.	35
28.	δ ♏ - -	11.	22
	☾ A. - -	12.	43
	π ♐ - -	14.	30
29.	☾ A - -	13.	30
	π ♐ - -	14.	26
30.	ι ♎ - -	10.	30
	ζ ♏ - -	11.	19
	☾ B - -	14.	19

1752.
J U N.
Tranſitus per Meridian.

		H.	M.
21.	☾ B - -	8.	13
	α ♎ - -	8.	34
24.	☾ B - -	10	34
	π ♐ - -	12.	39
25.	☾ B - -	11.	22
	π ♐ - -	12.	35
26.	ζ ♏ ☞	9.	27
	☾ - - -	12.	10
27.	☾ B - -	12.	56
	γ ♑ - -	14.	57
28.	ζ ♑ - -	13.	34
	☾ B - -	13.	42

J U L.

5.	α Pegaſi	15.	50
	☾ B - -	19.	4
22.	☾ B - -	9.	15
	π ♐ - -	10.	45
26.	α ♑ - -	11.	38
	☾ B - -	12.	23
31.	α Aquilæ	10.	53
	ε Pegaſi	12.	46
	ζ Pegaſi	13.	48
	☾ B. - -	16.	7

AUGUST.

18.	☾ B - -	7.	14
	π ♐ - -	9.	1
21.	☾ A - -	9.	37
	γ ♑ - -	11.	21
	δ ♒ - -	12.	38

Digitized by Google

1752.

AUGUST.

Tranſitus per Meridian.

		H. M.
24.	β ♒	11. 2
	☾	11. 53
26.	☾ B	13. 24
	α Balænæ	16. 25
30.	γ ♈	14. 59
	☾ B	16. 46
31.	β ♈	14. 59
	☾ B	17. 42

SEPTEMBR.

		H. M.
1.	β ♈	14. 55
	☾ B	18. 40
17.	☾ A	7. 37
	γ ♑	9. 44
18.	β ♑	8. 21
	☾ A	8. 26
23.	β Aquilæ	7. 39
	☾ B	12. 16
	γ Orion.	17. 6
	Procyon	19. 20
24.	ζ Pegaſi	10. 21
	☾ B	13.
25.	α Pegaſi	10. 41
	γ Pegaſi	11 49
	☾ B	13. 57
26.	γ ♈	13. 22
	☾ B	14 51
	α ♉	16. 6
27.	β ♈	13. 22
	☾ B	15. 47
	ε ♉	15. 54

1752.

SEPTEMBR.

Tranſitus per Meridian.

		H. M.
28.	β ♈	13. 18
	☾ B	16. 44
	ζ ♉	16. 59
29.	β ♈	13. 14
	ε ♉	15. 47
	☾	17. 43
30.	γ ♈ ☞	13. 8
	ε ♉	15. 43
	☾ A	18. 41

OCTOBR.

		H. M.
1.	γ ♉	15. 32
	☾ A	19. 37
14.	☾ A ☞	5. 42
	β Balænæ	11. 10
	α Leporis	16. 0
	β Canis maj.	16. 50
15.	☾ A	6. 28
	δ ♑	8. 9
	δ ♒	9. 17
20.	☾ A	10. 14
	α Balænæ	13. 5
21.	ε Pegaſi	7. 45
	☾ A	11. 3
	α Orion.	15. 53
23.	☾ B	12. 48
	α ♉	14 26
	γ ♊	16 27
24.	γ ♈	11. 39
	☾ B	13. 44
	ε ♉	14. 15

1752.

OCTOBR.

Tranſitus per Meridian.

		H. M.
25.	β ♈	11. 38
	☾ B	14. 43
	ζ ♉	15. 19
	ζ ♊	16 46
26.	β ♈	11. 34
	ζ ♉	15. 15
	☾ B	15. 42
	ζ ♊	16. 42
27	ε ♉	14. 3
	☾ A	16. 40
28.	γ ♉	13. 51
	α ♉	14 7
	☾ A	17. 38

NOVEMBR.

		H. M.
17.	☾ A	8. 50
	γ Orion.	13. 56
19.	γ Pegaſi	8. 18
	☾ A	10. 32
	γ ♉	12. 22
20.	γ ♈	10. 31
	☾ A	11. 27
	γ ♊	14. 36
21.	ε ♉	12. 22
	☾	12. 25
	β ♈	9. 49
22.	β ♈	9. 45
	☾ B	13. 25
	ζ ♉	13. 27
	ζ ♊	14. 53
23.	ε ♉	12. 14
	☾	14. 28

24.

1752. NOVEMBR.

Tranſitus per Meridian.		H.	M.
24	α ♉	12.	17
	γ ♊	14.	19
	☾ A	15.	27
25	☾ A	16.	23
	α ♋	16.	35
	α ♌	17.	45
26	β Canis min.	15.	0
	☾ A	17.	17

DECEMBR.

		H.	M.
14	☾ A	6.	31
	α Balænæ	9.	18
15	☾ A	7.	17
	α Orion.	12.	6
	β Canis min.	13.	37
17	☾ A	8.	59
	γ ♉	10.	21
	α ♉	10.	37
18	☾ A	9.	55
	ε ♉	10.	25
19	ε ♉	10.	20
	☾ A	10.	55
20	β ♈	7.	43
	ζ ♉	11.	25
	☾	11.	57
	ζ ♊	12.	51
21	ε ♉	10.	12
	☾ A	12.	58
22	α ♉	10.	15
	☾ A	13.	58
23	β ♋	13.	51
	☾ A	14.	55
	ε ♌	15.	16

1752. DECEMBR.

Tranſitus per Meridian.		H.	M.
24	γ Orion.	10.	56
	Procyon	13.	10
	☾ A	15.	49
27	α Hydræ	14.	45
	☾ A	18.	16

1753. JANUAR.

		H.	M.
14	☾ A	7	28
	α ♉	8	34
15	ε ♉	8.	22
	☾ A	8.	25
16	ε ♉	8	18
	☾ A	9	24
	ν ♊	10.	18
17	ε ♉	8.	14
	☾ B	10.	24
18	α ♉ ☞	8.	17
	γ ♊	10.	18
	☾	11.	27
	η ♌	13.	48
19	☾	12.	26
	α ♋	12.	35
	α ♌	13.	45
20	β Canis min.	11.	0
	☾ A	13.	23
	π ♌	13.	33
21	☾ A	14.	19
	β ♍	15	19
22	ε ♌	14.	55
	☾ A	15.	11
23	α ♍	16.	4
	☾ A	16.	51

1753. FEBRUAR.

Tranſitus per Meridian.		H.	M.
10	☾ A	5.	16
	α ♉	6.	43
13	☾	8	4
	ν ♊	8.	24
	δ ♋	10.	39
	Arcturus	16.	12
14	☾ B	9.	5
	η ♌	11.	59
15	α ♉	6.	24
	☾ B	10.	5
	β ♌	13.	37
	ζ Bootis	16.	33
16	☾ B	11.	3
	ο ♌	11.	25
	Vindemiatrix	14.	46
17	γ Orion.	7.	6
	α Orion.	7.	36
	Procyon	9.	20
	☾	11.	59
18	☾ A	12.	54
	ζ ♍	15.	11
20	α Hydræ	10.	57
	☾ A	14.	38
22	β Corvi	13.	37
	δ Corvi	13.	51
	α ♎	16.	11
	☾ A	16.	20
23	ι ♎	16.	32
	☾ A	17.	9
24	β ♏	17.	17
	☾ A	18.	0

Declinationes Stellarum præcedentium ad A. 1752.

	G.	M.			G.	M.			G.	M.	
ζ ♍ - -	0.	39	B.	γ Pegaſi -	13.	47	B	[illegible] ♌ - -	1.	38	A.
α Balænæ -	3.	5	B	α Pegaſi -	13.	52	B.	β ♒ - -	6.	38	A.
β ♍ - -	3.	9	B	ζ Bootis -	14.	48	B	α Hydræ -	7.	36	A.
β Aquilæ -	5.	49	B	γ ♉ - -	15.	0	B	β ♎ - -	8.	27	A.
Procyon - -	5.	51	B	β ♌ - -	15.	57	B	α ♍ - -	9.	51	A.
γ Orion. -	6.	6	B.	α ♉ - -	15.	58	B.	α ♑ - -	13. 13.	15 17	A.
α Serpent. -	7.	13	B.	γ ♊ - -	16.	35	B	α ♎ - -	15.	0	A.
α Orion. -	7.	20	B.	η ♌ - -	17.	57	B.	δ Corvi -	15.	8	A.
α Aquilæ -	8.	14	B.	γ ♈ - -	18.	4	B.	β ♑ - -	15.	32	A.
ε Pegaſi -	8.	45	B.	ε ♉ - -	18.	36	B.	β Corvi -	16.	10	A.
β Canis min.	8.	46	B	δ ♋ - -	19.	3	B.	δ ♒ - -	17.	8	A.
π ♌ - -	9.	13	B.	β ♈ - -	19.	34	B.	δ ♑ - -	17.	13	A.
ζ Pegaſi -	9.	33	B.	ν ♊ - -	20.	20	B	γ ♑ - -	17.	46	A.
β ♋ - -	9.	56	B	Arcturus -	20.	31	B.	β Canis maj.	17.	51	A.
ο ♌ - -	11.	0	B	ζ ♊ - -	20.	55	B	α Leporis -	18.	1	A.
δ Serpentarii	11.	21	B.	ζ ♉ - -	20.	58	B.	ι ♎ - -	18.	50	A.
Vindemiatrix	12.	17	B.	γ ♌ - -	21.	5	B	β ♏ - -	19.	6	A.
α Serpentar.	12.	45	B.					β Balænæ -	19.	22	A.
α ♋ - -	13.	48	B.					π ♐ - -	21.	23	A.
α ♌ - -	13.	10	B.					γ Hydræ -	21.	52	A.
								δ ♏ - -	21.	54	A.

Pro Parallaxi Solis.

Parallaxis Solis ſcopus erat e primariis, quos in itinere ſuos præfixos habebat Dominus *de la Caille*. Parva hæc parallaxis, durante toto hoc anno 12, determinari non poteſt per ♂ & ♀ parallaxes, his ipſis nempe toto hoc anno minoribus ſolari. Credo exin, non negligendum eſſe his menſibus monitum Domini *de la Caille*, quo eruamus parallaxin ſolarem, immediate comparando ſolem ſæpius ad fixas, parallelo ſuo perquam propinquas. Metiar differentias declinationum ſolis, & præcipuarum fixarum, quarum in parallelo hæſurus ſol, præcipue ejus declinatione inter 5 & 15 graduum exiſtente, id eſt,

eſt, diebus infra notatis, Aprilis & Auguſti, quibus ſumma parallaxium ſolarium eſt maxima major, nimirum ½ minuti, ſupponendo parallaxin horizontalem 15″.

1752.

APRIL.

Tranſitus per Meridian.	H. M.
3. Limbus bor. ⊙	
Procyon - -	6. 33 veſp.
4. Limbus auſtr. ⊙	
Procyon - -	6. 30 veſp.
7. Limbus bor. ⊙	
α Serpent. - -	2. 27 mat.
α Orion. - -	4. 34 veſp.
8. Limbus auſtr. ⊙	
α Serpent. - -	2. 23 mat.
α Orion. - -	4. 30 veſp.
9. Limbus bor. ⊙	
α Aquilæ - -	6. 26 mat
11. Limbus auſtr. ⊙	
α Aquilæ - -	6. 18 mat.
22. Limbus bor. ⊙	
α Serpent. - -	3. 23 mat.
23. Limbus bor. ⊙	
α ♌ - - -	7. 48 veſp.
24. Limbus auſtr. ⊙	
α Serpentar. -	3. 15 mat.
25. Limbus auſtr. ⊙	
α ♌ - - -	7. 41 veſp.
28. Limbus bor. ⊙	
α Hercul. - -	2. 40 mat.
30. Limbus auſtr. ⊙	
α Hercul. - -	2. 33 mat.

1752.

MAJ.

Tranſitus per Meridian.	H. M.
2. Limbus bor. ⊙	
ζ ♌ - - -	8. 55 veſp.
4. Limbus auſtr. ⊙	
ζ ♌ - - -	8. 48 veſp.
AUGUST.	
7. Limbus auſtr. ⊙	
α ♉ - - -	7. 12 mat.
9. Limbus bor. ⊙	
α ♉ - - -	7. 4 mat.
13. Limbus bor. ⊙	
ε Aquilæ - -	9. 14 veſp.
14. Limbus auſtr. ⊙	
α Pegaſi - -	1. 17 mat.
16. Limbus bor. ⊙	
α Pegaſi - -	1. 9 mat.
γ Pegaſi - -	2. 17 mat.
17. Limbus bor. ⊙	
ζ Aquilæ - -	9. 4 veſp.
18. Limbus auſtr. ⊙	
α Serpentar. -	7. 30 veſp.
19. Limbus bor. ⊙	
α Serpentar. -	7. 26 veſp.
26. Limbus auſtr. ⊙	
γ Aquilæ - -	9. 11. veſp.
31. Limbus auſtr. ⊙	
α Aquilæ - -	8. 57 veſp.

Digitized by Google

1752.
SEPTEMBR.
Tranſitus per Meridian.

		H. M.
1	Limbus bor. ⊙	
	α Aquilæ - -	8. 54 veſp
2.	Limbus auſtr. ⊙	
	α Orion. - -	6. 55 mat.
4.	Limbus bor. ⊙	
	α Orion. - -	6. 48 mat.

1752.
SEPTEMBR.
Tranſitus per Meridian.

		H M.
6.	Limbus auſtr. ⊙	
	Procyon - -	8. 25 mat.
8.	Limbus bor. ⊙	
	Procyon - -	8. 18 mat.
	6 Aquilæ - -	8. 33 veſp.

EXCERPTUM EPISTOLÆ A. N. GRISCHOW AD GE. MATH. BOSE, Profeſſ. Witteberg.

Scis, Dominum *de la Caille* menſe Februario præterlapſo obſervationes finire voluiſſe ſuas, pro determinanda parallaci lunæ. Academia Imperatoria omni incubuerat diligentia, ut obſervationes fierent hic ſumma, qua fieri poſſet, ſolertia. Cœlum tamen non permiſit. Perſuaſus, hæc tibi non minus placitura, quam mihi, ſiſto tibi exemplaria nonnulla Supplementi ad Monitum Domini *de la Caille*, hortatu Domini *de la Condamine* a me conſcripti. Ni grave, communices mecum methodum, qua uteris in obſervando, certus, obſervationes tuas - - - . Non nego, rem reddi ſat difficilem, ſi non omnia ad manum organa, ad ejusmodi obſervationes neceſſaria; exercitatio tamen & aſſiduitas obſervatoris ſæpe ſiſtunt quendam certitudinis gradum, immo ſæpe ſufficientem, ſi vel obſervationes non niſi modico habitæ apparatu. Ut mihi videtur, via omnium maxime commoda, ad has obſervationes habendas ab Aſtronomo, cui perfecto non licet uti obſervatorio, foret inſtrumento tranſituum horizontali cum micrometro. Ejusmodi conſtat inſtrumentum teleſcopio longitudinis ſufficientis, horizontaliter firmato, cum parvo ſpeculo metallico. Tali inſtrumento, nec difficile nimis, nec

Digitized by Google

nec nimis ſumtuoſum, crediderim, obſervationes has reſpondentes cum fructu habere inſigni. Reſpondeas, obteſtor, an methodus, qua huc usque uteris, magis tibi habeatur plana. Laboribus preſſus, quamprimum tamen fieri poterit, plura de hoc negotio &c. Petroburgi, d. $\frac{1}{12}$ Martii 1752.

LETTERE FAMIGLIARI &c.

id eſt,

EPISTOLÆ FAMILIARES JACOBI BONFADII, cum ceteris ejus opuſculis, tam in proſa, quam in ligata, oratione compoſitis, & vita Autoris, ſcripta ab Illuſtriſſimo Comite, JOANNE MARIA MAZZUCHELLIO, Academiæ della Cruſca membro. Collegit omnia, & in lucem edidit, Abbas ANTONIUS SAMBUCA.

Tomi II.

Brixiæ, apud Jacob Turlinium, 1746 & 1747, 8 maj.
Tom. I plag. 14, Tom. II plag. 20.

Cum variis diverſi argumenti, nec, quod Lectorem ignorare nolumus, ejusdem pretii, partibus conſtet hæc collectio Operum *Bonfadianorum*, more eruditorum Eminentiſſimo *Quirino* dedicata; recta de illa diſſerendi ratio a nobis requirit, ut ſingula, quæ ibi inveniuntur, monumenta nominatim pereenſeamus. Faciemus igitur orationis initium a *Vita Bonfadii*, quam, uti inſcriptio docet, Illuſtr. *Joannes Maria Mazzuchellius* literis conſignavit; Reverendus autem noſtri Operis Editor illius *Tomo I* præmiſit, ac uberrimis annotationibus illuſtravit. Quamvis multi, iique doctrinæ & meritorum laude Pag
illuſtres, viri *Bonfadium* Veronæ vindicare ſtuduerint; certis tamen teſtimoniis, & ipſius *Bonfadii* effatis, expeditum eſt,

Pag. 5. lucem eum vidiſſe Gazani, oppidulo in provincia Brixienſi ſito.
Familiæ ejus origines ſubobſcuræ ſunt; nec, quo tempore na-
7. tus ſit, certo poteſt definiri. Ingenio tam fuit præſtanti, ut
libentes concederent ejus parentes, ut literis ſe conſecraret.
Veronæ primum, deinde Patavii, Muſis elegantioribus operam
9. dedit. Romam deinde petiit, atque id conſecutus eſt, ut
Cardinalis Barienſis, *Stephanus Gabriel Merinus*, Hiſpanus,
eum ſibi juberet eſſe ab epiſtolis, ac, cum is A. 1535 ex hac
11. vita migraret, idem munus ipſi crederet *Hieronymus Ghinuc-
cius*, itidem Curiæ Romanæ Pater purpuratus. Sed, poſt bre-
ve tempus locum, quem tenebat, relinquere coactus, Vene-
13. tias ſe contulit; rediit tamen Romam, cum oblatam ipſi
occaſionem, cum legato Mantuano in Hiſpaniam ad *Caro-*
15. *lum* proficiſcendi, nollet prætermittere. Triſtiori tamen ca-
ſu Legatus ille finivit vitam; benigniore autem fortuna No-
ſter, poſtquam per aliquod ſpatium in regno Neapolitano
commoratus erat, a celeberrimo viro, *Marco Antonio Flami-
nio*, Cardinali *Rudolpho* commendatus, tertium Romam ve-
nit, ac inde Patavium petiit, ubi in domo *Petri Bembi*, itidem
16. Cardinalis, vitam egit vere philoſophicam. Scripſit eo tempore
17. Annales Genuenſes, &, *Torquato Bembo* datus elegantiorum li-
terarum magiſter, ſummos legitimæ diſciplinæ honores
24. tunc videtur eſſe conſecutus. Nihilo minus poſt quinque
annos Genuam conceſſit ad docendam Philoſophiam, & con-
26. tinuandam, quam conficere cœperat *Ubertus Folieta*, ejus-
30. dem rei hiſtoriam. Male hic ſibi conſuluit, cum tanta con-
traheret crimina, ut lugubri afficeretur morte, ejusque cor-
pus, collo amputato, combureretur, quamvis Hiſtorici nec de
tempore, quo id contigit, nec de ſententiæ capitalis cauſa, con-
33. ſentiant. *Thuano* ſufficit, accidiſſe id *ob rem tacendam;* nec de-
ſunt, qui flagitii eum accuſant, quod ab urbe Sodomitica
34. nomen habet. Alii, ut defendant *Bonfadium*, nihil eum
38. commiſiſſe, dicunt, niſi quod de nonnullis illuſtribus fa-
miliis parum honorifice ſcripſerit; alii, foviſſe eum quædam
dogmata, priſtinæ reipublicæ formæ adverſaria; alii denique
alias

alias proferunt mortis cauſas, quas nos quidem præterimus;
nec catalogum operum *Bonfadii* libet deſcribere, quæ
rectius ex his, quæ jam afferemus, cognoſcentur. Progredi-
mur enim ad percenſenda opuſcula *Bonfadii*, quæ *prima* 45.
Parte continentur. *Primum* locum tenent *Epiſtolæ*, quæ, 1.
antea in variis literarum eruditorum collectionibus, quip-
pe *Curtii Trajani, Commini da Trino, Venturini Ruffinelli,*
Dolcii, Pauli Manutii, Benordini Pini, Franciſci Tarchii,
Barth. Zuchi, Thom. Doſſæ, diſperſæ, jam in unum corpus
congeſtæ. Aliæ Latinæ, aliæ Italice exaratæ, ſunt; utræque
& argumentorum ubertate ac dignitate, & dictionis elegan-
tia, ſatis ſeſe commendarunt. Quanti ſint momenti, vel ex
clariſſimis virorum, ad quos ſcriptæ ſunt, nominibus cogno-
ſcitur. Inter eos eminent *Paulus Manutius, Marcus Anto-* 92.
nius Flaminius, Petrus Bembus, alii. *Secundo* loco com-
paret *verſio Italica* orationis *Ciceronianæ* pro *Milone*, quæ, pri-
mum Venetiis A. 1554 forma 8 in lucem emiſſa, a *Sanſovi-*
no Parti II dalle Orazioni diverſe d'Uomini illuſtri pag. 108
ſeq. fuit inſerta. *Tertio* denique loco exhibentur *Carmina*,
tam Latina, quam vernacula. Ex Latinis non niſi tria
nobis conſervata ſunt a *Joanne Matthæo Toſcano, Jano*
Grutero, Joanne Antonio Taglietio, celeleberrimis fratribus
Vulpiis, & Eminentiſſimo Quirino, ab illis quidem in aliorum
Poetarum collectionibus, ab hoc vero in *Specimine variæ li-*
teraturæ, quæ in urbe Brixia florebat, nec non in *Epiſtolis*
familiaribus, Bononiæ A. 1744 conjunctim editis; ſepara-
tim autem Veronæ A. 1740 in lucem emiſſa. Italica itidem
variis hujus generis collectionibus, in quibus *Creſcimbeniana*
& *Roſſiana* eminent, inſerta ac diſperſa, nunc conjuncta, ſunt.
Pars poſterior continet *Annales Genuenſes*, qui, in Libros quin- 1.
que diſtributi, rerum, in republica Genuenſi ab anno 1528
usque ad annum 1550 geſtarum, complectitur hiſtoriam. Cum
prima editio, quæ Papiæ A. 1586 prodiit, atque a V. C. *Jo.*
Vogtio inter libros rariſſimos numerata fuit, iterum, Italice
converſa a *Bartholomæo Paſchetto*, cui illam quoque debemus,

Genuæ A. 1597 fol. juris publici facta ſit; emendatior poſtea prodiit in *Theſauro Antiquitatum Italiæ Tom. I Part. II pag. 1323.* Continuavit vero hoc opere, teſte *Perizonio*, haud minore judicio, quam elegantia, Annales *Folietæ*. Cum Annales iſti nemini hiſtoriarum ſtudioſo ignoti ſint; uberiore de illis narratione lubenter ſuperſedemus. Monemus potius, addita illis fuiſſe nonnulla *Bonfadii* opuſcula, quæ, jam diu quaſi ſepulta, primum nunc in lucem videmus protracta. Ex horum numero eſt *Epiſtola*, ad *Silvanum Cataneum* ſcripta, & quatuor Carmina Italica. Nihil addimus, niſi quod Clariſſimo Editori pro ingenti hoc beneficio, quod in Muſas elegantiores contulit, gratias publice agendas decernamus.

Pag. 309. 310 ſeq.

BASILII ZANCHII, BERGOMATIS CANOnici Ordinis Lateranenſis, Poemata, quæ exſtant, omnia, nunc primum ex Oporiniana editione accuratiſſime recenſita, illuſtrata, & aucta. Acceſſit Baſilii vita, PETRO ANTONIO SERASSIO Autore.

Bergomi, excudebat Petrus Lancellotus, 1747, 8.
Plag. $18\frac{1}{2}$.

Conſecravit hoc opus *Seraſſius Mario Lupo*, quem alibi laudare meminimus. Continet inprimis dedicatio Poeſis, ac Poetarum lectionis, commendationem: cum finis Poeſis omnis ſit, per carminum ſuavitatem fabularumque illecebram, quicquid ad conditionem cujusque pertinet, homines docere, eosque ad amplectendas virtutes, vitia fugienda, quibusdam quaſi ſtimulis incitare; quare nemo ſit, qui non videat, nullam operam in Poetis lectitandis præter utilitatem collocari. Patet inde, quid moverit Editorem ad Carmina Poetæ publicanda, quem *M. Ant. Flaminius*, *Jo. Bapt. Pigma*, ceterique præſtantiſſimi viri, ſuorum carminum judicem & arbitrum conſtituerunt: inprimis cum videret, ipſius *Fla-*

Digitized by Google

Flaminii, *Jac. Sannazarii*, *Hier. Fracaſtorii*, *Hier. Vida*, reliquorum ejus ætatis Poetarum, opera, ſtudio literatorum hominum, elegantiſſime recuſa, per omnium Bibliothecas & manus, ſumma ſcriptorum gloria, legentium profectu, vagari. Dolebat igitur & angebatur animo Noſter, quod *Zanchius* unus, qui nec elegantia, nec ſententiarum gravitate, nec ullo poeticæ facultatis lumine, cuilibet optimorum cederet, propter exemplarium inopiam, fato quodam iniquo, neglectus ac velut obſcurus jaceret. Quamvis enim illius carmina celebri Poetarum illuſtrium Italorum in collectione, quæ Florentiæ lucem ante aliquot annos vidit, *XI Volumine* legi poſſent; erant ea tamen adeo pauca, tamque jejunis ex editionibus expromta, ut nec Autoris gloriæ, nec legentium deſiderio, ſatis conſultum eſſe videretur. At editio *Seraſſiana* deſumta fuit ex rariſſima *Jo. Oporini* Baſil. 1555, 8, quam ceteris omnibus accuratiorem & copioſiorem deprehendit ille. Nam Romana prior, apud *Antonium Bladum* A. 1540, 4, excuſa, quam Florentini collectores ſecuti ſunt, tres modo Carminum Libros continet; altera vero, licet amplior multo, ſeptimum tamen Librum haud excedit, cum *Libros VIII* Baſileenſis, & illos quam emendatiſſimos, habeat. Illis tamen adhæc nonnulla Carmina junxit Noſter, quæ librum prope integrum conficerent. Hymnum quidem æternæ pacis, & ad *Alex. Farneſium* Epigramma, e *Volumine primo* Deliciarum Cl. Ital. Poetarum, collectore *Ranutio Ghero*, id eſt, *Jano Grutero*, decerpſit, Epigramma vero ad *Franc. Franchinum* accepit e MSto Codice Bibliothecæ Vaticanæ. Tria poſtrema, *M. Ant. Flaminii* ſacra laudibus, etſi Poetæ ſuavitatem minime redolere videantur; quoniam tamen ab aliquibus *Zanchio* tributa ſunt, reliquis, ne quid deſideraretur, ſubjunxit. Inprimis autem Editor & Poetæ vitam, & eruditorum teſtimonia, præfixit, quæ nec a nobis negligantur, digniſſima. Ex gente *Zanchia* præ ceteris floruit *Paulus Zanchius*, non propter ſingularem tantum eloquentiam & rerum gerendarum dexteritatem, quibus non ſe-

Digitized by Google

mel patriam, difficillimis reipublicæ temporibus, ab imminenti direptione liberavit, (vid. *Jovita Rapicius* Orat. in funere *Pauli Zanchii*, Venet. 1561, 4, & P. *Donatus Calvius* in *Scena letteraria degli Scrittori Bergamaſchi pag.* 432, & in *Campidoglio de' Guerrieri pag.* 274) verum propter egregiam etiam ſobolem filiorum ipſius. Ex iis *Pamphilus*, Canonicorum regularium inſtitutum amplexus, *Jo. Chryſoſtomi* nomen adſcivit, eloquentia & eruditione cuilibet optimo ſui ſeculi non cedens. Nec *Dionyſio* ſacræ poeticæque facultatis gloria defuit, qui vitam divæ *Martæ* libris heroicorum Carminum quatuor, auſpicio felici, complexus eſt. Vid. *Calvii Scena letter. pag.* 119. Verum omnium celebritatem longe vicit *Petrus*, inter Canonicos regulares *Baſilius* dictus. Hic natus eſt Bergomi circa A. 1501. Doctorem habuit *Jovitam Rapicium*, Brixienſem, hominem cum ſummo dicendi ſtudio, tum peracri præſertim ingenio, ſingularique doctrina, præditum. Vix annos ſeptem ac decem natus, Commentarios conficere cœpit, in quos ex optimis quibusque Poetis locupletiſſimam epithetorum copiam congereret; quo quidem factum eſt, ut & omnium prope Poetarum floſculos deguſtaret, & ad conficienda carmina maximam facilitatem conſequeretur. Inde Romam adductus a patre, clariſſimorum hominum in luce, ſui tantam admirationem excitavit, ut nemini dubium relinqueret, futurum ſe in omni ſcientia liberali, poeticaque præſertim facultate, præſtantiſſimum. Scribebat enim jam ab adoleſcentia verſus, ad veterum Poetarum laudem prope accedentes. Nam, cum *Lælius Maximus* eclogam *Zanchii*, qua mors *Celſi Archelai Melini* defletur, Patavium ad *Chriſtoph. Longolium* miſiſſet, vir ille Latine ſcribendi peritiſſimus reſpondit *Lib. Epiſt. II pag.* 90 Baſil. 1533, 8: *Gratulaberis ei meis verbis vel de tam præclara indole, ſimul & hortaberis, ut, qua cœpit ire, via pergat*, cet. Mox in *Pontani* relatus eſt Academiam, in qua cum religio vigeret, ut, quod quisque nomen acceperat, aut inflexione modica veterum ad normam referret, aut, ſi natura nominis id

id haud pateretur, novum aliquod acciperet; hic Noſter *L. Petrei Zanchii* elegit, eoque titulo carmina quædam edidit. A. 1540 libros *de Sophiæ horto*, verſibus heroicis, auſpicio tam felici perfecit, ut nihil iis elegantius, ornatius nihil, legi poſſet, quos perquam laudavit *Petrus Bembus* Epiſtolarum familiarium *Libro VI.* Tandem *Zanchius* Romæ, Vaticanæ Bibliothecæ cuſtos poſt *Fauſtum Sabbeum*, Brixienſem, inſignem Poetam, a *Paulo IV* lectus, obiit A 1560 prid. Cal. Febr. pluribus Epitaphiis poeticam illius facultatem admodum prædicantibus. Eodem ſpectant hic loci collecta teſtimonia *Lil. Greg. Gyraldi Dial. II de Poetis ſuorum tempor. pag. 416; Jovitæ Rapicii Orat. cit. pag. 12; Pauli Jovii Elog. doctor. Viror. pag. 295*, ed. Baſ.; *Jo. Sambuci Dial. II de imitatione a Cicerone petenda pag. 149; Q. Marii Corradi de Ling. Lat. Lib. XIII pag. 445; Seb. Corradi* in *Comment. Bruti, ſeu libri Ciceronis de claris Oratoribus, pag. 61* ed. Flor. 1552; *Pauli Manutii Lib. IV Epiſt. 28* ad *Laur. Gambaram; Gabr. Pennotti* in *Gen. totius ſacri ordinis Clericor. Canonicor. Hiſt. tripartita Lib. III Cap. 32, 55; J. N. Erythræi* in *Pinac. altera pag. 49; Franc. Mariæ Mancurti* in *Vita M. Ant. Flaminii*; ipſius *Flaminii Carm. Lib. V n. 24, VI, 62; Laur. Gambaræ* in Poemate *Caprarola; Hippolyti Capilupi Eleg. ad Baſ. Zanch.* in *Del. Ital. Poet. Vol. I pag. 649; Jo. Bapt. Pigmæ* Carm. ad *Baſ. Zanchium; Jo. Matth. Toſcani Pepli Italiæ Lib. III n. 132; Achillis Mucii Bergomatis* in *Theatro P. III fol. 51, Gul. Modicii* in *Del. It. Poet. Gheri P. V pag. 16; Bern. Taſſo, Bened. Varchi, Anib. Caro, Gabr. Fiamma*, & plurium aliorum. In ipſis Poematibus tam eminent multa, ut difficilior eſſe ſelectus videatur, licet rerum memorabilium indicem adjunxerit Editor. Hoc certe majori jure laborem illum ipſis Lectoribus relinquemus; cum, præter unum carmen, omnia non iam prodeant primum.

LAURENTII MEDICEI VITA, A NICOLAO VALO-

LORIO ſcripta, ex Codice Mediceo-Laurentiano nunc primum Latine in lucem eruta cura & ſtudio LAURENTII MEHUS, Etruſcæ Academiæ Cortonenſis Socii.

Florentiæ, ex typographio Jo. Pauli Giovannelli, 1749, 8 maj. Plag. $5\frac{1}{2}$.

Jam ultra centum octoginta anni ſunt elapſi, ex quo *Philippus* & *Jacobus Junctæ*, bibliopolæ Florentini, vitam illam *Laurentii* Italice verſam ediderunt, eamque *Franciſco Mediceo, Coſmi* primi filio, dedicarunt. In epiſtola de 8 Jun. A. 1568 teſtantur *Junctæ*, Codicem MStum Italicæ verſionis, ab avtographo deſcriptum, *Coſmo* patri paucis annis ante donatum fuiſſe. Servatur in Bibliotheca Florentina Codex, cui præterea præfigitur altera *Baccii Valorii, Nicolai* nepotis, ad *Coſmum* epiſtola d. 20 Jul. 1567. Creditum eſt vulgo, verſionem Italicam a *Philippo Valorio* compoſitam fuiſſe, & credibile eſt, *Baccium Valorium* ex Italico *Philippi* patris avtographo exemplar ſua manu ſumſiſſe, quod *Coſmo* primo obtulit. Elaboraverat autem Latine *Nic. Valorius, Bartholomæi* filius, *Philippi* junioris pater, avus *Baccii, Marſilii Ficini* cum *Philippo* fratre diſcipulus, ideoque Platonicus Philoſophus: quapropter in Epitaphio, *bene de Platonis dogmate, de republica Florentina, & Laurentio Mediceo ſeniore optime, merens appellatur*. Quod Clariſſ. *Mehus* edit, eſt apographum Autoris, *Leoni X P. M.* conſecratum, cumque alio Codice collatum. Elaboratum eſt opus A. 1492, ſed aliquot annis preſſum, donec ille *Jo. Medices* Pontifex eſſet electus. *Mehus* decreverat, illi vitæ verſionem Italicam *Junctinam* apponere: ſed, cum Latine paſſim paraphraſis, ac præterea multa, eſſent ibi perturbata, vel Autoris mentem haud accuratius exprimerent, laudabilius omiſit. Nos autem ad rem ipſam progredimur. Natus
Pag. 5. dabilius omiſit. Nos autem ad rem ipſam progredimur. Natus
7. eſt *Laurentius* A. 1448 prid. Cal. Jan. Puer tradebatur *Gentili Urbinati*, poſt Aretinenſium antiſtiti ſacro. Adhuc juvenis & magnifici & magnanimi cognomen adeptus eſt. Ut *Gentile* magiſtro liberalibus ſtudiis, nominatim utraque lingua Romana

na patriaque, cum proſa, tum verſa, excelluit: ſic & eruditionis edidit ſpecimina. Legere meminit Autor opuſculum ejus amatorium, cum eodem *Gentile*, lepidum admodum & expolitum, multiplex, varium, copioſum, elegans, ut nihil ſupra. *Chriſtophorus Landinus*, eo tempore Poeta & Orator inſignis, Pag. 8.
luſtrans illud Carmen, *in hoc*, ait, *ſcribendi genere ceteros hic ſine controverſia ſuperabit*. Amabat Princeps *Lucretiam Donatam*, fœminam raræ pulchritudinis & honeſtatis, equeſtris conditionis; hujus igitur laudes Italica lingua verſibus illis pulcherrimis decantavit. Olfactu caruit, ſed tanto ſenſus animi 9.
fuerunt acutiores, ad prudentiam quoque civilem quod atti- 10.
net, qua patrem ipſum ab inſidiis liberavit, ac pernicioſiſſi- 11.
mam ſedavit conjurationem. Amicos ex inimicis facere ſibi, 12.
primarium ſemper quaſi ſtrategema cenſuit. Ita tranquillatis civilibus rebus, quaſi totum ſe Philoſophiæ dedit. Hic, Academiæ, poſt *Ariſtotelem*, incenſus amore, *Marſilio Ficino* familiarius utebatur, cujus ductu maxime profecit, ut & *Platonis* ſenſus intimos & reconditos quosque penetraret, id quod ipſe *Ficinus*, in ſuis ſcriptis, ſæpiſſime teſtatur. Ajebat idem *Ficinus*, *Laurentium* dicere ſolitum, ſine *Platonica* diſciplina neque bonum civem, neque Chriſtianæ doctrinæ peritum, facile quemquam futurum. Hoc ſentiens, quotiescunque publi- 13.
cis a negotiis vacabat, ſemper inhærebat Academiæ, audire maxime cupiens & alloqui *Ficinum*, qui, Magni *Coſmi* alumnus apud Italos, poſt tot ſecula primus Academiæ fores non ſolum aperuit, ſed intima etiam adyta penetravit. E Caregio ſuo rediens in urbem, Satiram in bibaces, argumentum ex communi 14.
vita petitum, ſimul inchoavit & abſolvit, opus in genere ſuo con- 15.
ſummatiſſimum, ſalibus plurimis & lepore conditum. Annum agens unum ſupra viceſimum, patre defuncto, ſingulorum conſenſu primum civitatis locum obtinuit, maxima præcipue modeſtia prudentiaque ſeſe commendans. Rariſſimorum libro- 17.
rum & antiquitatis amantiſſimus fuit. *Platonis* imaginem, diu 18.
deſideratam, & in ipſis tandem Academiæ ruinis inventam, cum ab *Hieronymo Roſcio*, Piſtorienſi, accepiſſet, gaudiis exultavit, eamque ſumma ſemper habuit in veneratione. Non æ- 21.

 quali

Digitized by Google

Pag. 22. quali cultu proſequebatur *Xyſtum*, qui & ipſe plurima fuit
24 ſeq. auſus, Pontifice perquam indigna. His turbis in ipſo templo
26. necem vix evaſit, in cervice vulneratus, *Laurentius*, qui nihilo
29. minus clementiſſimum ſeſe maleficis præſtitit. Neque debi-
lior erat civium in *Laurentium*, inter medias adverſariorum
inſidias verſantem, fides ac voluntas, licet Pontifex ac *Ferdi-*
32. *nandus* Rex vires ſuas conjunxiſſent. Temporibus inſequenti-
bus, maxime calamitoſis reipublicæ Florentinæ, pro ſalute
ſuorum extrema quæque *Laurentius* tentavit, omnique niſu vi-
34. res hoſtium confringere laboravit. Tantum ibi valuit provi-
dentia divina, *Laurentii*que facundia, ut ipſe præſens Neapoli
37. flecteret Regem, & ad partes ſuas perduceret. Maximo plauſu
ſummisque congratulationibus a ſuis receptus, veluti palma
39. mole depreſſa, ſurrexit altius, ac ſplendidius eminuit. Neque
tamen exacerbat adhuc *Xyſtus* quievit, ſed Venetos irritavit,
40. diuque laborandum *Laurentio* fuit, donec & huic ſaniorem
41. mentem & amiciorem indueret. Ex quo tempore potius de
43. Venetorum potentia minuenda cogitatum eſt. Mox autem
46. apud Balneolum pax concluſa eſt. Præter Muſicen, Archi-
tecturam inprimis adamavit *Laurentius*, ſed illam præcipue,
quæ aliquid antiquitatis redoleret. Quod facile patet in Præto-
rio *Cajano*, priſcam illam veterum magnificentiam repræſen-
47. tante. Piſis inſtituit Gymnaſium ſcientiarum omnium, quo ut
doctores conduceret undecunque in qualibet facultate præ-
ſtantiſſimos, quoad vixit, nullis unquam ſumtibus pepercit.
Aluit domi ſuæ *Politianum*, virum literatiſſimum, cui quoque
filium ſuum erudiendum commiſit. *Marianum* Genazanen-
ſem, virum doctrina, dicendi facultate, moribus, egregium, ut
Florentiæ detineret, Cœnobium illi fratribusque magnificum
& amplum ad urbem faciendum curavit, ut ſermonibus ejus
populum ad religionem atque cultum divinum inſtitueret.
52. Ipſe *Laurentius* eloqentiſſimus haud modo *Ferdinandum*,
quod diximus, flexit, ſed ejus quoque deinceps juvandi neceſ-
ſitatem civibus ſuis renitentibus potentiſſime perſuaſit. Hanc
orationem, ex ore dicentis exceptam, Autor vitæ legit, eamque
nihil gravius, nihil copioſius, nihil ornatius, eſſe, judicavit.
Quin

Digitized by Google

Quin etiam, ut *Ferdinandus* aliquantulum reſpiraret, qui arce Pag. 53.
nova ſe continebat, animique vires reſumeret, literas *Alphonſi* manu ſcriptas, quibus is incolumem ſe, *Laurentium*que tantæ ruinæ remedia præbiturum, ſignificabat, ad eum novo modo perferendas curavit. Nam clauſæ laminis e ſtanno tenuiſſimis, involutæque pane primum crudo, deinde, prout moris eſt, decocto, datæ ſunt homini victum oſtiatim ſimulate quærenti, qui panem, de quo diximus, cum fruſtis aliis panis commiſcuerat. Ita per tantum terrarum ſpatium, per inimi- 54.
corum oculis cuſtodita loca, *Ferdinando* redditæ fuerunt incolumes. Tandem opera *Laurentii* ſolius bellum inter Pontifi- 56.
cem et *Ferdinandum* compoſitum, pax Italiæ reddita, fuit. U- 64.
xorem habuit *Claricem Urſinam*, & ex ea liberos ſeptem, præter illos, qui obierant inter crepundia: fœminas quatuor, mares tres. Obiit annum agens quartum & quadrageſimum, 65.
vir æterna memoria digniſſimus.

CHOIX DE DIFFERENS MORCEAUX DE Poeſie, &c.

id eſt,

SELECTUS VARIARUM PARTICULARUM POEticarum, Anglicano de ſermone converſarum per TROCHEREAU.

Pariſiis, apud viduam Piſſot, & Piſſot filium, 1749, 12 maj.
Plag. 12.

Comprehendit illa collectio periculum de Poeſi, periculum de ratione convertendi carmina, templum honoris, Oden de poteſtate Muſices, & electionem vitæ. Quæ primum occu- 5.
pant locum, tractationes apud ipſos Anglos generalem plauſum habuerunt inde jam a longo tempore, quippe quas ipſe *Popius* ſub finem Periculi critici laudat. Prioris Autor nobilis 6.
Anglicani regni dominus *de Buckingham*, ac poſterioris *Roſco-* 7.

mon, ornamenta primaria fuerunt in aula *Caroli II*, quo regnante præſertim floruerunt apud Anglos elegantiores literæ.
Pag. 9. *Buckinghamianum* ſcriptum non eſt Poetice perfecta; ſiſtit modo primas lineas majoris operis, & meditationes hominis ad genium ſeculi facti, præceptionibus *Ariſtotelis* & *Horatii*
11. nixas. Stilus eſt conciſus, plurimum ſenſus pauciſſimis verbis
12. includens, ob eamque cauſam ſubinde paululum obſcurus. Interpretatus itaque Noſter eſt, quemadmodum *Æſchinem* atque
13. *Demoſthenem Cicero*, liberius & explanatius. Alter Britannici regni ſenator (*Milord*) fatetur, Anglis Gallos præparaſſe viam, ſed tamen, vincere priores, præ ſe fert, qui carmine perfece-
33. rint, quod pedeſtri ſaltem ſermone Galli. Contrarium hic defendere laborat *Trochereau*, qui judicat, quod ipſe *Drydenius* exemplo ſuo talia confirmet, *Virgilium* apud Anglos poetice convertens, ſecundum ipſos Criticos Anglicanos perquam infide, & ſic, ut apud eum ſæpe Latinus Poeta temere quæratur. Contra vero laudibus cumulatur *Reſnel* Abbas, interpres Poe-
45. tæ *Popii* carminum de homine, Periculique critici. Nectit etiam de ὁμοιοτελεύτοις poeticis controverſiam, quæ quidem adverſus Anglos ſtrenue defendit, *Roſcomonium* præcipue vi-
46. tuperans; eademque non auribus modo, ſed oculis etiam, in-
51. ſervire debere ſtatuit. Æque rejiciuntur, qui carminis Gallici modos ad Latinos revocare laborarunt, Poetæ quidam Seculi XVI. Conſuetudinem eandem introducere laboravit, ſub
52. Anglorum Regina *Eliſabetha*, *Philippus Sidney*, eques, in *Arcadia* ſua, ut & Londini A. 1737 periculum publicabatur, Græcorum ac Latinorum modos in Anglicanam Poeſin introducendi. Conf. *Bibliotheque Britannique A. 1738 P. I.* Sed, ad
57. propoſitum rediens interpres, duumviros ſuos comparat. *Buckinghamus* eſt legiſlator gravis ac ſolidus, & adhibet ſolum ignem atque furorem poeticum ad præceptionum ſiccitatem quaſi vegetandam. *Roſcomonius*, per ſuavem conjunctionem, & præceptiones miſcet & gratias. Imagines formandi facultas illuſtrior eſt, ſpargit flores ubivis, ac ſemper velut incanta-
58. ta per itinera ducit. Elegans Poeta, & vir aulicus, obtegunt di-
60. dacticum Autorem. Super utrumque vero multum *Bolæi* poeticam

Digitized by Google

ticam artem collocat; ubi nihil non laudem meretur eximiam. Interim uterque viam munit ad honoris templum, quod deinceps conſpicitur. Carmen illud eſt opus imaginos formandi facultatis optimæ fœcundiſſimæque. Quodlibet ibi depictum eſt coloribus tam vivis, tamque variis, ut Poeta deferat nos in decantata loca, quæ deſignat. Picturæ ſunt gra- Pag. 61.
ves ac nobiles; genius & eruditio paſſibus velut æquis incedunt; Poeta, Philoſophus, magnus, indolem oſtendit, erudit, incantat. Idem eſt *Popius*, qui deſiderium inſpiravit oden 62.
Drydenianam convertendi, tanquam præſtantiſſimam Anglorum Poetæ maximi lucubrationem, quam accuratiſſimus ille Criticus admodum commendat. Iſthæc Oda pleniſſima eſt lau- 64.
dabili confuſione *Pindarica*; quidlibet ibi ſapit ἐνθουσιασμὸν poeticum; ſententiæ, imagines, enuntiationes, atque reliqua, pertinent eo. Quæ claudit agmen, electio *Pomfreti*, vota Phi-
loſophi continet ad beate vivendum. Poetarum vitæ ſcriptis 66 ſeq.
præmittuntur, paſſimque ſubjunguntur obſervationes. Ita ve- 3.
ro *Jo. Scheffield*, actutum Comes *Mulgravius*, deinceps Dux *de Buckingham* & *Normamby*, inſignis literatorum Mæcenas, & cultor eruditionis non minus, quam libertatis civilis ſacræque, mortuus eſt d. 24 Febr. A. 1720, ac varia ſcripſit, Anglis ad- 5.
miranda. Comœdia, quæ titulum habet, *The Rehearſal*, aut actionum comicarum repetitio, eſt dramatum *Drydenii* & aliorum accurata critice. Templum mortis, quo Gallicum *Haberti* carmen æmulatur, & periculum de Poeſi, generalem obtinuere plauſum. In obſervationibus ejus, Periculo 15.
poetico ſubjectis, monetur e. g. quod *Jo. Wilmot*, Comes Rocheſtrienſis in Ditcheley, Comitatus Oxonienſis, loco A. 1648 natus, & A. 1680 mortuus, ille ſit, quem jure carpat Autor, quod ad cantiones indecoras, ſatiricas, & honeſtas parum, dejecerit Muſas. Ubi contra *Walleri* funebre *Cromwelli* elogium, 19.
& *Denhami Cooperhill*, laudantur; additur, quod S. *Evremont* priorem *Anacreontem* Angliæ dixerit, ejusque laudatum carmen inter palmaria ſit (*un chef d'oeuvre*); alter autem vixerit *Caroli II* tempore, mortuus A. 1668, Poemaque, quod non 20.
minus *Popius* celebravit, ſummum obtinuerit in Anglia no-

Digitized by Google

Pag. 21 ſeq. men. Dum *Cheſſield* dicit, quod *Cowley* potuerit gloriari, in odarum genere ſe excelluiſſe, ſi quidem egregiæ naturæ regulas artis junxiſſet; neque ſæpius enuntiationes humiliores & impropriæ fertilem imagines formandi facultatem dejicerent, cujus nihilo minus gratiæ perpetuo manerent, narratur, quod *Cowley* de maximis fuerit Angliæ Poetis, natus Londini A. 1618, mortuus A. 1667, carmina ſua vulgarit A. 1656 in fol., miſcellanea & Odas Pindaricas complexa. *Congrevius* cenſuit, quod verſuum ejus irregularitatem pulchritudo compenſet, quodque feliciter non raro *Pindarum* ſit imitatus robore figurarum ſtilique, nec minus ſublimitate ſententiarum.
25. Alibi notatur, quod ſemper ſit Poeta regius in Anglia, quos inter *Settlium* atque *Theobaltum* caſtigarit *Popius*, jam eo munere fungatur *Cibber*, antea Comœdus, cujus inter Comœdias habeantur *the Careleſs Husband, the double galant*, & *Love's*
26. *laſt ſhiſt*. Muneris ejus, cujus annui reditus centum pondo Anglicorum ſunt, eſſe ſaltem dicitur, duas annis ſingulis Odas lucubrare, die nimirum nati Regis & Calendis Januariis, quæ publicis in novis conſpiciuntur, neque tamen admodum æſti-
37. mantur, quin acerbis haud raro judiciis ſubſunt. Inter alios Anglorum Poetas *Jo.* quoque *Fretcher* in cenſum venit. Natus A. 1576 is excellens Poeta, Londinum venit A. 1627. Indicat *Eduard Philipps* in Theatro Poetarum, quod *Fletcher*, *Shakeſpeare*, & *Ben-Johnſon*, triumviratum Poetarum dramaticorum illuſtrem conſtituerint, quorum excelluerit quisque in genere ſuo. Stilus *Ben Johnſoni* dicitur purus, correctus, et inſignem Autorum veterum cognitionem oſtendens, *Shakeſpearii ἐνθουσιασμόν*, & imagines concipiendi facultatem, ſecutus, *Fletcherii* demum elegans, ſuavis, facilis, dives, ac fœcun-
49 ſeq. dus. Ubi perquam *Homerum* commendat Anglus, ac profitetur, ſi quis eum ſemel legerit, aliud eundem nihil probaturum, quin inſipientes ac repentes quoslibet opinaturum eſſe, nec opus aliis libris habiturum; interpres Gallus, partim hoc effatum confirmans, partim temperans, epiſtolam *Fenelonii* ad Academiam Gallicam allegat, & inde notabilem locum
52. excerpit. Mox iterum inter recentiores palmarios laudatur *Edmond.*

Digitized by Google

Edmond. Spencer, natus Londini A. 1576, aulicus *Eliſabethæ* Reginæ Poeta, primus Anglorum in heroo genere excellens, cujus *Fairy Queen*, *Eduardo Philipps* judice, ad inventionem ac ſublimitatem Poeſis quod attinet, antiquiorum ac recentiorum Poematum nulli cedat; de quo tamen, e contrario *Thomas Rhymer* non præter rationem obſervet, ſtupendum eſſe, quod ingenium tam elegans, cui notiſſimi fuerint *Homerus* ac *Virgilius Arioſtum* æmulari, totumque velut exprimere cæce, maluerit. Sed nos propius tangit *Wenworth Dillon* Comes *Roſcomonius*, ex Irlandorum antiqua familia natus, in Angliam autem arceſſitus a *Straffordo* Comite, & Doctori *Halle*, mox autem, Anglia relicta, celebri *Bocharto*; commendatus, ejus educationi qui manum ultimam admovit. Hinc itinera fecit Comes, apud Italos diu moratus. *Catharina Philipps* in *Epiſt. Crindæ ad Polyarchum*, Londini, 1705, *pag.* 79 ingenium ejus & optimas proprietates admodum celebrat. Obiit, poſt plura munera publica feliciter adminiſtrata, A. 1684, in Abbatia Weſtmonaſterienſi ſepultus. Inter ejus opera ſunt; *an Eſſai on translated Verſes*, Londini 1680 & 1684, 4, hujus hic exhibetur interpretatio; verſio poetica ſine rhythmis artis poeticæ *Horatianæ*, Londini 1680, 4; paraphraſis *Pſalmi CXLVIII.* Odæ quædam *Horatianæ*, & aliæ. Ad *Popium* quod attinet, judicium inprimis *Voltairii* proponitur, quo dicitur: *Le Poete, le plus elegant, le plus correct, & le plus harmonieux qu'elle ait eu: il a reduit les ſiflemens aigres de la trompette Angloiſe aux ſons de la flûte.* Cum is hic verſum Poema lucubraret, nondum erat annos 22 natus; occaſionem ſumſit de *Chauceriano palatio exiſtimationis.* Ille *Gottfr. Chaucer* erat inſignis Poeta, natus A. 1328, *Eduardo III* Rege, cujus in aula fuit nobilis & inſignis; obiit A. 1400. Sepulcrum habet in Abbatia Weſtmonaſterienſi. Monumentum incipit:

Pag. 53. 54. 55. 59. 117. 118. 119. 120.

Qui fuit Anglorum vates ter maximus olim
Gofrigidus Chaucer, conditur hoc tumulo, cet.

Miltonus eum maximis Poetis annumerat, *Drydenus* appellat Pœſis Anglicanæ parentem, qui tanti ſit ab Anglis æſtimandus,

Digitized by Google

dus, quanti *Homerus* atque *Virgilius* a ſuis, cum naturam ubique ſequatur, noveritque prudenter, quando dicendum ſit, vel deſinendum; ac, licet hodiernam harmoniam non ſectentur
Pag. 171. ejus verſus, ſeculo tamen convenerint ſuo. Jamjam memoratus *Jo. Dryden*, e ſplendida Comitatus Huntingtonienſis familia natus A. 1631, mortuo A. 1666 *Davenantio*, Poeta crea-
173. tus eſt aulicus. Periculum de Poemate dramatico juris publici fecit A. 1668, ut A. 1681 Poema, quod inſcribitur *Abſalom & Achitophel*, ubi *Buckinghamus* ſub nomine *Zambri* proponi-
174. tur, & vindictæ cauſa traducitur. Regnante *Guilielmo III Dryden* perdidit locum aulici Poetæ & Hiſtoriographi regii, qui *Thomæ Shadwello* fuit conceſſus, quem ille, vindictæ ſtudiis abreptus, Poemate perquam ſatirico mordacique, quod *Mac-Fleckno* dicitur, caſtigavit, quaſi *Richardi Fleckno*, qui peſ-
175. ſimus erat ſub *Carolo I & II* Poeta, filium. Alioqui plura dramata ſcripſit *Drydenius*, rivalem hic habens *Settlium*. A. 1679 interpretationem poeticam *Virgilii* publicavit, admodum reprehenſam a Poeta *Milbournio*, ſed quoque vindi-
176. catam, cum hic ſuam ipſius publicæ luci daret. Obiit denique A. 1701 *Drydenius*, itidemque in Abbatia memorata ſepul-
177. tus eſt. Operum ejus optimum ab ipſis Anglis habetur, cujus hic verſionem invenimus, in S. *Cæciliam* Ode. Elucet inde ignis, ἐνθουσιασμὸς, confuſio dithyrambicæ odæ; modi numerique poetici ſunt vivi ac præcipitati. Numeris muſicis adſtricta, ſummum eadem plauſum obtinuit inprimis A. 1735.
193. Poſtremum occupat locum *Pomfretus*, Rectoris Lutonenſis, in Comitatu Bedfordenſi, filius, qui celerrimas progreſſiones ſtudiorum in Academia Cantabrigienſi fecit. Londinum venit A. 1703, ubi & obiit ætatis anno 36. In ejus Poematibus, præter id, quod hic exſtat, ſunt: Amor de ratione triumphans; periculum paſtorale in Reginæ *Mariæ* mortem; verſus ad amicum de dolore; poema, quod inſcribitur ratio, & alia, quæ lucem conjunctim viderunt Londini A. 1740, 12. Plura forte, quam nonnulli vellent, de hoc libro diximus, ſed in quo multa continentur lectu & ſcitu digna, cujus adeo integri lectionem nemini non cupimus commendatiſſimam.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maji Anno MDCCLII.

MONUMENTA AUG. DOMUS AUSTRIACÆ, in quinque Tomos diviſa. Tomus primus Sigilla vetera, & inſignia, cum antiqua, tum recentiora, varii generis, complectitur, quibus uſi ſunt Marchiones, Duces, Archiducesque Auſtriæ, nunc primum ex tabulariis, aliisque idoneis locis, eruta, typisque æneis expreſſa, cum auctario Diplomatum Auſtriacorum, opera & ſtudio P. R. P. MARQUARDI HERRGOTT, Ord. S Benedicti, Principalis Aſceterii ad S. Blaſium in nigra ſilva Capituli Reverendiſſ. ac Celſiſſ. S R. I Principi Abbati San-Blaſiano a ſecretis Conſiliis, Vices gerentis & Præpoſiti in Crotzingen, nec non S. Cæſ. Regiæque Majeſt. Conſiliarii & Hiſtoriographi. Cum conſenſu aulæ Cæſareæ.

Viennæ Auſtriæ, proſtant apud Leopoldum Joannem Kaliwoda, aulæ imperialis Typographum, 1750, fol. maj.

Alph. 3, cum Tabb. æri inciſis 25.

Cui Auguſtiſſimæ gentis Habspurgicæ Genealogiam diplomaticam debet literaria reſpublica, idem monumentorum, huc pertinentium, inſtructiſſimum apparatum, immenſo & labore, & ſumtu, conquiſitum, edere orditur, Reverendiſſimus *Herrgottus*; atque, quam nominis famam, priore illo Opere, nequicquam ringente

 Pſeudo-

Pſeudo-*Calmeto*; recentiſſimoque *Actorum Murenſium* patrono, omnino meruit, poſteriore hoc, ſi quid judicamus, egregie tuetur. Si enim verum eſt, uti eſt, cœcutire hiſtoriam, quæ veterum monumentorum fide deſtituitur: eſſe contra hoc illuſtriorem, certioremque, quo magis his quaſi fundamentis fulcitur; nullum eſt dubium, qui in iis colligendis edendisque cum cura elaborant, cumulari laudibus oportere. Inſignem profecto gratiam debet Celeberrimo Operis Autori, quisquis deinceps in condendis Auſtriæ annalibus elaboraverit, dederitque operam, uti, quæ ſcripſerit, ſint ad Lydium monumentorum veterum lapidem exacta. Semper enim ita exiſtimavimus, neque nos pœnitet, operoſiorem eſſe illorum impeditioremque diligentiam, qui ſunt in conquirendis, quibus hiſtoriæ omnis certitudo nitatur, monumentis antiquis, inque examinandis, occupati, quam qui his demum annales ſuperſtruunt. Illi enim non habent, quod ſibi opituletur, præter fidem oculorum, illamque judicii, multo graviorem, cum ſecernenda ſunt a falſis genuina, ſincera a corruptis, a ſuppoſititiis, quæ exceptione majora ſunt; hi contra, nullo labendi periculo, per ſtratam incedunt viam, beneficio priorum; ituri alioqui per invia, per ambages, dubiis greſſibus. Atque hæc omnia eo pertinent, ut, quale ſit futurum, etiam poſteritatis, de Reverendiſſimi *Herrgotti* labore improbo judicium, intelligatur. Sed, age, quid *Volumine* hoc *primo* vaſtiſſimi Operis exhibitum ſit, quidque ſit de reliquis exſpectandum, curatius indicemus. *Prior* itaque *Tomus*, *quinque* enim futuri ſunt, Sigilla atque inſignia Auſtriaca *octo Diſſertationibus* exponit, addito ſub finem Diplomatum auctario; de quibus omnibus deinceps. *Alter Numothecam Principum Auſtriæ aperiet*, verbis Autoris jam utimur, *qua continebuntur Numiſmata mnemonica atque hiſtorica, quæ vel horum juſſu, vel eorum gratia, ab aliis in lucem prodierunt; numi item omnis generis & moduli, nec non monetæ; ſingula aneis tabulis expreſſa.* Tomus tertius *Pinacotheca futurus eſt, in qua Marchionum, Ducum, Archiducumque Auſtriæ, utriusque ſexus, effigies, ſimulacra, ſtatuæ,*

tuæ, anaglypha, ceteraque cælata, ſculpta, picta ve, Auſtriacorum monumenta, tabulis æneis inciſa, referentur, adjecta ſingulorum deſcriptione. Tomus quartus *continebit monumenta ſepulcralia Auguſtæ gentis Auſtriacæ, Diſſertationibus VII expoſita, & tabulis æneis illuſtrata.* Harum autem Diſſertationum prima aget *de vetuſtate funerum, exequiisque, Principum Auſtriæ; altera de tempore emortuali, locisque ſepulcralibus; de ſepulcris & tumulis tertia; quarta de ſepulcretis ac cryptis; quinta de urnis extorum & cordium; ſexta de Mauſoleis; atque ſeptima de Cenotaphiis.* Quintus Tomus *Inſcriptiones Auguſtæ Domus Auſtriacæ, ex templis, focis, palatiis, ſepulcris, cryptis, ſignis æneis, ſaxeis, aliisque monumentis, nec non ſcriptoribus fide dignis, ubivis fere gentium collectas, exhibebit. Quibus accedet Codex epiſtolaris Rudolphi I, Rom. Regis, ab eruditis tantopere hactenus expetitus.* Ex qua operis οἰκονομίᾳ, nullum a Doctiſſimo Autore monumentorum genus, quod ad illuſtrandam ſtabiliendamque Hiſtoriam Auſtriacam facere aliqua ratione poſſit, prætermitti, intelligitur: eſtque non tenue divi Cæſaris, *Caroli VI,* inſignis in meliores literas amoris documentum, quod Eruditiſſimo Viro, iſta ut ſingula ſtudioſiſſime conquireret, non autor ſolum ſuaſorque extiterit, ſed juverit eum etiam autoritate, quæ ad hoc deſtinationum genus quam maxime pertinet. *Diſſertatione prima* de Sigillis Marchionum Ducumque & veterum Archiducum Auſtriæ, ab *Erneſto I Strenuo,* lineæ Babenbergenſis, ad *Maximilianum I,* Imperatoris *Friderici Pacifici* filium, ex gente Habspurgica, exponitur. Prima hic diſquiſitio Cel. Autoris eſt de tempore, quo Marchionum Auſtriæ tabulæ primum ſigillo muniri cœperint; quod in feneſcens Seculum XI incidit. Neque enim vetuſtius Sigillum proſtat eo, quod ex Archivo Mellicenſi depromtum, *Erneſtum* Babenbergenſem Auſtriæ Marchionem loquitur; quodque jam in Auſtria ſua, ſed mutilum, exhibuit Cl. *Hueberus.* Quæ illic aquila comparet, ad finem usque XII Seculi uſitata fuit; dum, mutatis aliquoties Sigillorum iconibus, *Fridericus* tandem *Bellicoſus,* quæ adhuc obtinet,

faſciam ſigillo exprimeret. Quod jam anno Seculi XIII primo & triceſimo eum feciſſe, oſtenditur. Inſigne hoc argumentum eſt, ad tuendam virorum doctiſſimorum ſententiam, olim inſignia cuique Principi arbitraria fuiſſe. Quæ de Sigillis Auſtriæ reliqua ſunt, chronologico ordine ad *Maximilianum I* usque exhibentur; in quibus ea potiſſimum memorabilia ſunt, quæ de *Rudolpho IV*, *Alberti II* filio, §. *XV* & *XVI* narrantur; quæque eo pertinent, ut, quas adhuc plerumque alaudas exiſtimant, ab hoc Principe Sigillo Auſtriaco illatas, jam credamus aquilas fuiſſe. Atque iſtud eſt totius *Diſſertationis ſecundæ* argumentum, quæ de ſcuto veteri Principum Auſtriæ inſcribitur. *Aquilam ſimplicem*, inquit Reverendiſſimus *Herrgottus*, *quatuor aliis auxit Rudolphus*, *quam jam nominavimus; partim ut, quas in Imperio Romano dignitates gerebat, partim ut Provincias reliquas, quæ in ejus poteſtate eſſent, quæque eodem inſigni uterentur, una eademque area junctim ſiſteret.* Palatinum *ſe*, & ſupremum S. R. I. Magiſtrum venatorum *ferebat; præter Auſtriam, Styriam, Carinthiam, habebat etiam in ditione ſua* Provinciam trans Anaſum, Tirolim, Carnioliam, *quarum quæque aquila pro inſigni utebatur*, reliqua. Quæ Doctiſſ. Autoris conjectura etiam hoc argumento egregie confirmatur, quod quinque illarum avium oculi, roſtra, ungulæ denique, quo modo exhibentur, certe alaudarum non ſunt, tenuium avicularum, ſed avium ducis, fortis aquilæ, quæ, quod quintuplex, in Sigillis numisque Auſtriacis non niſi minima forma exhiberi poterat, alauda credita eſt; hoc pertinacius, quod *Cuſpinianus* atque *Lazius* legionem alaudarum Romanam in confiniis Pannoniæ repererunt; inque ejus rei memoriam crediderunt Auſtriæ inſignibus alaudas obtigiſſe. Confutantur hæc, aliaque plura, Seculi XV de Auſtriæ inſignibus commenta; ut proinde dubitare non liceat, in ſententiam Autoris ituros, quotquot legerint. *Diſſertatio tertia* faſciam Auſtriacam ſiſtit, ſcutique hodierni originem. Notiſſima res eſt, a temporibus *Friderici I* inſigne hoc derivare recentiores pleroſque. *Leopoldum*, dicunt, Auſtriæ Du-

cem,

cem, tam fortiter in expugnatione Ptolemaidos pugnaſſe, ut ſanguine triumphali, ſola parte, quæ baltheo cingebatur, excepta, quaſi tinctus videretur. Imperatorem, ea re cognita, in fortitudinis hujus memoriam, Auſtriæ faſciam albam, clypeum rubrum interſecantem, inſignia conceſſiſſe. Hanc fabulam doctiſſime confutavit *Herrgottus*, V. C. ex veterum ſcriptorum ſilentio, ex ipſo recentiorum diſſenſu, ex monumentis denique fide digniſſimis; quæ *Fridericum Bellicoſum*, faſciæ Auſtriacæ, in inſignibus, autorem, teſtantur. Quid, ſi addideris, eandem fere hiſtoriolam de pluribus aliis, poſt gentem Auſtriacam, narrari ſolere? Nonne ſagaciores quique, vel hoc ſolo documento, commentitiam eſſe eam originem, intelligent? Plane iſtius farinæ ſunt, quæ alii de Iſtro ſomniant, dum, iſtius fluminis per mediam Auſtriam decurſum indicari ea faſcia, ſibi perſuadent. Certiora omnia Noſter ſequitur. *Enenkelium*, ſcriptorem coævum, Poetam Auſtriacum, excitat, e cujus Chronico generali, *Fridericum Bellicoſum* faſciæ Auſtriacæ autorem fuiſſe, non difficulter cognoſcitur. *Quarta Diſſertatio*, utimur verbis Autoris, titulos & inſignia Archiducum Auſtriæ, qui Belgium regnaque Hiſpaniarum moderabantur, Fecialium verbis enuntiata, exhibet; accedunt eorum ſymbola heroica, & lemmata epigraphica. *Diſſertatione ſexta* inſignia Principum Auſtriæ Ordinis eccleſiaſtici continentur. Accedunt inſignia Ordinum equeſtrium, quos vel inſtituerunt Principes Auſtriaci, vel, aſſumtis illorum ſignis, decorarunt, vel inſtitutos ab aliis ejusmodi Ordines ſua autoritate comprobarunt. Sunt vero in Ordinibus, qui Auguſtiſſimæ genti Auſtriacæ originem debent, *Societas aquilina*, (*die Geſellſchafft mit dem Adler*,) *Alberto II* Imp. autore, anno 1433, hoc ipſo memorabilis, quod prima fuit ab Auſtriis condita, ſi quidem *Lambecio* fides. *S. Georgii Ordinem Fridericus Pacificus* Imp. A. 1468 ad tuendam a Turcarum incurſionibus Auſtriam Carinthiamque inſtituit. *Carolus V* Imp., Tunetanis devictis, A. 1535 Ordinis *Crucis Burgundicæ de Tuneto* autor fuit. *Virtutis mancipia* creavit *Eleonora* Mantuana, *Ferdinandi III* Imp. vidua,

Digitized by Google

vidua, A. 1662. *Eadem Eleonora, pientiſſima Imperatrix,* ſcribente *Herrgotto*, V. Cl. *cum anno 1668 Vindobonæ, poſt Palatii Imperialis incendium, inter rudera, crux aurea, quæ S. Crucis particulam continebat, integra illæſaque ex cineribus protracta fuiſſet, in perennem tanti miraculi memoriam, non modo prædictam S. Crucem, ſolenni ritu in templum Reverendorum Patrum Soc. Jeſu transferri curavit, ſed novum quoque Ordinem, pro illuſtribus fœminis, cui a* Cruce ſtellata *nomen, inſtituit.* Bene ſit Jeſuitis, miraculorum iſtiusmodi inventoribus, qui anni eam particulam, ut plures alias, etiam ex igne petierunt. Ordinem *Amoris proximi* A. 1708 *Eliſabetha Chriſtina, Caroli III,* Hiſpaniarum Regis, ſponſa, fundavit. *Septimæ Diſſertationis* argumentum eſt de Diademate Principum Auſtriæ, pro vario temporum habitu, ex arbitrio Ducum, immutato. *Octava* denique, quæ Diſſertationum ultima eſt, de veſte ducali loquitur, de gladio, de vexillo, de baculo, ſeu ſceptro, de globo crucigero, deque reliquis Auſtriæ inſignibus, horumque uſu & ordine in pompis & ritibus publicis. Appendicis loco, *Auctarium Diplomatum Auſtriacorum* attexuit Reverendiſſimus *Herrgottus,* fidem iis, quæ dixerat, facturus, daturusque aliis, quæ Regeſtis Chronologico-Diplomaticis ad Auſtriæ hiſtoriam condendis uſui eſſe poſſint. Diplomata XXXII ſunt, atque in his inedita quædam, reliqua edita correctius. Dabimus ſingulorum epochas. Priora duo, anni 1178, *Leopoldi VI* ſunt; tertium ejusdem *Leopoldi*, ſed anni 1187; quartum *Leopoldi VII*, anni 1203; quintum *Henrici III* ſenioris, *de Modlingen*, ejusdem fere temporis; ſextum *Leopoldi* iterum ſeptimi, anni 1216; ſeptimum ejusdem eſt, anni tamen 1229; octavum *Eglolfi*, Abbatis S. Crucis, anni 1236; nonum *Gertrudis*, Ducis Auſtriæ, anni 1253; decimum *Margarethæ*, Romanorum Reginæ, Ducis Auſtriæ, anni 1262; undecimum *Ottocari*, Regis Bohemiæ, Auſtriæque Ducis, ejusdem anni; duodecimum *Rudolphi I*, Rom. Regis, anni 1280; decimum tertium *Reverſales civium in La* continet, (ita verba ſunt,) *quibus Rudolpho I, Regi Rom., ejuſque filio, Alberto, per*

Auſtri-

Auſtriam & Styriam conſtituto Generali Vicario, ſuper fide illis jurato data, in caſum contraventionis, pœnis, in refractarios ſtatutis, ſe nominatim ſubjiciunt, anni 1281; decimum quartum *Rudolphi I, Regis Romanorum, edictum* eſt, *quo Comites, Nobiles, miniſteriales, milites, clientes, & vaſalli Auſtriæ, jubentur filiis ſuis, Alberto & Rudolpho, ob collatos iisdem Auſtriæ & Styriæ Ducatus, fidelitatem plenam, ſubjectionemque omnimodam, præſtare*, anni 1282; decimum quintum, cum ſequentibus duobus, *Alberti I* eſt, anni 1283, 1286, & 1287; decimum octavum, *Blanca*, primæ *Rudolphi III* Auſtriaci, poſtea Regis Bohemiæ, conjugis, teſtamentum, anni 1304; decimum nonum, anni 1314, & viceſimum, ejusdem anni, *Friderici Pulchri* ſunt; viceſimum primum & ſecundum ejusdem *Friderici*, ſed jam Rom. Regis, anni 1326 & 1327; viceſimum tertium eſt *Rudolphi IV* de anno 1357; quod ſequitur, *Alberti III*, anni 1357; viceſimum quintum *Pancharta Rudolphi IV* inſcribitur, anni 1362; viceſimum ſextum *Wilhelmi & Alberti*, patruelium, Ducum Auſtriæ, mentionem facit, A. 1396 exaratum. Ejusdem *Wilhelmi* eſt viceſimum ſeptimum, anni 1404. *Alberti V*, de anno 1424, eſt viceſimum octavum, ut & ſequentia tria, annorum 1438, 1439, 1460, quibus jam Romanorum Regis, *Alberti II*, nomine utebatur. Triceſimum ſecundum, quod ultimum eſt, *Fridericum Placidum* Imperatorem indicat, de anno 1479. Quibus omnibus in lucem editis hoc majorem gratiam meruit apud rerum hiſtoricarum peritos Doctiſſimus *Marquardus*, quo certius eſt, majorem ſæpe Hiſtoriæ lucem afferre unum Diploma, quam vel centena veterum Chronographorum volumina. Qui ſub finem Index adjectus eſt, diligenter ſcriptus, hoc habet commodi, quod ſumma rerum capita brevi tabula ſiſtit, compendio iis futurus, quibus otium non eſt, ſingula doctiſſimi Operis capita a capite ad calcem perlegendi. Quod Eruditiſſimi Benedictini inſtitutum utinam imitentur aliquando, qui volumina ſua, plena interdum ruris & inficetiarum, literato orbi obtrudunt, Jeſuitæ, nullo vel veſtigio Indicis. Quod quo illi conſilio faciant,

non

non eſt hic dicendi locus. De *altero Herrgottiani* Operis *Volumine*, quod nuper demum exiiſſe in lucem accepimus, quamprimum venerit in manus noſtras, non patiemur ignorare literariam rempublicam, quousque Reverendiſſimi Autoris, ad juvandas meliores literas omnino facti, indefeſſa opera progrediatur.

HISTOIRE DES ARABES SOUS LE GOUvernement des Califes &c.

hoc eſt,

HISTORIA ARABUM SUB IMPERIO CAliphárum, Autore DE MARIGNY.

Pariſiis, 1750, 12 maj.

Alph. 4.

Ævo, quod medium appellant, tam celebre per aliquot Secula fuit Arabum nomen, tam præclaræ luculentæque res ab iis geſtæ, ut mirum ſit, maximam earum partem noſtris hominibus prorſus ignoratam & præteritam eſſe, &, ſi quid earum traditum fuit, obſcure turbideque tradi. Laudanda igitur Cl. *Marignii* voluntas, qui, cum, Hiſtoriam Romanam, a *Rollino* cœptam, & ab aliis continuatam, placere avideque legi, noſſet, Arabumque res memoria omnino dignas eſſe cognoviſſet, conſilium cepit, de illis eo modo, quo illi de Romanis fecerant, breviter exponendi. Sed valde verendum eſt, ne contemtus, qui Arabicas literas adhuc oppreſſit, per eum, ni magis creſcat, certe non multum imminuatur. Levem profecto oportet eſſe ſuique præfidentem, aut, ſi mitius cenſere volumus, nimium & quoquo modo bene de literis merendi cupidum, qui de rebus Arabum diſſerere, ſermonis morumque, quibus ea gens utitur, ignarus, audet. Si hiſtoriæ rerum geſtarum condendæ ſufficit narratio facilis & lepida, quæ ignavis & parum de veritate ſollicitis tempus fallat, animumque oblectet, ſi cauſas geſtarum rerum tales fingere licet, quales caſus imaginationi obtulit, ſi mores & ingenia hominum, de quibus ſermo eſt, ætatis ſuæ indoli conformare,

re, ſi, penuria & inſcitia rerum grandium, minutis inhærere, ſi in loco communi, undecunque arrepto, eloquentiam oſtentare, ſi tempora locosque & viros aut non notare & ſecernere, aut miſcere, decet & laudi eſt; merebitur hic Autor inter Hiſtoricorum principes numerari. Agnovit ipſe virium ſuarum defectum in Præfatione. Negat, ſibi ſubſidia ad manus fuiſſe, præter *Herbelotum*, & *Renaudotum*, & Gallicam interpretationem *Elmacini*. At illum quidem paſſim tradere pugnantia, quæ conciliare, facile non ſit; alterum intra fines Ægyptiacæ hiſtoriæ ſe continere. *Vatieranum* opus quis denique non novit mali codicis *Erpeniani* multo pejorem interpretationem eſſe? *Abulpharagium* prorſus ignoraſſe videtur. Qui ergo mirum ſit, a viro tam præclaris opibus inſtructo profectum fuiſſe opus, quod perquam frequenter emendari, niſi una litura, nequeat? Æquum eſſe verumque noſtrum hoc judicium, exemplis aliquot demonſtratum dabimus. Vitam *Muhammedis* e *primo Volumine*, & vitam *Marwani* ſecundi ex *tertio*, hoc fine deligemus, ſpecimen hujus libri guſtumque daturi. Alterum, quem *Marignius* huic ſubmiſit, complementum hujus (*l' Hiſtoire des revolutions des Arabes* puta), gemellum fratri eſſe, propediem demonſtrabimus.

Non ſatis familiarem Arabibus eſſe Gallum hunc, præcipue narratio de vita *Muhammedis* probat, quem tamen virum e tot proditis monumentis melius noſſe poterat. E. c. *pag. 9* ait, *Muhammedem* officiis viliſſimis adhibitum fuiſſe, denique rei camelariæ præfectum. Quænam illa fuerint officia viliſſima, noluit a ſe dici. At in eo fallitur, quod camelionem perhibet hunc Arabem fuiſſe. Mercator fuit, qui iter in Syriam ſemel atque iterum in camelis faciebat, non camelio: niſi forte Gallo huic omnes, qui camelis vehuntur, cameliones ſunt. Camelos tantum curant Arabum illi, qui ſub dio & tentoriis agunt, ſcenitæ & nomades dicti. Atqui *Mahommed* urbanus erat. *Pag. 10*, dithyrambico narrandi more, ſibi familiari, Prophetam hunc Arabicum poſſeſſorem immenſarum opum appellat, quibus fretus de nova condenda religione cogitare cœperit. Arabici autem Autores,

res, modice viaticatum eum, perhibent, fuiſſe, eoque ſæpe adactum anguſtiarum, ut lapide ſupra ventriculum alligato cubitum iret, latratus inediæ repreſſuro. Sæpe tranſiiſſe menſes integros, quibus in ejus familia ignis nullus luxerit. Religionem porro novam proprie non condidit *Muhammed*, certe non fretus opulentia ſua, ſed veterem *Abrahámi*, ab *Iſmaele* Arabibus impertitam, reſuſcitavit & revocavit ab oblivione, deterſaque ſuperſtitione, quam longum tempus ipſi affrixerat, adſcitis ab Evangelio & aliunde coloribus fucavit. Ejusdem commatis eſt, quod *pag.* 13 aſſeverát, *Muhammedem* liberalitate potiſſimum ſibi factionem concivíſſe. Liberalis ſi fuit erga ſuos *Muhammed*, fuit non de ſuo, pauper enim erat, ut ſolent Arabes eſſe, gens domiſeda, deſes, mercaturæ haud dedita, opificiorum contemtrix & inimica, ſed erat de alieno, ut latro, prædæ largus. Non amor *Muhammedis*, non perſuaſio de veritate atque ſanctitate præceptorum ejus, ſed prædæ cupido, gentem avidam & famelicam ipſi conciliabat. Medinenſes eum urbe ſua non ideo recipiebant, quod a Deo legatum crederent, ſed quod peritum latrociniorum ducem, aptamque ampliandis ſuis fortunis, confiderent. Meccani nempe, & præcipue illa apud Meccam factio, quæ tunc obtinebat ſub duce *Sofjano*, patre Omajjadarum, *Muhammedi*, ejusque gentilibus, factioni tunc viribus inferiori, vehementer infeſta, mercaturam in Syriam exercebant; quapropter urbem Medinam in itu redituque non attingere nequibant. Sperabant itaque Medinenſes, ſi *Muhammedem* penes ſe haberent, qui numeroſos gentiles apud Meccam reliquiſſet, poſſe ſe per hunc reſcire, quando exituræ illinc catervæ itinerantium eſſent, iisque certiores & inevitabiles inſidias ponere. Præterea Meccanorum multi, Omajjadarum impotentiam & arrogantiam exoſi, viribusque minores, oppreſſæ factioni ſe addebant, ſimilis fortunæ ſtudio & commiſeratione, quo alterius ſpiritus & vim juncti frangerent. E *pag.* 26 intelligitur, *Marignium* haud noviſſe, peregrinationes religioſas ad alCabam, templum Meccanum, diu ante *Muhammedem* apud Arabes obtinuiſſe. *Pag.* 27 prodit, ignotum ſibi

ſibi fuiſſe, Judæos, quos *Muhammedes* armis inſectatus fuit, & graviter afflixit, origine Arabes fuiſſe. Lepida porro, quam *Muhammedani* narrant, hiſtoriola de miſſa ad *Muhammedem* ove aſſata, ſed venenis infecta, quo tempore Chaibarum obſidebat, errandi huic, nugasque nugis accumulandi, occaſionem dedit. Quo pertinet, quod *pag. 28* ait, Arabicum Prophetam per integrum triennium doloribus, veneni hauſti reliquiis, excruciatum fuiſſe. Atqui poſt expugnatum Judæorum illud, quod diximus, caſtrum, non tres, ſed quinque, annos in vivis exegit *Muhammed*. Ut deinceps ab hac ejus expeditione contra Judæos ad alteram, contra Græcos ſuſceptam, tranſiret, utitur verbis, quæ ducem hunc, quamvis male ſe haberet a veneno, nullis artibus expugnabili, non tamen propterea in Græcos excurſionem omiſiſſe ſignificant. Macri & elumbes tranſitus, qualis hic eſt, ab uno argumento ad alterum, cauſæque rerum fictitiæ, librum hunc magno numero obſident, ex eoque pannum efficiunt, commentis, ſed arte valde rudi, conſutum. *Pagina 34* tota ſcatet erroribus. Inſignis ille eſt, quando perhibet Autor, *Muhammedem*, cum victoria in patriam redeuntem, civibus non æque parſiſſe, atque fecerat, cum prima vice urbem patriam expugnaret. Deſumta ſunt hæc ex illis commentariis, quos naſcens *Marignius* in res humanas ſecum intulit, & aliquando rurſus ſecum efferet. Omnes enim, quotquot exſtant, Autores captam a *Muhammede* patriam ſemel tantum, & absque cæde, annoque exilii non ſeptimo, ut Gallus vult, ſed octavo, perhibent. *Pag. 42* deſcribit iter *Muhammedis* cum uxoribus ſuis religioſum ad Meccam, eo apparatu, qui Duciſſas Franciæ magis, quam Arabiſſas, deceret. Si noviſſet, quomodo conſtructæ ſint, quam ſimplices, quam paupertinæ & incommodæ, illæ cunæ, in quibus iter in Oriente ſuper camelis fit, ſuperbas lecticas non crepuiſſet. *Pag. 42, Muhammedem*, aſſeverat, primum apud Meccam inſtituiſſe, ut cameli inter ſacra mactarentur. Mos ille gentis Arabicæ origines antiquitate æquat; cujus veſtigia in vetuſtis ſcriptoribus exſtare, ſi negat, fidem non meretur; attamen credimus facile, ei reperta nulla fuiſſe, qui libros

Digitized by Google

Arabicos neque excuſſit unquam, neque legere novit. *Pag.* 44 e cellis, quas uxores *Muhammedis* incolebant, ſingulares domos facit vir, qui *Muhammedem* pro Principe opulento reputabat, ideoque ejus uxoribus amplas ædes & ſplendidum comitatum non poterat non tribuere. *Pag.*47 movet rurſus camarinam ſuam, ovillam venenatam, eamque ait annos *Muhammedis* in compendium miſiſſe. Tanquam ſi a veneno periiſſet, aut brevis ætas eſſet, quæ tres & ſexaginta annos implevit. Bonam ipſi valetudinem ibidem tribuit, & robuſtum corpus, quem paulo ante ſontico malo dixerat obnoxium. *Pag.* 55 acriter in polygamiam *Muhammedis* invehitur, more noſtratium, quos mores & conſilia orientalium fugiunt. Orientalium uxores ancillæ magis, quam conjuges, ſunt, opulentiæ inſtrumentum & oſtentamentum; mutatæque ſæpius thori vices ipſis non tam libidinis ſolamen, quam ſanitatis præſidium, ſunt. Judicant illi, natura invita gravidis accubari, in damnum matrum & prolis; & unum virum fœminis pluribus ſufficere & præeſſe juberi ab eadem natura, quæ gallum gallinis unum multis impoſuit.

Quæ in vita *Muhammedis* hactenus notavimus, minuta ſunt præ iis, quæ vita *Merwani* ſuggerit *pag.* 483 *Tom. II* & deinceps. Fuit *Merwanus* Omajjadarum Chaliſarum ultimus, & in paucis atque optimis. In cujus fatis enarrandis *Marignius* graviter aliquoties labitur, tempora hominesque miſcens. E. c. quæ *pag.* 486 de *Hakemo* & *Othmano* tradit, penitus vitioſa ſunt. Fratres hos, *Walidi* filios, armis invaſiſſe *Merwanum*, ait, ſed victos ab hoc, &, ne deinceps novas res molirentur, e medio ſublatos fuiſſe. Atqui Arabici Auctores, ut v. c. *Elmacinus pag.* 88, ſic narrant caſum: *Walidum Chaliſam*, *Jazidi* filium, fato concedentem, reliquiſſe duo parvulos, *Hakemum* & *Othmanum*, paulo ante nominatos, quos a ſucceſſione in regnum paternum *Jazid*, filius alterius *Walidi*, excluſerit. Huic, paulo poſt vivis exemto, ſucceſſiſſe fratrem *Ibrahimum*, quem exturbatum iviſſe *Merwanum*, vindicemque ſe geſſiſſe cauſſæ parvulorum. Commiſſa coram Damaſco pugna, victum *Ibrahimum*, in urbem ſe recepiſſe,

par-

parvuliſque in carcere peremtis, & exſpoliatis theſauris, aufugiſſe. Cadavera inique occiſorum decoro funere *Merwanum* extuliſſe, & Chalifatum ſuſcepiſſe, velut eorum legitimum hæredem. Figmenta ſunt, quæ *pag. 489* perhibet, totaque *pagina 497* cancellari digna eſt. De *Zulcimano* quodam multa diſſerit, novæ ſectæ turbarumque in Perſide autore, e *Roderico* Toletano, ut videtur, hauſta, aut alio, impuro certe, fonte. Conferatur Hiſtoria Revolutionum Hiſpanicarum, liber Gallicus, *T. III pag. 39 ſeq.* & *Curionis Hiſt. Sarac. pag. 37*, & *Theophanes pag. 356*, patebitque protinus, *Zulcimimum*, aut *Soleimanum* hunc, & *Curionis Aſmulinum*, & *Theophanis* Αμυμύλιμ, vero nomine *Abu Moſlemum*, cujus *Marignius* paſſim honorificam mentionem facit, unum eundemque virum eſſe. Simile ipſi contigit in *Jazido*, Ibn, ſeu filio, *Hobeirah*, quem *Theophanes l. c.* Ἰβινύβειρα appellat. Hunc virum *Marignius* in tres diſſecat *pag. 499* & *502*, primo *Jazidum*, tum *Iblinum*, denique *Beirah* aliquem. Quæ de his tribus narrat, de uno debet intelligi, *Jazido Ibn Hobeirah*, *Merwani* in Chaldæa legato. *Pag. 511* appellat *Salebum* juvenem, militiæ magiſtrum, qui tum temporis non potuit quadraginta minor annis fuiſſe, ſed videtur decem luſtra jam exceſſiſſe; verum neſciebat Gallus noſter, *Salebum* hunc patruum Chalifæ *Abil Abbaſi* fuiſſe; quem quin decennio ſaltem ſuperaverit, dubitari nequit. Atqui deceſſit vita *Abul Abbas* anno ætatis tertio & trigeſimo, non decimo octavo, quod perhibet *Marignius T. III pag. 9.* Ergo debuit patruus ejus tum temporis, niſi quinquaginta, certe quatuor & quadraginta, annorum ætatem attigiſſe. *Pag. 512* refert excidium *Merwani* & Ommijadarum ad A. Chr. 752, & Hegiræ, ſeu fugæ, 134. Sed Muhammedani Chriſtianique Autores conſenſu haud dubio illuſtrem hunc caſum anno Chr. 750, Fug. 132, imputant.

Satis patet ex his paucis ſpeciminibus, qualis hæc ſit Chalifarum hiſtoria, & quo in loco habenda. Videtur ingenium eam condidiſſe, commentandis fabulis amatoriis, quam erudite fideliterque & curate narrandis rebus geſtis, natum aptius.

Digitized by Google

BIBLIOTHEQUE CURIEUSE, HISTOrique, & critique, &c.

hoc eſt,

BIBLIOTHECA CURIOSA, HISTORICA, & critica, ſive Catalogus, judiciis ornatus, librorum inventu rariorum; Autore DAVIDE CLEMENT.

Tomus I & II.

Gottingæ, apud Jo. Wilh. Schmidium, 1750 & 1751, 4 maj.
Tom. I Alph. 2 plag. 14, Tom. II Alph. 2 plag. 18.

Inſignis noſtræ ætatis felicitas eſt, quod rei, quam vocant, literariæ ſtudium plurimos habet amatores, ita hæc tractantes ſtudia, ut hinc plurimum commodi ad ceteras eruditionis partes redundare poſſit. Multa ſunt & eximia magnorum virorum in hoc literarum genus merita; ſuntque in noſtris manibus innumeræ doctorum virorum lucubrationes, quibus hiſtoriam literarum docte prorſus & egregie illuſtrarunt. Quæ cum partim ſummam omnium, partim aliquam quorundam, conſecutæ ſint laudem; omnes certe ad communem utilitatem, quod ſuum eſt, conferunt. Hoc nomine commendari inprimis meretur præſens, quo Venerabilis *Clement,* Eccleſiæ Reformatæ, quæ Hannoveræ congregatur, Paſtor, literarumque decus eximium, civitatem eruditam & donavit, & donare perget, opus eruditum. Id enim tibi, docte harum literarum æſtimator, Bibliothecam aperit librorum rariorum, quæ vix parem inveniat. Noli vero prius, quam attentiori luſtres oculo, exiſtimare, te tantum ad ſuperficiariam admiſſum iri cognitionem, ſed accipere te puta notitiam librorum multo luculentiorem ſolito, atque accuratiorem. His enim ſtudiis tricennalem Autor navavit operam, eoque feliciori ea in re gaudere potuit ſucceſſu, quo pluribus, quæ hic labor deſiderat, ſubſidiis fuit præditus. Non vulgarem enim ubique prodit linguarum, quibus Europa utitur, veterumque monumentorum, ſcientiam, multam & ſolertem in omni doctrinæ

ctrinæ genere lectionem, ſcopulorum, in quos alii impegerunt, prudentem fugam, ſummum ſtudium in colligendis perſcrutandisque libris rarioribus, &, quæ pauciſſimis contingere ſolet, felicitatem, inſtructiſſimas adeundi Bibliothecas. His aliisque adjutus ſubſidiis, prudens ſedere potuit judex in cognoſcenda raritate operum Latinorum, Græcorum, Hebræorum, Rabbinorum, Hiſpanorum, Gallorum, Anglorum, Germanorum, Italorum, aliorumque. Quæ non ipſe vidit & perlegit, ea ex aliorum operibus fide dignis hauſit. Uſus eſt in hanc rem Bibliothecarum & publicarum, & privatarum, Catalogis, ad quos ſæpiſſime provocat. Ipſa quoque de libris, quos inter rariores refert, ſcriptorum teſtimonia, hinc illinc diſperſa, ſedulo collegit, multaque accuratione inter ſe contulit. In omnibus vero recenſendis multo ſtudio exercitatum, multa lectione expolitum, judicii acumen, ubique vero laudanda modeſtia, elucet. Hoc omnino dicendum putamus de cauſis, quibus Celeb. Autor motus, librorum confirmat raritatem. Quam ut eo certius demonſtret, in Præfatione plura, quam alius unquam, quæ huc ſpectant, præmonet Lectores. Libri vero cujusdam raritatem vel per ſe talem putat, vel poſitis certis conditionibus; illam neceſſariam, hanc contingentem, appellat. In cenſum rariorum librorum & editionum neceſſitate quadam veniunt vel editiones, quarum tantummodo perpauca prodierunt exempla, vel illæ, quarum ſuppreſſio vi quadam facta; vel quæ fere penitus triſtibus quibusdam fortunæ caſibus interierunt; vel quarum exempla ob paucitatem emtorum divendi non potuerunt, vel volumina imperfecta, quorum tantum pars typis exſcripta fuit, vel tandem exemplaria alicujus operis, membrana, aut charta majori, quam in reliquis exemplaribus, impreſſa. Raritas vero contingens eſt in illis libris, qui ad quosdam tantum perveniunt homines, cujus generis ſunt vaſta opera, plagulæ volitantes, hiſtoriæ peculiares urbium & Academiarum, hiſtoriæ & conſtitutiones monaſteriorum, ordinumque eccleſiaſticorum & ſecularium, deſcriptiones ſtemmatum nobilitatis, genealogiæ certarum illuſtrium famili-

familiarum, deſcriptiones præliorum, pomparum, cerimoniarum, vitæ eruditorum virorum, catalogi Bibliothecarum, vel celebrium typographorum, libri plane critici, aut illuſtrantes antiquitates & artes curioſas, generatim autem libri omnes, lingua parum uſitata confecti, aut macaronici, ut cum Autore loquamur, & data opera corrupti; porro damnati, aut digni, qui damnentur, v. c. qui artes docent ſuperſtitioſas, paradoxi, aut heterodoxi & obſcœni, qui honori rerum ſacrarum adverſantur, ſeditioſi, famæque illuſtrium virorum detrahentes, ſatiræ, & libelli famoſi. In ipſis quoque editionibus ſæpius deprehenditur raritas, quæ vero contingens eſt. Huc referuntur editiones antiquæ, ad fidem MStorum Codicum expreſſæ, prima cujuslibet urbis, poſt conſtitutam ibidem typographiam, editio, porro editiones celebrium Seculi XVI typographorum, editiones non mutilatæ, aut interpolatæ, aut literis inſolitis impreſſæ, aut apud exteros editæ, aut noſtris ex Germaniæ regionibus in longinquas terras translatæ, aut nunquam venditæ, aut ſumtibus ipſorum Autorum impreſſæ, aut diverſæ unius editionis partes, diverſisque ſub titulis venditæ, & tandem editiones, quarum diverſa volumina ſucceſſu temporis & diverſis locis impreſſa ſunt. His addit gradus quosdam raritatis, ex quibus apparet, libros quosdam eſſe parum obvios, alios raros, alios rariores, valde raros quosdam, alios fere ſummæ, alios maximæ, raritatis. Hæc omnia, & quæ de cauſis, & quæ de gradibus, raritatis obſervavit doctiſſimus Autor, lectiſſimis exemplis illuſtravit. Hæc de Præfatione *Partis prioris*, quæ literam *A* usque ad *Aq* includit. Altera vero ducit filum usque ad *Bay*. In utraque vero *Parte* invenient lectores ſatis, quo ſitim explere poſſint. Sed difficilis plane labor eſſet, ex ejusmodi opere, quod ubique abundat anecdotis, vitis doctorum virorum, aliisque rebus, attenta lectione dignis, præcipua excerpere. Legiſſe autem neminem pœnitebit, quæ Celeb. Autor e. c.
Pag. 81 ſeq. de *Henrico Cornelio Agrippa ab Nettesheym* commentatus eſt, cujus primam libri *de certitudine & vanitate ſcientiarum & artium* editionem, quæ Antverpiæ A. 1530 prodiit in lucem,

Digitized by Google

lucem, maximæ raritatis eſſe exiſtimat, poſteriores vero ejusdem libri editiones inter valde raras refert. Similiter multa Pag. 91 ſeq.
differit de libro ejusdem Autoris *de occulta Philoſophia*.
Cum de perſonato *Theophilo Alethæo*, ſive *Joanne Lyſero*, 170.
polygamiæ defenſore, ejusque libris, agit, multa addit, quæ
ad hiſtoriam ipſius vitæ ſpectant. Inter ſummæ raritatis 312.
libros refert etiam *Joannis Andreæ*, Epiſcopi Alerienſis, Epiſtolarum ad diverſos Librum I. *Joannes Trithemius* primus de hoc volumine loquitur, ſed nec tempus, nec locum, nec formam, impreſſionis addit. Alii quoque nihil amplius docent, quam titulum hujus libri, cui *Conr. Zeltnerus* adhuc addit, Venetiis fuiſſe impreſſum. Inde dubitare videtur Autor, an liber hic unquam typis fuerit exſcriptus. Excitat igitur eruditos homines, ut huic rei extra dubitationis aleam ponendæ operam navent. Raritatem, quam habent libri vetiti, oſtendit in libro Ano- 336.
nymi, qui inſcribitur: *Vorago, qua Anglia Gallico connubio abſorbenda*; de cujus libri Autore, *Jo. Stubbelicti*, Noſter pluribus commemorat. Alia raritatis cauſa eſt in Anthologia Græca de anno 1494, cujus nitidiſſimum exemplum, mem- 361.
brana expreſſum, exſtat in Bibliotheca Hannoverana.

Altera hujus Operis *Pars* eadem, qua *prior*, rerum 16.
notabiliorum copia ſe commendat. Cui enim non placeret Commentatio de *Antonio de Arena*? Quem pœniteret legiſſe, 26.
quæ Cl. Autor de *Leonardi Aretini* libris *de Bello Italico ad-* 29.
verſus Gothos; *de Bello Punico*; itemque de prima *Epiſtola-* 30.
rum, A. 1472 facta, editione, docuit lectores. Ipſa quoque hiſtoria doctorum hominum in *altera* hac *Parte* multas accepit acceſſiones. Ut certius hoc intelligatur, inſpicere Lectorem ea jubemus, quæ de *Tullia d' Arragona*, *Carolo de Aremberg*, *Jo. Argento*, *Benedicto Aria Montano*, & de *Ariſtotele*, aliisque, leguntur. Addidit etiam multis in locis emendationes, ubi vel doctiſſimos viros aliquid humani paſſos eſſe co- 72.
gnovit. Sic, cum *Jac. Frid. Reimannus Franciſci Ariſii* opus, *Cremona literata* inſcriptum, opuſculum appellaverit, recte Doctiſſ. Autor animadvertit, tribus id majoris formæ Tomis 202.
contineri. De *Theodori Agrippæ d' Aubigne* libro *de diſſidiis Pa-*

trum, citato a doctis quibusdam viris, obſervat, illum nunquam prodiiſſe in lucem. Poſſemus plura alia exempla proferre, quæ lectione præ ceteris digna nobis viſa ſunt, & in his laudare inprimis diligentiam Autoris, quam in commemorandis editionibus operum *Ariſtotelicorum Aldinis &* Pag. 91.
95. *Wechelianis* præſtitit, porro, quæ de primis *Arndiani* libri *de*
124. *vero Chriſtianiſmo* editionibus, itemque de libro, paucis adhuc
143. cognito, *de arte moriendi*, obſervavit; ſed jam ſatis eſt dictorum, unde intelligi facile poteſt, quantum huic operi pretium ſit ſtatuendum. Ceterum Lectores ſuos Autor adhuc XVI, aut XVIII, exſpectare jubet *Volumina*, quibus conficiendis jam omnia parata eſſe confirmat. Unum eſt, quod caveri in poſterum a Clariſſimo Autore vel maxime cupimus, ne integra Autorum, inprimis recentiorum, quos nemo facile ignorat, loca, longiora ſæpe, & libri tantum molem augentia, apponat, ſed hæc, contractis eorum ſummis, apud ipſos Autores, ſi cui libuerit, legenda relinquat. Quod ſi fecerit, dici vix poteſt, quantum ipſe ſpatii & paginarum ſit lucraturus, &, quod præcipuum eſt, quam bene hoc ipſo de emtorum crumena meriturus.

GEORGII ERHARDI HAMBERGERI PHYſiologia medica, ſeu de actionibus corporis humani ſani, doctrina, principiis phyſicis, a ſe editis, itemque mathematicis & anatomicis, ſuperſtructa, cum Figuris æneis & Indice.

Jenæ, impenſis Theod. Wilh. Erneſti Guthii, 1751, 4.

Alph. 3, plag. 17, Tabb. æn. 7.

Multorum annorum opus, magna eruditorum lætitia, lucem tandem adſpexit, in quo Phyſica & Matheſis cum theoria ſani hominis amico junguntur conſortio; cumque in uno libro variarum, quibus effectus cauſarum vitalium explicantur, diſciplinarum ſit conſpiratio, & ad rem medicam applicatio, magnam utilitatem, magnam etiam quo-

quorundam, qui ægre ferunt, etiam aliis aliquam nominis celebritatem eſſe, invidiam, liber iſte non potuit non habere. Quis enim ignorat, quanta paſſim in *Hambergerum* excutiantur fulmina, quæ ille magno fert animo, cum major nunc ſit, quam cui nocere poſſit obtrectatio. Nos autem iſtis litibus nunc nos haud immiſcemus, ſed hiſtorica fide doctrinam Clariſſimi Autoris de homine ſano recenſebimus. Primo loco exponuntur actiones, in quarum exercitio vita humana conſiſtit, motus ſcilicet cordis & pulmonum, & ab utroque dependens humorum vitalium circumductio. Totus homo vas eſt, ſiquidem corpus ejus variis cavitatibus, pariete elaſtico confectis, quæ humorem recipiunt ac movent, conſtructum eſt, atque minimis etiam vaſis ſua vaſa ſunt. Circumit in vaſis ſanguis, cujus gravitas ſpecifica variat, uti arterioſus eſt, vel venoſus. Arterioſus, trigeſima ſui parte, venoſo ſpecifice gravior, in cane deprehenſus eſt, utpote qui ſit denſior. Sed eadem utriusque ſanguinis denſitas ſemper haud eſt, utque animalia, quæ in experimento fuerunt, liberalius, aut preſſius, reſpirarent, utque varia animalia, vel ipſe homo, ſub examine fuerunt, ita quoque utriusque ſanguinis varia fuit exiſtimatio. Serum ſanguinis ipſo rubicundo ſanguine ſpecifice eſt levius, cumque ſanguis, ex arteria, vel vena, animalis miſſus, anguſto vaſe excipitur, intelligi poteſt, utriusque, quoad ſeri gravitatem, rationes diſcrepare inſigniter. Sanguis enim caninus, arterioſus, ratione gravitatis ſeſe habuit ad ſerum ſuum, uti 500 ad 525. Sed illud ſeſe ad venoſum habuit, uti 500 ad 515. Serum ſanguinis partem rubicundam multis modis quantitate ſuperat, cumque ſpontaneæ ſeparationi ſanguis, ex vena miſſus, relinquitur, progreſſu temporis ſerum plus magisque explicatur, & rubram maſſam deſerit. *Hambergerus* ex ſedecim libris maſſæ ſanguinis decem libras ſeri, ſex autem partis rubræ, obtinuit, deprehenditque, ſerum erga rubram partem eſſe, uti 145 ad 176. Cum autem ſanguis deſiccatur, ſeri plus ineſſe, quam dictum eſt, deprehenditur. Cl. Autor ab unciis undecim & duabus drachmis ſanguinis humani reſiduas habuit uncias duas materiæ nigræ

Digitized by Google

ſolidæ. Ipſum ſanguinis ſerum ſolidi parum habet, & ex ſexcentis quadraginta libris gravis illius materiæ ſuperfuerunt grana ſeptem & quinquaginta. In ſanguine alcalicum acidumque ſal & aquæ determinata reperta fuit portio, & acidum quidem ſeſe ita manifeſtavit *Hambergero*, ut *Tourneſol* quoque Gallorum converteret. Acidi autem præſentiam in ſanguine Noſter defendit, itidemque alkali ſubeſſe haud negat, volatile ſcilicet, quod purum offendi, haud putat, ſuntque hæc ſalia ſemper intime immixta reliquis ſanguinis partibus, ita tamen, ut, ob hanc mixtionem, in ſal medium converſa haud ſint. Aerem atque ignem ineſſe ſanguini, experimenta, in vacuo diligenter inſtituta, probant. Cum enim & ſanguis, & partes ſanguine plenæ, ſub campana intumeſcant, cum præterea nec aqua, nec ſolidum, in vacuo in majus evolvantur ſpatium; ideo nihil ſupereſt, quod partibus animatis, ſub campana intumeſcentibus, iſtam elaſticitatem concedere poſſit, præter aerem atque ignem, quæ duo fluida omnium ſunt maxime elaſtica. Aer, in ſanguine contentus, plurimorum effectuum in homine obſervandorum cauſa eſt; cum ipſe ſit elaſticus, ideoque conatu ſuo ſemper globulos rubros disjungere tentat, hinc totam maſſam reddit elaſticam, magisque ſeſe expandit, ubi aer externus levior eſt, dum, pondere aeri reddito, ad priores terminos iterum compellitur. Igneas autem particulas a ſulphureis derivat ſanguinis particulis, quæ, uti uberiores, vel parciores, de ſe dimittunt igniculos, ita calorem vel augent, vel minuunt, utpote qui plus intenditur, vel minuitur, uti circumjectus aer ſcintillas oleoſæ ſanguinis partis vel continet, vel liberum illis per cutis vias largitur exitum. Salia autem volatilia, agentia, uti ſolent, in ſulphureas ſanguinis partes, igneas, ſub illis contentas, moleculas, liberant. Attritus enim ſolus globulorum rubrorum inter ſe calorem generare poſſe haud videtur, cum globuli rubri ſanguinis noſtri proximo aliquo contactu inter ſe haud jungantur, ut calor propterea naſci poſſit. Terreæ ſanguinis partes, quatenus ſulphureis adhærent, majorem illi conciliant cohæſionis gradum, & diffuſio-

nem

Digitized by Google

nem ignearum retardant, veluti videmus olea ſtillatitia, quo frequentius deſtillata, atque a partibus terrenis plus liberata fuerint, eo fieri ſemper & fragrantiora, & fervidiora. Aqua autem reliquis ſalinis, aut terreis, particulis, globulos conſtituentibus, minorem cohæſionis gradum largitur. Maxima illius requirebatur quantitas, cum ipſos globulos ſuſtentare, movere, atque a cohæſione liberare, debeat, impediatque ſalia, quo minus, concentrata magis reddita, in ſolidas partes agere queant. Tota maſſa ſanguinea, ex his omnibus effecta, vario tempore atque in diverſis hominibus, determinatam accipit gravitatem, levitatem, cohæſionem. Inde dependet certus viſcedinis gradus, vel elaſticitas, & tanta quidem, ut, niſi aer externus, pondere ſuo, reſiſteret, expanſionum, imo rupturarum, cauſa exinde futura ſit; hinc reſultat certa motus ſanguinis inteſtini temperies. Quantitas ſanguinis diverſimode ab Autoribus fuit tradita. *Jo. Tabor* illam libris 16, cum *Bengero*, *Rolſinkius* 30, æſtimat, quod ideo factum eſt, quod iſti Autores ex ſanguinis per vulnus ad mortem usque effluentis copia maſſam humorum ponderarent. Sed omnia liquida nec vulnere, nec morte, per cauſam aliquam colliquantem inducta, auferuntur penitus ex ſolidis, docentque hæmorrhagiæ graves, hominibus, cum ſeptuaginta & ultra libræ ſanguinis ex naribus emiſſæ eſſent, adhuc vivis, ſanguinis plus in homine eſſe, quam Autores illi tribuerunt. Deſiccatio partium ſolidarum docuit, quintam partem totius eſſe ſolidam & ſiccam, reliquas haberi fluidas. Motor ſanguinis atque humorum cor eſt, cujus momenta, in vulgus cognita, attingere nunc nolumus, illis inhæſuri, quæ a Clariſſimo Autore paulo curioſius pertractantur. Columnæ ventriculi utriusque, a valvulis, ſingulæ auriculæ protenſis, per tendines ortæ, præcipue in ſiniſtro ventriculo, apicem cordis tranſeunt, ibidem incurvantur, & per totam ſuperficiem cordis, ſpirali ductu, adſcendunt. Inter fibras cordis obliquas externas, atque inter obliquas & rectas internas, duplex interjacet ſpiralium ſeries, quæ a baſi cordis ad ſiniſtri ventriculi finem excurrit, & inde per

dextrum ventriculum ad cordis baſin revertitur. *Winslovius*, abbreviationem cordis, errorem phyſicum, durante ſyſtole, eſſe, ſcripſit; ſed Cel. Autor docet, aliquantulum abbreviari cor omnino oportere, cum baſis cordis diametro ſit immutabilis, ipſas autem fibras durante motu abbreviari, in quo natura motus conſiſtit, oporteat. Sed apex cordis verſus baſin adſcendere nequit; ergo vel nulla, vel parva, cordis, durante ſyſtole, eſt abbreviatio. Tempore ſyſtoles cordis, fibræ ejus longitudinales nec agunt, nec agere poſſunt; ergo totum cor ubique non agit in ſyſtole. Cum aperturæ cordis, arterioſæ, ob robuſtos tendines, circulares, illis circumjectos, haud mutentur diametro, ipſæque fibræ valvularum ſemilunarium circulares, eædem, quæ cordis, contrahantur; ideo oportet partem earum liberam ſtringi, abbreviari, & verſus parietes arteriarum recedere atque aperiri. Sed valvulæ, auriculis protenſæ, eo tempore ad contactum perducuntur, ipſaque orificia clauduntur. Per contractionem fibrarum cordis longitudinalium, vi vitali & phyſica, fit cordis diaſtole, ipſæque hæ fibræ, adhuc curvilineæ, in ſtatum minus curvilineum, ac fere rectilineum, abeunt, ventriculorum cavum reſtituitur, & reſiſtentia fluido, per auriculas illapſuro, tunc demitur. Columnæ carneæ, licet contractionem cordis nihil adjuvent, juvant tamen, ſuo volumine, depletionem cordis omnimodam, quæ perfici, ſola ſpiralium contractione, nequit, cum ſemper inter illas, quantumvis contractæ fuerint, oporteat manere aream, nec unquam contractus orbiculus in punctum aliquod penitus converti poſſit. Sed fibrarum ſpiralium area ſiniſter eſt ventriculus; ergo illæ ad contractionem dextri nihil conferent, licet parietis dextri ventriculi partem conſtituant. Sed peculiares & *arcuales* fibræ dextri ſunt ventriculi, quæ contractionem ejus præſtant, atque illæ, cum ſpiralibus ſiniſtri, uti & utriusque ventriculi longitudinales, motum exercent ſynchronum. Expanſio auricularum nullo motore muſculari celebrari videtur. Lacertuli enim omnes, qui illarum internum deſcribunt parietem, in ſe nihil virium habent, quod expandere poſſit, ſed omnia iſta auxilia contractioni favent,

&

Digitized by Google

& vis ſola fluidi ad expanſionem auricularum ſufficit. Aderit tamen reſiſtentia in fibris, quæ contractionem auricularum juvant. Hæc a fluido penetrante ſuperanda eſt; aſt hæc reſiſtentia eſt minima, cum tunica auricularum externa lacertulorum interſtitiis penitus haud adhæreſcat. Tunc autem, cum, ab incremento fluidi, lacertuli & tunica auricularum externa in orbicularem flectuntur faciem, illæ ſeſe contrahunt, premuntque fluidum erga locum, ubi minima adeſt reſiſtentia. Motu cordis, ſanguis, miniſterio duplicis arteriæ, pulmonalis ac aortæ, utriusque in immenſe parvos ramos extenſæ, per pulmonem totumque hominem disjicitur. Ut autem de ſtructura arteriarum, earundemque variis finibus, nunc nihil moneamus, illud a Cl. Autore egregie ſcriptum eſſe percipimus, quod ad circuli leges attinet. Arteriæ, cum longitudinalibus fibris deſtituantur, ſe ipſæ ſuis haud extendunt viribus, ſed ope liquidi tranſeuntis dilatantur. Dum enim valvulæ ſemilunares, foramini arterioſo præfixæ, ſuis ſpiralibus fibris in ſe contrahuntur, via ſanguini, erga locum, ubi minima eſt reſiſtentia, conceditur. Reſiſtit autem actioni cordis ſanguis in arteriis hærens, ſanguis in venis hærens, atque ipſa parietum arteriæ denſitas. Hac reſiſtentia efficitur, ut omnis ſanguis ex arteriis, uno jactu, propelli nequeat. Extenduntur tamen arteriæ omnes uno eodemque tempore a vi propulſi ſanguinis. Cor autem ſolum progreſſus ſanguinis cauſa haud eſt, ſed alia accedere debet cauſa violenta, quæ ſanguinem propellat; proximo, ſequente poſt ſyſtolen, cordis momento, tam ex elatere, quam quia annulares fibræ per prægreſſam expanſionem ad contractionem exſtimulantur, vitalitate ſua, arteriæ agunt in ſanguinem, valvulis ſemilunaribus retrogradum ad cor motum impedientibus. Minimæ arteriæ nulla gaudent ſyſtole, utpote quæ ſanguinis progreſſum in minima valde impeditura erat. Sanguinis arterioſi vis tanta eſt, ut, licet multa ex ſanguine venoſo impedimenta adſint, cohæſio ſcilicet & vaſorum inertia, non tamen vel maſſa, vel pondus ejus, ſanguini arterioſo, a tergo irruenti, reſiſtere poſſit, utpote cujus gravitas ſpecifica longe eſt ſuperior,

rior, nec quantitas multum inferior. Cum, tempore diaſtoles cordis, ſanguini arterioſo impedimentum per valvulas ſemilunares poſitum ſit, illud autem in auricula cordis tunc dematur; ſanguinis ex auricula cordis dextra in ventriculum illius lateris patebit via, & ſingularis tunc omnino eſt auricularum in propellendo, erga ventriculos, virtus, quæ ſuperare reſiſtentiam contracti in ſe ventriculi, ſanguinemque ad interiora projicere, poſſit. Sed nihil auriculæ propellendo valerent, niſi antea imminuta cordis contracti reſiſtentia eſſet, neque auricularum, minime ſiniſtræ, vis tanta eſt, ut poſſit ventriculos eo usque implere, quo illis ad elaterem naſcatur ſtimulus. Inter ſententias ſibi proprias numerat Cl. Autor illam, qua putat, arterias coronarias cordis in diaſtole eſſe cum reliquis arteriis corporis ſynchronas; quod aliis ideo viſum eſt aliter, quod valvulæ ſemilunares orificia arteriarum iſtarum tempore ſyſtoles cordis claudant; quod cum fieri Noſter negat, ideo, ſi ora iſtarum arteriarum, contracto corde, clauſa haud ſunt, ſane fieri nequit aliter, quam ut & illæ, ob æquam vim cordis, repleantur. Neutiquam autem claudi ora arteriarum coronariarum a valvulis ſemilunaribus poſſe, id cauſæ ſubeſſe putat, quod adſint fibræ transverſales, omnimodam valvularum applicationem impedientes. Ergo etiam arteriæ coronariæ in ſyſtole verſantur cum reliquis arteriis corporis humani ſynchrona. Sanguinis celeritas in arteriis continuo creſcit; aſt in venis decreſcit, & tamen ſanguis in venis celerius movetur, quam pro impetu cordis moveri debebat, eſtque in ipſo ſanguine motor, qui progreſſum omnis ſanguinis auget. Non omnes globuli, qui uno momento ex corde abeunt, per idem temporis intervallum ad cor redire poſſunt, ſed, qui ſanguis per breviſſimas arterias abit, celerius ad cor revertitur illo, qui longius abiit, ideoque, cum quædam ſanguinis rubræ moleculæ frequentius reliquis per minimos apices arterioſos transprimantur, mutationis plus accipiunt, ceſſantque citius eſſe globuli ſanguinei, & in ſerum mutantur. Cum ſanguis, durante circulo, per corpus neceſſario rareſcat, &

hanc

hanc ob cauſam ventriculus cordis dexter ſiniſtro ſit major; neceſſarium omnino erat, tum pro impedienda ulteriore rarefactione, & inde ſequente deſtructione, ſanguinis, tum pro continuando ſanguinis circulo, ut ſanguis ante, quam ad ſiniſtrum rediret ventriculum, tantum condenſaretur, quantum, durante motu, a ſiniſtro ad dextrum ventriculum erat rarefactus. Atque illud efficitur interea, dum ſanguis ex anteriore ventriculo per rete arterioſum in rete venoſum pulmonum ſuum iter conficit, ſimulque caloris ejus quædam fit imminutio, dum igneæ ſanguinis partes in corpus ambiens minus calidum disjiciuntur. Aer pro diverſo tempore, atque in diverſis locis, majorem, vel minorem, caloris ſanguinis partem in ſe recipere, deque frigido ſuo in ejus locum aliquid ſubſtituere, poteſt; qua de re Autori erudita cum Illuſtri *Hallero* intercedit diſputatio, qui, ab aere aliquod ſanguini refrigerium accedere poſſe, negat. Ut adeoque aeri ad pulmones via ſit, dilatari pectus oportuit, applicata vectibus coſtarum potentia, quæ illas & elevare, & deprimere, poſſet. Nam, quod ad diaphragma attinet, illud ut ad planitiem, unde inſpiratio vergat, ſui ipſius motus cauſa eſt. Ergo *intercoſtales* externi ſuperiores coſtis, quotquot illarum adſcendere poſſunt, & *intercartilaginei* muſculi harum cartilaginibus, applicantur, illasque elevant. Contrarium efficiunt *intercoſtales interni* & *ſternocoſtales*, qui coſtas dictas deprimunt; ille motus ſpatium, thoracis auget, hic minuit. Super hoc argumento Cl. Autori ſimiliter nata controverſia, atque, theorema, pro fundamento hujus motus poſitum, verum quidem eſſe in *Parallelogrammis*, neutiquam autem in *Trapeziis*, atque ad thoracem haud applicabile eſſe, diſputatum fuit; ſed reſpondet Cl. Autor pro more ſuo ſolide, & adverſarium ex ſui ipſius ſchematis formula confutat. Aeris in pulmonibus uſus in condenſando conſiſtit ſanguine; haud enim via aeri ad ſanguinem intra pulmones eſt, ſed ille unice cum chylo ad ſanguinem ducitur. Inter alia argumenta, quæ doceant, aerem ſanguinem in pulmonibus haud intrare, & illud eſt, quod ex venarum & ventriculi poſterioris capacitate ſumitur. Cum enim ventriculus

Digitized by Google

ille anguſtus ſit, aerem haud admiſceri intra pulmones, Cl. Autor putat, cum deberet grandior eſſe, ſi ſanguinem aere turgidum reciperet. Proxima ab actionibus vitalibus ſecretionis eſt, aut ſeparationis, fluidorum in genere conſideratio. Omnia viſcera, quæ per ſuam indolem ſeparant liquida, diverſa gaudent arteriarum ſupellectile, quæ in variis varios conficiunt inter ſe, & cum ramis ſuis, angulos, diverſaque minimorum vaſculorum denſitate fruuntur, ſiquidem & diverſa eſt humorum ipſorum gravitas ſpecifica. Itaque in diverſis viſceribus ſanguis, uti in angulis vaſorum ſeſe aliter aliterque gerunt, retardabitur, vel augebitur, unde ſecretionum eſt varietas. Accedit celeritas motus varia, qua fit, ut eadem ſemper in omni vaſe excretorio ſecernendi liquidi mutatio eſſe haud poſſit, etiamſi angulus inter truncos vaſis ipſumque vas ſecernens eſt perpetuus. Neceſſe autem eſt, ut interna vaſis ſecernentis tunica habeat gravitatem ſpecificam, fluido inhærente & ſecernendo minorem; poteſt ergo fieri, ut tunica iſta adhæreſcat præter naturam liquidis ſpecifice gravioribus, & tunc totum corruet ſecretionis negotium, ſicut argentum vivum, quod adhæret corporibus ſe ſpecifice levioribus, non tangit metalla, quamprimum vel ſulphure, vel vernice ſicco, obducuntur. Hic diſputatur contra Ill. *Hallerum*, leges adhæſionis, tanquam ſecurum ſecretionis principium, negantem, putantemque, canales ſuis liquidis ſecernendis ſemper eſſe ſpecifice graviores. His legibus ſuperſtruitur ſecretionum etiam ſpecialium fundamentum. Quod ad ſecretionem, in cerebro, cerebello, & medulla ſpinali, contingentem, attinet, retardatur celeritas ſanguinis in arteriis, tam *carotidibus*, quam *vertebralibus*, variis impedimentis, tam per angulos, quam per oſſa, per quorum canales duros vaſa ducuntur, natis. Hinc imminutio quantitatis partium craſſiorum, hinc depuratio, & ulterior ſanguinis ad futuram ſecretionem præparatio. Elaborantur ergo tam in cerebri & cerebelli externa corticali, quam in medullæ ſpinalis interna, cinerea parte ſpiritus, quos ita appellari propter ſimilitudinem cum ſpiritibus chemicis, in-

ineptum haud eſt, per cohæſionem cum parietibus vaſorum in ſubſtantia cinerea, atque, urgente a tergo ſanguine arterioſo, ad totum corpus per nervos procedunt. Eadem lex ſecretionis in ſeparatione ſeroſorum humorum per glandulas obtinet. Glandulæ, ſive ſimplices, ſive ex his collectæ & majores, ſive ſebaceæ dictæ, ex minimis arteriis, quocunque modo flexis, & ſanguinem rubrum, in ſtatu naturali, haud recipientibus, conſtant. Ob diametrum igitur vaſorum exiguam non niſi ſubtiles & leviores, ſpiritibus tamen ſpecifice graviores, & ad ſenſibile fluidum componendum magis aptæ particulæ, intra iſta organa ſeparantur, docentque plexus nervei, circa glandulas poſiti, ſpiritus quoque hic admiſceri. Sunt autem ſimiliter in glandulis cauſæ, retardantes ſanguinis progreſſum, in convolutionibus arteriæ ultimæ infinite parvis poſitæ, quarum adeoque diameter anguſtiſſima, non niſi quod leviſſimum eſt, ad vas ſecretorium procedere ſinit: quapropter etiam fluidum ſecretum, uti anguſtiores arteriolarum fines fuerint, coloratum minus eſt. Illud autem, quod ex glandulis *halituoſis*, *mucilaginoſis*, *ſalivalibus*, *pituitoſis*, *ceruminoſis*, & *ſebaceis*, ſecernitur, licet generales leges ſecretionis agnoſcat, ſuis tamen etiam utitur ſingularibus. Neque vero omne id, quod in glandulis ſecretum eſt, cavis patentibus, ſed etiam cavis undique clauſis, infunditur, atque ibi iterum abſorbetur adhæſione in vaſis peregrinis facta. Singulares uniuscujusque ſecretionis cauſæ tum variæ ſunt, tum illa maxime eſt, quæ in partium vicinarum motu conſiſtit. Hinc ſecretionem ſalivæ juvant, præter cauſas moventes univerſales, vires muſculorum vicinorum, qui glandulas ſalivales attingunt. Hæc etiam eſt in reliquis liquidis, ex glandulis quibusvis *æſophagæis*, *gaſtricis*, *Brunnerianis*, aliisque, ſecretionis ratio, adeſtque in omnibus cauſa, liquidum aliter, quam alibi fit, determinans, quod nimis longum nunc foret exponere. Sed datur etiam lymphæ ſecretio absque glandulis, qualis eſt illa *thoracis* atque *abdominis*. Sic etiam lymphæ ortus ſine glandula celebratur, licet ejus uberior elaboratio forte trajectum per glandulam poſtulet. Arteriæ

Digitized by Google

ſolæ cum venis portæ poſſunt id efficere, ut ex illarum finibus vas lymphaticum exſurgat. Mucus quoque ſine apparatu glanduloſo naſcitur ſtatim, lentus, uti in *veſica*, & *ureteribus*, atque alibi, ubi aer abeſt, qui ſecretum inſpiſſare liquidum potuerit. Sulphureæ indolis mucus eſt, defendens parietes contra acrium transfluentium injurias, ſemperque reſurgens novus. Eadem prorſus pinguedinis ſecernendæ eſt ratio. Atque hæ ſeparationes fluidum producunt immanens, vel uſu abſumendum, vel ſanguini iterum reddendum. Sed ſeparantur quoque liquida rejectanea. Transſpirat aliquis humor ex minimis cutis atque internæ pulmonum ſuperficiei arterioſis finibus. Hic inſenſibilis eſt, formatque circum circa corpus atmoſphæram halituoſam, qua calor corporis conſervatur, atque ipſa tranſpiratio adjuvatur. Sed creſcit perſpirationis naturalis quantitas pro diverſa vaſorum repletione, pro diverſa qualitate alimentorum, pro diverſo ſanguinis arterioſi motu, & cutis laxitate variante. Generalis tamen lex nihilo minus, quam in aliis fluidorum ſeparationibus factum fuit, in adhæſione fluidorum ſpecifice leviorum ad vas capillare ſpecifice gravius ponitur. Cauſa externa transſpirationis aer eſt, qui ſimul cum aliis cauſis particulas ad motum extra corpus determinat partim ſolvendo humidas, partim motu ſuo easdem impellendo, partim illis adhærendo, atque omni tempore aliquid ex corpore noſtro ab aere inſorbetur. Similiter etiam cutis aliquid ex aere in ſe recipit, humidas ſcilicet particulas aeris, atque alias etiam in ſe ſpecifice graviores, dummodo eo usque ſubtiliſatæ per ignem, vel attritum, fuerint, ut poſſint humidis involvi, ſub quorum velo, nec aliter, argentum quoque vivum per cutim propellitur, quod ſolum illuc abire haud poſſet. Similiter per leges adhæſionis & ſpecificæ gravitatis urinæ ſecernendæ negotium deſcribitur. Et, licet eadem quoque lex circa bilis in hepate ſecretionem obtineat, illud tamen in hac actione novum eſt, quod, celeritate ſanguinis venoſi hoc negotium certis rationibus per ſyſtema venæ portarum imminuta, perficiatur. Ideoque venis

ad

Digitized by Google

ad hoc liquidum ſecernendum opus fuit, quod oporteret illud eſſe tale, quale a nullo apparatu arterioſo ſecerni poteſt, id eſt, denſius. Et celeritas quidem ſanguinis in hepate vehementer retardatur non ſolum ob angulum, quem rami cum trunco includunt, ſed & ob amplitudinem ſummæ ramorum majorem, quam eſt amplitudo trunci. Accedit motui progreſſivo, inſigniter debilitato, ſpecialis motus inteſtinus, quo partim quædam particulæ reſolvuntur, partim, & primario quidem, quædam inter ſe uniuntur, quæ ſub alio motu inteſtino etiam in eodem ſanguine uniri haud potuiſſent. Jam enim leviores particulæ ſanguinis ante ejus ingreſſum in radices venæ portæ ablatæ erant. Additi hinc fuerunt ſpiritus per *plexus* nervorum, *venarum meſarrhaicarum comites*, ſanguini portarum infuſi, cum ceteroquin ſpiritus, ad ſenſum, aut motum, hepar habeat nullos. Terminantur extremitates ramorum venæ portæ in *acinos hepaticos*, intra quos ſecretio bilis peragitur, quorum valvulis adhærebunt partes, alibi minus, vel inferiore gradu, adhæſuræ. Dubium tamen eſt, ſintne acini hepatici ramorum venæ portæ fines, an ductus hepatici primordium. Videtur ſane circa illos divortium novum fluidioris rei a ſolidiore fieri, dum ibi potiſſimum, ubi ductuum biliferorum ſunt primordia, exſurgunt vaſa lymphatica, abripientia fluidum, quod ſupererat, ut bilis propterea eo magis nunc ſpiſſeſcere poſſit. Nam, docente Excell. *Heiſtero*, ubi per porum biliarium aqua infunditur, vaſa lymphatica hepatis manifeſtantur. A ſecretionis expoſitione proxime abeſt nutritionis explicatio, cujus actionis effectus prorſus ſingulares cum ſint, ideo ſingularem in illa explicanda operam Clariſſimus Autor poſuit. Hominis augmentum, quod nutritione fit, a primo animationis puncto ad nativitatem, celerrimum eſt, ſeſeque habet uti 1 ad 1440, & in progreſſu incrementi illa proportio mirum in modum augetur. Hoc incrementum corporum fit appoſitione minimarum inſenſibilium particularum, ſenſibili quidem tempore, inſenſibili tamen molis, vel ponderis, ratione, per acceſſum homogenearum particularum, *oſſearum* ad oſſa,

 carnea-

carnearum ad carnes. Non tamen omnino homogeneæ partes iſtæ ſolidis appoſitæ ſunt, cum ex iſtis, arte chemica ſolutis, diverſi generis elementa reſurgant. His appoſitis, cava flexilia implentur eo usque, donec, quantam capere poſſunt, repletionem receperint, quo tempore corpus augeri deſinit. Et ipſæ quidem fibræ tunc nec elongantur, nec craſſeſcunt, ſed creſcit ſaltem cohæſio particularum, fibram componentium. Aſt incrementum corporis elongationem vaſorum, quousque poteſt, ſupponit. Majora hinc fiunt interſtitia, & his particulæ ſpecifice leviores adhærent; hinc per incrementum corporis, fluidorum imminuitur quantitas, ceſſaretque incrementum, niſi fluidi quantitas reſtitueretur, atque illius ſemper plus eſſet, quam abſumtum eſt, quamdiu incrementum viget. Sunt autem particulæ, quæ, ex adhæſione, penetraverunt in interſtitia fibrarum, ipſis particulis fibrarum, gravitate ſua ſpecifica, quæ cauſa cohæſionis eſt, vel homogeneæ, vel parum admodum minores. Ergo quoque eadem novæ particulæ penetrantis cum fibræ particulis erit cohæſio, ac particularum fibræ inter ſe. Ipſæ autem fibræ ſucceſſu temporis majorem accipiunt elateris gradum; proinde incremento accedit augmentum roboris. Cum, quod apponendum eſt, ſpecifice debeat eſſe fibris levius; hinc omnis materies haud auget corpus, ſed illi adhæret, vel illud nutrit. Ergo mineralia, cum gaudeant gravitate ſpecifica, fibris noſtris majore, ad reſtitutionem partium amiſſarum corporis noſtri ſunt omnino inepta. Iſta tantum corpora vegetabilia fibris adhærent, quæ, una cum ſpecifica levitate, habent *mollitiem, ſucceſitatem, facilitatem reſolutionis.* Sunt enim alia quidem ſpecifice leviora, ſed deſtructiva corporum, adeoque ad nutritionem inepta. Animalia concreta ideo nutritioni ſunt apta, quod gravitate ſpecifica fibris noſtris ſunt analoga, ſed non eadem vel omnium partium animalium, vel omnium etiam animalium, eſt ad nutritionem aptitudo, cum haud pauca iſtorum ſint, quorum particulæ, ob pondus, nobis adhærere nequeunt. Omnia corpora, quæ eum in finem in corpus deferuntur humanum, ut decens humorum

qua-

Digitized by Google

qualitas & quantitas conſervetur, alimentorum nomine veniunt. Si ſunt ſolida, *cibi*, ſi ſunt fluida, *potus*, appellantur. Sed cohæſio illorum imminuenda prius eſt, quam in noſtrum corpus tanquam alimenta deferantur, ſuntque varii reſolutionum modi, *contuſio*, *trituratio*, *depuratio*, *maceratio*, *fermentatio*, *coctio*, *aſſatio*, interque cauſas harum reſolutionum habetur *aer* cum *ſuccis*, *ſponte intra hominem naſcentibus*. Exponuntur adeoque variæ illæ mutationes, quas cibi ſubeunt ante, quam particula fiunt, interſtitio fibrarum applicanda. Agitur de *maſticatione*, deque *deglutitione*, in quibus actionibus nihil eſt, quod aliter, quam ſolet, *Hambergerus* expoſuerit. Aſt in actione ventriculi in ingeſta Noſter eſt, exquiſitiſſimus. Maximam vim cibos ſolvendi tribuit fluidis, ex corpore noſtro deſumtis, cum ſint fluida ſalino-ſulphurea acria, id eſt, ſaponacea. Sed & potulenta in cibos agunt, ſi accedit viſcerum motus, quorum actione tum alia fiunt, tum aer, in cibis contentus, magis expanditur, pingues autem partes, calore loci, funduntur. Aeri præ ceteris magnam in mutandis cibis, etiam ſolidiſſimis, facultatem tribuit. Augetur enim actio fluidorum in ſolida, ſi aer, magis, quam in ſtatu naturali, elaſticus, in vaſe clauſo, cujus parietes non cedunt, fluidis incumbat, id quod ex *digeſtore Papini* diſcimus, in quo, tempore duarum horarum cum dimidia, ſuper levi carbonum igne, duriſſima oſſa in maſſam pultiformem convertuntur. De chyli tranſitu per ſua vaſa Cl. Autor ſimiliter per adhæſionis leges exponit, eamque in inteſtino *jejuno* ſextoplo majorem, quam in *ileo*, eſſe, exponit. Cum jam per valvulas conniventes ſuperficies hujus inteſtini in triplum aucta ſit, accedat præterea villorum ac papillarum tunicæ villoſæ ſuperficies, quibus omnibus adhæſionem chyloſæ particulæ, ſigillatim inſenſibilis, augeri oporteat, ideoque eſt tanta chyli per vaſa ſua celeritas, ut opus haud ſit, ad vaſa venoſa ſorbentia confugere, quæ ob ſubitaneam virium poſt partum refectionem a multis aſſumuntur. Neque enim vel probabile eſſe Cl. Autor putat, ventriculi venas aliquid in ſeſe recipere, neque etiam breviore tempore cibo-

ciborum partes per venas, quam per ordinariam viam, ad cor deferri poſſe. Chylus paucis momentis, poſtquam ad venam ſubclaviam ſiniſtram acceſſit, intra ventriculum cordis anteriorem cum totius corporis ſanguine venoſo refluo permiſcetur. Primum adeoque impulſum accipit chylus ab auricula cordis dextra, a ventriculo illius lateris; alterum hinc plures ac efficaces per omnes arteriæ pulmonales ramos usque ad rete mirabile *Malpighii* illius viſceris. In venis pulmonalibus, redux cum ſanguine, nihil patitur, nec illum auricula cordis ſiniſtra multum mutat. Aſt ventriculus ſiniſter illum premit quam efficaſſime; deinde ſuccedit arteriarum per totum corpus actio. Aſt in venis chylus tam parum mutatur, quam in venis pulmonalibus. Adeoque chyli in ſanguinem converſio in uno loco haud fit; ſed totus homo ſanguificationis fit machina, cum, circuli lege, partes, chylum conſtituentes, reſolvuntur, ſulphureæ, ſalinæ, terreæque partes magis inter ſe & in globulos cohærent; hinc partes abundantes aqueæ ſeparantur, globulorum gravitas ſpecifica determinatur, & ipſorum pori configurantur. Color rubicundus, qui ſanguinem a reliquis humoribus diſtinguit, complementi illius, quo mutatio chyli in ſanguinem perficitur, eſt ſignificatio, ſive illius conditionis, ſub qua radii rubri ad oculum reflectuntur, cauſa in poroſitate determinata globulorum ſanguinis quærenda ſit, qua reliqui radii luminoſi colorati abſorbentur, uti ex *Newtoni* theoria colorum patet, ſive vera & chymica maſſæ albæ in rubram converſio contingat, uti novimus, experimento *Vateri* & *Bœrhaavii*, lac ebulliens affuſo oleo tartari per deliquium primum luteſcere, mox purpuram inducere. Quod enim ad concrementum ſex globulorum pellucidorum in unum rubrum, tanquam cauſam mutationis hujus, attinet, licet ille loquendi mos nunc in omnium ore ſit, exquiſitus tamen haud eſt, cum illarum particularum numerus conſtans eſſe omnino nequeat. De fecum & flatuum productione & eductione multa proferuntur utiliter & erudite, quæ nunc adducere nimis longum foret. De ſenſibus autem externis genera-

neratim ita ſentit Noſter: Mutatio quævis animæ, qua rebus variis illa ſe conformat, dicitur perceptio. Senſus externus eſt facultas animæ, percipiendi mutationes, in organis ſenſoriis factas, & mutationis hujus perceptio ſenſatio dicitur. Nervus autem eſt iſta pars, cujus ſtatum mutatum anima percipit; nam, læſo nervo, ſenſus omnis interit, etiamſi organi ſtructura ceteroqui ſalva eſt. Generalem ſenſionis modum ita explicat. Dum objectum externum, ſive mediate, ſive proxime, agit in partem quandam corporis noſtri, eaque actio tanta eſt, ut nervus in iſto loco prematur; cedunt parietes nervi preſſi, & fluidum contentum premitur, ſi nervi cavum ſpiritibus decenter ſit repletum. Anima hanc ſpirituum actionem in ultimo nervi puncto intra cerebrum percipit, & ab eo ad præſentiam corporis agentis, qualitateſque, actioni ejus conjunctas, concludit, tametſi nec locus cerebri, in quo anima percipit, nec modus, quo anima ſpirituum actionem ſentit atque diſtinguit, certo cognoſcatur. Cutis nervi, per actiones corporis noſtri, vel aliorum, preſſi, non tamen compreſſi, proment nervorum ſpiritus; hi vero preſſi agent ſecundum directionem nervi, ad cerebrum usque, unde anima ad præſentiam corporis, ejusque qualitates, concludet, quod ita etiam cum guſtu eſt, niſi quod illi intercurrat actio, ex adhæſione ſalium, quæ perceptionem iſtam faciunt, naſcens. Neque aliud quidquam in olfactu eſt, niſi quod ſalia adhæſura per aerem adducantur, qui eſt objectum intermedium, quod actionem, ab objectis remotis impreſſam, ad organum continuare poteſt, qua in re viſio quoque cum olfactu coincidit, utpote in qua ſimiliter hæc tria ſunt, *objectum remotum*, *in objectum intermedium agens*, *objectum illud intermedium*, ſcilicet *aer*, tandemque *organon*, *ejusque nervus*, *quo impreſſio recipitur.* Quod ſal guſtui ac olfactui, id oculo lumen, eſt. Lumen eſt actio particularum ignearum, in linea continua per poros aliorum corporum in oculi interiora agentium, quatenus ab aliis corporibus oculum verſus determinatur. Mutatur autem directio luminis, ſi actio ex homogeneo in heterogeneum oblique fiat. Series particularum ignearum, in linea continua,

Digitized by Google

ſive recta, ſive fracta, ſive curva, ita agentium, ut viſum producere queant, appellatur *radius*. Radii paralleli, per lentem pellucidam, utrinque convexam, tranſeuntes, omnes poſt lentem uniuntur in unum punctum. Punctum illud unionis focus appellatur. Lentes imaginem pingunt parvam & nitidam, eamque ſemper inverſam, relative ad objectum. Secundum has leges radii luminis, ex uno puncto radiante verſus corneam abeuntes, in ſuperficie corneæ exteriore franguntur ad perpendiculum, quod denuo fit, ubi illi per humorem aqueum ad cryſtallinum procedunt, ubi magis convergunt. Curvatura illa, qua poſterior humoris cryſtallini ſuperficies gaudet, cujus diameter 5, vel 6, lineis eſt æqualis, convergentes denuo reddit radios, eosque in aliquod unionis punctum fere colligit; ſed, quoniam denuo radii per vitreum corpus tranſeunt, cujus denſitas eſt ad denſitatem cryſtallini, ut 10000 ad 10024, obſervante *Witringhamo*, hinc impeditur aliquantulum convergentia, & verus unionis radiorum, ex uno puncto radiante prodeuntium, locus, alius, quam retina, eſſe nequit. Omne corpus, quod ſubitaneam aeris expanſionem efficit, ſonum excitare poteſt. Aer eſt corpus intermedium, actionem *remoti ſonantis* ad aurem deferens. Aeris expanſio ſucceſſive continuatur quaquaverſum lineis rectis, niſi ab aliis corporibus, ſecundum leges reflexionis, vel motus compoſiti, aliorſum determinatur. Hæc aeris actio decreſcit, creſcente auris a corpore ſonoro diſtantia. Mollia, etiam fortiter percuſſa, nullum edunt tonum, aerque elaſticus hanc ſuam actionem ſubito amittit, ubi appellit ad corpus molle, vel laxum; ſed membranæ, vario modo tenſæ, aeris actionem facile recipiunt. Actio aeris, quæ, elatere aucto, ſonum in aure producit, adeo debilis eſt, ut reliquis corporis humani partibus ſit inſenſibilis, utque nervus acuſticus, pro textura ſua, impreſſiones aeris recipiat unice. Quilibet tremor, in aure percipiendus, per breviſſimum tantum tempus percipi debet, quo celerrimæ tonorum ſucceſſiones in *muſica*, *voce*, *loquela*, diſtincte concipi poſſint. Tympani cavum, ſi ſaltem tantum eſſet, quantum apparet, aere ſuo interno, externæ vibra-

vibrationi reſiſteret vehementer. Ergo cellulæ proceſſus maſtoidei recipiunt in ſe aeris partem, & cavum tympani ampliant, ſiquidem tuba *Euſtachii*, etiamſi aliquid aeris reſiſtentis abſorbere poſſit, efficit tamen illud minus propter marginis ſui, quo faucibus reſpondet, conniventiam. Succeſſive igitur reſiſtentiam aeris, in tympano concluſi, imminuere auris non poſſet, niſi eſſent diverticula, tympano reſpondentia, veluti docet anatome. Ex perceptis corporum, extra nos poſitorum, facultatibus per vim ſenſuum internorum, oritur ad agendum deſtinatio, quæ motu perficitur illo, qui ex arbitrio naſcitur. Sed nulla corporis noſtri pars ſeſe movet, niſi quæ muſculoſa eſt, atque illa, ſi motus fit, redditur brevior, ſimulque craſſior ac durior. Muſculus autem ſibi ſoli, ut brevior reddatur, haud ſufficit; ubi enim nervus, ad muſculum tendens, reſectus eſt, contractio omnis perit. Licet autem ſanguinis per arteriam ad muſculos motus ex conditionibus illis ſit, quæ motum faciunt; haud tamen eſt primaria, & arteria quidem reſecta motum debilitat, ſed non delet, & muſculi multi ſunt albi, uti *veſica*, qui ſine ſanguinis rubri influxu agunt. Sed nec fluidum nervi ſolum agit, adeoque ſanguinis & liquidi nervei actio in muſculum eſt ſynchrona, hoc tamen illius expanſionem producit. Iſtius expanſionis in ſanguine cauſa aer eſt elaſticus. Spirituoſæ particulæ, ſanguini commixtæ, muſculi volumen ſolæ haud augebunt, niſi & nervorum accedat fluidum. Contrahitur tamen muſculus junctim per ſanguinem tumidum, ejusque venter ex ſpirituum miſcela nunc indureſcit. Conſiderandæ fibræ carneæ ſunt tanquam cava, in quæ ſanguis, a ſpiritu concitatus, effundi poſſit. Conatus, quo cava ſeſe contrahere nituntur, *vis* muſculorum *abſoluta*, *Borello* dicitur, quam longitudo fibrarum non auget; hæc enim vis eadem eſt in omnibus fibris, ſive longæ ſint, ſive breviores; ſed exquiſitior iſta potentia abſoluta redditur, ſi diverſæ longitudinis, inter ſe tamen parallelæ, iſtæ fibræ fuerint, aut ſi plures fuerint faſciculi obliqui, quorum potentia compoſita ſimili ſeorſim computanda eſt modo, ut

Digitized by Google

horum omnium ſumma ſit, potentia abſoluta totius muſculi. Oſſa conſiderantur tanquam vectes homodromi, & vires moventes muſculorum ita illis applicantur, ut hypomochlio ſint propiores, unde etiam ſemper vis movens muſculorum, reſiſtentia ſuperanda, longe reperitur major. Motum ſpirituum pro motu muſculorum omnem venire ex cerebro, docent capitis læſiones, quæ motum arbitrarium auferunt. Cum ergo ſanguinis ſufficiens copia & ſpirituum præſentia ad motum requiratur, ideoque tempus certum eſſe poteſt, in quo corporis ſtatus talis erit, ut muſculorum actio non niſi cum difficultate quadam continuari poſſit, a ſpirituum ſcilicet defectione, a ſanguinis imminutione, vel deſtructione, & a tono fibrarum phyſico imminuto. Ex defectione ſpirituum proveniet conſuetæ ſenſibilium rerum perceptionis, internæ ſenſionis, voluntatis abſentia, hinc muſculi pondus, motus ejus primum difficultas, deinde evaneſcentia, & quies. Continuabit tamen pulſus & reſpiratio. Atque ille hominis ſtatus vel propenſio ad ſomnum eſt, vel ipſe ſomnus, circa cujus finem major erit in nervis ſpirituum copia, & major ad motum aptitudo, quam initio ſomni. Ultimum de generatione *Caput* eſt, ex quo pauca quædam, quæ eleganter cogitata & ſcripta a Clariſſimo Autore ſunt, delibabimus. Fœmina procreandæ ſobolis aptitudinem habere dicitur tunc, cum illi menſtrua fluunt, quorum apparitionem periodicam neutiquam producit ſanguinis determinata celeritas, quæ ſola menſium fluxum non movet, alioquin, ſine iſto fluxu, febres eſſe nunquam poſſent. Sed relativus ſemper aliquis eſt erga uterum major, quam verſus alias partes fœminæ, ſanguinis impetus, id quod exceſſus vaſorum uteri, reſpectu aliarum partium, clare docet. Igitur tunc ſanguis fluit, ubi copia ſanguinis, ſenſim ſenſimque aucta, reſiſtentiam uteri ſuperare poterit. De ſeminis maſculi animalculis, in hominis formam mutandis, ipſe quidem Cl. Autor diſerte nihil vel negat, vel aſſerit, adducit tamen Excellentiſſimi Micrographi, *Lieberkühnii*, Academici Berolinenſis, datam ad ſe ſuper hoc argumento epiſtolam, qua ortus humanus ex animalculo ſpermati-

matico aſſeritur. Putat autem Noſter ſimiliter, per adhæſionis leges, perque aliquem motum inteſtinum, in ovulo muliebri virtute ſeminis maſculi natum, configurari particulas in formam hominis poſſe, cum folia & fructus vitis viniferæ, per palingeneſiam, ex ſubſtantia ſalina naſci videantur. Primus conceptionis locus fœminarum ovarium eſt, ex hoc ovum cum fœtu tranſit in tubam *Fallopii*, hinc ad uteri cavum deducitur, illiusque parieti poſt tertium denique diem adhæreſcit; dubium manet, an vera ova ſint illa, quæ vulgo pro talibus habentur. Cum ergo accrevit ovulum utero, oportet inter utriusque vaſa aliquam conſpirationem intercedere, ſed extremitates iſtæ, quæ concreſcunt cum uteri vaſis, aliud quidquam, quam vaſa ſeroſa, eſſe nequeunt, cum arteriis rubris ſint minora. Ab eo tempore vivit fœtus ſua atque matris vita, cujus ſanguinem infantis hepar recipit, canali venoſo translatum, cordi anteriori applicatum, hinc partim foramine ovali, partim canali arterioſo, ita directum, ut prætereat pulmones. Deinde circuli lex eadem eſt, quæ adulto, ſi ab illo momento diſcedas, quod fœtui proprium eſt, ut pars ſanguinis ejus per utramque arteriam umbilicalem ad placentam uterinam devehatur. Atque in his omnibus haud diſſentit Cl. Autor ab aliis Phyſiologis, veluti etiam in eo concors eſt, quod veſica fœtus ejus capacitatis ſit, ut poſſit omnem, quantam embryo toto geſtationis tempore in renibus ſecernit, urinæ quantitatem in ſe recipere, atque ad partum usque tenere. Neque enim urachus in homine viſus eſt eſſe pervius. Quis autem omnia vaſtæ eruditionis, quæ per inſigne hoc opus uberrima proſtant, momenta anguſtis circumſcribere poſſit paginarum quarundam limitibus? Fruatur Excellentiſſimus Autor celebritate famæ, quam ſibi hoc, aliisque ſcriptis, peperit dudum, ſanus atque incolumis, minimarum illarum ſugillationum, quæ ex morſu quorundam forte evenerunt, incurius, nec deſinat erudito orbi, ſuæque Academiæ, quam ornat, porro eſſe utilis.

AD PROBLEMATIS ALGEBRAICI, IN NOVIS Actis Anni 1749 Menſe Octobri pag. 627 propoſiti, Solu-

tionem, iisdem Actis Anni 1750 Menſis Martii P. I pag. 134 inſertam, Additamenta.

Problema.

Æquationum A, B, altera A data, determinare coëfficientes f, g, h,

$$A \ldots\ldots x^4 = \quad * \quad px^2 + qx + r$$
$$B \ldots\ldots x^4 = fx^3 + gx^2 + hx + r$$

alterius æquationis B ita, ut x in utraque æquatione eandem habeat valorem.

Solutio.

Æquationes A & B transferantur hoc modo:

1) $x^4 * - px^2 - qx - r = 0$

2) $x^4 - fx^3 - gx^2 - hx - r = 0.$

Subtrahatur æquatio, 1) ab æquatione, 2) aptamque adhibendo expreſſionem, erit

$$\text{Æq. } 2) - \text{æq. } 1) = -fx\left[x^2 + \frac{g-p}{f}x + \frac{h-q}{f}\right] = 0$$

Transponendo, & faciendo $\frac{g-p}{f} = y$, atque $\frac{h-q}{f} = u$, erit etiam

3) Æq. 2) = æq. 1) $- fx(x^2 + yx + u)$,

clarum eſt, quod, ſi æquatio ſequens

4) $x^2 + yx + u = 0$

divideret æquationem 1), divideret quoque membrum ſecundum æquationis 3). Utque hoc fiat, aſſumatur ſubſcripta æquatio.

5) $(xx + yx + u)(xx - xy + t) = 0.$

qua denotata, prodibit

6) $x^4 + (u - yy + t)xx + (t - u)yx + tu = 0.$

Per communem methodum reſolvendi æquationes quarti gradus, ſecundo termino carentes, æquentur termini hujus æquationis terminis reſpondentibus in æquatione 1), ac

ac debitas operationes, ut fieri ſolet, inſtituendo, ſequentes provenient valores literarum y, u, t, atque $t\ u$.

$$7)\ y^6 - 2py^4 + (pp + 4r)y^2 - qq = 0$$

$$8)\ u = \frac{1}{2}\left(yy - p + \frac{q}{y}\right)$$

$$t = \frac{1}{2}\left(yy - p - \frac{q}{y}\right)$$

$$tu = -r.$$

His valoribus in æquationibus 3), 4), 5), & 6), ſubſtitutis, patet primo, æquationem 1) eandem eſſe ac æquatio 6); patet ſecundo, æquationem 4) dividere æquationes 5), 6), & 1), quæ reapſe una & eadem æquatio ſunt; patet tertio, eandem æquationem 4) dividere ſecundum æquationis 3) membrum, ideoque etiam primum, videlicet æquationem 2).

Tandem ex æquationibus $\frac{g-p}{f}=y$, & $\frac{h-q}{f}=u$, quæ ſuperius aſſumtæ fuerunt, deducetur $g=p+fy$, & $h=q+fu$, nempe $h = q + f\,(yy - p + q)$, ſubſtituendo vice u) ejus valorem, in æquatione 8) elicitum, & ſubintelligendo loco y) valorem ſuum, ex æquatione 7) eliciendum. Alius tamen coefficiens f remanebit indeterminatus. Quæ omnia invenienda erant. Notandum, quod, ſi in ſuperioribus formulis mutetur $+y$ in $-y$, & $-y$, in $+y$, ſolutio Problematis æque obtinebitur.

De cetero ejuſdem Problematis Autor, data æquatione *A*, quæſivit alteram *B* talis naturæ, ut æquationes 1) & 2) non haberent pro communi diviſore æquationem quadraticam, qualis eſt æquatio 4), ſed æquationem ſolummodo linearem, quod paulo difficilioris erat indaginis. In enuntiatione vero Problematis (videantur *Nova Acta A. 1749 pag. 627*) monuit, coefficientes f, g, & h, determinandos eſſe per quantitates p, q, & r. Tantum abeſt, ud ſecundum mentem ſuam coefficiens f remanere debuerit indeterminatus, prout in præſenti methodo accidit. Quæ ſola conditio bene perpenſa de methodorum diſſimilitudine, deque diverſo Problematis ſenſu, indicium facere potuit.

PAU-

Digitized by Google

PAULI ERNESTI JABLONSKI, DOCTOris Theologi in Academia Francofurtana ſenioris, & Societatis Scientiarum Regiæ Berolinenſis Membri, Pantheon Ægyptiorum, ſive de Diis eorum Commentarius, cum Prolegomenis de Religione & Theologia Ægyptiorum.

Pars I.

Francofurti ad Viadrum, ſumtibus Joan. Chriſt. Kleyb, 1751, 8 maj.

Plag 19.

Dignum hoc Celeberrimo Autore ſuo opus fere inſtar Apologiæ eſt, quæ Ægyptios, populum, ob rerum divinarum pariter atque humanarum ſcientiam, olim perceIebrem, a quibusdam vero cultus Deorum materialium & viſibilium ſuperſtitioſi accuſatum, feliciſſime egregius Autor defendit. Quod dum facere inſtituit, magno ſolidioris doctrinæ apparatu inſtructus, tum veterum Ægypti Philoſophorum doctrinas explicat, tum ritus Ægyptiorum permultos exponit, tum etiam difficilioribus quibusdam locis, quæ ſæpius eruditorum virorum exercuerunt ingenia, lucem affundit clariorem. Quæcunque vero de Ægyptiorum doctrinis artibusque priſcis & genuinis dicenda erant, ea omnia ex ſcriptoribus optimis magna induſtria eruit, eosque ab interpolationibus Græcorum recentioribus ſollicite vindicavit. Deinde vero in id ſedulo incubuit, ut nomina Deorum Ægyptiorum, aliaque Ægyptiis propria, non ex peregrino Hebræorum, Arabum, aut etiam Græcorum, ſermone, ſed ex avita Ægyptiorum dialecto, cujus reliquiæ ampliſſimæ & copioſiſſimæ in lingua ita dicta Coptica hodienum ſuperſunt, diligenter explicaret atque illuſtraret. His itaque ſubſidiis adjutus Autor, cui jam multa alia ingenii præclare docti monumenta magnum inter eruditos homines pararunt nomen, in hoc ſtudio, multis ceteroqui magnisque difficultatibus impedito, progreſſus fecit non pœnitendos. Exhibet vero in hac *Parte prima* duos *Libros priores*, quorum alter *quinque*, alter *ſeptem*, *Capitibus* diſtin-

Digitized by Google

diſtinctus eſt. *Caput primum* de *Athor*, quæ Græcis *Venus* dicta Pag. 2.
eſt, agit. Exſtant omnino veterum, de nomine *Athor*, teſtimonia. Proferuntur eam in rem verba Autoris Etymologici magni, 3.
aut, ſi mavis, *Orionis*, Grammatici non incelebris, ex quo ille excerpſit verba, quibus dicitur, *Athyr* fuiſſe nomen menſis, Ægyptiisque *Athor* vocatam *Venerem*, & ab eadem tertium anni menſem fuiſſe denominatum. Et ſane res eſt notiſſima, tertium anni Ægyptiaci menſem Niligenis *Athyr* fuiſſe dictum. Præterea & *Heſychii* & *Herodoti* verba in hanc rem faciunt. Et hic qui- 4.
dem nominat urbem Ἀτάρβηχιν, vel potius Ἀτάρβηκιν, quam, ipſius *Herodoti* & *Strabonis* teſtimoniis, & etymologia vocis, nixus, Ἀφροδιτόπολιν, ſeu *Veneris urbem*, exiſtimat appellandam.
Hic vero ſermo non eſt de *Venere* Græcorum, Poëtarum fabulis 5.
tantopere celebrata, meretricum & libidinum infandarum patrona, ſed de alio plane Numine, religione Orientalium conſecrato, quod Græci quoque ſæpiſſime in libris ſuis *Junonis* nomine deſignant. Græcorum vero *Junonem* ignorabant Ægyptii, & alia erat *Juno* Orientalium, quam *Venerem* alii, alii *Cæleſtem*, appellare conſueverunt. Quæ igitur de *Junone* Ægyptiorum in veterum libris obvia ſunt, ea ſine dubio ad hanc *Athor* referri poſſunt. Mirum vero in modum diſſentiunt veteres in definienda quæſtione, 6.
quid Orientalium Philoſophi & Theologi per illam ſuam *Junonem*, ſive *Venerem Cæleſtem*, deſignare proprie voluerint. Cel.
Autor vero obſervat, Orientales per *Venerem* ſuam intellexiſſe 7.
totam rerum omnium naturam, aut naturæ magnam parentem.
Ex etymologia vero nominis *Athor*, quod literis Ægyptiorum, 10.
quas nunc Copticas vocant, expreſſit, probari putat, *Athor* Ægyptiis *Noctem* deſignaſſe. Nox enim inter præcipua gentium Numina locum ſemper habuit. Ita enim Theologis Phœnicum
principium erat rerum creatarum. Et Græci etiam *Noctem*, ut 13.
Numen, & principium omnium rerum, coluerunt. Frequentiſſima vero *Noctis* fit mentio apud Orphicos, qui eandem plane de illa fovent doctrinam. Cum autem certum exploratumque ſit, Poetam illum atque Theologum *Orpheum*, in Ægypto a ſacerdotibus ſcientiis ipſorum arcanis imbutum initiatumque, quæ ab
illis didicerat, Græcis tradidiſſe; facilis inde conjectura eſt, Ægy- 17.
ptios eadem docuiſſe. Et ſane ex idoneis, quas Cel. Autor

 pro-

produxit, teſtimoniis conſtat, *Noctem*, ut ſummum potentiſſi-
Pag. 23. mumque Numen ab Ægyptiis priſcis veneratione ſumma cul-
tam, eandem *Athor*, quam Græci *Venerem* interpretati ſunt, fuiſſe.
Ægyptii vero ſequiores per *Noctem* intellexerunt Solis in he-
miſphærio ſuperiori moram, aut Lunam, aut etiam noctem
naturalem. Hoc *Noctis* Numen per totam Ægyptum templa
habuit complura, in quibus ſimulacrum hujus tanquam Deæ
conſecrari ſolitum erat Vacca, & plerumque naturalis, vi-
va. Volebant enim Ægyptii, animalia eſſe μελήματα quæ-
dam, imagines æterni Numinis vivas, quibus virtutes & ef-
fectus illius aliquo modo adumbrarentur.

Capite II Celeb. Autor diſſerit de *Phtha*, Ægyptiorum
29. Deo, quem Græci *Vulcanum* interpretantur. Quanquam
vero hoc loco videri poſſint Ægyptii, ſi doctrinam de *Athor*
meditate expendamus, omnia ex ſola materia deduxiſſe, qui
eſt atheismus craſſus & turpis; negari tamen non poteſt,
38. vetuſtiores gentis illius Philoſophos materiæ & toti rerum
naturæ præfeciſſe Mentem infinitam æternamque, a cujus
nutu & gubernatione omnia penderent. Notanda enim
multiplex & inſignis convenientia inter doctrinas Ægyptio-
rum & placita Stoicorum, quæ & tum agnoſcenda eſt, quan-
do Ægyptii pariter ac Stoici cum nocte & materia, & in
ipſo adeo Chao, conjunxerunt principium activum, men-
tem, quæ rebus omnibus præeſt. Quæ veterum doctrina
41. Ægyptiorum ex quibusdam eorundem placitis, & ex theo-
logia veterum Orphicorum, quæ a priſca Niligenarum ſapi-
entia non differt, confirmatur. Vetus enim theologia *Or-
phica* principium agnoſcit ἀῤῥενόθηλυ, maſculo-fœmininum,
a quo omnia ordinata & conſtituta ſunt. Numen hoc agno-
ſcebant etiam Ægyptii, illudque ſermone patrio nuncupabant
Phthas, quod Græci interpretati ſunt *Vulcanum*. De hoc igi-
tur ſuo *Phthas*, ſeu *Vulcano*, tradiderunt Ægyptii, hunc re-
rum omnium cauſam Deorumque patrem, & maſculo-fœmi-
48. ninum, eſſe, & ſacerdotes in annalibus ſuis ſacris perhibent,
illum omnium primum in Ægypto regnum tenuiſſe. Sed
non niſi regnum intelligendum eſt fabuloſum & allegoricum.
Præterea quoque hic *Vulcanus* Ægyptiis ignis erat ſubtiliſſi-

mus

Digitized by Google

mus & puriſſimus æthereus, omnibus Planetarum & ſtellarum orbibus ſuperior, ex quo animas in terram delabi, credebant. Quæ poſtquam ita ex veterum edifferuit monumentis, accedit nunc ad interpretationem nominis φθᾶς, idque, ait, decernentem & ordinantem omnia ſignificare. Ejus vero cultus & veneratio religioſa non ita per totam Ægyptum invaluit, ut reliquorum Deorum, ſed Philoſophis id Numen reliquerunt, templumque ei in unica tantum urbe Memphi fuit conſecratum. Pag. 50.

Caput III de *Neitha*, Ægyptiorum Deo, quem Græci *Minervam* interpretantur, utilia & jucunda multa profert. Hoc Ægyptiis ſacroſanctum Numen, quia Sai, Ægypti inferioris urbe, colebatur, *Minervam Saiticam*, & *Sain* ipſam, ſed falſo, vocatum, & veterum teſtimoniis, & hiſtoria Ægyptiorum, probatur. Verum & ipſa Græcorum *Minerva* cum *Neitha* Ægyptiorum non debet confundi. Quod cum Cel. Autor egregrie copioſeque docet, hoc exemplo antiquitatum Ægyptiacarum ſtudioſos monet, inſigne eſſe inter fabulas Græcorum de Diis ſuis, & theologiam Ægyptiorum mythicam, diſcrimen, neminemque in illuſtranda hac poſtrema eximii aliquid præſtiturum, niſi fontes genuinos adeat, illosque ab adulterinis ſollicite diſcernat. Ipſi autem Ægyptiorum Theologi de hac etiam *Neitha* ſpargebant fabulam allegoricam, natura videlicet eam præditam eſſe maſculo-fœminina. Quam & ipſe S. Ven. Autor idoneis rationibus & celebri inſcriptione confirmat. Quæ convenientia *Neithæ* cum *Vulcano* ex eo quoque elucet, quod cauſa ſolis prædicetur efficiens, cum *Vulcanum* ſolis genitorem crederent. Hic rationem etiam habebis, ob quam Græci, *Neitham* cum *Minerva* ſua conferri optime poſſe, judicaverint. Ægypti enim *Neitham* reverebantur ut ſapientiam divinam, quam Græci etiam in *Minerva* colebant. Accedebat & hoc, quod eam opificem & artium præſidem fuiſſe, prædicarent. Recte vero hic obſervat Cel. Autor, ſequiores gentis hujus Theologos in hac doctrina aliquid vel mutaſſe, vel innovaſſe, dum in *Neithæ Saiticæ* tutela Zodiacum eſſe voluerint, ac nominatim quidem ſignum arietis ei conſecrarint. Prius vero, quam ad alia tranſit, explicat *Neithæ* nomen, &, poſt allatas quasdam docto-

 rum

Digitized by Google

rum virorum non inſulſas conjecturas, ſignificare, putat, idem, quod *Phthas*, decernentem atque ordinantem; tandemque de ſimulacris & ſymbolis *Neitha* pauca addit. Ejusmodi ſimulacrum videtur Tabula Bembina contemplationi proponere ſub ſpecie mulieris ſedentis. Hoc enim inprimis ex ſcarabæo aperto, *Neitha* ſymbolo, quem præcipui ornatus loco in capite gerit, probatur. Ceterum Ovis, Aries, & ortus Caniculæ, *Neitha* ſymbola erant.

Pag. 81. *Caput IV* de *Cnepho*, vel *Cnuphi*, Ægyptiorum, id eſt, *Agatho-*
dæmone, complura lectu digniſſima exponit, pergitque hic Cel. Au-
tor Ægyptiorum de Diis ſuis doctrinam luce clariori perfundere,
eamque ita explicare, ut nullus amplius dubitationi relinquatur
locus, Ægyptios ſpiritum æternum, omnia permeantem, omni-
umque rerum cauſam, adoraſſe. Hanc, ſicubi bona daret, *Cneph*,
vel *Cnuphin*, dicebant, ſi mala, *Tithrambonem*. *Cnuphin* religioſo
cultu Ægyptii, ut multi teſtantur, proſecuti ſunt, eumque, quod
nominis vis & ſignificatio docet, lingua ſua *bonum*, & proprie *Spi-*
89. *ritum*, vel *Genium*, *bonum*, appellarunt. Non quidem alius eſt,
quam ipſe *Vulcanus*, ſed ſpeciatim quatenus is conſideratur ut
cauſa & fons omnis boni. Hanc enim Numinis æterni & in-
finiti virtutem in *Cnuphi* ſuo tantum ſpectabant venerabanturque
Ægyptii. Quam vero veterum doctrinam recentiores Philoſo-
phi Platonici adulterarunt, ſed ita tamen, ut verum inde erui
95. queat. Variis illud exemplis illuſtratur, & ſimul nomen *Came-*
phis, quod cuſtodem Ægypti ſignificat, & epitheton *Vulcano* ali-
98. quo ſenſu proprium eſt, explicatur. Hoc vero *Cnuphis*, boni Dei,
nomen ſucceſſu temporis inditum etiam eſt Nilo, & ſymbolis,
fertilitatem ejus adumbrantibus; quod etiam argumento eſſe
poteſt, Ægyptios *Cnuphin* bonorum omnium, quibus gaudent
homines, crediſſe autorem.

Huic vero oppoſuerunt *Tithrambonem*, vel *Thermuthin*,
Ægyptiorum Numen, quod Græci *Accaten* interpretantur. Cui
103. tractationi *Caput V* deſtinatum eſt; in quo Cel. Autor primum
docet, Ægyptios mala triſtia ſpiritui infinito non immediate tri-
buiſſe, ſed divinitati ordinis inferioris, quæ *Tithrambo*, id eſt, ira
furens, vel furorem indens, dicebatur. Cui exacte reſpondet
Βριμώ apud Græcos, qui quoque illam non plane invita Miner-

va cum ſua *Nemeſi* conferendam putarunt. Inhæret vero S. Ven. Autor potius teſtimonio *Epiphanii*, *Tithrambonem* Græce in- Pag. 110.
terpretantis *Hecaten*, atque intelligentis Lunam, vel *Iſidem* iratam, quæ hominibus mala inferre credebatur. Nam veteres, ſingularia quædam mala, ac ſigillatim inſaniam, oriri ex influxu lunæ, exiſtimabant. Hinc σεληνιαζόμενοι, id eſt, lunatici, quorum non ſemel in N. T. mentio fit. Maxime vero id tribuebatur viciſſitu- 115.
dinibus lunæ, ſive plenæ, ſive creſcentis, ſive decreſcentis. A *Tithrambone* vero nihil diſcrepaſſe videtur Dea *Thermuthis*, id eſt, 118.
mortifera, vel quæ homines debitis pœnis afficiat, ipſisque pro merito mortem infligat. Ejus ſymbolum erat quædam aſpidum ſpecies, præ ceteris internecina, & *Thermuthis* etiam dicta, quo ſymbolo videntur ſignificare voluiſſe iram juſtam, quæ ſupremo Numini ineſt, ſecundum quam peccata hominum pœnis debitis coercet.

Nunc igitur S. Ven. Autor, poſtquam hactenus *Libro primo* de Numine Ægyptiorum ſpirituali, rerum omnium princi- 122.
pio, more ſuo, id eſt, docte & ſolide, ediſſeruit, *Libro ſecundo* ad Numina materialia & ſenſioni obnoxia tranſit. Ampliſſimum hic multisque laboribus & difficultatibus impeditum ingreditur campum, dum de Numinibus dicturus eſt, quæ Ægyptii ad Solem referebant, *Oſiride* nempe, *Ammone*, *Hercule*, *Horo*, *Serapide*, *Harpocrate*, & *Mendete*. Sed jam nos Lectoribus noſtris confirmare poſſumus, Cel. Autorem campum illum feliciter & cum laude maxima emenſum. Hoc igitur *Capite I* de *Oſiride*, magno Ægyptiorum Numine, id eſt, Sole, differens, primum, ait, inter Deos Ægyptiorum viſibiles locum ſibi vindicaſſe Aſtra Cœli, ac inter hæc reliquis præeſſe Solem & Lunam. Sol vero ſymbolice di- 125.
cebatur *Oſiris*. Veterum quidem alii *Oſiridem* dicebant eſſe *Nilum*, alii *Bacchum*, utrumque tamen cum reſpectu ad Solem. Inventio vero & cultura vitis non æque referenda eſt ad *Oſiridem*. Nunquam enim Ægyptii *Oſiridem* inventorem & datorem vitis crediderunt. Ipſum vero *Oſiridis* nomen recentius eſt, & antiquiſſimis temporibus Sol in Ægypto cultus eſt ſub nomine ΦΡΗ, *Phre*. His ita expoſitis, pergit Cel. Autor ad genealogiam *Oſiri-* 136.
dis, multis fabulis allegoricis involutam, ipſiusque nominis etymologiam explicandam. In excutienda autem vera nominis ſi- 140.

 gni-

Digitized by Google

gnificatione ita verſatur, ut ex origine ejus probet, illud tempo-
ris cauſam deſignare, facta alluſione ad magnum beneficium ac-
curatioris anni Ægyptiaci conſtitutionis. Hinc magnos ejus cul-
tus, per totam Ægyptum erectis templis, progreſſus fecit.

Dixerat Summe Rev. Autor, *Oſiridem* ſignificaſſe Ægyptiis au-
torem temporis & moderatorem, ſive Solem. Sol vero, in variis
Zodiaci partibus hærens, variosque effectus producens, varia ac-
cipiebat nomina. In æquinoctio verno dicebatur Ægyptiis
Pag. 157. *Amum*, Græcis vero *Jupiter*, de quo *Caput II* loquitur. Hic
Amum, vel *Amun*, vel, uti vulgo loquuntur, *Jupiter Ammon*, ſum-
mum erat quidem & ſanctiſſimum Numen univerſi populi Ægy-
ptii; ſed propriam tamen ſedem habuit Thebis in Ægypto, quæ
urbs idcirco etiam in S.Scriptura *Amun*, vel *Amon-No*, vel *Ham-*
161. *mon-no*, & *No-Ammon*, id eſt, urbs & poſſeſſio *Ammonis*, appella-
tur. Græci eam exprimere ſolent *Διόσπολιν*, *Jovis* urbem. Hic
165. ejus ſacra erant, ibique ſub ſimulacro arietis colebatur. Erat vero
Amun, vel *Ammon*, Ægyptiis ſymbolum Solis, & ſpeciatim in
ſigno arietis æquinoctium facientis, & ver auſpicantis. Id etiam
fabulæ ſacræ de *Ammone Thebæo*, in vulgus ſparſæ, confirmant.
Concinunt Arabum de eadem re fabulæ, & *Tabula Bembina*, ſeu
176. Iſiaca. Omnium harum fabularum ſenſum luci exponit, ne-
gatque, *Amum* eſſe *Chamum*, *Noachi* filium, uti quidam magni no-
minis viri, ob veri quandam ſimilitudinem, & ſpeciem aliquam,
quam hæc præ ſe fert ſententia, exiſtimarunt. Quos ut rectiora
179. doceat, ad originationem vocis animum attendit, ſententiisque
de hac re examinatis, ſuam ipſe in medium profert, qua,
Amun Ægyptiis ſignificare, putat, lucidum, vel lucem rebus infe-
rentem. Hunc vero *Ammonem* inter Ægyptiorum, eorundem-
que *Herculem*, magna eſt affinitas & neceſſitudo, prouti ex
theologia illorum fabuloſa apparet. Et de hoc Ægyptiorum
Hercule Capite III agitur.

184. Hic *Hercules* ab *Hercule* Græcorum *Thebano* toto cœlo dif-
188. fert. Dictus vero etiam eſt *Semus*, & *Somus*, & *Chon*. *Som*, vel
Dſom, virtutem Deorum ſignificabat. Confutat hoc loco Summe
Vener. Autor nonnullos, qui, *Herculem* creatorem mundi Ægy-
ptiis fuiſſe, opinati ſunt, & rectius exiſtimat, habuiſſe illum pro
ſymbolo Solis, unde illum cum *Oſiride* nonnunquam confun-
di

Digitized by Google

di legimus. Inprimis vero, quatenus Sol tempus atque annum efficit, ipſum dixere Ægyptii *Herculem*, cum quibus vetuſtiores Græci conſentiunt. Et ſpecialius adhuc voluerunt Ægyptii *Herculem* eſſe ſymbolum ſolis verni, id eſt, illius, qui verno tempore nobis apparet, ſeque per optatos effectus terræ manifeſtat. Huc pertinet ad illuſtrationem fabula illa Ægyptiorum de *Hercule* myſtica, qua, *Herculem*, *Jovis* & *Aſteriæ* filium, in Lybiam proficiſcentem, & interfectum a *Typhone*, *Iolao* coturnicem ipſi adnovente, & præbente olfaciendam, revixiſſe, ajunt. Quam fabulam, egregie explicatam, ad *Herculem*, cum aliis, quæ huc ſpectant, refert. Pag. 195. 197.

Capite IV Noſter tranſit ad *Horum*, Ægyptiorum Deum, quem Græci *Apollinem* interpretantur. Vera hujus nominis interpretatio, & virtutis, quam in eo celebrarunt veteres Ægyptii, genuina explicatio difficilis admodum res eſt. Exſtabat etiam de hoc olim fabula antiqua ſacerdotalis, cujus ſenſum exponit, *Horum*que ex ſententia Ægyptiorum ad Solem referri debere, evincit. Fuit igitur *Horus* non tam aer, benigno & ſalutari ſolis influxu temperatus, ut *Plutarcho* viſum fuit, quam ſol ipſe, unde etiam nihil differre ab *Hercule* & *Harpocrate* idem cenſetur, ſol æſtivus, circa & poſt ſolſtitium æſtivum conſpicuus; id quod multis probatur argumentis. Præterea, *Horum* ſignificare efficacem, e rationibus etymologicis manifeſtum, aut ſaltem vero proximum, reddere ſtudet. 201. 206. 223.

Caput V de *Serapide*, ſive Sole infero Ægyptiorum, agit. Duplex conſtitui poteſt *Serapis*; alter Niliacus, cœleſtis alter, qui ſol eſt. Et de hoc in præſenti tempore ſermo eſt. Ex variis rationibus liquet, Deum hunc ab antiquo cultum fuiſſe in Ægypto. Quorſum & ipſa ſpectat hiſtoria de *Serapi*, juſſu *Ptolemæi Soteris* ex Sinope Pontica Alexandriam delato. Quanquam etiam ante *Alexandri M.* tempora nulla de eo reperitur mentio; tamen hoc ejus antiquitati non obſtat. Nam Cel. Autor confirmat, ejus venerationem etiam ante *Ptolemæos* invaluiſſe Memphi, in loco, cui nomen erat *Sinopis*. Eſt vero Numen illud Sol inferus, tempore autumnali & hiberno hemiſphærium inferius permeans. 226. 231. 233. 235.

Capite VI exponitur *Harpocrates*, ſive Sol, in ſolſtitio hiberno renovatus, cujus ante *Alexandri M.* ætatem incognita, ait, fuiſſe ſacra, quæ 241.

vero

Pag. 245. vero poſtea per Græcos ubique propugnata & admiſſa fuere. Nomen
hujus Dei variis modis ſcribitur,& claudicantem pede ſignificat. Conſtat
vero apud omnes, *Harpocratem Oſiridis Iſidisque* filium perhibitum
248. ſemper fuiſſe, ſacerdoteſque ſub hoc ſymbolo reſpexiſſe ſolem,in ſolſti-
tio hiberno renovatum, quod ex verſibus oraculi Clarii apud *Macro-
bium*, a Cel. Autore ex Gnoſticorum theologia explicatis, oſtenditur.
254. Ideo etiam dicebant natum eum eſſe in ſolſtitio hiberno tenerum & pu-
ellum, pingebantque loto inſidentem; quo ſymbolo ortum ſolis expreſ-
259. ſerunt. Præterea perhibebatur membris mancus & debilis eſſe, quod
vero inprimis de pedibus accipi debere videtur, uti ex ipſo *Harpocratis*
nomine probatur, & aliunde confirmatur. Cur vero *Harpocrati* clau-
269. dicatio tributa fuerit, hæc redditur ratio. Cupidi nempe homines lucis
caloriſque ſolaris, moræque impatientes, ſolem, tardius adventantem,
& gaudia deſiderata diu negantem, aut de die in diem differentem,
claudicantem appellarunt.

272. Supereſt adhuc ultima & copioſior *Cap. VII* de *Mendete*, *Esmuno*,
& *Antæo*, ſive *Pane* Ægyptiorum, diſputatio. Græci hunc *Mendetem*,
Ægyptiorum Numen, *Panem* interpretantur, cujus ratio in tractatione
ipſa indicatur. *Mendes* vero, in præfectura Mendeſii cultus, non ſonat
hircum, ſed ejus ſymbolum & ſimulacrum erat hircus vivus, de cujus
281. cum mulieribus conſuetudine mira narrant veteres. Fuit vero *Mendes*
ſymbolum facultatis ſativæ & genitivæ, quæ in natura cernitur. Ipſum
nomen Ægyptiacum, prolificum & fœcundum ſignificans, id con-
287. firmat. Potuit etiam ſymbolum eſſe ipſius naturæ, aut potius ſolis,
omnia inſeminantis & progenerantis. Nunc de *Pane*, in Ægypto ſu-
periori Panopoli culto, ejuſque ſimulacro, loquitur Cel. Autor. Hic
290. *Pan* Ægyptiace dicebatur *Chemmis*, vel, ut alii ſcribunt, *Iſchmun*, qui
nihil differt ab *Esmuno* Phœnicum, a quo duæ in Ægypto urbes
295. nomen hoc acceperunt. In Ægypto ſuperiori cultus quoque olim fuit
302. *Antæus*, qui vero, ut ex multis apparet rationibus, idem eſt, qui *Mendes*. Atque ita abſolvitur operis prorſus egregii *Liber ſecundus*, & univerſa, ſingulari induſtria & eruditione conſcripta, tractatio. Jubet vero Cel. Autor lectores ſuos, eorum, quæ reſtant, legendorum cupidos, adhuc exſpectare *Libros tres*, in quibus de Diis, qui ad lunam ab Ægyptiis referebantur, porro de Nilo, & Numinibus ad fluvium hunc relatis, tandemque de reliquorum Deorum Ægyptiorum turba, obſervationes ſuas luci publicæ expoſiturus eſt. Quæ his acceſſura erant Prolegomena paulo longiora de Religione & Theologia veterum Ægyptiorum, varia vero ob impedimenta typis ſimul cum hac *prima Parte* deſcribi non potuerunt, ea *Parti ſecundæ* dabit adjuncta. Ceterum præclara ejus paſſim de edendis aliis hujus generis atque argumenti Commentationibus ſunt promiſſa, quibus implendis ut corporis animique vires ſufficiant, meliorum literarum cauſa ex animo precamur.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno MDCCLII.

Pars I.

ORIGINES GUELFICÆ, QUIBUS POTENTISSIMÆ gentis primordia, magnitudo, variaque fortuna usque ad Ottonem, quem vulgo Puerum dicunt, primum Brunſuicenſium ac Luneburgenſium Ducem, ex æqualium Scriptorum teſtimoniis, inſtrumentis publicis, ſtatuis, lapidibus, gemmis, ſigillis, numis, aliisque monumentis ſuperſtitibus, deducuntur, & in compendio exhibentur. Opus, præeunte Dno. GODOFREDO GUILIELMO LEIBNITIO, ſtilo Dni. JO. GEORGII ECCARDI literis conſignatum, poſtea a Dn. JO. DANIELE GRUBERO novis probationibus inſtructum, variisque pernecesſariis caſtigatum animadverſionibus, jam vero in lucem emiſſum a CHRISTIANO LUDOVICO SCHEIDIO, J. C. Sereniſſimæ familiæ Guelficæ a conſcribenda Hiſtoria.

Tomus I & II.

Hannoveræ, ſumtibus Orphanotrophei Moringenſis, 1750 & 1751, fol. maj.

Tom. I Alph. 8 plag. 4, Tom. II Alph. 7 plag. 20, cum Figg. æri inciſis.

Qui de *Protogæis* G. G. *Leibnitii*, & *J. G. Eccardi Originibus Germaniæ*, publice evulgatis, jam egregie meruit *Chriſtianus Ludovicus Scheidius*, Vir meritis ac dignitate illuſtris, Conſiliarus aulicus regius & electoralis

 Hanno-

Hannoveranus, *Tomum* hunc *I*, Auguſtiſſimo atque Potentiſſimo Regi Britanniæ Magnæ, *Georgio II*, ſacratum, ampliſſima ornavit introductione. In hac notat cumprimis ſcriptores, qui olim familias Principum Germaniæ ex Italia repetierunt. Exemplis variis veſaniam illam illuſtrat, legi omnino
Pag. 8. dignis. Nemo tamen Sereniſſimis Ducibus Brunſuico-Luneburgicis vitio id dare auſus eſt, quod hi, Italico ſe ſatos natosque eſſe ſanguine, nunquam non profeſſi ſunt. Soli veritati in hoc enuntiato fuit litatum. Nam dubitavit nemo, *Azonem*, *ditiſſimum Italiæ Marchionem*, circiter annum 1040 *Cunizam*, ſeu *Cunigundam*, poſſeſſionum Welficarum in Alemannia & Bajoaria hæredem, duxiſſe uxorem, atque ex hac
9. filium ſuſcepiſſe *Welfum*, qui avunculo cognomini ſucceſſit, Ducatum Bajoariæ ab *Henrico IV* Imperatore nactus eſt, & conditor familiæ exſtitit, ex qua Dux *Otto Puer* procreatus eſt. *Azo* ille Marchio tenuit Marchiam Liguriæ, ſeu Genuæ, & Marchiam Mediolani. Diplomata, a *L. A. Muratorio* in lucem protracta, hujus rei proferunt indicia haud refellenda. *Henricus Leo* A. 1154 *Obizoni* conſanguineo Marchias illas, ſi non integras, ex parte tamen, ad feudi modum impertivit. *Fridericus I* vero Imperator A. 1183 Marchionem *Obizonem* Marchiis iſtis ac reliquis prædiis juribusque, quæ *Azo* Marchio ab Imperio tenuerat, infeudavit, reſervatis recuperandi conditionibus *Henrico Leoni*, ejusque hæredibus. Ex *Cunigunda* uxore videtur *Azo* poſſeſſiones illas accepiſſe, ſiquidem *Welfus IV*, ejus ex *Cunigunda* filius, eas ſibi eripi recuſavit,
10. quippe matri ſuæ donatas. Quæ vir Illuſtris huic ſententiæ obmoverat, Noſter ſolide diluit ac ſolvit, recantans ea, quæ expiſcandi alios cauſa ex *Biſſii* mente, & Viri Illuſtris ſuffragio, ad genealogiam *Azonum* in *Indiciis doctis Brunſuicenſibus* expromſerat. Mira ſane in Viro Illuſtri fuit ingenii ubertas, quam eo impendit, ut, ſtirpem Guelficam maſculam defeciſſe nunquam, oſtenderet, ratus, *Welfum IV* ex *Azone*, Italiæ Marchione, haud progenitum fuiſſe. Videtur is ex *Bruſchio*, niſi ex *Wiguleji Hundii* ſcriptis, in avia delapſus. Poſterior certe *Metrop. Salisburg. T. III pag. 99* ita

jam

Digitized by Google

jam ſenſerat, inviis *Lamberto Schafnaburgenſi*, *Hermanno Contracto*, *Bertholdo Conſtantienſi*, Monacho Weingartenſi, Pag. 11.
Conrado, Abbate Urſpergenſi, Annaliſta Saxone, *Joanne Aventino*, ceteris, ne quidem *Gabriele Bucelino* & *Brunnero* exceptis. Omittimus alias Viri Illuſtris tam ingenioſas, quam ſolidas, rationes, in quibus extricandis & dispellendis operam poſuit Ill. *Scheidius* felicem & ſoliditatis laude eximiam. Refutandi non ſunt, qui maternam Guelficamque ſtirpem *Welfi IV* ad 15.
Catilinam, gentis *Sergiæ* propaginem, cum *Gunthero* & Monacho Weingartenſi referunt, ſiquidem *Welfi* fuerunt Germanicæ originis. At *Azonis* progenitores vocantur nunc Longobardi a quibusdam, nunc a *Gundelardo*, vel *Gundebaldo* aliquo, ſati dicuntur. *Caſpar Abelius* poſt *Leandrum Alberti*, *Carolum Sigonium*, *Raphaelem Volaterranum*, *Reinerum Reineccium*, *Azonem* ex Longobardica ſtirpe deduxit in *Sæchſiſchen Alterthümern pag. 637*, ratus, nomen *Azonum*, ſeu *Agonum*, eſſe Longobardicum. *Agonem*, Forojulii Ducem, deprehendimus apud *Paulum Warnefridum* in *Hiſt. Longob. IV, 52, V, 17*. At argumento eo ſolo nihil, tanto hiatu dignum, conficitur. *Joannes Juſtus Winckelmannus* ſtirpem Sereniſſ. Ducum Brunſuico-Luneburgenſium ab *Actiis* derivare contendit vaniſſimo commento. *Azones* inter & *Acciorum* nomen convenientia fefellit virum. Omittimus eos, qui in eadem cum *Winckelmanno* ſententia fuerunt. Inprimis *Theodorus Damaidenus*, 17.
nobilis Belga, S. *Mariæ de Caſtro* & S. *Marthæ* Abbas, repetiit 19.
illam fabulam *Actiam* in libro, cui præfixus eſt titulus: *Auguſta decora Brunſuicenſia*, ſive C. *Octavii Auguſti*, *Romanorum Imperatoris*, & *Erneſti Auguſti*, *Brunſuicenſis* & *Luneburgenſis Ducis*, *ex eodem Actii Julii ſanguinis ſtipite natorum, ab anno Romæ conditæ primo usque ad annum Chriſti 1685 per annos 2536 de patre in filium deducta progenies*, *hiſtoria*, *chronologia*, & *inſignibus adumbrata*, in *fol. maj. paginarum 176*, ſi Dedicationem & Præfationem exceperis. Inſignia, numi, ſtatuarum lapidumque icones, usquequaque Opus exornant. Autor id Divo *Erneſto Auguſto*, tunc Epiſcopo Oſnabrugenſi atque Duci Hannoverano, Venetiis A. 1685 obtulit. Libri ſatis

Digitized by Google

rari ſummam Ill. Editor ſolide & fuſe deſcribit ac exe-
quitur. *Hieronymum Faletum* fuiſſe primum *Actiæ* illius fa-
Pag. 23. bulæ autorem, Noſtro facile credimus contendenti. Non
immorabimur inſcriptionibus, quibus *Damaidenus Actiæ* gen-
tis ſeriem lectori approbandam ſuſcepit, apud Noſtrum in-
ſpiciendis. De *Azonis* Italica origine dubitavit *Leibnitius*.
35. Præiverant eum *Joannes Baptiſta Giraldus*, *Gabriel Bucelinus*,
& *Joannes Fridericus Hoffmannus*. *Giraldus* pro conditore
gentis *Azonum* habuit *Azonem*, *Hugonis*, Aquitaniæ Ducis, pro-
pinquum, *Berardi* avunculum, quem attigit *Leo*, Cardina-
lis Oſtienſis, *Chron. Caſin. I, 64.* *Bucelinus Azonem* Marchio-
nem recta per mares ex *Carolo Magno* deduxit. *Hoffmannus*
hunc *Azonem* arceſſivit a *Theobaldo* quodam, Arelati & Pro-
vinciæ Comite, cujus uxor *Bertha* fuit filia *Lotharii*, Auſtra-
ſiæ Regis. In hiſce genealogiis lacunæ paſſim fictionibus
37. fuerunt expletæ. Ad certiora anniſus fuit *Leibnitius*, ex quo
munus Hiſtoriographi, a Sereniſſimis Ducibus impoſitum, ſuſce-
pit. Ipſe deprehendit, *Azonem II* ex Italia in Germaniam
veniſſe, natum patre *Azone I*, filio *Oberti II*, nepote *Oberti I*,
quem *Adelbertus* genuerat. *Adelberto* dabatur pater per conje-
cturam *Wido*. *Widonis*, Thuſciæ Marchionis, ſtemma recta
adſcendere, comprobatum fuit, ad *Bonifacium I* Comitem, Lu-
cæ potentem, tempora attingentem *Caroli Magni*. *Coſmus
de Arena* jam *Bonifacii I* ſtirpem per filium *Bonifacium II*,
hujus filium *Adelbertum I*, nepotem *Adelbertum II*, cujus filii
Wido & *Lambertus* celebrantur, deduxerat. *Leibnitius* ex
ejus fontibus ſitim reſtinxit. Id *Leibnitium* male habuit, quod
nullo luculento teſtimonio adduci potuit, ut *Widoni* filium
tribueret *Adelbertum III*. Credidit tamen, aſſumi id tantis-
per poſſe inſtar hypotheſeos ob argumenta probabilia haud
pauca. In Opere *Annalium*, quod Ill. *Scheidius* edere con-
45. ſtituit, *Leibnitius* meditate hypotheſin illam propoſuit. Ex-
aminat idem illam hypotheſin, & ea, quibus fulciri ſolet,
argumenta, limam adhibens & modeſte & acute, conten-
dens, *Widoni* filium haud fuiſſe, nec *Widonem* præter *Ma-
roziam* habuiſſe uxorem. Solide monet, in hiſtoricis argu-

mentis

Digitized by Google

mentis haud eſſe locum hypotheſibus, ſed teſtimoniis, quibus juſtum ineſt pondus. Inquirit deinde in eorum opinionem, qui *Azonem* Marchionem ex *Deſiderio*, Longobardorum Rege, deducunt. Monuit Vir Illuſtris, ut Autor conſuleret *Hie-* Pag. 52.
ronymi Biſſii Familiæ Vice-Comitum deſcriptionem, A. 1671, fol. evulgatam Mediolani. Conſuluit igitur Noſter *Biſſium*, probe eum perlegit, attente Diplomata, ibi obvia, conſuluit, ac tandem poſt lectionem *Chorographiæ Italiæ medii ævi*, quam 56.
eruditus orbis *Caſparo Berettæ*, Monacho Mediolanenſi Benedictino, debet, deprehendit clare ſatis, *Biſſium* fuiſſe impoſtorem, qui Regum & Imperatorum tabulas, dolo malo ex ingenio ſuo confictas, obtruſit orbi. Impoſtor ille fuit *Carolus Gallutius*, qui fraudum ſuarum pœnas publice luit, teſte *Muratorio P. I Antiqu. Eſtenſ. pag. 67*. Schema *Biſſianum* genealogicum Noſter ediſſerit, a *Beretta* exploſum *l. c. Sect. VI Art. 19*, & ex profeſſo obelis nunc confixum. Tum vero rationes promit, cur *Bonifacii I* genus 64.
& ſtemma ad *Widonem* usque negligendum ducat, licet in præſens meliora ſubſtituere, chartis tacentibus, haud valeat. Inquirit poſtea in nævos opinionis *Bucelini* atque *Hoffmanni*. Hic *Mathildis* Ducatricis origines ad *Hugonem*, Italiæ Re- 75.
gem, retulit. At falſo. Judicium Noſter rejicit *Joannis Georgii Eccardi*, ſtemma *Mathildis* cum genere *Azonis* con- 77.
jungentis, immo rati, progenitores *Azonis* Marchionis & *Welforum* antiquiſſimorum ex eodem ſtipite procreatos fuiſſe, 79.
utrumque autem ſtemma a Scyrorum Principibus dimanaſſe. Addit hæc Noſter: *Quæ pro hac opinione protulit Doctiſſimus Vir, quod pace manium ejus dictum volo, adeo jejuna ſunt atque frigida, ut, qui de univerſo ejus ædificio quam mitiſſime ſentire volunt, exclamare debeant:*

Pergula pictoris, veri nihil, omnia falſa.

Sibi perſuaſerat *Eccardus*, vir ingenii luxuriantis, *Bonifacium I*, a quo *Azonum* genealogiam cœperat *Leibnitius*, ex veteri *Welforum* ſtirpe fuiſſe prognatum. En ſeriem genealogicam *Eccardianam*. *Ethico*, Dux & Princeps Scyrorum, matre Hunnica natus, filio gaviſus eſt *Unolfo*, vel *Welfo*, Scy-

Digitized by Google

Pag. 81. rorum Duce, fratre *Odoacri*, Herulorum Regis, & Italiæ vi-
ctoris. Huic fuit filius *Oldogan*, h. e. *Wolfgangus*, quod
idem eſt ac *Welfo* natus, Peruſii præfectus. Ex hoc natus
fuit *Uligagus*, ſeu *Wolfgangus*, aut *Wolfhardus*, Dux Roma-
norum. Huic adjungitur filius *Caduinus*, *Catulus*, ſeu *Wel-
fus*, Miſſus regius ſub *Dagoberto* Rege. Huic tribuitur loco
filii *Welfus*, Comes Bajoariorum, *Bertaridi*, Regis Longo-
bardorum, amicus. Filius huic additur anonymus, Comes
Bajoariorum, ab *Alachi*, Duce Tridentino, impugnatus. Ano-
nymo aſſignatur filius unus & alter, *Adelbertus* & *Ruthar-
dus*, quorum ille fuit pater *Bonifacii I*, Comitis Lucenſis;
hic *Welfi* Comitis, cujus filiam *Juditham Carolus Magnus*
82. duxit uxorem. Hæc eſt illa genealogia *Eccardi*, cujus jam
Leibnitius in *Annalium imperii Brunſuicenſis* opere primas
conjectando duxerat lineas. Genealogiam illam, fundamen-
ti expertem, *Eccardus Comment. de rebus Franconiæ orienta-
lis & Epiſcopatus Wirciburgenſis T. II f. 225* reputat pro ope-
re, quod ipſe ſole meridiano clarius reddiderit. At ne dilu-
culum quidem ex genealogia illa apparet. Ei, cui dubium vi-
detur hoc judicium, fidem oculatam facit Ill. Autor, qui in
eo multus eſt, ut, enuntiata, quæ *Eccardus* finxit, & conje-
ctando ornavit, oſtendat, eſſe temeraria, nec fidei hiſtoricæ
congruentia. *Welfi* certe, ſi ex Herulis deſcendunt, Lappo-
85. nes ſunt, vel Finni. Ex *Odoacro Petrus Albinus* & *Caſpar
Abelius* deduxere ſtirpem Principum Anhaltinorum. Poſterior
horum addit, Regem *Odoacrum* Saxonem fuiſſe, & Roſen-
burgi haud procul a confluentibus Sala & Albi habitaſſe, ratus,
88. *Petrum Albinum* ad vetuſtos provocaſſe codices, quibus id
fuerit traditum. Profecto reliquiæ Herulorum, victo in Pan-
nonia Rege ſuo, avolarunt in Daniam, &, mari trajecto, in
Thylen, ac porro in terram, ubi pars incolarum erant Gauti,
ſeceſſerunt advenæ. Id legitur apud *Procopium de Bello Go-
thico II, 15.* Thyle ultra Daniam eſt quærenda ad ſeptentri-
ones. Reliquiæ eorum videntur in tractu Norwegico *Thel-
lemarck*, *Thulemarchia*, infra Bergas ad auſtrum, adhuc hæ-
rere. *Gauti* hoc loco ſunt Gothi Sueciæ occidentales. Num
itaque

Digitized by Google

itaque patria Herulorum inter Saxonas figi poteſt ulla cum ratione? In Dalekarliis potius, Lapponibus, ac Finnis, quærendi ſunt Heruli. Hi enim videntur dicti fuiſſe *Karli*, *gerli*, id eſt, viri fortes, heroes. Semojedis, Finnis, Lapponibus, Dalekarliis, eadem fere lingua eſt, quæ originem deſignat Scythiæ orientalis, ex qua Turci & Hunni olim, nec non Slavi, in Europam ſe infuderunt. Cimbri autem & Gothi fuerunt Celticæ originis. Herulos videtur *Helmoldus* colloPag. 90.
caſſe ad fluvium Havelam, *Chron. Slav. I*, 2. At nævus librarii huc invexit Herulos. In MSto legitur: *Sicut Hevili, vel Heveldi, qui ſunt juxta Havolam fluvium.* Ex *Hevili* enati fuerunt *Heruli.* Hæc ad Præfationem, ſeu Introductionem, Ill. Autoris dicta ſunto. Optandum ſane fuiſſet, ut ipſe elaborationes deceſſorum denuo ſub limam revocaſſet, & ea, quæ examen ſuſtinent, retinuiſſet, reliqua ab opere amoviſſet. At non deerunt publicæ rei homines, qui id arripient inſtituti, & viris parum nummatis per epitomen inde adornatam conſulent. *Widoni*, Thuſcorum Marchioni, nil prolis Ill. Autor adjunxit. An filios tribuat *Widoni Liutprandus III*, 15, *pag. 451 T. II P. I Murat.* ipſi relinquimus dijudicandum. Tum vero *Libri III Originum Guelficarum*, *Eccardi* opus, procedunt. *Libro primo* illa genealogia *Welforum*, ab *Ethicone*, Principe Scyrorum, deducta, exhibetur, in qua multum fictionis, parum veri, ineſt. Oculos paſcit tumulus *Otgerii* ac *Benedicti*, illuſtrium ſub *Carolo M.* heroum, poſtea Monachorum, qualis exſtat etiam nunc in baſilica S. *Faronis* 22.
apud Meldas. Numos *Atilæ* & Hunnorum, ab *Eccardo* conquiſitos, & æri inciſos, Ill. Editor exhibet ad *pag. 15.* Quinque ultimorum numorum expoſitionem exhibent hæc *Acta A. 1720 pag. 214 ſeq.* Editor offert lectori *J. G. Eccardi brevem de ſolo* 18.
natali Scyrorum Commentationem, ſomniis plenam. Tum 59.
vero *Libro primo* ſubjiciuntur probationes *Eccardianæ* qua- 103.
leſcunque. *Liber II* exhibet *Azonis II* genealogiam, qualem a *Bonifacio I*, Comite Luccenſi, *Leibnitius* & *Muratorius* dederant. Subjuncta eſt tabula genealogica. Sequuntur pro- 393.
bationes, Diplomata varia ſiſtentes. *Liber III* complectitur genea-

genealogiam ditiſſimæ *Mathildis*, cujus genus ad *Bonifacium* illum frivole revocavit *Eccardus*. Subjunctæ ſunt probationes, quibus tamen non conficitur, *Azonem* Parmenſem fuiſſe *Bonifacii II* natum. Qui Præfationem attente legit, facile in Opere ipſo notabit ſubinde Autoris primi, *Eccardi*, commenta, & ex monitis Editoris intelliget, quid diſtent æra lupinis. Errata tamen nonnulla *Eccardi*, vel potius ingenii ubertatem, mirabitur poſteritas attenta. Sæpius enim conjecturæ ejusmodi ſtraverunt viam ad nova, eaque vera, invenienda. Quid certum, quid probabile, ſit in genealogiis hiſce, quid prorſus commentitium, docet diſtincte Præfatio, quæ introductionis loco Operi ab Illuſtri Editore fuit præmiſſa, præterea multis egregiæ ſolidæque eruditionis ſpeciminibus ac monumentis referta. Gratulandum eſt laboribus *Leibnitii*, *Eccardi*, & *Gruberi*, tam feliciter in lucem ex abſtruſo & ſecuro angulo non ſolum enitentibus, ſed nova etiam luce colluſtratis. Opus ipſum nitore, diligentia, ſplendore figurarum, æri inciſarum, & præſtantia, quaquaverſus effulget.

Tomus ſecundus, Sereniſſimo Duci *Carolo*, terrarum gloriæ, Muſarum deliciis, pacis decori, Domino Principatus Wolferbuttelani Celſiſſimo, ab Ill. Editore conſecratus, ſplendorem & ornamenta, quæ in opus tantum congruunt, merito ſuo præfert. Præfatio, quæ introductionis vicem ſuſtinet, emendationibus, tenebrarum illuſtrationibus, eruditione multijuga, & doctrina hiſtorica, maxime in argumentis abſtruſis elucente, multo largiſſime abundat. Dabimus potiora Præfationis momenta. Dabimus deinde etiam operis ipſius ſummam, & præcipua ſequemur rerum faſtigia. *Welforum* genus, id enim docet Præfatio, ex *Juditha*, altera *Ludovici Pii* Imperatoris uxore, illiusque fratre *Conrado*, ex quo Reges prodierunt Burgundici, caput mirifice extulit. A Regibus Burgundicis transjuranis, quorum maſcula progenies per duo fere Secula floruit, originem trahunt, ex ſententia Ill. Editoris, Reges Gal-
Pag. 2. liarum ſerie non interrupta. Nam *Hugonis Capeti*, Regis Galliæ, pater fuit *Hugo Magnus*, Comes Pariſienſis, mater vero *Hathwigis*, filia Regis Germanorum, *Henrici Aucupis*. Hujus mater

Digitized by Google

mater fuit *Heilwig*, ſeu *Hathwigis*, *Ottoni*, Saxoniæ Duci, nupta, filia *Giſelæ* illius, quæ ex *Juditha* Welfica & *Ludovico Pio* nata, toro *Everhardi*, Ducis Forojulienſis, obtigerat. Ex *Welfis* & *Azonibus* Duces Brunſuico-Luneburgici, *Georgius II*, Rex Magnæ Britanniæ Auguſtiſſimus, & *Carolus*, Dux Sereniſſimus, quanta orbis decora! procreverunt. Deſcendit Ill. Editor ad expendendam *Ottonis* Friſingenſis fidem, qui *Lib. II Cap.27 Henricorum de Gueiblinga*, & *Guelforum de Altdorfio*, progeniem ad eandem ſtirpis originem retulit. Gueiblingenſes olim dicti fuerunt *Salici*, e quibus *Conradus II* Rex & Imperator imperium transmiſit ad filium, nepotem, & pronepotem, *Henrici* autem *IV* filia *Agneſa Friderici Barbaroſſæ* patrem accepit maritum. Antiquitas Salicorum Principum ad tempora *Caroli Magni* certe haud deduci poteſt. *Conradus II* enim patrem habuit *Henricum*, ſeu *Hezilonem*, Ducem Wormatienſem, avum *Ottonem*, Marchionem Veronenſem & Ducem Carentanorum, proavum *Conradum* Wormatienſem, Ducem Lotharingiorum, abavum denique *Werinherum*, ſeu *Wernerum*, qui circa annum 918 floruit. Ultra hunc *Wernerum* hactenus adſcendere haud licet, judice Ill. Editore. *Conradum*, Ducem Lotharingiorum, ex progenie *Conradi I* Regis exſtitiſſe, Chronographus Saxo docet. *Tolnerus Werinherium* pro *Conradi I* fratre habuit. Id vero Noſtro videtur incertum, & argumentis deſtitutum. Subſtituendus ſcilicet *Werinherio* ex opinione Ill. *Jo. Georgii Eſtoris* in *Originibus Juris publici Haſſiaci pag. 33*, ac *T. II & VII Analectorum Haſſiacorum Joann. Philippi Kuchenbeckeri*, eſt *Otto*, Heſſorum ductor, Wetteraviæ & Wormatiæ Comes, filius *Chuonradi* ſenioris, & frater *Chuonradi*, Regis Germaniæ, quem ſolemus appellare *primum*, atque *Eberhardi*. *Otto* enim ille, præfectus pagi Loganaegowe, fuit *Conradi I* Regis frater, teſte *Conradi* Diplomate ad A. 912 in *Schannati Traditionibus Fuldenſibus pag. 227*. Hac ratione pervenitur ad *Chuonradum* ſeniorem, *Glismodæ* maritum, qui vivere deſiit A. 906, in acie cadens. Hujus *Chuonradi* e filio *Ottone* nepos fuit *Chuonradus*, *Luidgardæ*, ex *Ottone Magno* natæ, maritus. *Ottonis* vero avia

Digitized by Google

ſuit *Hathwigis*, *Giſela* filia, neptis *Ludovici Pii* & *Juditha Welſicæ*. Hac ratione *Weiblingica* ſtirps antiquitatem & nobilitatem ſtirpis *Guelſicæ* æquat, prouti tradidit *Otto Friſingenſis*. Merito Ill. Editor *Werinherium* reputavit pro ficto *Conradi I* fratre, donec graviora afferantur argumenta. Id gratum erit lectoribus, Ill. Virum, *Welſi I* progenitores quærendi ſtudioſum, in eos incidiſſe. Monachus Weingartenſis ultra *Welſum I* haud proceſſit, eo quod ſubſidiis, hic illic latentibus, haud erat ita inſtructus, ut altius adſcendere valeret.
Pag. 6. *Welſi* pater fuit *Iſenbardus*, avus *Warinus*. Hic obiit A. 774, cui *Irmentrudem*, ſororem *Hildegardis*, *Carolo Magno* nuptæ, aſſignant vulgo. *Iſenbardo* videtur fuiſſe *Warinus* frater, qui *Ludovicum Pium* A. 806 & 808 in Hiſpaniam ſecutus eſt. *Ratpertus*, S. *Galli* Monachus, *Lib. I Cap. 2 Warinum Principis* nomine inſignivit. *Walafridus Strabo*, ſcriptor vitæ S. *Othmari*, *Cap.* 4, eum tantæ fuiſſe, dixit, potentiæ, ut *totius Alaman-*
8. *niæ curam cum Ruthardo adminiſtraverit*. Apud *Goldaſtum* exhibentur *T. II rer. Alemannic.* Diplomata, quæ *Warinum* Comitem præferunt. Eum ex proſapia regali S. *Godulfi* ſatum, *Coſmus della Rena* dixit, nullo munitus teſte. *Leibnitius* eum olim ad *Gunzonem*, Alemanniæ Ducem, perducere conatus fuit, nullis argumentis inſtructus. Univerſale Lexicon Lipſienſe, cujus, noſtro judicio, nulla, de quacunque de-
10. mum re quæratur, eſt autoritas, *Warini* patrem vocat *Eberhardum* Ducem. At nec Dux, ſed Comes, fuit *Eberhardus*, nec *Warini* pater. Diſcat igitur hoc exemplo Ill. Editor, ne dignum quidem eſſe, quod evolvatur, illud Lexicon, nedum tantus ei tribuendus honor ſit, ut in Opere tam nobili & illuſtri, quale hoc eſt, inter ſummi nominis Hiſtoricos locum accipiat, aut no-
12. minetur ſaltem. Omittimus progenitores *Eberhardi*, a *Bucelino*
15. *Vignierio*, *Eccardo*, *Calmeto*, & *Herrgotto*, exquiſitos ſolicite. Noſter *Warino* dat patrem *Warinum* Comitem, a *Carolo Martello* Ducem Alemanniæ conſtitutum, & huic *Warino* tribuit *Wegenlenzonem* Comitem, ſiſtens locum *Freberi*, in *Orig. Palat. pag.* 48 obvium, nova εὐστοχία reſtitutum ſuæ luci. *Welſi I* genus ita conſtituendum eſſe, docet idem:

Wegen-

Digitized by Google

Wegenlenzo Comes

Warinus I Comes, a *Carolo Martello* Dux Alemanniæ conſtitutus, clar. circa A. 727, † ante A. 745.

- *Warinus II*, Miſſus regius in Alemannia, perſecutor S. *Othmari*, † A. 774. Uxor *Frideruna*.
  - *Iſenbardus* Comes. Uxor *Irmintruda*.
    - *Welfus*, Comes Altdorfii, pater *Judithæ* Imperatricis, ſator *Welforum* omnium.
  - *Warinus III.* Placitum habuit A. 794.
    - *Iſenbardus* clar. A. 806 - 853.
- *Rudbartus*, Miſſus regius in Alemannia, conditor Cœnobii Arnolfesaugia A. 756. Uxor *Hirminſynda*.

Comites, *Bertholdum* & *Erchingerum*, *Ekkehardus* junior *eodem genere Warini & Rudharti natos* dixit. Videntur ipſi fuiſſe filii *Erchangarii* Comitis, & ad *Rudhartum*, at quo lare medio? referendi. At ſepoſuit tantisper hanc diſquiſitionem Ill. Editor, ac novam in Viri Illuſtris, *Joh. Dan. Olenſchlageri*, *Diſquiſitionem de vera origine Ducis Athici ab Archinoaldo, Majore Domus*, quam hic Diario coronationis Auguſtiſſimi Imperatoris *Franciſci* loco Præfationis præmiſit, inſtituit diſſertationem conciſam. Laudandus tamen eorum eſt conatus, qui ad ſtipitem communem familiarum, Auſtriacæ, Guelficæ, & Lotharingicæ, curas ſuas conferunt, poſt *Vignierium*, *Bucelinum*, *Eccardum*, alios. Uni enim quod non ſucceſſit feliciter, alteri fortaſſis præter opinionem felicius eveniet. Poſſunt tamen haud unæ dubitationes in tabulam *Welfi* genealogicam, ab Ill. Editore adornatam, conjici. Has vero diſ- Pag. 17.
ſolvit, promittens, ſe *Eccardi* libellum *de Stemmate Gibellino* producturum eſſe ex carcere. *Welfum Eccardus* retulit ad *Rudhartum*, non ad *Warinum*. Horum enim utrumque putavit ſeparatæ familiæ fuiſſe autorem. Id teli, quod Ill. *Scheidium* ex ſilentio Monachi Weingartenſis videtur pre-

Digitized by Google

Pag. 21. mere, ſatis eſt imbelle ac facile amovendum, licet nec ultra *Welſum*, ob ſilentium illius Monachi, Cel. *Joannes David Kœhlerus* progredi voluerit. Nam ſilentium Monachi non tollit, nec falſa pronuntiat illa, quæ aliunde comprobari poſſunt. Siluit enim idem de *Conrado* & *Rudolpho*, *Juditha* Imperatricis fratribus. Admiſcuit genealogiæ *Welforum* nonnihil errati, quemadmodum id ipſe *Kœhlerus* in *Proluſione Academica de fide & autoritate Monachi Weingartenſis in generis Welſici Auguſtiſſimi vetuſtate & dignitate* haud diſſimulavit. En tamen Ill. Editoris in *Kœhlerum* pietatem, ita
23. expreſſam: *Ego quidem ut candide dicam, ſi quis hodie in Germania vivit Hiſtoricus, cui honoris & obſervantiæ gratia libenter aſſurgo, is Dominus Kœhlerus eſt, utpote quo praeceptore olim Altdorffii uſus ſum, & quem tanquam præcipuum non Germaniæ tantum, ſed totius orbis literati, decus atque ornamentum ſumma animi pietate atque religione, dum vivam,*
25. *in oculis feram.* Hiſce interjectis, quærit Ill. *Scheidius*, an *Hugo Capetus*, ejusque poſteri, Galliarum adhuc Reges, ad Guelficum genus ſint referendi. *Chiffletius* ad quæſtionem reſpondit ajens; *Eccardus* vero negans: ille in *Vindiciis Hiſpanicis*, hic in *T. II rer. Francic.* & *Epiſcop. Wurceburg. Lib. XXVIII §. 263.* Ut vero Noſter nervum rei deprehendat, & cauſæ invadat arcem, penſitat verba *Chronici S. Benigni Divio-*
27. *nenſis*, quod legitur apud *Lucam d' Achery* in *Spicilegio T. II p. 377* editionis recentiſſimæ. Eruditis non convenit de expoſitione horum, quæ ibi leguntur, verborum: *Supererant duo filii Roberti, Andegavorum Comitis, fratres Hugonis Abbatis. Senior Odo dicebatur; Robertus alter, patrem nomine referens. Gendraus* legendum cenſet *fratres*, non *fratris*. Ill. *Bouchetius* ad quinque Codices manuſcriptos provocat, in quibus legatur *fratres*. In Chronico Beſuenſi MSto ſigla potius occurrit *frs*, quæ modo denotat vocem *fratres*, modo *fratris*. Lis igitur, in hunc locum deſinens, definiri poterit nunquam, niſi aliæ proferantur rationes. Præterea verba illa, *frs Hugonis Abbatis* videntur fuiſſe gloſſema, & ex margine in contextum translata. Nam Chronici Divionenſis Autor hoc loco

loco ſecutus eſt narrationem & verba illius, qui dicitur *Ai-*
moini Continuator, *Lib. V de Geſtis Francorum Cap. 42*, ubi illa
verba *frs Hugonis Abbatis* haud leguntur. Uterque vero
Scriptorem vetuſtiorem transſcripſit. In *Geſtis Francorum*,
teſte *Ivone Carnotenſi Ep. 189*, ita lectum fuit: *Supererant*
duo filii Roberti, Comitis Andegavorum, qui fuit Saxonici
generis vir; ex his ſenior Odo dicebatur, Robertus alter. Da-
vid Blondellus, qui *Chiffletio* contrarium tenere ſolebat, legit
in Chronico Divionenſi *fratres*, & ad *Albericum*, mire aber-
rantem a janua in definiendo genere *Roberti Fortis*, provo-
cat, ratus, *Adelheidem*, *Ludovici Pii* filiam, nuptam fuiſſe Pag. 30.
Conrado ſeniori, *Judithæ* Imperatricis fratri, &, hoc mortuo,
nupſiſſe *Roberto Forti*. At ipſa *Adelheidis* nec *Ludovici Pii*
filia, nec *Roberti Fortis* fuit uxor. Id Ill. *Scheidius* contra
Blondellum & *Bouchetium*, ſententiam hanc negantes, facile
extra aleam dubitationis ponit. Nam *Conradus*, *Judithæ*
frater, obiit A. 863. *Ermengardis*, prior *Ludovici Pii* uxor,
diem ſuum clauſit A. 818. *Juditha* itaque anno demum
819 a *Ludovico Pio* ducta fuit. *Robertus Fortis* A. 864;
ni 866, 867, a Normannis cæſus, occubuit. *Conradus*, frater
Judithæ, A. 830 tonſus in monaſterium detruſus fuit. At
A. 830 ficta *Adelheida* fuit undecim fere annos nata, ſi fuit
ex primis nata. Provectior juſto fuiſſet *Adelheida* ficta, quam
ut *Roberto* potuiſſet nubere, ſi vellemus eam nuptiis ſecun-
dis ſociare. Alia ex alia naſcitur quæſtio. Quæritur, quo 35.
jure *Robertus* dictus fuerit *Saxonicæ nobilitatis*, & *generis Saxo-*
nici. Hoc enim genus, opinamur ex avia, ei tribuerunt
Aimoinus Floriacenſis Lib. II de miracul. S. Benedicti Cap. 1, Con-
tinuator *Aimoini V, 42*, *Ivo Carnotenſis Ep. 189*, Anonymus,
qui *de geſtis Ludovici VIII* ſcripſit, *Nangius*, *Albericus* ad A.
988, aliique. *Robertus Fortis*, Comes Pariſienſis, Noſtro di-
citur fuiſſe filius *Conradi* ſenioris, Comitis Pariſienſis, *Judithæ*
fratris. *Conradi* & *Judithæ* mater erat *Helwigis*, Saxonici ge-
neris. Genus hoc indicavit *Theganus*. Matris nomen ha-
betur apud Autorem Anonymum *Hiſtoriæ translationis Bathil-*
dis reginæ § II pag 747 T. II Januar. Actor. SS. ad d. 26, &

apud *Mabillonium Sec. IV Benedict. P. I pag. 450.* Hactenus bene. Pergit Ill. Vir ita de *Hathwiga: Hæc ipſa Helwichis, Brunonis, Principis Angariæ, filia, Cobbonis, e proceribus Saxonicis, neptis fuit.* Nobis liceat tabulam effingere, ſiquidem ea, quam Autor dedit, eſt *Eccardi*, ab *Eccardo* autem poſtea in editis ad *Hathumodam* ſcriptis *Agii* emendata. En illam, cum tabula, *pag. 13* allata *Tom. II Lib. IV Cap. 2 §. 6*, ſatis concordantem, licet copioſiorem:

Cobbo, ex conjectura.

Bruno, Angariæ Princeps. Ux. *Geva*, *Witichindi* herois filia, mater *Helwichis*.

Ecbertus. Ux. *Ida*.
Billungus. Ux. *Æda*, ſeu *Attala*, *Caroli Magni* filia.
Helwichis, ux. *Welfi I*, ex ſanguine Saxonico nobili.

Oda Comitiſſa, ex regio genere.
Ludolfus, Dux Saxon. Or. + 875. Ux. *Oda*.
Cobbo.
Warinus.

Otto, Dux Sax.
Henricus, *Auceps*.

Juditha, Imperatrix.
Conradus Senior, Comes Pariſ. Ux. *Adelheida*, filia C. Alſat.
Robertus Fortis, Comes Pariſ.

Autor hæc ad *Tomum III* diſtincte eviſcerabit.

Pag. 39. Malam fidem *Blondelli* & *Bouchetii*, in hoc argumento genealogico verſatam, exemplis quibusdam Vir Ill. demonſtravit. Succincte indicant difficultates, quæ *Blondelli* ſententiam premunt, at in ea, quam ipſe amplectitur, prorſus evaneſcunt.

neſcunt. Curas criticas transtulit ad *Hildegardam*, *Luitbergam*, vel *Engilbergam*, Reginam, quam ad genus Guelficum nonnulli referunt. *Hildegardam Eccardus*, ejusque doctiſſimus Cenſor, *Gruberus*, prætermiſerunt. Eam tamen familiæ Auguſtæ Guelficæ inſerendam eſſe, jubet autoritas *Conradi*, Abbatis Urſpergenſis. Licet enim hic fere ubique Monachum Weingartenſem exſcripſerit; tot tamen vetuſta hujus Monachi ſuperſunt exemplaria, quorum nullum cum altero quocunque prorſus conſentit, ut videatur *Conradus* apographo uſus fuiſſe, a noſtris exemplaribus paſſim diſcrepante. Lacunas ſingulas Monachi ſanabit & explebit nemo, præterquam qui multa ejus exemplaria vetuſta inter ſe contenderit. *Conradus Hiltegardam Henrici*, ex *Etichone* nati, ſtatuit ſororem, *nuptam Ludovico Imperatori*. *Scævola* & *Ludovicus Sammarthani*, fratres, *Mezerajus*, & alii nonnulli, tribuunt *Ludovico II* Imperatori, *Lotharii* filio, uxorem *Engelbergam*, filiam *Ethiconis* Guelfi. At pronuntiatum hoc Autori Præfationis videtur ſuſpectum. *Habnius* id genus, ex quo *Engelberga* procrevit, prorſus prætermiſit. *Ludovici II Germanici*, ex *Ludovico Germanico* nati, uxorem *Luitgardam Aventinus*, *Cruſius*, aliique, ad progeniem *Guelficam* referunt. Norunt tamen omnes facile, illam *Luitgardam Ludolfi*, Ducis Saxonum Orientalium, fuiſſe filiam. Eisdem cum obſcuritatibus colluctatur memoria *Adalberonis*, Corbejenſium Abbatis, nec non *Petronellæ*, uxoris *Tortulfi*, vel *Tortulli*, ni *Ordulphi*, Andegavorum Conſulis. Incertum eſt, an hi ad *Guelficum* pertineant ſtemma. Annaliſta Saxo ſolus *Adalberonem* huc retulit. Ceteri ſcriptores ſilent. *Schatenius*, qui Corbejenſium monumenta literaria diligenter verſavit, *Volcmaro*, A. 1138 defuncto, mox ſubſtituit *Henricum I pag. 751*, fratrem *Sigfridi*, Marchionis. Hunc excepiſſe ſtatim *Wicboldum*, ex ſtirpe Dominorum *de Prato*, Leodii natum, ſignificat. *Adalberonis* nullum exſtat Diploma. Quid ex *Falkii* Hiſtoria Corbejenſi, ejusque Traditionibus Corbejenſibus, ad has tenebras diſpellendas jure ſperari poſſit; tempus, magiſter optimus, docebit. In *Hiſtoria Corbejenſis diplomatica*, quam is

Pag. 43.

45.

is edidit, *delineatione* multum reſidet noctis incertæ, quam Diplomata Corbejenſia, ſecus ſentientis, paſſim diſpellunt, & ita diſpellunt, ut emendationi ſit locus relinquendus. *Petronillam* fuiſſe *Juditha* ex *Conrado* ſeniore, Comite Pariſienſi, fratre, neptem, crediderunt *Blondellus*, *Bouchet*, *Eccardus*.
Pag. 48. At ſunt Chronica, quæ, *Petronillam*, teſtantur, fuiſſe filiam *Hugonis Magni*, Abbatis B. *Martini Turonenſis*. De numismatibus, *Tomo* huic *II* paſſim ſtudio *Eccardi* inſertis, Autor haud admodum magnifice ſentit, ita judicans: *Cum non ſatis nos ab iis inſtructos eſſe præſidiis agnoſcamus, quæ in arbitrandis numorum medii ævi ænigmatibus perneceſſaria ſunt, (ubi haud raro omne artificium a conjecturandi ſtudio, merisque ingenii luſibus, pendet,) ſuus per nos cuiqus ſenſus, ſuum judicium ſalvum eſto. Oedipo enim in plurimis opus eſſe, ii mecum fatebuntur, qui v. g. oculos conjecerint in numum Conradi Anti-Cæſaris, quem Dn. Eccardus Lib. VI Cap. 4 §. 18 exhibet.* Perigraphen numi legerat *Eccardus* ad Leinam ita: CVNRAD SVEVIÆ DUX. At in agro Herbipolitano eam
49. poſthæc ita legit: SANCTVS SIMON ET IVDAS. Longe præſtantior eſt expoſitio, qua Cel. *Kæhlerus* ſolidum *Henrici Ducis*, Reginæ, ſeu Ratisbonæ, percuſſum, illuſtravit. Ex ea hoc loco compendium cum lectore communicavit Ill.
51. *Scheidius*. Idem inſeruit *Probationibus* ad *Librum VI n. 13 pag. 431-452* diffuſam *de pœnitentia Welfonis Ducis*, ſic enim vetus habet inſcriptio, hiſtoriam, ſeu potius fabulam, quam olim ex Monaſterio Tegernſeenſi ſecum communicatam accepit *Leibnitius*, nec dignam exiſtimavit, quam Originibus Guelficis inſerendam curaret. Narratio tota eſt jejuna & ſterilis, dictio prorſus barbara & inepta, res ipſa ficta, fabulisque obſita, quarum fabularum illa haud eſt minima, quæ dictitat, Epiſcopum Auguſtanum a *Welfo* Duce fuiſſe data opera interemtum. Emicat tamen ex illa fabula, ex carmine Teutonico indubie fabricata, ſtatus rerum, qui tempore, quo illud fuit compoſitum, in Germania obtinuit. Solebant Poetæ Teutonici ad Seculum usque XVI miracula ſtupenda, multasque ſuperſtitionis quisquilias, ut heroem ſuum ornarent, carmi-

Digitized by Google

carminibus ſuis fabuloſis inſerere. Hujus generis ac cenſus eſt *hiſtoria de Duce Rheinfrido Brunſuicenſi*, Seculo XIII, aut XIV, a phonaſco Teutonico per modum fictionis concinnata. Recenſet Ill. *Scheidius* fictionis argumentum, cui jam immorari haud licet. Pag. 53. Codex manuſcriptus exſtat in ſplendidiſſima Bibliotheca Gothana. Sed ad rem ipſam tandem eſt progrediendum. *Tomus* Originum Guelficarum *ſecundus Librum IV, V, & VI*, complectitur. *Quarto* exponitur *Capitibus octo* de *Welfis* Alemanniæ & Bavariæ. Deflectit tamen Tom. II tractatio haud ita multo poſt initium ad *Welfos*, Burgundiæ pag. 6. imperantes, reliquis *Welfis* ſepoſitis tantisper. A *Rudharto*, Miſſo regio in Alemannia, quem *Eccardus* pro *Welforum* priorum conditore habuit, primordia capiuntur. Ei filius 11. tribuitur *Welfus*, pater *Juditha* Imperatricis. De *Juditha*, *Etichone*, *Conrado*, & *Rudolpho*, liberis *Welfi*, diſſeritur æque 15. ac de *Conrado II*, ceterisque *Conradi I* liberis. Curate exhibentur geſta *Rudolphi I*, Burgundiæ Transjuranæ Regis, cetero- 28. rumque *Conradi II* liberorum. De *Rudolpho II*, Burgundiæ 36. & Italiæ Rege, ſuſcipitur tractatio. Tum oratio ſe convertit ad *Rudolphum II*, Burgundiæ & Italiæ Regem, ad ejus ſorores & fratres. Poſtea in cenſum veniunt *Conradus*, Bur- 45. gundiæ Rex, ceterique *Rudolphi II* liberi. Tandem *Capite poſtremo* de *Rudolpho III*, ultimo Burgundiæ Rege, ejusque ſoro- 52. ribus, diligenter exponitur. Agmen claudit tabula genealogica horum Regum & Principum, inde a *Rudharto*, Miſſo Regio, 64. usque ad annum *Rudolphi III* emortualem 1032. Mallemus, *Rudhartum* ab hac ſerie reſecuiſſet *Eccardus*. *Welfum* fuiſſe *Wulfhardum Eccardi*, pauci, ut credant, a ſeſe impetrabunt. De diagrammate *Wipponis* Salico ac Carolingico diſſeruit *Eccardus pag. 25*. Aliam ejus extricandi rationem Ill. *Scheidius* in *Præf. §. 12 pag. 35* iniit. *Petronellam*, de qua ſupra diximus, *Conradi I* filiam fuiſſe, nemo dabit *Eccardo*, licet in eo momento genealogico fuerit multus. Subjunguntur *Libro* 34. *IV* loco probationum *Chartæ 92*, ex monumentis rariſſimis ampliſſimisque huc traductæ. *Libro V* enarrantur *Welfi*, qui per Sueviam & Bavariam effulſerunt. Fit initium ab *Etichone*,

Digitized by Google

Pag. 192. *chone*, *Welfi I* filio, fratre *Juditha* Imperatricis. Perſequitur tractatio *Welfi II* geſta, qui erat *Etichonis* filius. Ad *Etichonem* juniorem, *Welfi II* filium, ejusque fratrem *Wolonem*, S. *Galli* Monachum, ſtudium ſcriptoris deinde ſe convertit. Differitur de *Henrico*, dicto *cum aureo curru*, *Etichonis* junioris filio. Tum de S. *Conrado*, Conſtantienſi Epi-
213. ſcopo, *Rudolpho* & *Welfo*, filiis *Henrici*, exponitur. Deflectit oratio ad *Welſum* Comitem & *Etichonem*, Epiſcopum Auguſtanum, filios *Rudolphi*. Memorantur *Rudolphus II*, *Itæ* maritus, *Welfi* filius, hujusque frater *Eticho*. Expenduntur res *Henrici*, *Welfi*, & *Richardæ*, *Rudolphi II* liberorum. Ultimum, idque *octavum*, *Caput* inſcriptum eſt de *Welfo*, filio *Welfi*, inferioris Bavariæ, ſeu Carinthiæ, Duce, ejusque ſorore *Cunigunda*, *Azoni* Marchioni nupta. Inſertum apparet huic
229. libro Diploma *Ottonis*, Ducis Bavariæ, A. 1235 monaſterio Cubacenſi datum, accurato ſigillo inſtructum, & præclara arte æri inciſum. Adjicitur tabula genealogica, & ampla ſane probationum copia. Nonnunquam addidit annotationes ſuas B. *Gruberus*. Procedit tandem *Liber VI*, quo *Guelforum* poſteriorum, Bavariæ nimirum & Saxoniæ Ducum, ab *Azone*,
264. Marchione Liguriæ, ortorum, ſucceſſio continetur. Habes hic, Lector, *Capita quatuor*. *Primo* ſcenam aperit *Welſus*, *Azonis* illius & *Cunegundis* Guelficæ filius, Dux Bavariæ, cum ſorore *Athelaſia*. *Secundo* agitur de *Azonis* Marchionis & *Garſendis* Cenomanicæ liberis, *Fulcone* inprimis, a quo Sereniſſimi Ferrariæ & Mutinæ Duces, quorum tabula genealogica ſubjicitur, deſcendunt. *Tertio* exponitur de *Welfi I* libris, *Welfo II*, Bavariæ & Spoleti Duce, Tuſciæ Marchione, inclytæ *Mathildis* marito, & de *Henrico Nigro*, itidem Bavariæ Duce. *Capite quarto* differitur de *Henrici Nigri* filiis, *Conrado*, Monacho Ciſtercienſi, *Henrico Magnanimo*, Bavariæ & Saxoniæ Duce, & *Welfo III*, Spoletano Duce, Marchione Tuſciæ, Principe Sardiniæ, eorumque ſororibus. Figuræ paſſim inſeruntur æri inciſæ. In promtu enim ibi ſunt effi-
333. gies *Welfi IV*, Ducis Noricorum, *Henrici Nigri*, S. *Blaſii* Brunſuicenſis, & *Gertrudis* Marchioniſſæ donum reliquiarium,

rium, Tabulis II expreſſum, nec non ejusdem arcula, tumba *Lotharii* Imperatoris, quam tamen in exemplari noſtri haud deprehendimus, tabula, *Lotharii* mortem indicans, plumbea, & alia monumenta, in Monaſterio Regiolotharienſi conſpicua. Accedit hiſce monumentis *Henrici*, vulgo dicti *Superbi*, Ducis Bavariæ & Saxoniæ, effigies. De *Henrico Leone* non Pag. 380.
pauca hic leguntur. A *Lothario* Imperatore profecta confirmatio monaſterii S. *Mariæ*, nunc S. *Ægidii*, Brunſuicenſis ad A. 1134 ibi legitur Germanice. Latina vero eadem ad normam avtographi eſt æri inciſa, ſigillo tamen paululum 517.
violato per temporis injuriam. *Lotharii* & *Richenzæ* Imperatricis chartæ ibi leguntur haud unæ. *Petri Diaconi*, Caſi- 540.
nenſis Monachi, conſolatio ad *Richenzam* Imperatricem, de obitu *Lotharii*, expendi eſt digna. Pauca exhibentur ex avtographis; ex editis pleraque ſunt huc translata. Ex *Wiboldi*, Abbatis Corbejenſis, *Codice epiſtolari*, quem *Tomus II* Collectionis ampliſſimæ, a *Martenio* & *Durando* adornatæ, complectitur, paſſim egregia monumenta ſunt depromta, & huc inſerta. *Muratorii Antiquitates* dapibus ſuis lectores paſcunt, ne quid de aliis ſplendidiſſimis pretioſiſſimisque operibus moneamus, ex quibus hæc corona ornamentis fuit ditata. Quid ſupereſt, niſi ut avidis calentiſſimisque votis continuationem *Originum*, ne *Brunoniana* & *Billungana* monumenta deſiderentur, expetamus. Adſpiret modo ſupremus rerum arbiter Illuſtri Editori gratiam, incolumitatem ſpei noſtræ reſpondentem, & favorem eorum, ſine quibus hunc oceanum emetiri haud licet.

HISTOIRE DES REVOLUTIONS DE L' EMpire des Arabes &c.

hoc eſt,

HISTORIA MINORUM ET SINGULARIUM DYnaſtiarum, quæ variis temporibus variæ inter Arabes, & in univerſum Muhamedanos, emerſerunt; Autore MARIGNIO.

Tomi II.

Qu 2 Pariſiis,

Pariſiis, 1750, 12 maj.
Alph. 2.

Marignius argumentum, in illo libro, quem *Hiſtoriam Chalipharum* inſcripſit, & de quo nuper expoſuimus, inchoatum, in hoc perſequitur. Obtinebant Chaliphæ olim in Oriente locum illum, quem in his Europæis terris partim Imperatores, partim Papæ, obtinent. Initio dominabantur ſoli integra cum poteſtate toti nomini Muhammedano. Proceſſu temporis autem, decreſcente majeſtate, decidebant eo contemtus & anguſtiarum, ut, Bagdado ſua concluſi, nihil alibi, niſi forte in rebus ſacris, valerent, ſurgentibus paſſim regulis, & provincias eorum lacerantibus. Horum regulorum hiſtoriam hoc gemino *Volumine* perſequitur *Marignius*, eodem, quo cœperat, filo, ſed non omnium. Multos enim, ex parte quoque ſatis illuſtres, præteriit, ſtudio, an ignoratione, ipſe optime norit; quosdam etiam *Volumini tertio*, propediem ſecuturo, reſervavit; qui forte Maurorum per Africam & Hiſpaniam erunt reguli. Familiæ autem principes, quarum fata *Libris* his *duobus*, quos manibus tractamus, enarravit, hæ ſunt: 1) *Thaberidæ*, qui per Choraſanam, Tranſoxanam, & Parthiam, ab A. C. 811 ad 872 imperarunt; 2) *Saffaridæ* in Segeſtana & Choraſana ab A. 862 ad 917; 3) *Samanidæ* in Choraſana & Tranſoxana ab A. 819 ad 999; 4) *Iſmaelitæ*, non illi, qui plerumque eo nomine citari ſolent, alias quoque Aſſaſſini dicti: de illis enim deinceps ſermo fit; ſed alias frequentius Pathemitæ, aut Chaliphæ Ægyptii, dicti, qui primum Africæ occidentali & ad mare mediterraneum porrectæ, Siciliæque & Sardiniæ, nec non maritimis Italiæ, deinde vero Ægypto, dominabantur, ab A. 909 ad 1171; 5) *Bujidæ* in Babylonia, Perſide, Parthia, & Meſopotamia, ab A. 931 ad 1055; 6) *Gaznevidæ*, in Gaznah, Gor, & India, ab A. 997 ad 1160; 7) *Selgiukidæ*, a mari Perſico & Caſpio inde usque ad Syriacum vaſti tractus domini, Chalipharum Bagdadicorum Majores domus, ab A. 1055 ad 1193; 8) *Selgiukidarum* illa familia, quæ in Romania, ſeu Aſia minore, & in

in Syria apud Halebum & Damaſcum obtinebat ab A. 1081 ad 1297 ferme. In his orditur *Volumen ſecundum.* 9) *Iſmaelitæ* proprie ſic dicti, Scriptoribus paſſagiorum, aut cruciatarum, *vetuli de montana* dicti, latrones in monte Libano, Chriſtianis æque atque Muhammedanis infeſti; 10) *Chorezimſchabi*, domini Chorezmiæ & Choraſanæ, ab A. 1096 ad 1231; 11) *Atabeki* Meſopotamiæ & Syriæ ab A. 1087 ad 1232; 12) *Goridæ*, in Gor, Gaznah, & India, ab A. 1150 ad 1204; 13) *Ejubidæ* in Syria, & Ægypto, partim quoque Meſopotamia, ab A. 1160 ad 1250, partim quoque ad 1259 & 1290; 14) *Caracbathai* apud Samarkandam, Seculo duodecimo, gens nonnihil obſcura; 15) *Mamluki* in Ægypto ab A. 1251 ad 1517; 16) *Mothafferidæ* in Perſide ab A. 1332 ad 1393; 17) *Sarbedarii* apud Sebzewaram, ab A. 1336 ad 1386; 18) tandem *Cort Gorici* in Gor & Choraſan ab A. 1246 ad 1383.

Sunt his in familiis, quæ commode negligi potuerant; deſunt viciſſim, quibus Hiſtoria ægre caret. E. c. nihil memorat Autor de regulis Arabiæ felicis, qui ſucceſſive *Zejadidæ*, *Nagiahidæ*, *Salihidæ*, *Raſulidæ*, *Thaheridæ*, *Zeididæ*, & alii, fuerunt; nihil de regulis Thabareſtanæ, ſeu Hyrcaniæ, Zejjaridis & Alidis; nihil de *Bani Thabatheba*, dominis *alCufæ*, de Scheriſis Meccæ atque Medinæ, Oheiſaridis, Haſchemidis, Catadahidis, &c. nihil de Eliaſidis in Kermana, de Hamdanidis in Meſopotamia & Syria, quos Hiſtoria Byzantina Ἀποχαμδάν, vel Ἀποχαβδάν, appellat, eorumque ſucceſſoribus Okailidis, & Mardaſidis & Marwanidis; nihil de Kelabidis in Sicilia, de Aſaditis, Emiris Arabum planorum in Chaldæa, de Taniſmanis apud Siwas, ſeu in Armenia minore, quos neque Hiſtoria Byzantina ignorat, de Ortokidis apud Halebum & in Meſopotamia, de Togtekinidis, vel Doldequini nepotibus, (ut Scriptoribus cruciatarum efferre placuit,) apud Damaſcum, de Ildigizidis in Adzerbaigiana, de Salgaridis in Perſide & Kermana, de regulis Aſiæ minoris, de quibus *Laonicus Chalcondylas*, aliique declinantis imperii Conſtantinopolitani Scriptores multi, multa perhibent, ut ſunt Dulgaderoglii, Aidinoglii, Menteſoglii, Iſpendiaroglii, e quorum ruinis imperium Otto-

Digitized by Google

manicum ſuccrevit; de tota gente, numeroſa profecto & late regnante, *Genkizchani*, nihil; nihil de *Timuro*, ejusque gente, quæ hodie ſub grandis Mogoli nomine in India regnat, memorat; nihil de *Cara cojünli*, ſeu *Mauroprobatidis*, nihil de *Accojunli*, ſeu *Aſproprobatidis*, nihil de *Sophiis* Perſiæ. Horum plurimos niſi in reliqua *Volumina* hujus Operis immittat *Marignius*, multum perfectionis argumento deerit, quod tractandum ſuſcepit.

Modus narrandi, quo uſus fuit, hic eſt, ut unicuique *Capiti*, quorum ut modo vidimus, *octodecim* numero ſunt, ſummaria, quæ appellant, ſeu indices argumentorum, præfigat, deinde breviter ipſos Principes eo ordine recenſeat, quo ſeſe vivendo regnandoque exceperunt, eorumque res geſtas & facta perſtringat; denique paulo fuſius eadem enarret. Quo fit, ut ſæpius eadem absque neceſſitate & fructu iterarentur. Macilentus in plurimis & ſtrictus ibi exundat, & colores eloquentiæ conſumit omnes, ubi animum indolemque viri alicujus pingendam nactus eſt. Res nempe geſtæ lectione & aſſiduitate comparandæ ſunt; characterum colores ingenium fœcundum ultro & absque labore ſuggerit. Quid facilius, quam, minima data arreptave anſa, ſi quis rerum geſtarum ſcriptoribus pius & juſtus audiat, amplam omnibusque numeris perfectam talis viri imaginem exhibere? Quod *Marignius* in *Nuroddino*, & *Saladino*, fecit. Atqui, pro arbitrio fingere & refingere homines, Poetarum eſt; Hiſtoricorum autem, tales referre, quales fuerunt, neque judicium de cujusquam moribus ferre, niſi cujus actiones omnes ſcripto conſignatæ, cum Hiſtoricorum teſtimonio, virtutem hanc illamve, aut vitium, prodant. Pravum *Marignii* guſtum, nugarum & ridiculorum amantem leporum, id quoque demonſtrat, quod fabellas omnes, ex *Herbeloto* verbo tenus transſcriptas, recoquit, quæ Pandectas quidem decent, (ita enim merito Bibliothecam illam orientalem appelles,) at minime decent profeſſum gravem fidamque Hiſtoriam. Numeros annorum, nominaque virorum & locorum, & res geſtas, flagitat & promittit Hiſtoria; lepida & ſcurrilia alio pertinent.

Quid

Digitized by Google

Quid ergo ſtatuendum de Hiſtorico, qui neque locorum ſitus, neque gentium affinitates & ſeries genealogicas, neque temporum rationes, tenet, contradictionibus ſeſe implicat, libros non conſulit, in promtu poſitos, & ſermone eruditis familiari conceptos, qualis eſt Latina interpretatio dynaſtiarum *Abulpharagii*, Geſta Dei per Francos, Vita *Ludovici Sancti*, alii. Negari nequit, Abbatem hunc, animi levitate actum, ſuſcepiſſe opus viribus ſuis majus, lectori parum utile, famæ ſuæ noxium. Judicii noſtri æquitatem quævis pagina demonſtrat. Nos tamen, ne nimii ſimus, *Capitum* ſolummodo quorundam inſtituto examine, veritatem ſententiæ noſtræ adſtruemus. Et de *primo* quidem *Volumine* primas quatuor Dynaſtias, de *ſecundo* autem decimam, & ſecundam atque decimam, perſtringemus.

Tomo igitur *primo pag.* 4 omittit *Abdallam* e gente Thaheridarum, totius illius gentis facile principem & celeberrimum, ea uſus excuſatione, nihil ejus præter nudum nomen in annalibus reperiri. Modis iisdem alios quoque celebres viros excipit, nemini, præter ipſum ſolum, ignotos. *Pag.* 15 *Derhamum*, profeſſum latronem, principem facit, eique ditionem attribuit. *Pag.* 21 *Jacobo Saffaridæ* orationem ad exemplum *Livii*, *Dionyſii*, *Thucydidis*, aliorumque veterum Autorum, affingit, qua militiam Aſiaticam comparat cum Europæa, cujus *Jacobus* ille tantum noviſſe videtur, quantum Abbas noſter Aſiaticæ novit. *Pag.* 29 fabellam de canibus narrat, meliorum, quæ ſcriberet, penuria & inſcitia. *Pag.* 39 multa garrit de *Emiraldaulah*, caſſam nucem non digna. *Jaminaldaulah* debuerat exarare, non *Emiraldaulah*. Sed vitia (ſeu typothetis, ſeu Autoris calamo, tribuere malis,) in eo libro ſunt ὅσα κόνις, quod ajunt. Eadem ipſa *pagina Segellendinum* legis, qui *Sebuctekin* eſt. *Pag.* 30 *Staſſan* excuſum eſt pro *Haſſan*; *pag.* 32 *Inſchabons*, pro *Niſchabour*; *pag.* 35 *Aſſude*, pro *Aſad*; *pag.* 36 *Farsgan* pro *Farganah*; *pag. ead. Gazneri*, pro *Gaznevi*; *pag.* 51 *Emir Sard*, pro *Emir Said*; *pag.* 66 *Moriad*, pro *Moviad*, aut *Mowajjad*, & *Kitaqu*, pro *Chalaſ*; *pag.* 84 *Diſſa*, pro *Diſan*; *pag.* 82 *de la Province*, *propre-*

proprement dite, pro *de la province Afrique proprement dite*, ut recte *pag. 86* legitur. Sed hæc minutiora ſunt, & quorum culpam in typothetas facile eſt devolvere. Gravius, quod *pag. 81* Iſmaelitarum, alias Fathemidarum, nomen ab *Iſmaele*, filio *Abrahami*, repetit, eodem judicio, atque ſi quis nomen Jacobitarum in Anglia a patriarcha *Jacobo* derivaret. *Pag. 83* aſſeverat, aliquem *Saidum*, conditorem gentis Iſmaelitarum, ideo dictum fuiſſe *alKadahum*, *parce qu' il avoit les yeux enfoncés*, ejusque etymologiæ prædem allegat *un Hiſtorien Arabe tres eſtimé*. Egregiam hanc cantilenam pro more ſuo recantat *pag. 91* & *92*. Parum profecto Arabice calluit Arabs ille, quem *Marignius* neque vidit unquam, neque nomine tenus novit. *AlKaddah* notat *oculiſtam*, catarrhactarum ocularium medicum. Artem autem hanc, deponendi catarrhactas, exercebat ille *Said*. *Pag. 96* de *Manſuro Fathemita*, qui anno Chr. 952 diem ſupremum obiit, tradit hæc: *Il fut le fondateur de la ville de Manſour, ou Manſouriah, en Egypte, que les Latins appellent Maſſoure, ou S. Louis, Roi de France, fut defait & perdit la liberté.* Autores hujus traditionis citat Arabes Hiſtoricos. Verum Arabs nullus unquam talia ſcripſit hiſtoriæ rerum geſtarum & temporum rationibus adverſa. Quomodo enim poterat *Manſur* urbem in Ægypto condere, cujus ne pedem quidem tenebat? Quomodo poterat urbem decimo Seculo condere, quæ A. C. 1219 demum ſurrexit, ut ipſe *Marignius pag. 265 T. II* aſſeverat? Condidit omnino *Manſur* ille *Fathemita* urbem ſibi cognominem, ſed in Africa. Ea vero Manſurah, apud quam cladem paſſus fuit S. *Ludovicus*, ad Nilum jacet. Confudit ergo Abbas noſter ambas urbes. *Pag. 98* interpretatur ſolennem formulam, qua Schiitæ quondam concionem ad preces conciebant, حي علي خير العمل, *vive, Ali, dont toutes les actions ont eté louables*. Atqui notant ea verba: *Adeſtote dum ad optimum operum*. *Pag. 113* efficit e *Schircubo*, quem Cruciatarum ſcriptores *Xyraconum*, ipſe vero *Schirck but* appellat, filium *Jobi*, & *pag. 126* ejusdem *Jobi* nepotem. Atqui fratres erant *Ejub*, vel *Job*, & *Schircub*. *Pag. 130* appellat *Jobum Saladini* avum. Atqui pater erat.

Digitized by Google

Tom. II pag 154 leguntur hæc verba: *Aſſungur Zenghi* .. *on ne trouve rien ſur ſon ſujet.* Reperiſſet omnino de illo non pauca, ſi *Wilhelmum Tyrium* legiſſet, qui virum hunc, *Sanguini* patrem, modo *Aſſungurum*, (Arabes rectius efferunt *Ac Songor*,) modo *Burſequinum*, citat. Prius verum viri nomen eſt, poſterius a patria deſumtum. Erat enim e *Burſac*, hodie *Verſac ili*, tractu Ciliciæ, veterum *Parſala*, βαρζάλω, oriundus. *Zenghii* nomen fruſtra ipſi tribuitur; id filii, non patris, erat; & falſum eſt, quod perhibet *Marignius*, principum hujus gentis unicuique proprium & gentile nomen fuiſſe *Zenghi*. *Pag.* 156 appellat Damaſcum urbem capitalem Syriæ *borealis*. Forte volebat *auſtralis* ſcribere. Alterius enim capitalis eſt Aleppo. *Pag.* 158 tradit, a *Nuroddino* ejectum Ægypto fuiſſe *Saladinum*. Atqui Arabes teſtantur, *Nuroddinum* animo quidem agitaſſe expeditionem adverſus *Saladinum* in Ægypto, ab exequendo autem illo conſilio intercedente morte fuiſſe impeditum. A *pag.* 158 ad *pag.* 165 pingit indolem & virtutes *Nuroddini* exquiſitis & floridis coloribus; at rerum, ab ipſo geſtarum, quarum pleni ſunt cum *Wilhelmo Tyrio* ſcriptores cruciatarum, pæne nihil memorat. Falſum eſt, quod *pag.* 168 perhibet, *Ezzoddinum Zenghi* poſt mortem *Saladini* Halepum occupaſſe. Neque contigit illud, neque nomen id viro fuit, ſed *Ezzoddin Maſſud*. *Pag.* 170 nominat aliquem *Malek al Saber*. Sed eſt *al Malek al Caber*. Filios ejus nominat *Naſeroddin* & *Mahmut*. Atqui *Naſeroddin Mahmut* unus homo eſt; alterius fratris nomen *Nuroddin Arſelanſchah* Gallum noſtrum prorſus latebat. *Pag.* 229 aſſeverat, titulum *Malec* eſſe natum, cum *Solthani* titulus obſoleviſſet. Atqui poſterior eo tempore, quo prior vigebat, tantæ autoritatis erat, quantæ hodie eſt in imperio Turcico, neque licebat eum gerere niſi principi αὐτοκράτορι. *Malcki* autem titulum gerebant Principes minores, Solthanorum vaſalli, reſpondebatque titulo *ducum* & *principum*, quemadmodum titulus *Solthan regis*, aut *imperatoris*, titulo reſpondet. *Pag.* 252 de *Turanſchah*, ultimo Ægypti de gente *Saladini* Solthano, hæc narrat: *Touranſchat poſſeda l'Egypte ſous la tutelle de ſa mere Schagraldor, & d'Ezzedin Ibec Turcoman,*

Digitized by Google

Chef des Mamelucs. Il fut battu par S. Louis, lequel fut defait peu aprés par les vainqueurs. (Forte ſcribere voluit *par les vaincus.*) Atqui *Turanſchah* ideo, quod ſolus auderet regnare, tutelæque ſuæ, non matris, ſed novercæ, *Schagiar ad dorri*, ſubeſſe nollet, ambitioſiſſimæ & ſceleratiſſimæ mulieris conſiliis trucidatus fuit. Rapiebat ab ejus cæde imperium illa fœmina, & *Azzoddinum Ibecum* ſibi conjugem & collegam imperii adſciſcebat; quem paulo poſt ipſa quoque ſuſtulit. Vivo autem *Turanſchabo* maritum eum non habuit. Tandem *Ludovicus S.* non *Turanſchabum* vicit, ſed victus & captus ab eo fuit, ut ex *Joinvillio* aliisque ſatis conſtat. Videtur *Marignius* fœminam illam, quam Arabes ſuæ ætatis ſexusque formoſiſſimam, vaferrimam, & audaciſſimam, ſcelerumque omnium capacem, perhibent, ignoraſſe. Alias profecto non ſiviſſet opportunam occaſionem ſibi e manibus elabi, fœminam illis moribus præditam per omnes locos communes declamatorios, & extravagantis imaginationis tropos, deſcribendi. *Pag. 235* efficit ex unico *Ejubo* duo cognomines, unum avum *Saladini*, alterum patrem. Atqui *Saladini* pater *Ejub*, & avus *Schadi*, erant. *Pag. 238* verba: *Il attaqua le Viſir* &c. depromta ſunt ex anecdotis de vita *Saladini* Commentariis, quos naſcens ſecum in orbem terrarum intulit, &, ni publici juris ante fata ſua faciat, quod facturum ſe minatur, ſecum rurſus efferet. Conferantur modo ſcriptores Arabici de vita *Saladini*, quos Cel. *Schultens* edidit, protinusque apparebit, ſomnia illa eſſe, & divitem nugarum fore, quem promittit, Commentarium de vita *Saladini*. Ea, quæ *pag. 240 lin. 7* narrat, contradicunt illis, quæ, veritati congrua, *Tom. I pag. 126-130* de triplici *Xyraconis* in Ægyptum expeditione narraverat. Quæ *pag. 244* de inſtitutione quatuor tribunalium apud *alCahiram* diſputat, produnt, quam peritus rerum apud Muhammedanos ſacrarum fuerit. Quam diligenter laudatum modo *Schultenſii* librum legerit, e *pag. 245* intelligas, ubi tradit, *Amaram Jemanicum* dignitate Chalifæ, ultro ſibi ablata, prudenter ſe abdicaſſe. Atqui narrant Arabici ſcriptores, *Amaram* illum, virum doctum, Hiſtoriæ patriæ, ſeu Arabiæ felicis,

felicis, conditorem, qua ſæpius *Abulfeda* utitur, & excellentis ingenii Poetam, & in aula Chalifarum Ægypti quondam Cancellarium, factionis fuiſſe caput, quæ gentem Phathemidarum, a *Saladino* de ſolio dejectam, reducere, & uſurpatorem interimere, decreverat. *Saladinum* vero, mature conſpirationis admonitum, cum aliis conjuratis *Ammaram* quoque in patibulo necaſſe. *Pag.* 247 ex *Emadoddino Zenkio* facit *Nuroddini* filium. Atqui hic erat illius patruus. Neque *Saladinus* illi Niſibinam ademit, quod Gallus ibidem tradit. *Pag.* 250 ſcitum eſt, quod alicujus *Bornos* meminit, quem quo referat, non novit. Appellant ita ſui oris modulo Arabes, quem Cruciatarum ſcriptores vulgo *Principem*, aut *le Prince*, citant. Literas Arabicas برنس *Bornos*, ſi, mutatis vocalibus, Germanico more efferas, emerget *Prins*. Eſt autem ille *Prins* princeps quondam Antiochiæ, deinceps Crackæ & Montis regalis in Arabia Petræa, celeber heros *Renaud de Chatillon*. Legiſſet modo *Marignius l'Hiſtoire des Croiſades par Maimbourg*; non potuiſſet ipſum tam illuſtre nomen latere. *Pag.* 265 ſecundum Principem Ægypti de gente Ejubidarum appellat *al Malec al Camelum*, qui quintus eſt, ſi recte numeres, patrem ejus, *al Malec al Adelum*, Cruciatarum ſcriptoribus *Saiphadinum* dictum, *Saladini* fratrem, qui per viginti annos Ægypto præfuit, &, qui ante eum per pauciores annos ibi regnarunt, *Saladini* filium & nepotem, prorſus omittit. *Pag.* 267 confundit urbes Boſra, & Baſſoram, & duas diverſas, illam in Arabia Petræa, hanc haud procul oſtio Tigridis, ſitam, pro una habet. Eodem loco Becaam inter urbes refert, Syriæ tractum ſic dictum. *Pag.* 268 in errorem induci ſe paſſus eſt ab *Herbeloto*, ut poſt eum de *Naſero* ſcriberet: *Il ne parloit jamais en compagnie que pour repondre à ceux, qui l'interrogeoient.* Principem majeſtate conſpicuum forma pueri exhibet, effari niſi cum venia ludimagiſtri, & ad ejus interrogationes, non audentis. Atqui *Abulfeda* ait, coram eo neminem aulicorum auſum fuiſſe hiſcere, niſi interrogatum. Pejus adhuc eſt, quod *Marignius* addit, *on n'eſt pas ſur l'année de ſa mort.* E vita S. *Ludovici*, & ex *Herbeloto*

loto ſuo *pag. 82*, potuiſſet diſcere, Solthanum illum nocte, quæ die 25 & 26 Novembris anni 1249 intercedit, vivis exceſſiſſe.

Poſſet, ſi quis vellet, totum Galli opuſculum in hunc modum caſtigare & cancellare. Sed inutilis futura eſſet ea opera. Sponte ſua peribit brevi, & neglectui erit, hic fœtus haud vitalis, charta hæc diaria, gramen hodie herbidum, cras camini incrementum.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE des Sciences &c.

hoc eſt,

HISTORIA REGIÆ SCIENTIARUM ET humaniorum literarum Academiæ, ab origine ejus usque ad hunc diem; una cum Chartis authenticis.

Berolini, apud Haudæum & Spenerum, bibliopolas Aulæ & Academiæ Regiæ, 1752, 4.

Alph. 1 plag. 20, Tabb. 2.

En! prodit nova Hiſtoriæ Illuſtris Academiæ Berolinenſis editio, in qua recenſenda erimus breviſſimi, cum ſatis de univerſo opere dictum ſit tum, cum prioris editionis mentionem faceremus. Habet hæc nova, præter novitatis gratiam, varias, quibus ſe præ priori commendare poſſit, haud exigui momenti acceſſiones. Inter eas primo numeramus nova quædam Schediaſmata, ut Elogia Comitis de *Schmettau*, *Elsneri*, &c. Præterea vero facta ſunt hinc inde additamenta, ipſique Hiſtoriæ contextui inſerta, quæ haud ingrata ſperamus fore omnibus, qui Hiſtoriam literariam amant, Lectoribus. Ad omnium nempe palatum futura ſunt ea, quæ, occaſione inſtitutæ a *Leibnitio* Academiæ, ad ſummum Virum pertinentia, ample ſatis commentatus eſt Hiſtoriæ Autor Clariſſimus. Reſpiciunt ea *Leibnitii* methodum ſtudendi, guſtum reſpectu diſciplinarum, quas præ reliquis amaſſe videtur, commer-

Digitized by Google

commercium epiſtolare, acta in Metaphyſica, Matheſi ſublimiori, &c. merita in ſcientias quascunque, earumque cultores, aliaque, non utilitatis minus, quam jucunditatis, ſecum ferentia. De aliis quoque Academiæ Sociis, quorum fama doctrinæ haud vulgaris fuit, ut *Kirchio*, &c. plura notatu digna ſunt addita. Quæ omnia eo magis Lectores allicient, quo lætius his diebus per ſe ipſa floret vigetque inclyta hæc Academia, quoque magis ei tanto ſub Rege, tanto ſub Præſide, talibusque ſociis, fauſtiſſima quævis ominari liceat.

VARIOLARUM RATIO EXPOSITA, ILLUſtrique Academiæ Regiæ Scientiarum Berolinenſi exhibita, a D. JO. GOTHOFREDO DE HAHN, Conſil. Reg. Boruſſ. Aul. Coll. Med. & Sanit. Sileſiaci Decano, & Nat. Cur. Socio.

Vratislaviæ, in officina libraria Jo. Jacobi Korn, 1751, 4. Plag. 12.

Non elegantia ſolum ſcriptionis, ſed rerum etiam propoſitarum novitate, maximopere ſeſe commendat Ill. Autoris hæc de Variolis tractatio, de qua noſtris in *Actis* eo lubentius mentionem facimus, quo magis perſuaſum nobis eſt, futurum, ut recentes, quæ hic explicantur, ſententiæ, omnium aſſenſum ferant, ſi cuncta, in hoc morbo obſervanda, momenta ex illis, ut ſuo fonte, fuerint deducta. Triplici potiſſimum ratione hujus morbi recte inſtituitur conſideratio. Primo ſcilicet loco Cel. Autor illud, quod diuturna morbi conſideratio prudenti & rationali ſuppeditavit Medico, ſyſtema explicat, omniaque, huc pertinentia, phænomena diligenter exponit. Deinde novum hoc ſyſtema varioloſum ex ipſo morbi decurſu petitis argumentis corroborat. Tandem vero, cum facile prævideret, ſuæ opinioni, non defuturos eſſe, qui varia opponant, quicquid eſt difficultatis, tollere, ſuoque ſyſtemati firmius conciliare fundamentum, refutatis ſimul, quæ cognitæ huc usque fuerunt, aliorum

pothefibus, annititur. De tribus hiſce *Sectionibus*, operæ
Pag. 2. omnino pretium erit, ſigillatim nunc acuratiusve egiſſe. Variolas itaque ſpeciem eſſe, dicit, ſtatam evolutionum corporis humani, qua vaſorum ſanguiferorum extremitates, ſub epidermide latentes, juſta incrementa capiunt, divaricatis apicibus ſummitates ſuas multiplicantes. Nec ſingulare quidem eſt, evolutionem talem in corpore exoriri humano, cum tota fere vita nil niſi evolutionum quædam ſit ſeries. Quis enim neſcit, ſine dentibus natum hominem cum ætate eos nanciſci, barbam longe poſt nativitatem demum propullulare, cum ſenectute vero has iterum evaneſcere partes, ut de figuræ externæ, proportionis partium, internarumque, tum fluidarum, tum ſolidarum, partium, mutationibus, cum ætate connexis, nihil hic adducamus. Ad has evolutiones, ſecundum Ill. Autoris mentem, pertinent variolæ, prægnantes arteriarum gemmas ſiſtentes, quibus increſcentibus epidermis acute ſoluta bullas format, ut perianthia, vaſcula in plantarum floribus cuſtodientia, usquedum aeris acceſſus ferendo fuerint pares. Tunc enim vaſcula, ut florum corollæ ſolent, ſeſe expandendo erumpunt, &, nova cuticula munita, ſuis functionibus obeundis ſufficiunt. Sed hæ fructiferæ quaſi vaſorum gemmæ benignas, vulgo ſic dictas, variolas efficiunt. Dantur & ſteriles, malignas variolas producentes, vel ab abundantia incongruentium humorum, vel ab aeris ipſius, vel a corporis reliquis vitiis, originem trahentes. Nemo autem vitio vertet Ill. Autori, quod arteriarum evolutionem præſuppoſuerit, cum, a primis initiis inveſtigando hominis vitam, & cor & arterias ſenſim mole fuiſſe auctas, obſervemus. His in genere de variolarum natura præmiſſis, totius morbi varioloſi, & diverſorum, quæ in eo conſpiciuntur, ſtadiorum, ut acceſſus, eruptionis, maturationis, exſiccationisque, conſideratio-
II. nes ſubjunguntur. Primum ſtadium, quod *apparatus* nomine appellare placuit Ill. Autori, quatuor utplurimum dierum ſpatio in benignis abſolvitur, & exemplo, ab Autore allato, ſine magno morbi ſenſu variolas ingruere, docetur. Cum autem, ut ſtudioſe probat, nec reliquæ evolutiones morbo-

ſis

Digitized by Google

ſis deſtituantur ſymptomatibus, mirum eſſe non poteſt, & hancce evolutionem hiſce aliquando ſtipari, quam tamen exinde non morbum nominandam eſſe cenſet, quoniam vitalium actionum ſit productum. Subſequens quatriduum alterum ſibi vindicat ſtadium, eruptionis ſcilicet, ſedem potiſſimum variolis in cute exteriori conſtituens. Nunc enim, comparentibus variolis, ceſſat apparatus, omniaque illi juncta ſymptomata, comparent puſtulæ, ſummo jure cutis gemmæ dicendæ, rubentes, tumentes, ſplendeſcentes, uberioris in has partes humoris influxus teſtimonia. Specialiſſimus ſimul varioloſus nares ferit odor, ſæpe non ingratus, florenti homini proprius æque, ac plantis novi gradus indicium. Matureſcunt poſtea in tertio morbi ſtadio variolæ, & tenuis pellucidusve, qui antea inerat, ſuccus in conſiſtentem magis atque ſubflavum convertitur, qui, ex benignis variolis emiſſus, blandus eſt, glutinoſus, maligni odoris expers, cum plantarum chylo comparandus, ſolidarum partium incunabula includens. Id quod exinde confirmatur, quod tenuiſſimus fœtus totus, & adultioris etiam dentes, meræ ſint veſiculæ, humore plenæ. Succus autem hic ſcaturit ex ingenti vaſorum corticis corporis humani copia, eam ob cauſam hic effuſus, ut tenerrima efflореſcentia vaſcula cuſtodiat, nutriatque. Exhibitis itaque deſcriptis hiſce utilitatibus exſiccantur tundem variolæ, & cruſtæ defluunt quarto in ſtadio. Cauſam jam ſupra adduximus, nunc tantum annotamus, totum fere hominem floridiorem inſtauratumque conſpici. Difficultas, quæ in reſolvenda alias a cute epidermide deprehenditur, nunc, omni per valentiores pulſuum ictus reſiſtentia ſenſim ſublata, perinde ac in immaturis fructibus petioli, ſine opera reſolvitur. Hæc, de benignis prolata variolis, a malignarum ſpecie refutari videri nonnullis poſſent; quapropter has, ſive lethales, ſive confluentes, fuerint, ſpeciatim nunc perpendit Cel. *Habnius*. A nulla evolutione mortis abeſt periculum; quod tamen non tam evolutioni, quam circumſtantium rerum culpæ, adſcribendum eſt. Immoderata vitæ ratione hæc ipſa in diſcrimen ducitur, impetuſque aliquando in viſcera ruit, aliquando ſub epider-

Pag. 27. 31. 32. 34. 35. 41. 46.

epidermide emiſſus ſanguis ſugillationes producit, petechiasque comites habet, ita quidem, ut ipſæ evolutiones, utut naturales, difficiliores exiſtant. De confluentibus variolis eadem valent, quorum deſcriptionem ulteriori Autor præmittit
Pag. 55. expoſitioni. In his veſiculæ aliam jam habent diſpoſitionem, nunc veſiculas, ex aduſtione natas, nunc morbillos, nunc carbunculos, imitantes. In maturatione præcipue, ad quam, foveis altioribus, coloreque ſubpallido deformes, tardius deveniunt, diſcrimen detegitur. Colluviem continent ichoroſam, ſubluridam, ſpiſſam, glutinoſamve, dum exſiccantur, cruſtas efficiunt, atras, tenaces, fœdas, ulceroſas, difficillime defluentes, gravitate ſymptomatum, ſtadiorum præterea confuſione, diſtinguuntur. Putat tamen Cel. Autor, has a verarum variolarum genio non magis diſtinctas eſſe, quam eſt partus diffi-
56. cilis a facili. Singulare eſt, has variolas faciei adamare regiones, quod a copia huc accedentium arterioſorum vaſorum deducendum eſſe Autori videtur. Cutis autem fabrica, pluribus varians modis, diverſitates haud leves huic variolarum ſpeciei cauſatur. Ex ſymptomatibus, quæ huic morbo comites dantur, febris, ardor, & pruritus cutis, ſputatio, diarrhœa, ceu peculiaria, proponuntur. Sputationis inprimis rationem, ex effuſis in telam celluloſam, qui per obtectam variolis cutem tranſire nequeunt, ſuccis, in fauces osque converſis, adſcribit. Quo ipſo fit, ut, deficientibus, cruſtas varioloſas ſolventibus, cauſis illæ difficillime ſeparentur, novum exinde periculum facientes. Tandem & hæ cruſtæ reſolvuntur, æque ac in benignis relinquentes veſtigia variolis, cicatricesque: quæ ulcera variolarum licet ſignificent, ab illis tamen proveniunt chordulis, quæ variolarum vertices juſto pertinacius cum fundo connectunt, & nervearum fibrillarum eſſe videntur Ill. Autori faſciculi. Hic totius morbi decurſus eſt, noſtri ex Autoris ſyſtemate declaratus, quod ipſe figmentis accenſeri pateretur Ill. Autor, ni, reliquorum Autorum hypotheſes minus firmas,
74. ſuam vero ſententiam ſtabilem, eſſe, eviciſſet. Lubrico itaque fundamento inſiſtere fermentationis contagiique theoriam, illud de beſtiola venenata, morſu hominem lædente, virusque

que in corpus humanum introducente, *Liſteri* commentum ſufficienter probat, ut reliquas, non incognitas, aliorum conjecturas taceamus. Sola vitæ virtus easdem producit, indefeſſa cerebri & cordis actione, ſtupendæ virtutis elateribus, concitata; inde omnes fere mortales, quidam absque omni morbi indicio, eas experiuntur, variis ex cauſis citius, vel tardius, gravius, vel levius, decumbentes. Aſt epidemia eas producendo graviores reddit? Ipſa hæc epidemiæ culpa eſt, florentibus ſæpe hortis, ſylvis virentibus, fertilibus agris, infeſtæ. Inſitione accelerantur. Eſtne igitur probabile, poſſe evolutiones arte promoveri? Poſſe utique, reſpondet Cel. Autor, cum, in plantis, ipſisque animalibus, evolutiones quasdam feſtinari poſſe, variis conſtet exemplis, nemo autem neget, ſecuritatem præcipitatas ejusmodi evolutiones exacti operis nunquam præſtare. Singularis tandem modeſtiæ, nec obtrudentis aliis, quæ phænomenorum explicatione naturali innititur, ſententiam, nec ſibi ſoli inventionem adſcribentis, documentum illud eſt, quod ex antiquorum collectis opinionibus, ſuo illos non refragari ſyſtemati, ſed ejusdem quædam jam exhibuiſſe veſtigia, ultimo demonſtret loco. Nosque, erudito omnino congratulantes orbi de difficilioris morbi liberiori faciliorique explicatione, prudentes in eo allaboraturos eſſe Medico, ſperamus, ut, accurate cuncta diſcriminando, ejusdem morbi veram certamque ponant rationem.

ELEMENS DE LA PHILOSOPHIE Moderne, &c.

hoc eſt,

ELEMENTA PHILOSOPHIÆ RECENTIORIS, Pnevmaticam, Metaphyſicam, & Phyſicam experimentalem, complexa, ſecundum reperta noviſſima, Autore PETRO MASSUET, Med Doct.

Amſtelodami, ap. Z. Chatelain & filium, 1752, 12 maj.
Alph. 3 plag. 9, Tabb. æn. 5.

Eorum in gratiam ſcripſit Autor, qui, cum toti alii vitæ generi, quam Philoſophiæ, ſe addixerint, non omnino tamen ignari harum rerum eſſe volunt; quo fine e recentiſſimis optimisque ſcriptoribus ſelegit, quæ maxime neceſſaria, & ad palatum diſcentium futura, judicavit. Multum igitur abeſt, ut vel profundiores theorias, vel nova ipſius Autoris reperta, quærere hic liceat. Ipſa methodo non magis eruditis ſcriptus eſt liber, quam contentis. In quæſtiones enim & reſponſiones partitus eum eſt Autor, parum de rigoroſioribus demonſtrationibus ſollicitus. Ut tamen aliquam libri ideam exhibeamus, præmittitur introductio de Philoſophia in genere, qua Philoſophiæ objectum ſtatuitur omne, quicquid exiſtit, hincque deducitur ejus diviſio in *Pnevmatologiam* de Deo, animabus, ſpiritibus, ſi qui ſunt præter animas, agentem, *Metaphyſicam*, communes rerum affectiones exponentem, *Phyſicam* denique, corpora conſiderantem.

Hoc ordine Autor Philoſophiam tractat, primumque de Deo loquitur, cujus exiſtentiam ait ex finibus & ordine mundi ſatis probari, attributa deinde recenſet, poſt animas conſiderat hominum & brutorum. Hæc breviter perſequitur, æque ac Metaphyſicam, ſeu verius Ontologiam, &, ut hæc ad gloriam Germaniæ noſtræ moneamus, in multis *Leibnitium* ſequitur. Longior eſt in Phyſica, & orditur a mathematicis, Arithmeticam, Algebræ nomine calculum literalem, pauca ex Geometria, delibans, hinc de loco & ſpatio agens. Vacui exiſtentiam hoc ratiocinio it probatum: Penetrabilitas eſt attributum rei, actu exiſtentis; atqui corporis, vel materiæ, attributum eſſe non poteſt; reſtat ergo, ut ſit attributum ejus, quod Philoſophi omni tempore vacuum appellaverunt, neque motum contingere poſſe, niſi detur vacuum; aliaque ſatis cognita pro defendendo vacuo ſubjungit. De elementis rerum ſentit, quodlibet corporum genus proprijs ſuis & naturæ viribus non mutandis gaudere; unde efficiatur, ut per tot ſecula homo ſemper homo, quercus ſemper quercus, ſit. Confirmant idem Chymicorum experimenta, de ſalibus, metallis, aliis corporibus, ita ex elementis homogeneis compoſitis,

Digitized by Google

ut in alia diverſæ naturæ diſcerpi non poſſint. De generalibus corporum affectionibus utiliora profert, & deinde, dum motuum regulas, dum Staticam, tractat, hinc ad attractiones & electricitatem progreditur, hydroſtatica recenſet, de aere & meteoris agit, Opticam, Acuſticam, & quæ eo pertinent, item Geologiam, percurrit, enumeratisque præcipuis Philoſophorum de mundi origine ſententiis, ordinem corporum mundanorum, & quæ de illorum natura innotuerunt, recenſet, ſolaria conficiendi rationem ultimo docens.

Jam pauca ſparſim ex opere excerpamus. Frigus calore minore, aut motu minore, materiæ ejus, quæ calorem efficit, abſolvi, exiſtimat, nullas admittens particulas frigorificas. Altiſſimos montes frigidiores eſſe, ita certum eſt, ut montes illi Americani, ſub ipſo æquatore ſiti, quos nuper Aſtronomi Galli menſuris ſuis celebres reddiderunt (*les montagnes de la Cordeliere*) perpetua nive tegantur, ubi 2440 ſexpedas Gallicas ſupra horizontem maris elevantur. Conjicit Autor, frigus horum montium inde eſſe, quod calor ignis centralis eo pertingere non poſſit. Igitur, ſi in Saturno ignis centralis pro ratione maſſæ major eſſet, non ſequeretur, majus in Saturno dominari frigus, quam apud nos, quod ea ſola ex cauſa colligimus, quia remotior nobis a ſole eſt. An pondus corporum re vera augeatur a particulis flammæ elementaribus, in dubio relinquit. De quæſtione, ſitne lux idem, quod ignis, argumenta diſceptantium proponit, neutri parti victoriam adjudicans. Sententiam *Newtoni*, quod lumen non a craſſioribus & ſolidioribus corporum particulis reflectatur, ante jam Patres *Fabri* & *Malebranche* monuiſſe, memorat, ſed locis illorum non indicatis. *Carteſii* de mundi origine ſententiam eo nomine periculoſam judicat, quod atheis anſam dederit, omnia velut ex ſolo materiæ motu nata fingendi; qua in re præſtat *Newtoniana*, ubique ad liberam creatoris voluntatem recurrens. Sed hæc ſufficiant; neque enim plura ex libro, elementaria ſaltem continente, adducere licet. Hanc veró laudem meretur Autor, quod ſcopo, quem ſibi propoſitum habuit, ex aſſe ſatisfecerit, perſpicuus in docendo, felix in ſeligendis magis neceſſariis & amœ-

Digitized by Google

amœnioribus, modeſtus in dicenda de controverſiis ſententia, eruditus in narranda inventorum hiſtoria, adducendisque etiam recentiſſimis; ut adeo commendari liber diſcentibus iis, quos præ oculis Autor habuit, quam maxime debeat.

NATURÆ ET SCRIPTURÆ CONCORDIA, Commentario de Literis ac Numeris primævis, aliisque rebus memorabilibus, cum ortu Literarum conjunctis, illuſtrata, & tabulis æneis depicta.

Lipſiæ & Hafniæ, apud viduam Gabr. Chriſt. Rothii, 1752, 4.

Alph. 1 plag. 9 ½.

Sicut omnes artes, quæ vitam humanam juvant, vel ornant, duce natura repertæ ſunt; ita veriſimile eſt, artem ſcribendi per *literas* & *numeros* a ſapientibus non temere fictam, ſed ex obſervatione naturæ deſumtam eſſe. Prima mundi ætas non equidem verba, ſed res ipſas, quodam modo pinxit, &, qui *Solem* vellent indicare, deſcribant circulum, qui *Lunam* ſemicirculum, ſeu figuram corniculantem, qui *Arietem*, vel *Taurum*, caput diverſimode cornutum, qui *Aquam* undam fluentem, prout etiamnum fit in ſcientia ſiderali. Hæc ſcriptura, ut eſt prima & antiquiſſima, ita vocari ſolet *cyriologica*, quia res per proprios characteres, ab ipſa natura ſuppeditatos, imitando exprimit. Poterat hæc ſcriptura humano generi ſufficere, ſi natura ſingulis rebus, quæ cogitari, aut nominari, poſſunt, imaginem extra mentem dediſſet. Verum, cum earum rerum, quæ nulla figura terminantur, & nominibus quidem inſigniri, ſed lineis circumſcribi non poſſunt, infinita multitudo ſit, hinc alia & doctiore ſcriptura opus erat, quæ ſub iisdem rerum naturalium formis altiorem ſenſum reconderet. Ita *Circulus*, qui ab initio Solis imago fuit, poſtea ad ſignificandum *Deum* & *Cælum*, & *Mundum* & *Annum*, aliasque res, ſimilitudine ad Circulum accedentes, translatus eſt. Hæc ſcriptura appellari ſolet *ſymbolica* & *hieroglyphica*, &

& ad illam inveniendam non ſolum naturæ contemplatione, & rerum naturalium cum aliis rebus comparatione, ſed etiam ingenio haud vulgari, opus erat, ſine quo ſimilitudines rerum deprehendi non poſſunt. Initium hujus ſcripturæ præ nimia antiquitate inveſtigari nequit. Hoc tantum ſcimus, illam ab antiquiſſimis populis, & maxime omnium ab *Ægyptiis*, excultam eſſe, & conſpici adhuc in magnis illis molibus lapideis, quas *Obeliſcos* vocant, Ægyptiæ ſcripturæ ſempiternis monumentis. Hactenus ſcriptura fuit pictura loquens, & rerum ipſarum vel *propria*, vel *ſymbolica*, imago. Verum, cum imagines illæ ſymbolicæ ingenioſæ magis, quam claræ, eſſent, & ſæpe plures ac contrarios ſenſus admitterent, neceſſe erat, aliam inveniri ſcripturam, & uſui vulgari magis accommodatam, quæ certam mentis ſententiam exprimeret. Huic neceſſitati ut quodam modo ſuccurrerent, qui vera ſcribendi principia nondum inveſtigare poterant, voluntaria ſigna ſingulis vocibus impoſuerunt, tandemque incredibili ſtudio, & diuturna memoriæ tortura, conſecuti ſunt, ut ſigna illa, ex arbitrio conficta, etiamſi per ſe nihil, ſed tantum ex pacto, ſignificarent, & nullam cum vocibus, nec rebus, ſignificandis communionem haberent, a diſciplinæ conſciis legi & intelligi poſſent. Hæc ſcriptura adhuc ſuperat apud *Sinas* & *Japones*, etiamſi tam difficilis & ærumnoſa ſit, ut tota vita diſcendum ſit legere & ſcribere; cui negotio vix centum mille characteres memoria tenendi ſufficere videntur. Poſt tot ſcribendi tentamina, tandem apparuerunt *Literæ*, notæ paucæ, & vix numerum digitorum æquantes, & nihilo minus, quod miraculo ſimile, omnibus linguis & linguarum vocibus ſcribendis ſufficientes, ceterum ita factæ & formatæ, ut pateat, illas ab inſtrumentis loquendi deſumtas eſſe, quibus etiamnum ſimiles ſunt, & ab illis, tanquam cauſis ſuis, denominantur. Convenit inter vetuſtiſſimos ſcriptores, autorem tanti muneris fuiſſe *Tautum*, Thebanum, quem Ægyptii *Thot*, Phœnices *Taaut*, Græci Θευϑ vocant, omnes eodem ſenſu, quia *Thau* Hebræis eſt *ſignum*, & *Thot Ægyptiis ſignavit*, & hinc *Tautus ſignator*. Hunc, *Sanchoniathon*,

niathon, primum literarum uſum reperiſſe, ſcribit, eundemque *Plato* τεχνικώτατον καὶ πατέρα τῶν γραμμάτων, *maximum artificem & literarum parentem*, vocant. In Ægypto igitur primæ literæ natæ & educatæ ſunt, & poſtea in alias orbis partes per colonias deductæ. Id quod Autor noſter anonymus in hoc parvæ molis, ſed ardui & abſtruſi argumenti, libello, copioſe proſequitur. Quantum operæ & ſtudiorum in his *literarum* ac *numerorum* originibus, ex ipſa natura demonſtrandis, impenſum ſit, eruditus Lector ſtatim ex *Diſpoſitione totius Opuſculi, & Indice materiarum*, intelliget, quorſum illum remittere cogimur. Nam, fruſta hinc inde decerpere, aut partes, a reliqua compage avulſas, hic deſcribere, absque damno concinnitatis, re in omni demonſtratione præcipua, fieri nequit.

LUDOVICI DU FOUR DE LONGUErue, Abbatis S. Joannis ad Melodunum & Septem-Fontium in Theraſcia, Diſſertationes: de variis Epochis & anni forma veterum orientalium; de vita S. Juſtini Martyris; de Athenagora, de tempore, quo nata eſt hæreſis Montani; & de origine hæreſium Valentini, Cerdonis, atque Marcionis: quibus adjecta ſunt Commercium literarium Ludovici Picqueſii, Thomæ Eduardi, & Andreæ Acoluthi; nec non relatio hiſtorica de Choadja Morado, Regis Æthiopiæ quondam ad Batavos legato. Ex Manuſcriptis eruit, præmiſſoque de ſingulis Autoribus anteloquio, luci publicæ expoſuit, JOANNES DIETERICUS WINCKLERUS, SS. Theol. Doct. Eccl. Hildeſienſium Superint. Conſiſt. Sacri Aſſeſſor Primarius, & Gymnaſii Ephorus.

Lipſiæ, in taberna libraria Jo. Frider. Gleditſchii, 1750, 4.

Alph. 2 plag. 2.

Plurimum utique debet S. Vener. *Wincklero*, de lucubrationibus illis publici juris factis, respublica tum ſacra, tum literaria. Harum omnium ſcriptores viri ſunt celeberrimi, argumenta lectiſſima,

Digitized by Google

ctiſſima, perfectiones ad unguem. *Ludovicus du Four de Longue-Rue* fuit Abbas S. *Joannis* ad Melodunum & ſeptemfontium in Theraſcia, quem *Dan. Maichelius* in Hiſtoria literaria Bibliothecarum Pariſienſium *pag. 242* ab antiquitatum ſacrarum ampliſſima ſcientia commendat, & ſingulatim in *Lutetia Pariſiorum erudita* laudat Suecorum Theologus, *Ge. Wallinus.* Nec minus *Matth. Veyſſiere la Croze* in literis ad *Theoph. Sigfr. Bayerum Tom. III Theſauri epiſtolici Lacroziani pag. 31*, nihil unquam ejus de eruditione ſe dicere, fatetur, quin longe ſit infra id, quod experiantur & ſentiant, quicunque eum coram loquentem audiant, & in *Ep.* ad *Jo. Chr. Clodium pag. 102*, hunc Abbatem in orientalibus neminem in Gallia parem habere. Hic locum primum occupans ejus tractatio, diſtinctis *Capitibus* de ſolari Macedonum anno, de æris duabus ab *Alexandro*, de epocha Antiochiæ urbis, & ejusdem menſibus, de epocha Laodiceæ ad mare, de menſibus & epochis Gazenſium, itemque Perſarum anno, diſputat. Varia proferuntur, ad reconditam hiſtoriæ temporumque rationis veteris notitiam ſpectantia, & ſolidiſſime diſputata. Veritatis ubique ſtudioſiſſimum ſe præbet doctiſſimus Autor, aliosque ſcriptores tam ſui, quam reformati, cœtus, *Baronium*, *Uſſerium*, *Petavium*, *Scaligerum*, inprimis autem *Henr. Noriſium*, caſtigat, ope numorum, occaſione data, non infeliciter uſus. Opus *Noriſianum*, quod ſæpe refellit, inſcribitur: *Epocha urbium Syro-Macedonum, additis faſtis conſularibus Anonymi. Accedunt Diſſertationes de paſchali Latinorum cyclo annorum LXXXIV, ac Ravennate annorum XCV*, editum Florentiæ, Lipſiæque repetitum. Ipſam tractationem cum aliis exemplis æque manuſcriptis accuratiſſimus Editor contulit; Epiſtolam Abbatis ad D. *Allix*, Theſaurarium Capituli Saliſburgenſis, aliquibus *tertii Capitis* momentis inſervientem, adjunxit, neque *M. V. la Croze* vel ſuas etiam ipſius obſervationes neglexit. Aliorum commercium literarium ſimiliter exhibetur. Sunt hi *Ludovicus Picqueſius*, Sorbonnicus Doctor, *Thomas Eduardus*, Anglus olim ſacerdos, cœtui Puritanorum addictus, *Andreas Acoluthus*, Profeſ-

ſor

ſor & V. D. M. quondam Vratislavienſis, *Jobus Ludolphus*, Saxoniæ Ducum a conſiliis arcanarum rerum arbiter. *Picqueſii*, propter ſingularem orientalis literaturæ peritiam, mentio fit in *Theſauro epiſtolico Lacroziano* paſſim. *Acoluthi* merita celebrantur in *Henr. Pippingii Memoriis Theologorum Decade X pag. 1618 ſeq.* Eandem operam *Ludolphianæ* memoriæ dedicavit *Chriſtianus Junckerus* ſingulari Commentario, A. 1710 publicato. Regredimur autem ad Abbatem *de Longuerue*, cujus & ceterarum lucubrationum ad annum 1708 index, a Patre *le Quien*, Dominicano, confectus, annectitur Præfationi. Sunt inter illas e. g. Annales Arſacidarum, *Cent deux Lettres au P. Pagi*, *Pervigilium Veneris reſtitutum*, *Carmina Punica apud Plautum in Penulo A. V. Sc. II reſtituta*; *Diſſertation touchant l'an & le jour auxquels a commencé l' Hegire, ou l' Epoque, des Mahometans*; *de epocha Hiſpaniæ captæ a Saracenis, ex Roderico Toletano & aliis Autoribus emendatis & correctis*; ut & aliæ plures argumenti ſacri, hiſtorici, antiquarii, quarum numerus ad XXXII ſurgit. In ea ſingulatim Commentatione, quam exhibet Noſter, *Uſſerius* paſſim cum
Cap. I §. 2 pag. 4. *Noriſio* comparatur, Abbatisque ſententia interponitur. Ita, qua ratione dies inſerti quinque fuerint, ut annum ſolarem inſtituerent & conficerent Macedones poſt *Alexandrum*, arduum eſſe repertu fatetur *Longuerue*; putat autem, id fuiſſe pro variis regionibus urbibusque forſan & temporibus diverſo modo factum. Sed dimidium opus excerperemus, omnia notatu digniora judicia collecturi; cum id totum fere dijudicationibus & examinibus conſtet. Ipſi ſcriptores antiqui ſub-
Cap. 52. jecti ſunt iisdem, ubi v. g. Autores Libri primi ſecundique Maccabæorum ita conciliantur, ut prior annum a menſe Niſan incipiat, alter a Tiſri; quo quidem obſervato, ſimul illa nota temporis, literis *Antiochi Eupatoris, Lib. II Cap. 11* recitatis, appoſita, percipi queat. *Joſephus* autem Judæorum more menſibus utitur lunaribus, quos nominibus Macedonicis appellat.
Pag. 56. Id quod ideo certiſſimum habet, quod Hiſtoricus ille *Lib. XII Antiq. Cap. 2* affirmet, encænia templi peracta fuiſſe die viceſima quinta menſis Apellæi, quæ tamen eadem die Casleu Judaici

Digitized by Google

Judaici lunaris & vagi, fuiſſe celebrata, tradunt Autores utriusque Maccabæorum libri. Præter tales inquiſitiones, plurimorum veterum populorum anni menſesque commemorantur ac finguntur, ut adeo ſcriptum illud ſupplementi loco poſſit eſſe duabus Commentationibus, *de variis annorum apud antiquas gentes dimenſionibus*, deque *variis annorum apud varias gentes initiis*, quas Geræ publici juris factas ante decennium fere, legere meminimus. Ita Conſtantinopolitani, qui ſemper menſes Julianos admiſerunt, eosdemque potiſſimum Syromacedonicis nominibus expreſſos, in conditoris ſui *Conſtantini*, qui fuit autor indictionum, memoriam, annum inceperunt a Calendis Septembribus, ubi multiplicabantur indictiones. Quem morem orientalium multi, & in his Græci, ſecuti ſunt. Inprimis Athenienſes, Syri non pauci, & Antiocheni, receperunt huncce morem, annum cum nova indictione incipiendi. Samaritani quoque non inchoarunt annum a Tiſri, ſed ab Elul. Ceteri Syri, menſibus Julianis admiſſis, annum ab orbe condito, & ab *Alexandro*, ſemper a Calendis Octobribus auſpicati ſunt. Curdi, montium Aſſyriæ coloni, vel Gordiæi, cum Syris eadem fere nomina menſium habent, & quidem ipſis deſignantia res, tempeſtati cuique convenientes. Arabes, Damaſceni, & nonnulli ceterorum, annum auſpicati ſunt circa τροπὰς ἐαρινὰς: quem ſolarem ac fixum annum in ſex olim partes diſtinguebant. Ad epocham urbis Antiochiæ, & ejusdem menſes, quod attinet, primam & ſecundam ab Urbe condita, & ab obtenta poteſtate leges ferendi, Regibus a *Pompejo M.* pulſis, exigui nimirum uſus, hic reticet Autor. Tertiæ, ſive *Cæſarianæ*, *Julius Cæſar* autor fuit, qui reſtituit Antiochenſibus libertatem, aut confirmavit. Epocham Laodiceæ ad mare perſecuturus, urbis ſimul hiſtoriam enarrat, novam autem a *Julio Cæſare* repetit, qui Laodiceenſes, in Syria verſatus, poteſtate leges ferendi, nec aliis minus privilegiis, donavit; unde novam in ejus honorem epocham inſtituerunt, cujus annum primum eſſe voluerunt illum ipſum annum civilem Macedonicum, qui, ab autumno anni Juliani proleptici præcedentis curſum ſuum exorſus, tunc decurrebat menſe Majo Ju-

Pag. 62. 63. 65. 70. 71. Cap. 3 pag. 76. Cap. 4 pag. 124 125.

Cap. 5 liano proleptico A.U.C. 706. *Gazenſes*, urbe reſtituta, menſes
pag. 142. Syromacedonum admiſerunt; non iisdem tamen omnino die-
143. bus exordiebantur, cum primum locum obtineret Dius. Quæ de
Cap. 6 Perſarum anno leguntur, obſervante S. Rev. *Wincklero*, pleraque
pag. 168. ſumta ſunt ex notis *Golii* in *Alferganum*, quem etiam Auctor
198. diligenter allegat. Excipit autem tractationem mantiſſa; &
201. hanc Abbatis Diſſertationes VI, in titulo Collectionis jam in-
281. dicatæ. Commercium autem literarium, ſex Epiſtolas, & ex-
cerptum e ſeptima, comprehendens, linguas inprimis orienta-
les ac meridionales, Hiſtoriam literariam, remque philolo-
gicam, ſpectat. Varia *Lud. Piqueſius* interrogat, atque varii
283. varia reſpondent, ſatis interdum libere. Ille nempe inter
284. alia quærit: quas literas cogitarit *Plutarchus (de Iſide pag. 666
H. Steph.* anni 1572, 8,) dum dixit: ὅσον τῶν γραμμάτων
παρ' Αἰγυπτίοις; an credendum *Jo. Gravio*, Pyramido-
grapho, qui teſtetur, ſe duas vidiſſe lineas literarum Ægy-
ptiarum, horizontaliter a dextra ſiniſtrorſum ductas; uter
vincere debeat, *Kircherus*, an *Marshamus*, circa *Hermapio-
nem*, qui auſus eſt Græce obeliſcum Heliopolitanum expri-
mere; cum legatur in Codd. MStis, eſſe tres diale-
ctos Ægyptiacæ linguæ, ſcilicet Saidicam, Baharicam, &
Bashmuricam, duas primas radicibus convenire, non vero
tertiam: quæ ſit illa tertia, & quare dicatur Bashmurica;
cum legantur multæ pericopæ utriusque Teſtamenti Saidica
dialecto, an ſit aliquis liber, v. g. Pſalmorum, vel liturgicus,
285. qui ſit conſcriptus hac dialecto; quare lingua Chamica, ſeu
Ægyptiaca, & lingua Cananitica, ſeu Hebræa tantum, inter ſe
diſtent; & hujus generis alia quamplurima, quæ lautitiarum
ejusmodi amatores melius in ipſo contextu perveſtigabunt.

CONNOISSANCE DES BEAUTEZ ET DES DE-
fauts de la Poeſie et de l'Eloquence dans la Langue
Françoiſe, &c.

hoc eſt,

*COGNITIO PULCHRITUDINUM AC DEFECTU-
um Poeſios & Eloquentiæ, Gallica lingua conceptæ, ad uſum
juven-*

*juventutis, & inprimis alienigenarum, exemplis ad ordinem literarum adjunctis, per M. D****.*

Londini, 1750, 8.

Plag. 16.

Obſervavit Autor, multorum alienigenarum per Galliam Pag. 2.
comes ac moderator, plures eorum haud diſcerne-
re ſatis, quid æra diſtent lupinis; atque hinc Tragœdias, e. g.
ſtilo *Raciniorum*, aut *Voltairorum*, ſcriptas, cum *Danchetorum*
& *Pellegrinorum* confundere. Illud igitur neceſſarium ju- 3.
dicium ut juvaret, loca junxit inter ſe comparanda, neque
meditationes, præceptiones, obſervationes, neglexit. Ita, dum 12.
agitur de amicitia, ſimul inveſtigatur, quare Poeſis animum
vividius, quam oratio libera, penetret; ejusque rei cauſam hanc
ponit, quod vulgo ſint accuratiores verſus, quippe quorum diffi-
cultas animi vere poetici augeat attentionem. Dum de amore 15.
agitur, illud annotatur, quod *Rouſſavius*, celebris licet Poeta, non
ſemper tam decore loquatur, quam *Voltairius*, qui ſemper
amet virtutem in ſcriptis ſuis; *Fenelonii* item Telemachus,
modo interpretationis *Homeri* liberæ ſcriptus, præſtet quidem
Dacieriana, lumen tamen admodum infirmum ſit, ad poeſin
habito reſpectu, & ſatis oſtendat impotentiam, antiqui-
tatis Poetas verſibus Gallicis exprimendi. De *Mottio*, inter- 46.
prete *Homeri*, notatur, quod in ſingulis operibus ſit parum for-
tis, frigidus, didacticus, & intolerabilis in progreſſu, qui, cum
imitari deberet optimas *Homeri* picturas, & verſuum harmo-
niam, adhibeat ſaltem argutias minus argutas, humilis ac pe- 47.
deſtris Poetā, ſubindeque ridiculus, peſſima quadam Philoſo-
phia deductus, ut crederet, harmoniam, picturam, atque ver-
borum ſelectum, inutiles eſſe Poeſi; cum ipſum vera Philo-
ſophia docuiſſet, quamlibet artem naturam habere propriam, 48.
nec *Homerum* tam ſicco modo verti debere, quam liceat *Epicte-*
tum exponi. Cum inſignem *Mottius* primis Odis ſpem præ-
buiſſet, in contraria mox ruens, peſſimis acceſſit Autoribus. *Ho-*
merum ſe correxiſſe, putabat. Iſte faſtus cum non procederet,
ipſam impugnavit Poeſin. Immo quidem in eo fuit, ut corrum-
peret Poeſin: adeo ſe nonnullas inſinuarat in mentes; ſed fraus

Digitized by Google

Pag. 49. cecidit cum Autore. Sic & victoriam reportat *Homerus*, ad pugnarum deſcriptiones quod attinet, hic ſemper præſtantior habitus *Marone*. Licet tamen hoece concedat Noſter; præferre nihilo minus *Taſſum* videtur, cujus potiſſimum e viceſimo cantu profert exemplum. Eundem is eminere putat in
77. comparationibus: ubi quidem *Homericas* appellat ſimplices, neque niſi dictionis opibus elatas; *Taſſi* vero multo magis in-
124. genioſas. Epigrammatum ſatis mancam ſibi concepiſſe videtur notionem, dum vituperare potius videtur, quam commen-
128. dare. Præſertim carpit *Malherbiana*, unum allegans, quod
129. cum *Regnierii* Satiris, pro conditione temporum illorum cru-
131. dis atque craſſis, comparat. Quo jure ſolos Gallos nominet inter recentiores, fabularum laude pollentes, vel recentiſſimi noſtri
135. Poetæ docebunt. Hocce genere præſertim laudatur *Fontainius*, omnium ætatum atque mentium homo, primusque Gallorum, qui carmine Fabulas *Æſopi* complexus eſt, & enarravit optime. Quem qui fuere ſecuti, Poetarum, nominatim *Mottii Houdar-*
136. *ti*, Fabulas, multis modis inferiores, ſuppeditarunt, ut ſcribit, Autor, aut *Pilpay*, aut *Herbeloti Dictionarium*, aut alii libri, unde mutuæ ſunt acceptæ, ſtilo minus robuſto. Licet enim *Mottius* ingenii multum habuerit; id tamen neutiquam ſufficit ad progreſſus in arte quacunque faciendos: unde ſcriptor hic idem nec in reli-
147. quis operibus ultra mediocritatem vulgi ſurrexit. Sed Grammaticum pariter agit Noſter, inprimis quo loco de lingua diſputat; ubi bellas obſervationes criticas, ad Gallicum ſermonem pertinentes, inveniemus. Occaſionem & hic ſubminiſtrant Poetæ.
148.
154. Maxime Comœdiam *Miſanthropum* eum in modum explorat,
169. quo *Racinii* conſcriptiones *Olivetus* Abbas, neque pauca reperit vitioſa: quo fine etiam accurate Tragœdiam *Pompejum* perquirit. Subjungit & de nonnullis Grammaticis, quibus
170. Autorum lectionem omnino præfert, judicia. Præcipue diſſuadetur Grammatica nova *Girardi* Abbatis, cum novitatibus ſcateat difficilibus, corrumpatque ſtilum. Potius autem commendantur *Regnierii*, *Deſmaretſii*, & *Reſtaudi*, tanquam
172. ſapientiores, & inprimis accommodatæ ad docendum. De fa-
184. miliaribus Epiſtolis titulum, admirator *Voltairii* cliensque,

con-

concludit illius epiſtola ad Pruſſiæ Regem, inſerta hic, & admodum commendata. Translatio deſcribitur, quod ſit judicium ingenii, vividius ſibi res objectas repræſentantis: comparatio quippe ſubita vivaque de rebus ſumta, quæ ſenſui ſubjectis, & a natura propoſitis, imaginibus afficiunt. Hyperbole vero per ſeſe creditur vitioſa, cum deſerat veritatem. Qui dicitur *opera*, ſcenicus ludus, *Saint-Evremontium* habuit vituperatorem, ſatis eum frigidum inter Gallos; nec omnino vitiis ſuis caret ille ludus, ſed jam admodum eſt emendatus. Satiram ipſe libri ſcriptor admodum reprehendit, de ſententia ſua, non niſi horrorem inſpiraturus eandem tangere volens, quippe tantum non ſemper injuſtam, quod minimum quidem ſit ſatiræ vitium: primarium vero meritum audentia, vel nomina perſonarum inſerendi, & exacerbandi non paucos, libido. Tollite, ait, nomina *Cotini*, *Capellani*, *Quinaultii*, & exiguum numerum verſuum feliciorum; quid ſupererit *Boilæi* Satiris? Hunc igitur Poetam, exemplis adductis, graviter exagitat, ipſe ſatiram cum libello famoſo confundere viſus. Dicenda vero concludit tractationibus de interpretatione, deque veritate, ſcriptiones commendante: quas quidem nos obſervationes non poſſumus non probare; monitis ſolum adjunctis, quod nec adulatio, nec libido vituperandi, capiat partem exquiſitæ veritatis, primumque ſit munus doctorum, videre, ne culpa redarguat ipſos.

Pag. 199. 200. 207. 223. 224. 232. 243.

TRAITE' GE'NE'RAL DU STILE, &c.

id eſt,

TRACTATIO GENERALIS DE STILO, cum tractatione ſingulari de Stilo epiſtolari, per Autorem Obſervationum de Germaniſmis.

Amſtelodami, apud Petrum Mortier, 1750, 8.

Alph. 1 plag. 1½.

Quam *le Batteux*, Vir. Cl, per exercitia tractationes diſtribuens, ingreſſus eſt viam, perſequitur & hic noſter idoneus comes. Exercitiorum hujusmodi ſunt quatuor, *Capita duodeviginti* complexa. Primordia facit contemplatio ſtili gene- Cap. 1 pag. 1.

generalis, quem, regulis datis, ne quidem doceri poſſe,
præ ſe fert Autor, opus nimirum indolis geniique (*du gout*),
Cap. 2 quod obſervationibus ſaltem juvetur & elevetur. Ut autem
pag. 4. eleganter ſcribatur, antea recte ſcribamus oportet. Hinc
enuntiandi ratio dividitur in vulgarem, aut communem, &
nobilem, aut elegantem: quarum illa ſtilum humilem ac po-
6. pularem, hæc autem delicatum ac nobilem, ſiſtat. Commen-
dantur hac occaſione, tanquam primarii, libelli grammatici
Gallorum, *Regnierii*, *Desmaraiſii*, *Buffierii*, *de la Touche*,
Chifletii, *Grimareſtii*, præſertimque *Reſtaudi*, *Vaugelaſii* pa-
riter obſervationes, itemque *Bouhourſii*, nec minus Gramma-
tica generalis & judiciaria celebris *Arnaldi*, *Girardi*que ſcri-
Cap. 3 ptum, quod titulum habet: *Les vrais Principes de la langue*
pag. 7. *Françoiſe*. Progreſſus inde fit ad abundantiam vocabulorum
edocendam, conſiderando, qua ratione lingua quævis expri-
mat vel actiones diverſas, vel res objectas. Inde fit ad lin-
guam Gallicam tranſitus, cujus varii generis vocabula colligun-
Cap. 4 tur explicanturque diſtinctius. Nec opera minore vocabulo-
pag. 57. rum proprietas eruitur, & Abbatis *Girardi Traité des Syno-*
58. *nimes François* variis exemplis ſuppletur. Hisce ſtabilitis,
Cap. 5 ſynonyma ſtili conſiderantur, inque claſſem eandem redi-
pag. 71. guntur ſublimis ac poeticus, mediocris & hiſtoricus, fami-
liaris & dialogicus, comicus demum ac lepide dicax (*le bur-*
lesque). Primum genus efficere putatur enuntiatio ſublimis
& florida; ſequens ſimplex, ſed gravis & ſeria; tertium inter
honeſtorum converſationes uſitata; denique poſtremum ad
72. jocandum ac delectandum accommodata. Quibus dictis, ite-
rum copia vocabulorum Gallicorum adjungitur, ſecundum
hancce ſcriptionis diverſitatem uſurpandorum. Qualis con-
ſideratio ſi quibuslibet in linguis, nominatim in Latina,
fieret; plus inde naſceretur accurationis, neque tam fluctuans
Cap. 6 uſus eſſet. Neque vero ſolum ſunt eligenda vocabula, ſed et-
pag. 79. iam ad accurationem ac perſpicuitatem convenienter ſtilo lau-
Cap. 7 dabili collocanda, quod inprimis exercitio ſecundo præbet ar-
pag. 95. gumentum. Eidem inſervit ellipſis, in lingua Gallica pariter
uſitatiſſima: cujus ſtilo contra pleonaſmus vitium affert; ſin-
gula-

Digitized by Google

gularem autem, eumque diverſum, uſum particula *que;* nec Cap. 9
minus aliquæ locutiones, præſertim hac in lingua tritæ. Mul- pag. 115.
to magis autem huc pertinent, de quibus & ſingulatim agit Cap. 10
Autor, enuntiationes ſublimes, ſuaves, acutæ. Sublimis di- pag. 138.
citur, quæ ſtuporem & admirationem excitat: qua præſertim
occaſione *Corneillii* Tragœdiæ, tanquam inimitabiles, laudan- 143.
tur; *Demoſthenis* autem ſtilus impetu ſem per ferri, ſæpiusque
ſublimis eſſe, putatur, quo capiat potius & vinciat audito-
rem, quam ad ſcopum ſuum adducat. *Le Moine* porro & 144.
Miltonus, alter in Poemate *de S. Ludovico*, alter in *amiſſo*
Paradiſo, potiſſimum eſſe creduntur, apud quos *ideæ hetero-*
geneæ deſcriptionesque juſto grandiores, & cum gigantibus
comparandæ, reperiantur, ſic, ut in puerilem haud raro ſti-
lum delabantur. Sed, ad reliqua genera progreſſi, ſuavem
dici ſtilum, obſervamus, qui rem omnem gratioſis modis pro- 145.
ponat, acutum, qui modo dimidiam, ita tamen, ut hariolari
queat reliqua lector, vel auditor. Accedunt proponendi ra- Cap. 11
tiones delicatæ nativæque. Priores ſunt, ubi grato modo le- pag. 148.
guntur, nec ſine genio judiciove diſcernuntur, enuntiationes.
Poſteriores ſunt, ubi potiſſimum ars occultatur, placens ne- 153.
gligentia proditur. Neque reticentur elegantiæ, figuræ, pro- Cap. 12
verbia. Illa ſuperat vulgarem modum proponendi nobilita- pag. 163.
te gratiaque. Figuras proportio fulcit & comparatio. Pro- 171.
verbia nobili de ſtilo fere penitus excluſa dicuntur. Ad- 177.
mittitur ſolum non vulgare, ſuo loco poſitum, veniaque le- 178.
ctorum, vel auditorum, impetrata, aut certe rogata. Simpli-
cem vero præſertim ſtilum, quod *de St. Marc* in notis addi- 179.
tionum ad *Bolæana* teſtatur, & facetum ornant proverbia,
tempeſtive & cum acumine mixta. Diſputat etiam de uſu 181.
proverbiorum *Gaichies*, Oratorii ſacerdos, excellenti Dialo-
go decimo Sermonum Academicorum, cui præcipue debet
Noſter. Nominantur hic *G. D. B. Dictonnaire des Proverbes* 182.
Françoiſes, avec leur explication & leur origine, Bruxell. 1710,
quod, inde natum, edidit *le Roux*, & *Goujetus* vitu-
peravit; *Dictionnaire comique, ſatyrique, critique, bur-*
leſque, libre, & proverbial, Amſterd. 1718, 8; nec 183.
mi-

Digitized by Google

minus *Dictonnaire des Proverbes François & des Façons de parler comiques, burleſques, familiéres,* &c. *avec l' explication, & les etymologies les plus avérées par P. J. P. D. Z. N. D. L. E. F.* Pariſ. 1749, hoc melius quidem ceteris, ſed nec ipſum diverſum proverbiorum uſum ac pretium ſatis manifeſtans. Huic præterea Noſter ſatis accuratum indicem proverbiorum
Cap. 13 deſtinavit. Tertium exercitium antecedentes obſervationes
pag. 191. velut in ſuccum & ſanguinem convertit; variis ſtili exercitiis
212. ſubjunctis, in quibus potiſſimum eminet *Boilai* Satira IX. cum *παραφράσει,* libero ſermone concepta, juxtaque collocata,
254. cum aliis hujusmodi. Quartum exercitium ſingulatim contem-
Cap. 14 platur epiſtolarem ſtilum. Incipiunt hancce tractationem obſer-
pag. 274. vationes generales, ubi ſimul de variis epiſtolarum ſcriptoribus judicia miſcentur. E. g. de *Balzaco* dicitur inter alia, quod eques Gallicus fuerit eruditiſſimus, in linguis præſertim antiquioribus ac recentioribus, nec eloquentia minus, cum orationis liberæ Gallorum numeros cognoverit primus, cujus ex fonte *Fléchier, Boſſuet, Bourdaloue,* ceterique, cum ſacri, tum civiles, oratores, bibe-
275. rint. Si plauſum non tulerint ejus epiſtolæ, potius ſeculum, quam
Cap. 15 Autorem, habere culpam, cum artem tunc prætulerint naturæ. Se-
pag. 279. quuntur epiſtolæ feſtivæ (*galantes*), ubi, præter indolem, inſignem linguæ, qua ſcribitur, cognitionem, & genii ſeculi reique
Cap. 16 publicæ experientiam, poſtulans, omnes *Voltairii* ad Pruſſiæ Re-
pag. 285. gem epiſtolas refert. Adduntur urbanitatis ſignificandæ aliæque epiſtolæ, quibus conſignandis utiliſſimæ regulæ ſuppeditan-
Cap. 17 tur. Inprimis perſequitur Autor epiſtolas, argumentorum pon-
pag. 299. dere graves, atque negotia tractantes, ut & relationes ac deſcriptiones; ad quas plurimum elegantiæ, accurationis, judicii, re-
306. quirit. Ex antiquitate, tanquam exemplum, hic affertur *Plinii* de Chriſtianis ad *Trajanum* relatio, non ſine Gallica interpretatione
Cap. 18 juxta ſtatim poſita. Tandem agmen claudunt epiſtolæ familia-
pag. 357. res & amatoriæ, cum obſervationibus, ad rem epiſtolarum externam ſpectantibus, paucis quidem illis, ſed primariis. Varii generis & variorum Autorum Gallorum epiſtolæ, tanquam exempla, paſſim adjiciuntur. Quæ ſingula pertinent ad hunc librum diſcendi ſtudioſis quam maxime commendandum.

✠ ✠ ✠

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno MDCCLII.

Pars II.

A SUPPLEMENT TO A BOOK INTITULed: Travels, or Obſervations, &c.

hoc eſt,

SUPPLEMENTUM LIBRI, ITA INSCRIPTI: Itinera & Obſervationes &c. quo objectiones quædam, nuper illi libro factæ, plene & diſpiciuntur & diluuntur, cum Notis & Diſſertatiunculis. Per THOMAM SHAW, D. D. Societatis Regiæ Socium, Collegii, quod ab Edmundo dicitur, primarium Profeſſorem Græcæ linguæ Regium in Academia Oxonienſi.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1746, fol.
Alph. 1 plag. 2, Tabb. æn. 2.

Qui nuper, magnum ſui penes omnes eruditos deſiderium relinquens, vivis exceſſit, eruditus Anglus, *Shavius*, cum, exantlatis terra marique laboribus, itinerum ſuorum, per Africam, Syriam, & Palæſtinam, ſuſceptorum, ac feliciter ad finem perductorum, memoriam condidiſſet, librumque omni eruditionis ſupellectile refertum, cujus inſcriptio: *Travels, and Obſervations etc.* cujusque olim a nobis in his *Novis Actis* mentio facta fuit, quo iſtorum itinerum momenta exponuntur,

Digitized by Google

evulgaſſet, invenit Cenſorem Nobilem Anglum *Pocockium*, qui, cum *Shavii* veſtigia legiſſet, & itinera, ab illo facta, repetiviſſet, ipſiusque *Shavii* præceptis, ad iter recte inſtituendum, uſus fuiſſet, de variis, a magiſtro ſuo viſis atque repertis, deque genuina variorum antiquitatis monumentorum deſcriptione, dubitavit, & ſingulari libro, cujus index eſt: *The Deſcription of the Eaſt and ſome other Countries*, litem movit. Objectionibus, ſibi ab adverſario factis, modeſte reſpondet *Shavius*. Primum diſputationi argumentum exinde natum eſt, quod poſitio veterum urbium, quas *Strabo* in Phœniciæ ac Cœloſyriæ confiniis ſitas eſſe ſcripſit, a *Shavio* determinata recte haud ſit, *Simyræ* ſcilicet atque *Orthoſiæ*. Utramque autem urbem, cujus adhuc rudimenta ſuperſunt, illas veterum eſſe, variis argumentis docetur. Cum enim has urbes inter Narathum atque Tripolim medias eſſe oporteat, cum præterea in illis, ubi *Pocockius* has urbes quærit, locis rudimenta urbium tantæ, quantæ veterum erat, capacitatis haud exiſtant, quæ tamen in loco a *Shavio* indicato reperiuntur, cum denique maritimæ iſtæ urbes fuerint, & quoniam recens nomen *Sumrah* antiquo *Simyræ* reſpondet, uti in multis exemplis fit, quo veteris nominis quædam veluti umbræ in recente deprehenduntur, rudera, a ſe viſa, antiquis iſtis urbibus reſpondere, *Shavius* judicat. Similiter, quod ad *Orthoſiam* attinet, illam rudera, aliquam priſtinæ urbis majeſtatem innuentia, ſignificant, fluviusque Eleutherus & montis Libani marisque vicinia illam civitatem ita definiunt, ut dubitationi locus ſupereſſe haud poſſit. Iisdem argumentis ex ruderum magnificentia pro *Arcadis*, vel *Arcæ*, antiquitate militatur, quam *Pocockius manſionem, ſeu militum ſtationem*, fuiſſe putat. Cur mare mortuum, cum tamen Jordani aliorumque fluentium aquas in ſe recipiat, ſuis litoribus contineatur, nec exundet, litoribusque ſuis excedat, rationem in eo poſuerat *Shavius*, quod aquæ iſtius lacus, ſolaribus radiis excoctæ, diſſiparentur & decreſcerent. Aliter ſentit *Pocockius*, atque, cur hoc ita fiat, rationem in eo quærit, quod ſint ſubterraneæ cryptæ, quæ aquas ſurripiant, inque mare mediterraneum transferant. Sed

erudite

erudite demonſtrat *Shavius*, tantam eſſe vaporum vim, ut Jordani torrens vix tertiam partem fluidi, quod una diſſipatur, ſupplere poſſit. De aliqua civitate Africæ, cum incolis atque vegetabilibus, omnique utenſilium apparatu, in lapidem converſa, diſſeritur. Inviſerat *Shavius* locum, qui in Cyrenaica Libyæ eſt provincia, &, nihil quidquam fide dignum in iſta narratione eſſe, oſtenderat, præterquam quod eſſent in lapidem converſæ conchyliorum imagines, quales ubique eſſe ſolent. Ergo ab iſtis animalium formis in lapidem converſis aliquo jure locus ille petræus dici poſſet. Sed aliam *Pocockius* denominandi rationem invenit, putavitque, ideo petræum hunc locum dici, quod, ex præruptis montium jugis conſitus, ex longinquo intuentibus aliquam urbis devaſtatæ, altis muris cinctæ, effigiem ſiſtat. Nunc locus *Ras ſem* dicitur. Sed tanti momenti fabula eſſe haud viſa eſt, ut diſputatione dignam æſtimaret *Shavius*; ſatisque putat eſſe, miram Arabum credulitatem in ejusmodi fictionibus enarrare. Qua occaſione de lapideis rerum ſimulacris multa exponuntur quam curioſiſſime. Utilior eſt de fluvio ad *Rhinocurum*, an Nilus ſit, diſputatio. Sæpius in ſacris literis, uti *Joſ. XV*, 4, 1 *Reg. VIII*, 65, נחל מצרים, *torrentis Ægyptiorum*, fit mentio, ad quem usque fines Iſraelitarum ſeſe extenderint. Cum ergo *Shavius*, *torrentem Ægypti* Nilum eſſe, putaſſet; *Pocockius* minorem aliquem torrentem, quam Nilus eſt, hac voce indicari, perhibet, maxime cum LXX Interpretes, prope Ῥινόκουρον, ad *Rhinocurum*, locum a Nilo valde diſſitum, hunc rivum fluxiſſe, innuant. Sed *Shavius*, *Strabonis* autoritati innixus, qui nullius, prope *Rhinocurum*, fluvii tanti, ut alicujus provinciæ limes eſſe poſſet, mentionem injicit, alium, præter Nilum, fluvium ab Ægypto dici potuiſſe, negat, provocatque ad eorum fidem, qui, *Rhinocurum*, itinere in Palæſtinam ſuſcepto, cum tangerent, nullius fluvii, qui mari influeret, mentionem fecerunt, quin in illa ipſa regione, ſe ſiti vehementer oppreſſos fuiſſe, conqueſti fuerunt. Adeoque evicit omnino *Shavius*, fluvium Ægypti Nilum, nec incelebris cujusdam oppidi rivulum, eſſe, cum flumen illud, quod in

quæſtione eſt, *Ægypti torrens* dicatur, clarum autem ſit ex *Herodoto, Ægyptios haud eſſe, niſi qui Nilum bibant.* Deinde antiquiſſimæ civitatis, quæ Memphis eſt, origines eruuntur, multaque de illius urbis, ſuper ripis Nili conditæ, diſtantia a pyramidibus hodienum ſuperſtitibus diſputantur, vindicaturque locus, quem *Shavius* huic urbi aſſignat, per rationes diſtantiarum, quas pyramides a Memphi habere, ab antiquis Geographis, *Ptolemæo*, ipſoque *Plinio*, aſſeruntur. Abhinc de incremento Ægypti, & annuo continentis augmento, veluti Nilus alveum mutat, multa ingenioſe in utramque partem diſputantur. De plantis animalibusque Ægypti, a *Shavio* viſis, multa monuerat *Pocockius*; ſed hic contra *Shavium*, Virum Hiſtoriæ naturalis peritiſſimum, fidem haud invenit, quem novimus in plantarum diſquiſitione valuiſſe plurimum, neque facile in aliis Hiſtoriæ naturalis argumentis falſum fuiſſe. Addit adeoque in hac Reſponſione ad objectiones, ſibi factas, multa ſuper his, quæ in ipſo Itinerario ſcripſerat, *Shavius*, de *Muſa*, *palma Thebaica*, de *Hyæna*, quæ lupi ſpecies eſt, de *Uromaſtiche*, lacertæ ſpecie, de docilitate *Lacerti*, ad Muſicam ſaltantis, quod & *Kæmpferi Aſpis*, *Cobra de Capello* dicta, in moribus habet, de *Ibi*, ejusque a *phœnicoptero*, cujus roſtrum inæquale & gibberoſum eſt, differentia. Cum de Struthionis, avis omnium maximæ, vita & moribus diſſeritur, animalis iſtius hiſtoria ad ea, quæ *Jobi XXXIX* exſtant, accommodantur ingenioſe. De *Dorcade*, vel *Antilope*, cervicapra pumila illa Arabum, de *Pygargo*, ſeu *Strepſicerote*, aliisque Ægypti animalibus, multa exſtant, quæ Hiſtoriam naturalem illuſtrare poſſunt. Præ ceteris lectu digna eſt de *Tabula Prœneſtina*, aut opere muſivo, ſeu de pavimento figuris ſtrato, quæ ex minutis verſicoloribus lapillis compactæ ſunt, Diſſertatio, longe uberior illa, quam *Montfauconius Antiquitatum Vol. XIV* tradidit. Accedit icon, ad vivum expreſſa, in qua ſiſtuntur 1) Perſarum obſequium, *Alexandro Magno* præſtitum, aliaque, ad Ægyptiorum mores, ſtudia, civilem naturalemque hiſtoriam, ſpectantia, deſignantur; 2) *Alexander Magnus*, & vectigal, ei redditum; 3) Civitates variæ, Memphis, Babylon, Heliopolis cum puteo, ſacerdotibus & obeliſcis; 4) varia navigio-

giorum genera cum eorundem velis & remis; 5) inter animalia Hippopotamus, Chamæleon, Ichnevmon, Pavo, inter plantas Muſa, Lotus, Sycomorus, Caſſia fiſtula. Denique de itinere Iſraelitarum per mare rubrum eſt diſceptatio, aliusque acceſſionis exercitus Iſraelitici ad iter illud ſubmarinum locus *Pocockio* ſignatur, quam *Shavio* eſſe viſus fuit; ille, transgreſſos Iſraelitas prope ad rubri maris cum deſertis confinia, putat; hic, medium maris alveum peragraſſe Iſraelitas, contendit, ideo, quod ille locus erga montem Sinai directus eſt, & propterea, quod miraculi divini, cum mare ſe in duas columnas erigere, ſiccumque pararet tranſitum, hoc ſupponat, nec potuerit mare inſtar duorum parietum ſeſe ſtabilire, ſi ad finem maris tranſeundum exercitui Iſraelitarum fuiſſet. Accedit ipſorum incolarum aſſenſus, qui, quod a patribus ad filios tranſiviſſe potuit, ipſum hunc vallem, quem *Shavius* locum introitus Iſraelitarum in mare eſſe putat, *Tiah beni Iſrael*, *Tranſitum filiorum Iſrael*, appellat, cui eleganter omnino reſpondet divinum oraculum *Num. XXXIII, 8*, quo populum *pi habhiroth*, *per os, aut medium, vallis*, mare ſubingreſſum, illudque medium pervaſiſſe, proditur. Accedunt ſub finem Vindiciæ Itinerarii, Epiſtola ad Summe Reverendum *Robertum Clayton*, Epiſcopum Clogherienſem, qua populi Iſraelitici iter per deſertum deſcribitur, variæque ſtationes ac manſiones, ſicut in ſacris literis expreſſæ ſunt, præſenti locorum ſtatui accommodantur.

DELL' ANTICHITA', AUTORE, E PREGI dé Sacramentario Veroneſe, etc.

id eſt,

DE ANTIQUITATE, AUTORE, ET PRETIO, Sacramentarii Veronenſis, publicati per P. JOSEPHUM BLANCHINIUM, Congreg. Oratorii, Tomo IV Anaſtaſii Bibliothecarii, Diſſertatio apologetica tripartita Comitis JACOBI ACAMI.

Romæ, ex typographeo Antonii de' Roſſi, 1748, 4.

Plag. 10.

Ad Pontificem Maximum, *Benedictum XIV*, qui nunc Romæ præſidet, Autor formulam dedicationis direxit. Hujus

jus libros *de Servorum Dei beatificatione & Beatorum canonizatione, de Sacrificio Miſſæ, de Synodo diœceſana, de nova Præfatione epiſtolari ad Martyrologium Romanum*, prædicat. Solet Sacramentarium Veronenſe S. *Gelaſio* tribui. Noſter id poſt *Blanchinium* autori aſſignat *Leoni Magno*, in ſinu gaudens, quod indidem videntur doctrinæ approbari, quæ favent præſentiæ reali Jeſu Chriſti in euchariſtia ſancta, divinitati filii Dei, invocationi Sanctorum, cultui ac venerationi ſacrarum reliquiarum, copiæ Martyrum, theſauro Eccleſiæ ſpirituali, Miſſæ pro defunctis, conſecrationi virginum, Eccleſiæ Romanæ primatui, jejunio quadrageſimali & quatuor temporum. Meminimus hoc loco *Bernhardi a Bononia*, Capuccini, S. Theologiæ ibi Lectoris, qui in *Inſtitutionibus theologicis*, Ferrariæ evulgatis A. 1746, 4. expoſuit *Lib. I Quæſt. 7 Tract. I pag. 42 ſeq.* de ſanctorum Patrum autoritate. Horum *doctrinam*, idem docet, *magno cum examine eſſe accipiendam, nec in omnibus, neque ſemper inviolabiliter, a Patrum ſententiis, veluti nunquam defectibilibus oraculis, eſſe fidelibus pendendum.* Laudat ipſe *pag. 43* hoc *Auguſtini Ep. 82* (alias *19*) *Cap. 1: Solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut, nullum eorum autorem ſcribendo aliquid erraſſe, firmiſſime credam. Alios autem ita lego, ut, quantalibet ſanctitate dignitateve præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi vel per illos autores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Necdum demonſtratum ſolide eſt, per *Leonem Magnum* illud ſacramentarium, invocato Spiritu ſancto, publice examinatis ſententiis, conſeſſu eorum, quorum intererat, ea noſſe, & vel recipere, vel repudiare, quæ inibi habentur, coacto, pro regula doctrinæ fuiſſe promulgatum. Sin vero id contigiſſet, *Auguſtini* tamen merito pronuntiatum prævaleret. Miſſali huic tribuit *Leonem Magnum* autorem Eccleſia Pariſienſis in Præfatione ad Miſſale novum, A. 1739 publicatum. *Sacramentarium* eſt liber, continens Miſſas, quotannis celebrandas. Duo tantum Sacramentaria, in uſum Eccleſiæ Romanæ ſcripta, in lucem

cem

cem prodierunt, *Gregorianum*, & id, quod *Blanchinius* edidit A. 1735 ex tabulario Epiſcopali Veronenſi. Hoc alii vocant *Gelaſianum*, alii *Leoninum*. *Gregorianum* evulgavit *Pamelius Tom. II Liturgici* ſui, Coloniæ, 1571, *Angelus Rocca*, Romæ, 1597, P. *Menardus*, Pariſiis, 1742, & editores poſtremi Operum S. *Gregorii*. *Gelaſianum* publicavit Ven. *Thomaſius*, Purpuratus, Romæ A. 1680. Id inſeruit *Blanchinius* prolegomenis ſuis ad *Tom. IV Anaſtaſii Bibliothecarii*, antiquius illo, quod ediderat *Thomaſius*. Noſter tractat momenta de antiquitate Sacramentarii Veronenſis, id ſcriptum fuiſſe in uſum Eccleſiæ Romanæ, contendens. Hæc ad *Partem primam* ſpectant. Credidit *Jacobus Basnagius Hiſt. Eccl. T. II Lib. XVI Cap. 10*, id ad ſecula referendum eſſe nobis propiora. Noſtro videtur id fuiſſe compilatum Seculo V. Hæc ediſſeruit *Parte ſecunda*, *Leoni Magno* illud ut tribuat, lacertos omnes movens. *Parte tertia* de utilitate, ad doctrinas & ritus quadrante, exponit, *Parte quarta*, eaque poſtrema, heterodoxos exinde confutaturus.

En argumenta, quibus inſtructa eſt *Pars prima*. Memoratur paſſim ad Martyrum memorias votum de *conſtantia*, de *firma perſeverantia*, de victoriis Martyrum, *per cuncta mundi ſpatia* propagatis, de *populo Chriſtiano ſolidando per firmam patientiam*, de *exemplis patientiæ ſublimibus* non defugiendis. Non videntur hæc ad perſecutionum procellas, quibus ſuccubuerit tunc Eccleſia, trahenda, ſiquidem inter tranquillitatem exorandum quoque eſt conſtantiæ in perpeſſionibus munimentum. Fit mentio *Silveſtri*, Epiſcopi defuncti, in *Sacramentario pag. 11 col. 1*, adjectis precibus, ut ille perpetua ſanctorum Dei ſocietate lætetur. Oblatio tunc dicitur in Epiſcopi commemoratione *ſuppliciter oblata*. An ejusmodi oblatio, quæ viguit jam ſeculis primis, ſit *Miſſa ſuffragii*, dubitamus. Oblatio latius patet, quam miſſa. Solebant offerri nonnulla die anniverſario in uſus Eccleſiæ, ut ſignificaretur, Epiſcopum in communione Eccleſiæ fuiſſe defunctum, ejusque memoriam eſſe cœtui ſacro præſtabilem viſam. Adſcendentibus e fonte laſtrico in vigilia Pentecoſtes data fuerunt mel Pag. 18.

&

Pag. 20. & lac, Sacramentario teſte. Inde Autor colligit ejus Sacra-
mentarii antiquitatem. At nono demum Seculo mos ille de-
ſiit in Eccleſia Romana. Teſtamur epiſtolam *Joannis Dia-
coni* apud *Edm. Martenium de Ant. Eccl. ritibus I, 1, Art. 15,
n. 16, pag. 147, Tom. I.* Veritati id congruit, in Sacramentario
Veronenſi laudari verba, deſumta ex veteri verſione Itala, ſeu
23. Latina. Verum hæc perſtitit paſſim ultra Seculum nonum.
De Miſſa Confeſſorum in illo nihil legitur. Inde intelligitur,
Eccleſiæ paſſim placuiſſe indies ritus novos, ac doctrinæ mu-
tationem identidem exiguam, excreſcentem tandem latius.
Obviæ ſunt in Sacramentario illo formulæ: *Offerimus tibi,
Domine, fidelium tuorum ſolennia; Deus, oblationes familiæ
24. tuæ propitiatus intende.* Fideles omnes ea ætate obtulerunt
panem & vinum. Mos ille ibi diu viguit, ubi e publico, vel
reditibus annuis, ſumtus euchariſtici non dependere ſolebant.
26. Virginum ſacratarum oblationem ſpecierum euchariſticarum
in Sacramentario Veronenſi novimus memorari, ac propterea
nomina oblata earum recitata fuiſſe ante altare. *Auguſtinus*
morem attingit *Tom. II Antwerp. Ep. III* (alias 121). Nihil ibi
traditur de Subdiaconis, licet ordinis ſacri fiat mentio. Me-
morantur indidem *trini gradus miniſtrorum, Epiſcopus, Pres-
byter, & Diaconus.* Subdiaconorum fit demum mentio in Con-
cilio Laodiceno & Agatenſi. At hi omnino paſſim exſtite-
runt, antequam ordini miniſtrorum eccleſiæ eximio fuerunt
29. adſcripti. Deſævientibus eis, qui Chriſtianis incubabant, in-
ſectationibus, Chriſtiani adhuc in cœmeteriis coierunt ad ce-
lebrandam ibi ſacram euchariſtiam in natalitiis ac vigiliis Mar-
tyrum Seculo VIII. Memoratur idem ritus in Sacramenta-
rio Veronenſi æque ac feſtum adventus *Petri* Romam ad 25
31. April. Adjicitur hoc etiam, quod Deus *in omni loco domi-
nationis ſuæ magnificet Petri poteſtatem, ubicunque ea fuerit
invocata.* Videtur legendum eſſe *poteſtatem ſuam*, id eſt,
Dei ipſius. Quis enim invocavit unquam *Petri* poteſtatem?
Nihil vero ibi legitur de fundata tunc Romæ cathedra *Petri.*
Septimo Seculo, Noſter ſic tradit, celebritas illa adventus
Petri fuit obſcurata. Erunt, qui ſuſpicabuntur, *Petrum* ad

25 Apr.

Digitized by Google

25 Apr. graviora ſuiſſe paſſum. In Sacramentario Veronenſi inter octavam Apoſtolorum *Petri & Pauli* interjicitur feſtus *omnium Apoſtolorum* dies. Id inficiandum non eſt, in Sacramentario illo preces dirigi continuo ad Deum, nunquam ad Sanctos; *merita* Sanctis tribui, id eſt, bona, quæ impetraverant, glorioſa; Sanctos vocari *intercesſores*; pro requie demortuorum preces ad Deum fuiſſe directas; Deum precibus cœlitum ſanctorum exoratum, & exorari ſolitum, memorari. Quid tunc fuerit *meritum*, elucet ex eo, quod Deus dicitur Epiſcopo *meritum donaſſe Pontificale*, id eſt, bonum Epiſcopi munus. Id ſingulare eſt, quod in Sacramentario celebratum legitur feſtum, cum octava conjunctum, omnium ſanctorum Martyrum & *Confeſſorum*. Hoc vero S. *Mariæ* ad Martyres & *Confeſſores* feſtum traditur *Bonifacius IV* inſtituiſſe Seculo VII, teſte *Anaſtaſio* Bibliothecario. Id argumenti omnino indicium complectitur antiquitatis minoris ea, quam Sacramentario Noſter adſcribit. Nemo tunc auſus fuit Sanctos invocare. Ita potius Deum oravit Eccleſia Latina: *Cunctos Martyres tuos, Deus, fac orare pro nobis*. Id negari nefas eſt, in Calendario S. *Gregorii Magni* hæc legi: *Dedicatio Baſilicæ S. Mariæ ad Martyres*. At de *Confeſſoribus* nihil in eo additur, nec verba illa in ſingulis leguntur Calendarii MStis. Sacramentarium in Romanæ Eccleſiæ uſum, puta recordationis cauſa, omnino fuiſſe conſcriptum, Autor argumentis ſat evidentibus confecit & conſecutus eſt. Si quid augurari licet, id Presbyteri cujusdam fuit opus, variis e libris collectum, & a ſucceſſoribus auctum autoritate privata. Si *Leonis Magni* una autoritate liber exiiſſet, ipſe, vel ipſius Autores coævi, mentionem rei tam commemorabilis vix omiſiſſent intactam. Sanctos *fides juſtificaſſe* dicitur, fides, qua *crediderunt in Jeſum Chriſtum, filium Dei*. In Sacramentario eodem dicitur Deus Apoſtolos *totius Eccleſiæ* Chriſti *præſtitiſſe paſtores* ac *vicarios*. Ab Apoſtolica *Petri* confeſſione arceſſitur ibidem *principatus totius Eccleſiæ*, ſedi S. *Petri* tributus. Principatus vero iſte in eo collocatur, ut teneant ceteri Chriſtiani, *quicquid ſedes illa cenſuerit*, puta congruenter *Jeſu* & Apoſtolorum doctrinæ.

Pag. 35. 38. 41. 46. 48.

næ. Succeſſio enim in ſedem conjuncta ſit oportet cum ſucceſſione in doctrinam Jeſu & Apoſtolorum, teſte *Tertulliano de Præſcript. hæret. Cap. 21,* & *Apol. Cap. 20.* Unum Epiſcopum ditioni, vel poteſtati, alterius ſubeſſe, negavit *Cyprianus Ep. XXXIII, 69, 73. Gregorius Magnus Lib. V Ep. XVIII, 20, Cypriano* ſuffragatur. Ut vero Cel. *Acamius* doceat, Sacramentarium Veronenſe a *Gelaſio* haud fuiſſe profectum, argumenta haud una expromit. Potiſſimum eſt illud, quod a
Pag. 51. diſſenſu *Gelaſii* deſumtum eſt. Hic in decreto *Gelaſiano Tom. IV Concil. ed. Labb. col. 1262, Petrum* ac *Paulum* eodem die martyrio Romæ coronatos eſſe, eſt autor. In Sacramentario autem Veronenſi martyrium utriusque in tempus diſcretum rejicitur ac prorſus diverſum. In decreto *Gelaſiano, hæreticos* ita *garrire*, editur. An *Gelaſius* conjecit *Leonem* in claſſem hæreticorum? In Sacramentario traduntur ea de *Clemente Romano*, quæ in fabulis *Recognitionum Clementinarum* leguntur. Haſce vero *Recognitiones* novimus decreto *Gelaſiano* ad apocrypha fuiſſe amandatas. In Sacramentariis igitur legi ſubinde falſa & apocrypha, quis dubitabit? An, *Leone* autore, fabuloſa pro veris fuerunt habita & publicata? Mallemus, ut *Leoni* hæc haud impingerentur. Merita enim ejus in doctrinam Chriſtianam veneramur. At quidni erratum hiſtoricum & criticum ab eo haud fuit alienum? Haud quadrant hæc ad *Gelaſii* ætatem, qua *Theodoricus*, Gothorum
58. Rex, imperabat Romæ, enuntiata: *Protege Romani nominis ubique rectores, Romanis auxiliare Principibus, Romani nominis defende rectores, protege Romani nominis ubique rectores, Deus.* Spirant formulæ ætatem diviſi inter Imperatores imperii, ac Romam indicant, adhuc Imperatoribus obtemperantem. Operoſe oſtendit Autor, quanta ſit concordia Sacramentarium inter & ſententias *Leonis.* Si *Augerio* Biterrenſi eſt accedendum, formula *vere dignum, vere dignum & juſtum eſt*, a *Gelaſii* inſtituto fuit exorta. Vide *pag. 40 Tom. III Part. II Script. rer. Ital. Muratorii.* Formula illa identidem in Sacramentario recurſat. Id, quod apud *Acamium pag. 65* legitur, e Sacramentario decerptum, quam proxi-

Digitized by Google

proxime ad *Leonis* verba continuata accedit. Legerit oportet *Leoniana* ſcripta, qui confecit illud Sacramentarium. Recurrunt omnino plura ejusmodi ſpecimina, eaque luculenta. Pag. 64.
Primatum *Petri* & cathedræ Romanæ *Leo Magnus* ardenter ivit 76.
vindicatum. Eadem mens ſedit ei, qui Sacramentarium compilavit. Ex quo enim *Theodoſius II* A. 421 juſſerat Conſtantinopolin prærogativa Romæ veteris lætari, & *Theodoſius I* jam Patriarcham Conſtantinopolitanum voluerat exiſtimari Romano æqualem, argumenta ad primatum propugnandum fuerunt conquiſita, atque repetita poſthæc iterum iterumque. Ex æqua- 89.
litate & ſimilitudine phraſium *Leonis Magni* & Sacramentarii Veronenſis Cel. *Acamius* pateſcere contendit, hujus autorem potiſſimum fuiſſe *Leonem*. Confugit præterea ad ſententiam, Sacramentario approbatam, quæ doctrinis *Neſtorii* ac *Eutychetis* dilucide repugnat. Nec tamen ex profeſſo doctrinæ utri- 98.
usque pſeudodidaſcalorum refutantur in Sacramentario, ſi preces die feſto S. *Joannis* Evangeliſtæ *pag.* 55 *col.* 2 *n.* 11 exceperis, quæ tamen in tempora, Seculo V poſteriora, æque quadrant. Videtur genius Manichæorum inſidioſus in Sacramentario ad cavendum fuiſſe propoſitus. *Leo* certe illud in- 102.
genium impudicum & mendax admodum abhorruit. Ipſe etiam *Gelaſius* Manichæos pervicaces æque Roma per judices in exilium ejecit, reliquos correxit, eosque juſſit utramque eu- 107.
chariſtiæ ſumere ſpeciem, uſus hac ratione, *quia diviſio unius ejusdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.* Magni ponderis ratio, oblivioni eximenda! An in Sacramentario ad Manichæos reſpiciat tecta oratio, non ſatis eſt facile definitu. Autori id viſum fuit probabile haud ſecus, ac mentio crebra, Sacramentario de peccato originali inſerta, oppoſita Pelagianis per *Leonem*, licet ipſe Autor haud neget, *Gela-* 111.
ſium ex profeſſo contra Pelagianorum errores ſcripſiſſe. In Sacramentario injicitur mentio liberationis ab imminentibus periculis, & ab infeſtis hoſtibus, & præcipue hujus formulæ: *Sicut corporum ferales exſtinguis inimicos, nec captivitatem,* 113.
quam extrinſecus ſubmoviſti, ſuſtinere nos patiaris internam. Autor credit, hæc pertinere ad direptionem Romæ, quam *Attila,*

animo conceptam, A. 452 ad eloquentiam *Leonis Magni*, cum
Pag. 118. præfecto prætorio legati, dimiſit. Vandalorum Rex, *Genſe-*
ricus, A. 455 Romam expilavit per 14 dies. Huc videtur ſpe-
ctare locus Sacramentarii *pag. 27 col. 2 num. 6.* De tranquil-
litate, conſecuta deprædationes, non unis agitur locis ad Ju-
121. lium & Auguſtum menſes. Obſtare tamen videntur 14
dies, direptionibus, teſte *Proſperi* Chronico, inſumti a Van-
dalis, licet Autori viſum fuerit, id a *Proſpero* haud fuiſſe me-
moratum. At *Proſper* id omnino narravit, cujus verba Au-
tor dedit *pag. 118*. *Tillemontius*, *Proſperum* ſecutus, ita recte
tradidit, præter fas & meritum Autori vapulans *pag. 123.* Ar-
gumenta P. *Merati*, qui Sacramentarium Veronenſe tribuit *Ge-*
125. *laſio*, Autor facile refellit. Collecta in obitum *Simplicii*, Epi-
ſcopi Romani, † 483, quæ in Sacramentario habetur, & *Leone*
Magno eſt junior, firmat ſententiam noſtram, id pedeten-
127. tim fuiſſe auctum ex variis Miſſis ac Collectis. Interpolatio-
nem Autor concedit contigiſſe, aut, librarium *Silveſtri* no-
men mutaſſe in illud *Simplicii*, credendum arbitratur.
Ut eruat diem, quo *Leo Magnus* fuit in Epiſcopum con-
129. ſecratus, nulli parcit operæ, ſuffragatus *Paſchaſio Queſnello*,
qui pro undecima Aprilis militavit, confiſus antiquiſſimo *Ache-*
riano Calendario. *Joſephus Auguſtinus Orſi* animum induxe-
rat ad credendum, non id, quod *Thomaſius* edidit, eſſe ve-
rum Sacramentarium *Gelaſianum*, ſed illud potius, quod evul-
gavit *Blanchinius*. Ut hanc ſententiam removeat Noſter, co-
pioſum diſputationis campum ingreditur. Eandem diligen-
tiam transfert ad examinandam P. *Amort* opinionem, qui, Col-
149. lectas *Sixti III* ſe, putaverat, in Sacramentario Veronenſi inve-
niſſe. Acta Synodi Romanæ in cauſa *Sixti*, & epiſtola hujus
ad Epiſcopos orientales, plurimis optimiſque Criticis videntur
eſſe ſuppoſititia. Labant igitur ea univerſa, quæ illis ſuper-
165. ſtruuntur. *L. A. Muratorius* non negavit, in Sacramentario Ve-
ronenſi, quod omnino ad eccleſiam Romæ ſpectaverit, eſſe
multa, quæ ad S. *Leonem* ſint referenda. At negat, hunc ſo-
lum fuiſſe ejus autorem, ratus, collectorem plurium Epiſco-
porum Collectis congerendis fuiſſe intentum, & ad *Gelaſium*

usque

Digitized by Google

uſque decurriſſe, ac ordinis minus fuiſſe ſtudioſum, paſſimque ea immiſcuiſſe, quæ gravitas rei euchariſticæ maluerit malitque abeſſe. Sic ſenſit *Muratorius* in *Diſſ. de rebus liturgicis Cap. 3*, quam ſubjecit *Liturgia Romana veteri, tria Sacramentaria complectenti, Leonianum ſcilicet, Gelaſianum, & antiquum Gregorianum*, publicatæ Venetiis A. 1748, fol. Reſpondet Noſter ad ſingula, peritiam Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ubique ſummam oſtendens. Inſolitum ſane videtur jejunium in vigilia Pag. 188.
Pentecoſtes, memoratum in Sacramentario Veronenſi. Monet Noſter, imminuiſſe tunc A. 455 Romæ cum Vandalorum exercitu *Genſericum*. Ex quo monumento intelligitur, collectorem coacervaſſe particularia quæcunque, non attendiſſe ad conſuetudinem unius alteriusque Eccleſiæ anniverſariam. Et hæc eſt ratio, cur, collectionem eam, exiſtimemus, fuiſſe unius alteriusque Presbyteri domeſticam & privatam. Nec tamen a *Gelaſii* ætate jejunium vigiliæ pentecoſtalis prorſus fuit alienum. In Sacramentario jam porro fit mentio diei, qui Ar- 190.
changelo *Michaeli* erat ſacer. Contendit Noſter, eum jam celebratum fuiſſe ante A. 536, quo Archangelus ille in monte Gargano dicitur apparuiſſe. Martyrologium *Hieronymi* Lue- 192.
cenſe ad 29 Sept. hæc jam habet: *Romæ miliario ſexto dedicatio Baſilicæ Angeli Michaelis*. Novimus tamen, Martyrologiis ſubinde nonnihil fuiſſe inſertum. Cel. *Acamius tertia Parte* Diſſertationis ſuæ pugnat contra hæreticos, monens, in Sacramentario Veronenſi mentionem injici realis præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti. Addere potuiſſet & hoc, Seculo quinto & corpus & ſanguinem Chriſti ab omnibus Miſſæ adſtantibus fuiſſe ſumtum ex univerſali uſu ac conſuetudine. Promittit ipſe, propediem proditurum eſſe librum ſuum, *Sto-* 197.
ria della Preſenza reale di Geſu Criſto nella diviniſſima Eucariſtia inſcriptum. Divinitatem Jeſu declarat id, quod ſæpe laudavimus, Sacramentarium. Interceſſio ac ſupplicatio tribuitur in 201.
eo ſanctis cœlitibus pro Eccleſia militante; at nemo hominum memoratur, qui preces ad illos ſanctos direxerit. Duæ & diverſæ ſunt enunciationes: *Sancti cœlites Deum invocant pro eccleſiæ militantis ſalute generatim; Sancti cœlites ab homini-*

 bus,

Digitized by Google

bus, hanc vitam fragilem viventibus, ſunt invocandi. Si priorem facimus noſtram, nondum ad alteram amplectendam ſumus devincti. Veremur igitur, ut Autori hæc differentia fuerit ſatis ob oculos verſata. Si fide Sacramentarii ſtandum eſt, ſancti cœlites non ſunt a nobis invocandi. Memorabile eſt, pronuntiatum Sacramentarii, docentis, B. *Petrum* Apoſtolum eſſe præſentem per Dei diſpenſationem, *ubicunque* ejus *poteſtas*
Pag. 203. modo *pretioſa reverentia* fuerit *invocata*. At abeſt ab omni Sacramentario formula, in hunc modum conformata. Nec metiuntur univerſi Chriſtiani capita doctrinæ ex libellis liturgicis, præcipue iis, quorum autoritas, & certa & univerſe recepta, nondum eſt ad liquidum perducta. Honorant & venerantur angelos cœliteſque ſatis recte, judice *Auguſtino*, illi, qui eos colunt cultu, quo coluntur ſancti homines in hac vita.
205. Venerantur Romano-Catholici reliquias Sanctorum, non adorant. Ita monet Noſter. *Henrico Dodwello*, paucitatem Martyrum propugnanti, Cl. *Acamius* ex Sacramentario opponit *innumeram ſanctorum Dei multitudinem, quibus pro Chriſto pati poſſe donatum fuerat; innumerabiles Martyras; ſegetem glorioſarum paſſionum.* Eccleſiæ dari theſaurum ſpiritualem, eumque indulgentiarum, contendit ex Sacramentario eodem evin-
208. cere. Oblationes pro animis defunctorum, ac purgationem, & viventibus & defunctis per ſacrificia utilem, in eo invenit, nec non alias doctrinas, ſibi approbatas. Diligentiæ ejus meritiſſimum habemus honorem.

RACCOLTA DI SCRITTURE CONCERNENTI la Diminuzione delle Feſte di Precetto, etc.

id eſt,

SYLLOGE SCRIPTORUM, QUÆ SPECTANT AD Feſtorum præcepti diminutionem. Accedit reſponſoria LAMINDI PRITANII ad Epiſtolam Purpurati Romani QUIRINII, ejuſdem argumenti.

Lucæ, ex typographeo Philippi Mariæ Benedini, 1748, 4. Alph. 1 plag. 7.

Bene-

B*enedictus IV*, qui nunc orbi Eccleſiaſtico Romano-Catholico præſidet, glorioſe imminuit paſſim ad deſideria nationum feſtos dies, qui per templorum rationes domeſticas tolli potuerunt. Quicquid ſcriptorum, ad hoc argumenti ſpectantium, foras datum & publicatum fuit, typographus ſolicite collegit, ediditque maximam partem uno volumine. Scripta Lector deprehendit in hoc faſce *duodecim*. Principatum tenet Commentatio Pontificis Maximi, *Benedicti IV*, deſiderio nationum, feſtorum imminutionem anhelantium, accommodata, ab alveis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ perfuſa, varia reſcripta & conſtitutionem *pag. 41* exhibens Pontificis, quarum interventu precibus juſtis Patrum & Epiſcoporum ſatis eſt factum. Excipit illud ſcriptum indulgentia, vulgo *Indultum*, *Alexandri Borgiæ* ſcilicet, ſpectans ad præceptum ſe abſtinendi ab operibus ſervilibus in feſtis nonnullis, ac reformans varios abuſus nævosque ejusdem præcepti, habita ratione dominicorum aliorumque feſtorum anni dierum. Conſtat inter omnes, *Borgiam* hunc eſſe *Firmianum*, Archiepiſcopum ac Principem. Succedit ſcripto huic Epiſtola prior Eminentiſſ. *Quirini*, Epiſcopi Brixienſis, ad Archiepiſcopum eundem. Reſpicit Purpuratus Pag. 52. ſtatim ad *Bernhardi Epiſtolam 172*, qua hic lacertos movit contra novitatem feſtorum, ac præcipue illud, quod tunc parabatur, *feſtum conceptionis Mariæ Virginis*. Monet Purpuratus Emin. *Bernhardum* haud meminiſſe diminutionis numeri feſtorum, ſed obſtare novis inducendis. Ipſe diminutioni illi haud favet, nec ſuis *Indultum* impertivit, refugiens potius 57. ad catecheticam præcepti tertii expoſitionem, in diœceſi ſua receptam, & illud *Bernhardi* repetens: *Num quid Patribus doctiores ac devotiores ſumus?* Perſiſtit ipſe in conſtantia ſua, eandemque Epiſtola poſteriori ad Archiepiſcopum haud im- 59. mutat. Subjiciuntur hiſce Epiſtolis duæ reſponſoriæ Archiepiſcopi, *Indulto* patrocinantes, ac in exponendis *Bernhardi* ſententiis occupatæ, nec non ad celebrem Conſtitutionem *Urba-* 77. *ni VIII pro obſervatione Feſtorum* ſpectantes. Contendit Archiepiſcopus, literas bullatas bene multas Pontificum eſſe revocatorias, moderatrices, immo reductrices *ad terminos ju-*

ris,

Digitized by Google

ris, diſpenſationibus ac *indultis* plenas. Meminit variationis feſtorum, quam attigit S. *Antoninus*, Archiepiſcopus Florentinus, in *Summa Tit. 9 Cap.* 7 ad §. *Sunt autem.* Opponit conſtantiæ *Quiriniana* argumenta haud una. Subjunxit hiſce
Pag. 102. Eminent. *Quirinus* articulos, meditatius ponderandos. Accedunt meditationes Archiepiſcopi, quibus illi articuli opero-
109. ſius expenduntur. Ad idem argumentum refer *Homiliam* Archiepiſcopi, in baſilica ſua ſacra inter officium Miſſæ Pontificale Apoſtolorum *Petri* ac *Pauli* recitatam, cujus exordium proficiſcitur a *Benedicti XIV*, P. M. Conſtitutione, quam ſupra diximus. Succedit Homiliæ apographum *Capitis XXI* libri *de Devotione ad regulam redacta*, quem perſonatus *Lamindus Pritanius* evulgavit, Pontificis S. a mente non abludentem. *Pritanium* fuiſſe *L. A. Muratorium*, fama dudum vulgavit. Deſideramus hic Reverendiſſ. Principis Abbatis *Bernhardi de Frankenberg* Epiſtolam, diminutioni feſtorum faventem. Epiſtola, quam ei Eminentiſſ. *Quirinus* modeſte oppoſuit, antiquum obtinens, hoc loco apparet. Provocatur inibi denuo ad *Urbani VIII* Conſtitutionem. Tum
144. vero *Lamindi Pritanii* ſequuntur vindiciæ pro ſcriptis ſuis de feſtorum diminutione. Paſſim ad ea, quæ Eminent. *Quirinus* in contrarium monuerat, copioſe reſpondet. Credent haud pauci, Autorem hic operam haud perdidiſſe. Subjungitur Sylloge diœceſeon, in quibus numeri feſtorum facta eſt imminutio.

LA MOLTIPLICITA' DE' GIORNI FESTIVI, CHE oggidi ſi oſſervano di precetto, autorizzata da tutti i Sommi Pontefici di dugento e venticinque anni, etc.

id eſt,

NUMERUS DIERUM FESTORUM, QUI noſtra ætate ex præcepto obſervantur, ſtabilitus autoritate omnium Summorum Pontificum inde ab annis 225, nominatim Clementis VII tempore ad Benedictum XIV; Epiſtola A. M. Cardinalis QUIRINI, Epiſcopi Brixienſis, ad Italiæ Epiſcopos.

Vene-

Venetiis, apud Petrum Baſſagliam, 1748, 4.
Plag. 4½.

Tanta eſt Pontificis Summi, *Benedicti XIV*, indulgentia, ut ob
veritatis inveſtigationem majorem non ægre ferat mode-
ſtas de argumentis liturgicis diſputationes. Ad Archiepiſcopum
Firmanum jam exſtant duæ Epiſtolæ Eminent. Purpurati *Qui-
rini*, a tollendis quibusdam feſtis alienæ. Habentur eæ in
Sylloge Piſana, quæ argumenti hujus epiſtolas complectitur.
Totus in eo eſt *Quirinus*, ut neget, licere ad celebrationem
feſtorum quorundam tollendam progredi. Archiepiſcopus
Firmanus ſibi perſuadet, Pontificem Romanum ſecundum jus
faſque poſſe decreta & indulta majorum ac deceſſorum re-
ſtringere, noviſque decretis mutare. Contrarium tenet Emi-
nentiſſ. *Quirinus*, verens, ne ex indultis novis naſcatur detri-
mentum regulis ac inſtitutis ſuæ religionis, ac præcipue con-
ſtitutioni hujus argumenti, *perpetuo valitura*, ab *Urbano VIII* Pag. 4.
profectæ. Credit, Indultum, *Firmano* Archiepiſcopo imper-
titum, impingere in judicium, ſemel intra & poſt conſulta-
tiones Purpuratorum, ritibus præpoſitorum, factum. Memi-
nit admonitionum, a quibusdam Epiſcopis imminutioni feſto-
rum oppoſitarum. Conqueritur de Indultorum novitate. Pau-
perum rationem in eis eſſe habitam, monent multi. Inpri-
mis perſonatus *Lamindus Pritanius* urſerat id argumenti. Id
Noſtro videtur dignum, quod ſuam vocet ſub cenſuram. Ex- 7.
probrationem *Lamindi*, in onus feſtorum conjectam, putat,
redundare in probrum Pontificum ſummorum, inde a *Cle-
mente VII* & *Urbano VIII* ad *Benedictum* usque *decimum quar-
tum* Eccleſiæ Romanæ præſidentium. Reſpondet, *Pritanium*
infregiſſe poteſtatem Pontificum per intentatam feſtis diebus
imminutionem. Laudat volumen literarum bullatarum Pontifi-
cis *Benedicti XIV*. Laudat animum Pontificis, qui in provinciis,
ditioni ſuæ politicæ ſubjectis, non generatim feſtos dies immi-
nuit. *Pritanius* laudat illud Pontificis *non obſtante*, quod *Gre-
gorius XIII*, aliique Papæ, adhibuerunt, & *Benedictus XIV* adhi-
buit ad literas *Urbani VIII* bullatas, ad feſta pertinentes. Epi-
ſcopi XIV Italiæ indultum imminuendi feſta obtinuerunt.

Digitized by Google

Vidit Em. *Quirinus* duorum Epiſcoporum, *Firmani* & Aſcolenſis, literas ejus rei paſtorales. In eis notare nonnihil non
Pag. 13. intermittit. Monet, Pontificem Summum eo tempore, quo evectus fuerit ad Pontificatum, jam noviſſe argumentum querelæ, a nimio feſtorum numero deſumi ſolitæ. Remittit Lectorem ad illud Card. *Contarini* pronuntiatum: *Faceſſat, Deum immortalem precor, a Chriſtianis hominibus hæc impia doctrina. Non igitur pro arbitrio conſtituat leges Pontifex. Non pro arbitrio abroget. Non pro arbitrio diſpenſet; ſed ſequatur regulam divinorum præceptorum, regulam caritatis, quæ in Deum omnia dirigit, & ad bonum commune, quod eſt maxime divinum, ad bonum tandem proximi cujusque,*
18. *ſecundum Deum. Pritanium* deinde notat. Subjicit hiſce autoritatem *Clementis VII, Pauli III, Pii V, Clementis VIII, Gregorii XV, Urbani VIII, Alexandri VII, Clementis IX* & *X, Innocentii XI, Benedicti XIII, Benedicti XIV,* ut eam, quantum ad feſtorum imminutionem, pauperibus indultam, atti-
31. net, *Pritanio* opponat. Vertit id vitio *Pritanio*, quod hic inter ſecula barbara, & cognitioni divinorum infeſta, ac ſecula meliora & lucidiora, diſtinxerat. Linguam hanc in Lutheranum vel Calvinianum quadrare, Purpuratus arbitratur, con-
35. fugiens tandem ad ſanctionem *Urbani VIII* pragmaticam, perpetuo valituram. Quis credidiſſet, Card. *Quirinum* tam arcte inhæſurum dogmatibus liturgicis quibusdam, ut ne quidem indulgentiam Pontificis ſui Summi in neceſſitates & inopiam hominum ferre poſſit, niſi ipſe nobis oculatam opinionis ſuæ fidem facere voluiſſet?

DEL CONGRESSO NOTTURNO DELLE LAMIE Libri tre di GIROLAMO TARTAROTTI, etc.

id eſt,

DE CONGRESSU NOCTURNO LIBRI TRES HIERONYMI TARTAROTTI, Rovigienſis Accedunt Diſſertationes duæ epiſtolares de Arte magica ad Illuſtriſſimum OTTOLINUM OTTOLINI, Nobilem Veronenſem, Comitem Cuſtoſiæ, &c.

Rovigi,

Digitized by Google

Rovigi, impenſis Joannis Baptiſtæ Paſquali, 1749, 4.
Alph. 2 plag. 16.

Quanto plures de hoc argumento vel copioſe, vel ſtrictim, commentati fuerunt, tanto pluribus ſpinis & myrmeciis involuta fuit ejus rei tractatio. Præſtat enim nonnunquam cedere ſuperſtitioni, quam veritati. Maxima ſcriptorum caterva alveo navigat ſecundo, inhærens antecedentium veſtigiis. Innexa fuit materies cogitandi de lamiis translationibus Codicis ſacri. Adſtricta illa fuit legibus civilibus & eccleſiaſticis. Quis latum unguem ab his normis diſcedere auſit? Urgent nos & pæne opprimunt volumina Caſuiſtarum, qui de rebus magicis tractant. Et quis hiſcere ſuſtinebit adverſus phalangas Hiſtoricorum, qui res magicas narrationibus ſuis intexuerunt? Vergente ad finem Seculo XIV, ſanguis & vita ſtrigum, ſeu lamiarum, cœperunt in periculum adduci, & magica phantaſia ſupplicio conſtitit. *Samuel de Caſſini*, Franciſcanus, negavit, dari ſtrigiportium, & ſagarum per aera diſcurſiones. Antagoniſtam ipſe expertus fuit *Joannem Dodonem*, Dominicanum, cujus chorda oberravit æque *Joannes Nider*, Dominicanus, in operibus, quibus eſt index: *Myrmecia Bonorum, ſeu Formicarium ad exemplum ſapientiæ, de Formicis*, item *de Viſionibus & Revelationibus. Nicolaus Jaquerius*, æque Dominicanus, in *Flagello hæreticorum faſcinariorum* cautius ſcripſit. Cruentum lamiis exhibuerunt ingenium *Petrus Marmor*, Limoſinus, Profeſſor Theologiæ Pictavienſis, in *Flagello maleficorum*. Eundem tramitem inſtiterunt *Henricus Inſtitor* & *Jacobus Sprenger* in *Malleo maleficarum*. Adverſus hoſce ſanguinarios calamum arripuit *Alphonſus Spina*, *Franciſci* familiæ aggregatus, ἀνωνύμως in *Fortalitio fidei*. Idem ſenſit *Ambroſius Vignatus*, JCtus, Eques Lodigianus, in libro *de Hæreſi*, nec non *Ulricus Molitor*, Conſtantienſis JCtus, ac Ticini Profeſſor, in *Dialogo de Pythonicis mulieribus*, conſecrato *Sigiſmundo*, Auſtriæ Archiduci, A. 1480, *Malleo maleficarum* inſerto, licet *Molitor* omnia tribuerit ludibriis, imaginationis corruptæ fœtubus. Seculo

næ. Succeſſio enim in ſedem conjuncta ſit oportet cum ſucceſſione in doctrinam Jeſu & Apoſtolorum, teſte *Tertulliano de Præſcript. hæret. Cap. 21*, & *Apol. Cap. 20*. Unum Epiſcopum ditioni, vel poteſtati, alterius ſubeſſe, negavit *Cyprianus Ep. XXXIII, 69, 73*. *Gregorius Magnus Lib. V Ep. XVIII, 20*, *Cypriano* ſuffragatur. Ut vero Cel. *Acamius* doceat, Sacramentarium Veronenſe a *Gelaſio* haud fuiſſe profectum, argumenta haud una expromit. Potiſſimum eſt illud, quod a
Pag. 51. diſſenſu *Gelaſii* deſumtum eſt. Hic in decreto *Gelaſiano Tom. IV Concil. ed. Labb. col. 1262*, *Petrum* ac *Paulum* eodem die martyrio Romæ coronatos eſſe, eſt autor. In Sacramentario autem Veronenſi martyrium utriusque in tempus diſcretum rejicitur ac prorſus diverſum. In decreto *Gelaſiano*, *hæreticos* ita *garrire*, editur. An *Gelaſius* conjecit *Leonem* in claſſem hæreticorum? In Sacramentario traduntur ea de *Clemente Romano*, quæ in fabulis *Recognitionum Clementinarum* leguntur. Haſce vero *Recognitiones* novimus decreto *Gelaſiano* ad apocrypha fuiſſe amandatas. In Sacramentariis igitur legi ſubinde falſa & apocrypha, quis dubitabit? An, *Leone* autore, fabuloſa pro veris fuerunt habita & publicata? Mallemus, ut *Leoni* hæc haud impingerentur. Merita enim ejus in doctrinam Chriſtianam veneramur. At quidni erratum hiſtoricum & criticum ab eo haud fuit alienum? Haud quadrant hæc ad *Gelaſii* ætatem, qua *Theodoricus*, Gothorum
58. Rex, imperabat Romæ, enuntiata: *Protege Romani nominis ubique rectores, Romanis auxiliare Principibus, Romani nominis defende rectores, protege Romani nominis ubique rectores, Deus.* Spirant formulæ ætatem diviſi inter Imperatores imperii, ac Romam indicant, adhuc Imperatoribus obtemperantem. Operoſe oſtendit Autor, quanta ſit concordia Sacramentarium inter & ſententias *Leonis*. Si *Augerio* Biterrenſi eſt accedendum, formula *vere dignum, vere dignum & juſtum eſt*, a *Gelaſii* inſtituto fuit exorta. Vide *pag. 40 Tom. III Part. II Script. rer. Ital. Muratorii*. Formula illa identidem in Sacramentario recurſat. Id, quod apud *Acamium pag. 65* legitur, e Sacramentario decerptum, quam proxi-

Digitized by Google

proxime ad *Leonis* verba continuata accedit. Legerit opor-
tet *Leoniana* ſcripta, qui confecit illud Sacramentarium. Re- Pag. 64.
currunt omnino plura ejuſmodi ſpecimina, eaque luculenta.
Primatum *Petri* & cathedræ Romanæ *Leo Magnus* ardenter ivit 76.
vindicatum. Eadem mens ſedit ei, qui Sacramentarium com-
pilavit. Ex quo enim *Theodoſius II* A. 421 juſſerat Conſtan-
tinopolin prærogativa Romæ veteris lætari, & *Theodoſius I* jam
Patriarcham Conſtantinopolitanum voluerat exiſtimari Roma-
no æqualem, argumenta ad primatum propugnandum fuerunt
conquiſita, atque repetita poſthæc iterum iterumque. Ex æqua- 89.
litate & ſimilitudine phraſium *Leonis Magni* & Sacramentarii
Veronenſis Cel. *Acamius* pateſcere contendit, hujus autorem
potiſſimum fuiſſe *Leonem*. Confugit præterea ad ſententiam,
Sacramentario approbatam, quæ doctrinis *Neſtorii* ac *Eutyche-
tis* dilucide repugnat. Nec tamen ex profeſſo doctrinæ utri- 98.
usque pſeudodidaſcalorum refutantur in Sacramentario, ſi
preces die feſto S. *Joannis* Evangeliſtæ *pag.* 55 *col.* 2 *n.* 11 ex-
ceperis, quæ tamen in tempora, Seculo V poſteriora, æque
quadrant. Videtur genius Manichæorum inſidioſus in Sacra-
mentario ad cavendum fuiſſe propoſitus. *Leo* certe illud in- 102.
genium impudicum & mendax admodum abhorruit. Ipſe
etiam *Gelaſius* Manichæos pervicaces æque Roma per judices
in exilium ejecit, reliquos correxit, eosque juſſit utramque eu- 107.
chariſtiæ ſumere ſpeciem, uſus hac ratione, *quia diviſio unius
ejuſdemque myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.*
Magni ponderis ratio, oblivioni eximenda! An in Sacramen-
tario ad Manichæos reſpiciat tecta oratio, non ſatis eſt facile
definitu. Autori id viſum fuit probabile haud ſecus, ac men-
tio crebra, Sacramentario de peccato originali inſerta, oppo-
ſita Pelagianis per *Leonem*, licet ipſe Autor haud neget, *Gela-* 111.
ſium ex profeſſo contra Pelagianorum errores ſcripſiſſe. In
Sacramentario injicitur mentio liberationis ab imminentibus
periculis, & ab infeſtis hoſtibus, & præcipue hujus formulæ:
Sicut corporum ferales exſtinguis inimicos, nec captivitatem, 113.
quam extrinſecus ſubmoviſti, ſuſtinere nos patiaris internam.
Autor credit, hæc pertinere ad direptionem Romæ, quam *Attila,*

 animo

animo conceptam, A. 452 ad eloquentiam *Leonis Magni*, cum
Pag. 118. præfecto prætorio legati, dimiſit. Vandalorum Rex, *Genſe-ricus*, A. 455 Romam expilavit per 14 dies. Huc videtur ſpectare locus Sacramentarii *pag. 27 col. 2 num. 6.* De tranquillitate, conſecuta deprædationes, non unis agitur locis ad Ju-
121. lium & Auguſtum menſes. Obſtare tamen videntur 14 dies, direptionibus, teſte *Proſperi* Chronico, inſumti a Vandalis, licet Autori viſum fuerit, id a *Proſpero* haud fuiſſe memoratum. At *Proſper* id omnino narravit, cujus verba Autor dedit *pag. 118. Tillemontius*, *Proſperum* ſecutus, ita recte tradidit, præter fas & meritum Autori vapulans *pag. 123.* Argumenta P. *Merati*, qui Sacramentarium Veronenſe tribuit *Ge-*
125. *laſio*, Autor facile refellit. Collecta in obitum *Simplicis*, Epiſcopi Romani, † 483, quæ in Sacramentario habetur, & *Leone Magno* eſt junior, firmat ſententiam noſtram, id pedeten-
127. tim fuiſſe auctum ex variis Miſſis ac Collectis. Interpolationem Autor concedit contigiſſe, aut, librarium *Silveſtri* nomen mutaſſe in illud *Simplicii*, credendum arbitratur. Ut eruat diem, quo *Leo Magnus* fuit in Epiſcopum con-
129. ſecratus, nulli parcit operæ, ſuffragatus *Paſchaſio Queſnello*, qui pro undecima Aprilis militavit, confiſus antiquiſſimo *Acheriano* Calendario. *Joſephus Auguſtinus Orſi* animum induxerat ad credendum, non id, quod *Thomaſius* edidit, eſſe verum Sacramentarium *Gelaſianum*, ſed illud potius, quod evulgavit *Blanchinius*. Ut hanc ſententiam removeat Noſter, copioſum diſputationis campum ingreditur. Eandem diligentiam transfert ad examinandam P. *Amort* opinionem, qui, Col-
149. lectas *Sixti III* ſe, putaverat, in Sacramentario Veronenſi inveniſſe. Acta Synodi Romanæ in cauſa *Sixti*, & epiſtola hujus ad Epiſcopos orientales, plurimis optimiſque Criticis videntur eſſe ſuppoſititia. Labant igitur ea univerſa, quæ illis ſuper-
165. ſtruuntur. *L. A. Muratorius* non negavit, in Sacramentario Veronenſi, quod omnino ad eccleſiam Romæ ſpectaverit, eſſe multa, quæ ad S. *Leonem* ſint referenda. At negat, hunc ſolum fuiſſe ejus autorem, ratus, collectorem plurium Epiſcoporum Collectis congerendis fuiſſe intentum, & ad *Gelaſium*

usque

Digitized by Google

uſque decurriſſe, ac ordinis minus fuiſſe ſtudioſum, paſſimque ea immiſcuiſſe, quæ gravitas rei euchariſticæ maluerit maliti que abeſſe. Sic ſenſit *Muratorius* in *Diſſ. de rebus liturgicis Cap. 3*, quam ſubjecit *Liturgiæ Romanæ veteri, tria Sacramentaria complectenti, Leonianum ſcilicet, Gelaſianum, & antiquum Gregorianum*, publicatæ Venetiis A. 1748, fol. Reſpondet Noſter ad ſingula, peritiam Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ubique ſummam oſtendens. Inſolitum ſane videtur jejunium in vigilia Pag. 188.
Pentecoſtes, memoratum in Sacramentario Veronenſi. Monet Noſter, imminuiſſe tunc A. 455 Romæ cum Vandalorum exercitu *Genſericum*. Ex quo monumento intelligitur, collectorem coacervaſſe particularia quæcunque, non attendiſſe ad conſuetudinem unius alteriusque Eccleſiæ anniverſariam. Et hæc eſt ratio, cur, collectionem eam, exiſtimemus, fuiſſe unius alteriusque Presbyteri domeſticam & privatam. Nec tamen a *Gelaſii* ætate jejunium vigiliæ pentecoſtalis prorſus fuit alienum. In Sacramentario jam porro fit mentio diei, qui Ar- 190.
changelo *Michaeli* erat ſacer. Contendit Noſter, eum jam celebratum fuiſſe ante A. 536, quo Archangelus ille in monte Gargano dicitur apparuiſſe. Martyrologium *Hieronymi* Luc- 192.
cenſe ad 29 Sept. hæc jam habet: *Romæ miliario ſexto dedicatio Baſilicæ Angeli Michaelis*. Novimus tamen, Martyrologiis ſubinde nonnihil fuiſſe inſertum. Cel. *Acamius tertia Parte* Diſſertationis ſuæ pugnat contra hæreticos, monens, in Sacramentario Veronenſi mentionem injici realis præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti. Addere potuiſſet & hoc, Seculo quinto & corpus & ſanguinem Chriſti ab omnibus Miſſæ adſtantibus fuiſſe ſumtum ex univerſali uſu ac conſuetudine. Promittit ipſe, propediem prodituram eſſe librum ſuum, *Sto-* 197.
ria della Preſenza reale di Geſu Criſto nella diviniſſima Eucariſtia inſcriptum. Divinitatem Jeſu declarat id, quod ſæpe laudavimus, Sacramentarium. Interceſſio ac ſupplicatio tribuitur in 201.
eo ſanctis cœlitibus pro Eccleſia militante; at nemo hominum memoratur, qui preces ad illos ſanctos direxerit. Duæ & diverſæ ſunt enuntiationes: *Sancti cœlites Deum invocant pro eccleſiæ militantis ſalute generatim; Sancti cœlites ab homini-*

 bus,

bus, hanc vitam fragilem viventibus, ſunt invocandi. Si priorem facimus noſtram, nondum ad alteram amplectendam ſumus devincti. Veremur igitur, ut Autori hæc differentia fuerit ſatis ob oculos verſata. Si fide Sacramentarii ſtandum eſt, ſancti cœlites non ſunt a nobis invocandi. Memorabile eſt, pronuntiatum Sacramentarii, docentis, B. *Petrum* Apoſtolum eſſe præſentem per Dei diſpenſationem, *ubicunque* ejus *poteſtas*
Pag. 203. modo *pretioſa reverentia* fuerit *invocata*. At abeſt ab omni Sacramentario formula, in hunc modum conformata. Nec metiuntur univerſi Chriſtiani capita doctrinæ ex libellis liturgicis, præcipue iis, quorum autoritas, & certa & univerſe recepta, nondum eſt ad liquidum perducta. Honorant & venerantur angelos cœliteſque ſatis recte, judice *Auguſtino*, illi, qui eos colunt cultu, quo coluntur ſancti homines in hac vita.
205. Venerantur Romano-Catholici reliquias Sanctorum, non adorant. Ita monet Noſter. *Henrico Dodwello*, paucitatem Martyrum propugnanti, Cl. *Acamius* ex Sacramentario opponit *innumeram ſanctorum Dei multitudinem, quibus pro Chriſto pati poſſe donatum fuerat; innumerabiles Martyras; ſegetem glorioſarum paſſionum.* Eccleſiæ dari theſaurum ſpiritualem, eumque indulgentiarum, contendit ex Sacramentario eodem evin-
208. cere. Oblationes pro animis defunctorum, ac purgationem, & viventibus & defunctis per ſacrificia utilem, in eo invenit, nec non alias doctrinas, ſibi approbatas. Diligentiæ ejus meritiſſimum habemus honorem.

RACCOLTA DI SCRITTURE CONCERnenti la Diminuzione delle Feſte di Precetto, etc.

id eſt,

SYLLOGE SCRIPTORUM, QUÆ SPECTANT AD Feſtorum præcepti diminutionem. Accedit reſponſoria LAMINDI PRITANII ad Epiſtolam Purpurati Romani QUIRINII, ejusdem argumenti.

Lucæ, ex typographeo Philippi Mariæ Benedini, 1748, 4.
Alph. 1 plag. 7.

Bene-

Benedictus IV, qui nunc orbi Eccleſiaſtico Romano-Catholico præſidet,glorioſe imminuit paſſim ad deſideria nationum feſtos dies, qui per templorum rationes domeſticas tolli potuerunt. Quicquid ſcriptorum, ad hoc argumenti ſpectantium, foras datum & publicatum fuit, typographus ſolicite collegit, ediditque maximam partem uno volumine. Scripta Lector deprehendit in hoc faſce *duodecim*. Principatum tenet Commentatio Pontificis Maximi, *Benedicti IV*, deſiderio nationum, feſtorum imminutionem anhelantium, accommodata, ab alveis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ perfuſa, varia reſcripta & conſtitutionem *pag. 41* exhibens Pontificis, quarum interventu precibus juſtis Patrum & Epiſcoporum ſatis eſt factum. Excipit illud ſcriptum indulgentia, vulgo *Indultum*, *Alexandri Borgiæ* ſcilicet, ſpectans ad præceptum ſe abſtinendi ab operibus ſervilibus in feſtis nonnullis, ac reformans varios abuſus nævosque ejusdem præcepti, habita ratione dominicorum aliorumque feſtorum anni dierum. Conſtat inter omnes, *Borgiam* hunc eſſe *Firmianum*, Archiepiſcopum ac Principem. Succedit ſcripto huic Epiſtola prior Eminentiſſ. *Quirini*, Epiſcopi Brixienſis, ad Archiepiſcopum eundem. Reſpicit Purpuratus ſtatim ad *Bernhardi Epiſtolam 172*, qua hic lacertos movit contra novitatem feſtorum, ac præcipue illud, quod tunc parabatur, *feſtum conceptionis Mariæ Virginis*. Monet Purpuratus Emin. *Bernhardum* haud meminiſſe diminutionis numeri feſtorum, ſed obſtare novis inducendis. Ipſe diminutioni illi haud favet, nec ſuis *Indultum* impertivit, refugiens potius ad catecheticam præcepti tertii expoſitionem, in diœceſi ſua receptam, & illud *Bernhardi* repetens: *Num quid Patribus doctiores ac devotiores ſumus?* Perſiſtit ipſe in conſtantia ſua, eandemque Epiſtola poſteriori ad Archiepiſcopum haud immutat. Subjiciuntur hiſce Epiſtolis duæ reſponſoriæ Archiepiſcopi, *Indulto* patrocinantes, ac in exponendis *Bernhardi* ſententiis occupatæ, nec non ad celebrem Conſtitutionem *Urbani VIII pro obſervatione Feſtorum* ſpectantes. Contendit Archiepiſcopus, literas bullatas bene multas Pontificum eſſe revocatorias, moderatrices, immo reductrices *ad terminos juris*,

Pag. 52 57. 59. 77.

ris, diſpenſationibus ac *indultis* plenas. Meminit variationis feſtorum, quam attigit S. *Antoninus*, Archiepiſcopus Florentinus, in *Summa Tit.* 9 *Cap.* 7 ad §. *Sunt autem.* Opponit conſtantiæ *Quiriniana* argumenta haud una. Subjunxit hiſce
Pag. 102. Eminent. *Quirinus* articulos, meditatius ponderandos. Accedunt meditationes Archiepiſcopi, quibus illi articuli opero-
109. ſius expenduntur. Ad idem argumentum refer *Homiliam* Archiepiſcopi, in baſilica ſua ſacra inter officium Miſſæ Pontificale Apoſtolorum *Petri* ac *Pauli* recitatam, cujus exordium proficiſcitur a *Benedicti XIV*, P. M. Conſtitutione, quam ſupra diximus. Succedit Homiliæ apographum *Capitis XXI* libri *de Devotione ad regulam redacta*, quem perſonatus *Lamindus Pritanius* evulgavit, Pontificis S. a mente non abludentem. *Pritanium* fuiſſe *L. A. Muratorium*, fama dudum vulgavit. Deſideramus hic Reverendiſſ. Principis Abbatis *Bernbardi de Frankenberg* Epiſtolam, diminutioni feſtorum faventem. Epiſtola, quam ei Eminentiſſ. *Quirinus* modeſte oppoſuit, antiquum obtinens, hoc loco apparet. Provocatur inibi denuo ad *Urbani VIII* Conſtitutionem. Tum
144. vero *Lamindi Pritanii* ſequuntur vindiciæ pro ſcriptis ſuis de feſtorum diminutione. Paſſim ad ea, quæ Eminent. *Quirinus* in contrarium monuerat, copioſe reſpondet. Credent haud pauci, Autorem hic operam haud perdidiſſe. Subjungitur Sylloge diœceſeon, in quibus numeri feſtorum facta eſt imminutio.

LA MOLTIPLICITA' DE' GIORNI FESTIVI, CHE oggidi ſi oſſervano di precetto, autorizzata da tutti i Sommi Pontefici di dugento e venticinque anni, etc.

id eſt,

NUMERUS DIERUM FESTORUM, QUI noſtra ætate ex præcepto obſervantur, ſtabilitus autoritate omnium Summorum Pontificum inde ab annis 225, nominatim Clementis VII tempore ad Benedictum XIV; Epiſtola A. M. Cardinalis QUIRINI, Epiſcopi Brixienſis, ad Italiæ Epiſcopos.

Vene-

Venetiis, apud Petrum Baſſagliam, 1748, 4.
Plag. 4½.

Tanta eſt Pontificis Summi, *Benedicti XIV*, indulgentia, ut ob veritatis inveſtigationem majorem non ægre ferat modeſtas de argumentis liturgicis diſputationes. Ad Archiepiſcopum *Firmanum* jam exſtant duæ Epiſtolæ Eminent. Purpurati *Quirini*, a tollendis quibusdam feſtis alienæ. Habentur eæ in Sylloge Piſana, quæ argumenti hujus epiſtolas complectitur. Totus in eo eſt *Quirinus*, ut neget, licere ad celebrationem feſtorum quorundam tollendam progredi. Archiepiſcopus *Firmanus* ſibi perſuadet, Pontificem Romanum ſecundum jus faſque poſſe decreta & indulta majorum ac deceſſorum reſtringere, novisque decretis mutare. Contrarium tenet Eminentiſſ. *Quirinus*, verens, ne ex indultis novis naſcatur detrimentum regulis ac inſtitutis ſuæ religionis, ac præcipue conſtitutioni hujus argumenti, *perpetuo valituræ*, ab *Urbano VIII* profectæ. Pag. 4. Credit, Indultum, *Firmano* Archiepiſcopo impertitum, impingere in judicium, ſemel intra & poſt conſultationes Purpuratorum, ritibus præpoſitorum, factum. Meminit admonitionum, a quibusdam Epiſcopis imminutioni feſtorum oppoſitarum. Conqueritur de Indultorum novitate. Pauperum rationem in eis eſſe habitam, monent multi. Inprimis perſonatus *Lamindus Pritanius* urſerat id argumenti. Id Noſtro videtur dignum, quod ſuam vocet ſub cenſuram. Ex- 7. probrationem *Lamindi*, in onus feſtorum conjectam, putat, redundare in probrum Pontificum ſummorum, inde a *Clemente VII* & *Urbano VIII* ad *Benedictum* usque *decimum quartum* Eccleſiæ Romanæ præſidentium. Reſpondet, *Pritanium* infregiſſe poteſtatem Pontificum per intentatam feſtis diebus imminutionem. Laudat volumen literarum bullatarum Pontificis *Benedicti XIV*. Laudat animum Pontificis, qui in provinciis, ditioni ſuæ politicæ ſubjectis, non generatim feſtos dies imminuit. *Pritanius* laudat illud Pontificis *non obſtante*, quod *Gregorius XIII*, aliique Papæ, adhibuerunt, & *Benedictus XIV* adhibuit ad literas *Urbani VIII* bullatas, ad feſta pertinentes. Epiſcopi XIV Italiæ indultum imminuendi feſta obtinuerunt.

Digitized by Google

Vidit Em. *Quirinus* duorum Epiſcoporum, ***Firmani*** & Aſco-
lenſis, literas ejus rei paſtorales. In eis notare nonnihil non
Pag. 13. intermittit. Monet, Pontificem Summum eo tempore, quo
evectus fuerit ad Pontificatum, jam noviſſe argumentum que-
relæ, a nimio feſtorum numero deſumi ſolitæ. Remittit Le-
ctorem ad illud Card. *Contarini* pronuntiatum: *Faceſſat,
Deum immortalem precor, a Chriſtianis hominibus hæc im-
pia doctrina. Non igitur pro arbitrio conſtituat leges Ponti-
fex. Non pro arbitrio abroget. Non pro arbitrio diſpenſet;
ſed ſequatur regulam divinorum præceptorum, regulam cari-
tatis, quæ in Deum omnia dirigit, & ad bonum commune,
quod eſt maxime divinum, ad bonum tandem proximi cujusque,*
18. *ſecundum Deum.* *Pritanium* deinde notat. Subjicit hiſce au-
ctoritatem *Clementis VII, Pauli III, Pii V, Clementis VIII,
Gregorii XV, Urbani VIII, Alexandri VII, Clementis IX* & *X,
Innocentii XI, Benedicti XIII, Benedicti XIV,* ut eam, quan-
tum ad feſtorum imminutionem, pauperibus indultam, atti-
31. net, *Pritanio* opponat. Vertit id vitio *Pritanio*, quod hic
inter ſecula barbara, & cognitioni divinorum infeſta, ac ſecu-
la meliora & lucidiora, diſtinxerat. Linguam hanc in Luthe-
ranum vel Calvinianum quadrare, Purpuratus arbitratur, con-
35. fugiens tandem ad ſanctionem *Urbani VIII* pragmaticam,
perpetuo valituram. Quis crediſſet, Card. *Quirinum* tam
arcte inhæſurum dogmatibus liturgicis quibusdam, ut ne qui-
dem indulgentiam Pontificis ſui Summi in neceſſitates & in-
opiam hominum ferre poſſit, niſi ipſe nobis oculatam opi-
nionis ſuæ fidem facere voluiſſet?

DEL CONGRESSO NOTTURNO DELLE LAMIE
Libri tre di GIROLAMO TARTAROTTI, etc.

id eſt,

*DE CONGRESSU NOCTURNO LIBRI TRES HIE-
RONYMI TARTAROTTI, Roveregienſis Accedunt Diſſer-
tationes duæ epiſtolares de Arte magica ad Illuſtriſſimum
OTTOLINUM OTTOLINI, Nobilem Veronenſem,
Comitem Cuſtoſiæ, &c.*

Rovigi,

Rovigi, impenſis Joannis Baptiſtæ Paſquali, 1749, 4. Alph. 2 plag. 16.

Quanto plures de hoc argumento vel copioſe, vel ſtrictim, commentati fuerunt, tanto pluribus ſpinis & myrmeciis involuta fuit ejus rei tractatio. Præſtat enim nonnunquam cedere ſuperſtitioni, quam veritati. Maxima ſcriptorum caterva alveo navigat ſecundo, inhærens antecedentium veſtigiis. Innexa fuit materies cogitandi de lamiis translationibus Codicis ſacri. Adſtricta illa fuit legibus civilibus & eccleſiaſticis. Quis latum unguem ab his normis diſcedere auſit? Urgent nos & pæne opprimunt volumina Caſuiſtarum, qui de rebus magicis tractant. Et quis hiſcere ſuſtinebit adverſus phalangas Hiſtoricorum, qui res magicas narrationibus ſuis intexuerunt? Vergente ad finem Seculo XIV, ſanguis & vita ſtrigum, ſeu lamiarum, cœperunt in periculum adduci, & magica phantaſia ſupplicio conſtitit. *Samuel de Caſſini*, Franciſcanus, negavit, dari ſtrigiportium, & ſagarum per aera diſcurſiones. Antagoniſtam ipſe expertus fuit *Joannem Dodonem*, Dominicanum, cujus chorda oberravit æque *Joannes Nider*, Dominicanus, in operibus, quibus eſt index: *Myrmecia Bonorum, ſeu Formicarium ad exemplum ſapientiæ, de Formicis*, item *de Viſionibus & Revelationibus. Nicolaus Jaquerius*, æque Dominicanus, in *Flagello hæreticorum faſcinariorum* cautius ſcripſit. Cruentum lamiis exhibuerunt ingenium *Petrus Marmor*, Limoſinus, Profeſſor Theologiæ Pictavienſis, in *Flagello maleficorum.* Eundem tramitem inſtiterunt *Henricus Inſtitor* & *Jacobus Sprenger* in *Malleo maleficarum.* Adverſus hoſce ſanguinarios calamum arripuit *Alphonſus Spina*, *Franciſci* familiæ aggregatus, ἀνωνύμως in *Fortalitio fidei.* Idem ſenſit *Ambroſius Vignatus*, JCtus, Eques Lodigianus, in libro *de Hæreſi*, nec non *Ulricus Molitor*, Conſtantienſis JCtus, ac Ticini Profeſſor, in *Dialogo de Pythonicis mulieribus*, conſecrato *Sigiſmundo*, Auſtriæ Archiduci, A. 1480, *Malleo maleficarum* inſerto, licet *Molitor* omnia tribuerit ludibriis, imaginationis corruptæ fœtubus. Seculo

XVI ineunte eandem incudem tutudit *Joannes Franciſcus Ponzinibius*, JCtus Placentinus, *de Lamiis & excellentia utriusque juris* commentatus. Scripſit contra eum *Bartholomæus Spina*, Dominicanus, Magiſter ſacri Palatii, A. 1525 quatuor *Apologias*, uſus cenſura vehementiori. *Spina* jam ediderat A. 1523 librum *de Strigibus*. *Silveſter Mozolini* jam antea, nempe A. 1521, publicaverat opus *de Strigimagarum Dæmonumque mirandis*. Erat Dominicanus, qui tantum excellentiæ credebat Dominicanis accedere, quanto plures mortalium per quæſtiones truculentas inquiſitorum Dominicanorum perirent. Mirandula tunc abundabat rogis, in quibus lamiæ ſtrigesve cremabantur incendio ferali, quod ipſæ omnino evitaſſent avolando, ſi arti magicæ ratio conſtitiſſet ultra delirium imaginationis. Dominicanorum cauſam egit Cel. *Joannes Franciſcus Picus* in Dialogo: *Strix, ſive de ludificatione dæmonum, Libris tribus* comprehenſo, Bononiæ A. 1523 publicato, at merito extra collectionem Operum ejus, Baſileæ A. 1601 curatam, reſtante. *Ponzinibius* dedit id adverſariis, ut, pactum hominis cum diabolo dari, fateretur. Id hunc negaſſe, ſibi perſuaſerat *Chriſtianus Thomaſius*, *de Crimine Magiæ* commentatus, *§. 3.* At falſo quidem. Negavit *Ponzinibius* modo ſtrigiportium. Non legerat *Thomaſius* librum *Ponzinibii*, quemadmodum haud inficiatur in ſcripto *de Origine Proceſſus inquiſitorii §. 61.* Confiſus fuerat teſtimonio *Spinæ Thomaſius*. Cum hoc erravit *Burchardus Gotthelf Struvius*, qui in *Bibliotheca Juris ſelecta Cap. 11 §. 9 pag. 400* putavit, primum fuiſſe *Joannem Franciſcum de Ponzinibius*, qui in *Tractatu de Lamiis exiſtentiam fœderis diabolici in dubium vocaverit. Ponzinibio* ſuffragati fuerunt eodem tempore *Andreas Alciatus* in libris *Parergon juris*, *Martinus d' Arles*, Theologus Hiſpanus, & Canonicus Pompejopolitanus, *de Superſtitionibus*, *Paulus Grillandi*, JCtus Florentinus, qui tamen poſtea ſententiam mutavit, teſte ejus libro *de Sortilegiis Cap. 7;* porro Seculo XVI *Joannes Wierus*, Archiater Ducis Clivenſis, in Libris VI *de Præſtigiis Dæmonum et Incantationibus, ac Veneficiis*, in *Libro apologetico*, in *Pſeudomonarchia Dæmonum, & de Lamiis*, Amſtelod.

Digitized by Google

ſtelod. 1660. Ipſe *de Præſtigiis Lib. III Cap. 21 §. 8* laudat *Cornelii Agrippæ*, cujus erat diſcipulus, librum *adverſus Lamiarum inquiſitores.* Exierunt univerſa *Agrippæ* Opera in lucem Lugduni A. 1531. At liber modo indicatus inibi haud exſtat. *Wierum* viventem ac mortuum inſectati fuerunt Pontificii æque ac Proteſtantes. In illorum numero eminent *Petrus Binsfeldius*, *Jacobus Goborry*, Medicus Pariſienſis, uſus nomine *Leonis Suavii*, *Paulus Scalichius*, *Bartholomæus Fayus*, *Adamus Tannerus*, *Paulus Laymannus*, alii. Inter hos refer *Thomam Eraſtum* & *Danielem Sennertum*, Medicos, *Lambertum Danæum*, *Joannem Campanum*, *Hemmingium*, *Raynoldum*, *Perkinſium*, ac tandem *Jacobum*, Angliæ Regem, in *Dæmonologia*, præcipue vero *Joannem Bodinum*, JCtum Gallum, in *Dæmonomania.* Proteſtantes magis *Wierum* inſectabantur, quam ipſi Pontificii. Nolebant illi, Bructero ſuo ſibique eripi nocturnos lamiarum congreſſus. *Bodino* oblatravit Germanus JCtus, *Joann. Georg. Godelmannus*, in libro *de Magis*, *Veneficis*, *& Lamiis*, nec non *Martinus Biermannus* in Ἐξέτασει *de magicis actionibus.* Hiſce plus ingenii & eruditionis adhibuit Jeſuita Flander, P. *Martinus Delrio*, in opere *de Diſquiſitionibus magicis*, cujus cynoſuram tribunalia paſſim deinde reſpexerunt. *Nicolaus Remigius*, Ducis Lotharingiæ Conſiliarius intimus, edidit A. 1595 *Dæmonolatriam*, quæ complectitur acta & cauſas ac mortes ſagarum in Lotharingia. Scripſit ediditque unus Proteſtantium temporariorum, *Philippus Ludovicus Elichius*, A. 1607 opus *de Dæmonomagia*, *ſive de Dæmonis cacurgia*, *cacomagorum & lamiarum energia.* Ipſe poſtea ad caſtra Pontificiorum tranſiit. Evulgaverat A. 1606 Vitebergæ *Tobias Tandler*, Profeſſor ibi Medicinæ, librum *de Faſcino & Incantatione.* Publicavit in ipſa Hiſpania A. 1618 *Franciſcus Torreblanca Villalpandus* in uſum JCtorum *Epitomen delictorum*, *in quibus aperta*, *vel occulta*, *invocatio Dæmonum intervenit*, & paulo poſt *Dæmonologiam*, juſſu *Philippi III* Regis ſe ſcribere, jactans. Edidit in Germania A 1630 *Hermannus Gœhauſen Proceſſum juridicum contra Sagas & Veneficos*, *una cum Deciſionibus Quæſtionum*, *ad hanc materiam pertinentium.*

tinentium. Prelum evaſit Rintelii A. 1631 *Cautio criminalis, ſeu de Proceſſibus contra ſagas, liber hoc tempore neceſſarius, tum autem conſiliariis & confeſſionariis Principum, Inquiſitoribus, Judicibus, Advocatis, Confeſſariis reorum, Concionatoribus, ceteris que, lectu utiliſſimus, Autore incerto Theologo Romano.* Autor non diu notitiam fefellit. Quis enim neſcit, eum fuiſſe P. *Fridericum Spe*, Jeſuitam, Keiſerwerdanum, qui in terris Epiſcoporum, Herbipolenſis ac Bambergenſis, munia ſacra præſtiterat fœminis, quibus crimen magiæ fuerat objectum, & ſupplicium patibuli adjudicatum. Ipſe iniquitatem *proceſſus inquiſitorii, contra ſagas inſtituti*, ad liquidum perduxit. Præceſſit *Franciſcum Spe* ætate, qui eadem docuit, P. *Adamus Tannerus*, Oenopontanus, *Tomo III Theologiæ Scholaſticæ.* At *Spe* ex experientia copioſius argumento fecit ſatis, & ita ſatisfecit, ut Elector Moguntinus, Duces Brunſuicenſes, aliique Principes Germani, quæſtionem illam, de Sagis haberi ſolitam, tollerent & abrogarent. Nihilo minus per Seculum XVII omnia tribunalia obſederunt fere & conſtricta tenuerunt *Delrius, Fr. Torreblanca, Binsfeldius, Bodinus, Grillandius, Remigius.* Hi ad annum 1712 fere exſcribi ſolebant, quo *Chriſtianus Thomaſius* ſcripſit *de Origine Proceſſus inquiſitorii contra Sagas.* Mirandum eſt, *Gothofredum Vogtium*, Profeſſorem Hamburgicum, publice A. 1667 diſputaſſe *de Conventu Sagarum ad ſua Sabbata.* Eanden tibiam inflarunt perſonatus *Gothofredus Wahrlieb*, *Car. Frid. Romanus*, a *Thomaſio* refutatus, *Eraſmus Franciſci*, *Petrus Goldſchmid*, aliique Anonymi, quorum nomina & ſcripta recenſet *Gottlieb Stollius* in *Introd. in Hiſt. literar. P. II Cap. 3 §. 56 ſeq.* Repullulavit diſputatio in Galliis eadem. *Sanctus Andreas*, Medicus Conſtantienſis, publicavit Pariſiis A. 1725 epiſtolam ad imaginariam diaboli & ſtrigum potentiam imminuendam, nitentem quippe ludibriis imaginationis, ac falſo narratis. Oppoſuit ei ſeſe *Boiſſier* A. 1735, editis Lutetiæ Epiſtolis variis ſuisque ſub titulo: *Recueil des Lettres ſur la Magie et les Mages.* Nec ipſe diſſentientibus opinionem ſuam approbavit. Non enim ſatis eſt, in hac cauſa leges cumulare; ſed

Digitized by Google

ſed opus etiam eſt ingenio philoſophico. Argumenta afferenda ſunt ſolida, non undecunque corraſa. Diſcernenda eſt res ipſa & ejus argumenta in utramque partem. P. *Spe* vitia quæſtionis criminalis expoſuit. De congreſſibus lamiarum nocturnis conciſe & trepide ita judicavit *Dub. 48: De tripudiis, ſive conventibus, an unquam corporaliter fiant, non parum dubitari poteſt. Et utinam quis excutiat accurate!* Noſter *Libro I* indagat originem fabulæ popularis, tripudiorum illorum autoris ac matris. *Libro ſecundo* argumenta expromit, quibus congreſſus lamiarum nocturni credulitati tribuuntur, ſuperſtructæ modis variæ imaginationis, aut illuſionum. Quæ adverſarii obmoliuntur, ea hic habes extricata. *Tertio Libro* diſſeritur de perniciofis effectibus, ex vana opinione profluentibus. Additur judicium de *Delrii Diſquiſitionibus magicis*. Tractationem, quæ ſervandis hominibus, ac depellendæ a mortalibus calumniæ, conſulit, quis ſuſtinebit vituperare? Veremur tamen, ne Dominicani aliquid exiſtiment tribunali ſuo inquiſitorio detractum iri per approbationem libri ſatis ſolide ſcripti univerſalem. At ubi potius triumphat amor, generi humano præſtandus? An ſanguis eorum, quorum culpa liquido non poterit oſtendi, ſit magis ſitiendus ac effundendus, quam ſaluti generis humani reſervandus, diſquirant illi, qui in magica facinora quæſtionibus ſcatent. Sicubi tribunalium aſſeſſoribus cedunt bona, a ſagis poſſeſſa, tunc utique dubitandum eſt, an Autor eis ſententias ſuas ſit perſuaſurus. At neſcimus, quo fato opulentæ fœminæ dominæque illuſtres nunquam deprehenſæ fuerint ſtriges, ſeu ſagæ. Quid vero emolumenti redibit ex detritis crepidis paupercularum, quas cenſura magica vexat? Autori viſum fuit, *Libro primo* antiquitates gentium percurrere, ac opiniones harum de ſagis examinare. Indagat Noſter opiniones, quantum ad hoc argumentum attinet, Ebræorum, Græcorum, Latinorum, gentium ævi barbari, Germanorum, Anglorum, Gallorum, Hiſpanorum, Italorum. Idololatriæ varia momenta ipſe expendit. Strigum putatitiarum hiſtoriam texit. *Societatem Dianianam* deprehendit in commentitiis ſtrigum conventiculis. Pag. 50.

Fabu-

Pag. 2. Fabula Judaica de *Lilith* non fuit ab eo prætermiſſa. *Elias Levita* eam ſuffragio ſuo declaravit indignam. *Lilith* eſt proprie *noctua*. Fabula Judaica eſt nil præter ſymbolum mœroris *Adami*, deflentis acerbe necem *Abelis*. Legitur *Eſ. XXXIV*, 14, in Vulgata: *Ibi cubavit lamia, & invenit ſibi requiem.* In Ebræo ibi eſt *Lilith*, avis, quæ noctu volat, & clamat in ſolitudine, *ſtrix* dicta, *ein Hubu.* Chaldæus Paraphraſta ibi exhibuit æque *noctuam.* *Symmachus* habet *Lammiam.* Inde
4. in Vulgatam vox traducta fuit. Confer *Hieronymum* in *Eſ. X, 34.* Reginam ferocem *Lammiam* norant olim Græci, teſte *Diodoro Siculo Lib. XX.* Infantibus terrorem incuſſuri, arceſſebant *lamiæ* nomen, & ingeminabant notionem formidoloſam, ei innexam, teſte Scholiaſte in *Ariſtophanis Veſp. v. 36*, qui ad *Durium*, ejusque *Librum II Libycarum hiſtoriarum*, provocat, ſignificans, *Lamiam* fuiſſe filiam *Beli* & *Libyæ*, a *Jove* amatam, qui eam transtulerit in Italiam, ubi in *Lamiæ* honorem urbs *Lamia* fuerit exſtructa. *Aſpaſius* apud *Ariſtotelem* in *Ethic. VII, 5*, *Lamiam*, contendit, fuiſſe *Ponti reginam*. *Pauſanias* ei patrem tribuit *Neptunum*, atque addit, ex ea natam fuiſſe filiam vatem, quam Afri appellaverint *Sibyllam.* Videtur ſubeſſe ſymbolum Telluris, dictæ heræ, ſeu Lamiæ. Lama enim ex ſermone Scytharum ac Tatarorum eſt *dominus.* *Telluris* filii mortem non effugiunt. Ipſa videtur eam appetere. Inde fabula fuit vulgata, *Lamiam*, inciſis gravidis mulieribus, fœtus devorare ſolitam, teſte *Ariſtotele* loco laudato *VII, 5.* *Philoſtratus* in *Vita Apollonii IV, 8*, de Lamiis hæc habet: *Sunt ad amorem & venerem pronæ, & humanas carnes vehementer expetunt, rerum venerearum cupidine agitant eos, quos cupiunt poſtea devorare.* Pueris hæc terriculamenta fuiſſe propoſita, autor eſt *Strabo Lib. I*, addens *Lamiæ Gor-*
6. *gona*, *Incubum*, *Larvam.* Fide indignam eſſe eam fabulam, monuit jam *Horatius de Arte poetica v. 339.* Græci *Lamiam* vocarunt *Gello*, teſte *Ignatio*, Diacono Conſtantinopolitano, in Vita *Taraſii Patriarchæ* apud *Surium ad 25 Febr.* *Ignatius* refert, fabulam eſſe penes Græcos, commemorantes, *Gellon* fœminam immatura morte abrupiſſe vitam, & cum quibusdam ſpectris

Digitized by Google

ſpectris acceſſiſſe ad infantes recens natos, ac eos interemiſſe. Fabula de lamia, ſeu empuſa, conſimilis legitur apud *Nicephorum Calliſtum H. E. XXVIII, 9. Ignatius* Diaconus memorat, paupercul as fuiſſe cædis, infantibus lactentibus illatæ, accuſatas publice. *Ignatius* ſtuporem & ignorantiam accuſantium miratur. Necdum intercidit vulgaris illa apud Græcos fabula, teſte *Leonis Allatii* epiſtola ad *Paulum Zacchiam de Græcorum hodie quorundam opinationibus.* Avidas volucres, *ſtrigas*, nocte volare, pueriſque nutricum ad necem inſidiari, jam refert e fabulis *Ovidius Faſt. Lib. VI v. 131 ſeq. Plinius* fabulam attingit *H. N. XI, 39*, nec non *Ariſtoteles Hiſt. anim. IX, 30*, immo *Serenus Sammonicus Cap. 59.* A dæmone iſthæc hominibus eſſe patefacta, judicat *Auguſtinus C. D. XXI, 6. Ovidius* docet, quodnam remedium ſtrigibus ſit opponendum. *Feſtus* conſervavit formulam exorciſmi, eis opponendam, emendatam a *Luca d' Achery Lib. XVII.* Qualis ſit avis, id ignotum eſſe tradit *Plinius*, addens, eam in maledicto eſſe antiquo. *Auſonius Idyll. XII* de Hiſtoriis: *Nota & parvorum cunis, muliebre ſcelus, ſtrix.* Iſidorus *Orig. XXI, 4: Quidam aſſerunt, ſtrigas ex hominibus fieri.* Feſtus: *Striges aves nocturnas, ut ait Verrius, Græci* στρίγγας, *appellant: a quo maleficis mulieribus nomen inditum eſt, quas volaticas etiam vocant.* Striges de ſanguine humano fuiſſe conſultas, fingit *Propertius Lib. IV El. 5. Strigonem* longum & maleficum habet *Plautus* in *Bacch. II, 3, 46.* Striges fœminæ dictæ fuerunt *ſagæ.* Id liquet ex *Cicerone de Divin. I §. 31. Apulejus* tradit, eas induere formam avium, urſi, canum, murium, muſcarum, *Metamorph. Lib. II.* Sagas riſit, & inter inania terriculamenta retulit, *Horatius Lib. I Ep. 2.* Noluit illam, ſagis attributam, cupiditatem, in vorandis & occidendis hominibus occupatam, ferre *Carolus Magnus.* Nota eſt ejus lex apud *Baluzium* in *Capitularibus Tom. I pag. 250: Si quis, a diabolo deceptus, crediderit, ſecundum morem paganorum, virum aliquem, aut fœminam, ſtrigam eſſe, & homines comedere; & propter hoc ipſam incenderit, vel carnem ejus ad comedendum dederit, vel ipſam*

Pag. 8.

9.

10.

11.

comederit; capitis ſententia punietur. In Edicto *Rotaris*, Lon-
gobardorum Regis, *Tit. 116* hæc leguntur: *Nullus præſumat,
aldiam, aut ancillam, alienam, quaſi ſtrigam, quam vulgus di-*
Pag. 12. *cit, aut maſcam, occidere. Quod Chriſtanis mentibus nullate-
nus credendum eſt, aut poſſibile.* Homines, rationis haud ex-
pertes, ea ætate crediderunt, non poſſe homines ſe in formas
animalium convertere, ac aliena ſub figura aliis necem infer-
re. Noluit ſummus Princeps, *ſagas*, falſo ſic dictas, occidi.
Opinionem priorem ex paganorum more ac fabulis enatam
fuiſſe, docuit *Carolus Magnus.* *Tempeſtarios* dixerunt illos
Franci, qui putabantur vim excitandi tempeſtates in promtu
habere. *Agobardus*, Archiepiſcopus Lugdunenſis, Seculo VIII
ſtultitiam hujus erroris merito averſatus fuit in libro *de Gran-
dine & tonitru.* Nihilo minus ſtolida illa de ſtrigibus ſagis-
que commenta omnem Chriſtianum orbem poſtea magis ma-
giſque irretiverunt. Creditum fuit, mulieres quasdam ſcele-
ratas per dæmonum illuſiones, imaginationi imponentes ho-
minum, ſibi videri noctu ſtato anni tempore cum Dea *Diana*
& innumera multitudine aerem tranſire, ac in montibus excel-
ſis concilia celebrare, teſte *Reginone de eccleſiaſticis diſciplinis
II, 364. Dianam Tartarottius* per lunam expoſuit, ſecutus
ſcriptores latinos, & arbitratus, *Mylittam* Aſſyriorum, & *Ali-*
14. *latam* Arabum, Ebræorum *Lilith*, deſignaſſe lunam. Præ-
ierunt ei hanc ſententiam *Joannes Seldenus* & *Athanaſius Kir-
cherus. Dianam* illam Germani appellarunt *Huldam, die
Frau Holle.* Teſtem ſe præbet *Burchardus Wormatienſis De-*
16. *cret. Lib. I Cap. de Arte magica. Huldam*, vatem divinam,
2 Reg. XXII, 14, memoratam, hic venire in cenſum, nemo
ſibi ſolide perſuadebit. Ad A. 1310 in Trevirenſi Synodo
Diana, illa paganorum Dea, vocatur *Herodias. Joannes
Sarisberienſis*, Anglus, ſcriptor Seculi XII, eam vocavit *No-
cticulam*, ſeu *Herodiadem*, præſidem convocatorum nocturno-
rum conviviorum, in quibus exponantur infantes lamiis, qui
eas diſcerptas devorent. Contendit Noſter, legendum eſſe *Nocti-
lucam* loco *Nocticulam. Herodiadem*, illam paganorum Deam,
putat,

putat, ſe deprehendere in *Herodiade*, filia *Herodis*, cujus ſit mentio *Matth. XIV*, 7. In vita S. *Germani* memorantur epulæ bonarum mulierum, quibus aſſederit innumera dæmonum multitudo, & quas hoſpes juſſerit apparari. Ita & Alexandriæ in *Ægypto* factum ultima anni die, *Hieronymo* teſte. *Iſaacus*, Abbas Stellæ, Deam illam paganam appellavit *Dianam*, *Herodiadem*, *Minervam*. *Augerius II*, Epiſcopus Conſerantium, in Statutis MStis adjungit *Benzoriam*, aut *Benſoziam*, ratus, mulieres cum ea noctu equitare per dæmoniacam illuſionem. *Bendoſia* potius ibi indicatur. Nam, teſte *Palæphato de Incredibilibus*, *Dianam* Thraces vocarunt *Bendiam*, Cretes *Dictynnam*, Lacedæmonii *Upin*. *Upis* & *Empuſa* differunt dialecto. *Simon Pelloutierius Lib. III Hiſtoriæ Celtarum, ac ſpeciatim Germanorum*, Gallice ſcriptæ, ſolide oſtendit, *Bendin*, *Bendiam*, *Hertam*, eſſe terram, immo ipſam Celtarum *Dianam*, ſymbolum terræ, quæ inſtar uxoris, *Jovi* nuptæ, fuerit æſtimata. Societatem illarum, per aera ad concilia euntium, fœminarum *Guilielmus*, Epiſcopus Pariſienſis, appellavit ſocietatem *Dianianam*, & hujus præſidem dixit *dominam Abundiam*, ſeu *Satiam*. *Abundia* non profluxit ex *abundantia*, ſed ex *Bendia*, *Bendi*. Oſtendit porro *Tartarottus*, ſagas olim a Longobardis dictas fuiſſe *Maſcas*. Ante Veſperas Natalis Jeſu, in exitu anni, vel alibi etiam circa Calendas Januarii, homines ſtrenas miſerunt, pocula & epulas exercuerunt, menſas nocturnas inſtruxerunt, fecerunt vetulas, cervulos, jotticos (id eſt, larvas induerunt, præferentes formam vetularum, cervulorum, cattorum, & felium minorum,). Vetuit ea fieri *Audoenus* in *Vita S. Eligii*. Synodus Antiſſiodorenſis vetuit facere Calendis Januarii *vetulas*, aut *cervulas*, vel ſtrenas obſervare. Verum hæc potius ad reliquias Saturnaliorum, quam ad lamias, ſpectant. Fabula de lamiis, noctu domos, in quibus aluntur infantes, pervagantibus, hoſque abreptos devorantibus, ad iter aereum & *Bendin* haud referri poteſt. Id tamen negandum haud eſt, *Guilielmum Malmesburienſem* & *Gervaſium Tilberienſem* illam ſtrigum crudelitatem commentitiam

Pag. 18. 20. 21. 23. 31. 37.

 recen-

reconſere. Poſterior addit, ſagas, *dormientibus viris ſuis, cum cœtu lamiarum celeri penna mare tranſire, & mundum percurrere.* Addit *Gervaſius* hæc ad extremum: *Scimus, quasdam in forma cattorum furtive* (forte) *de nocte viſas & vulneratas, in craſtino vulnera truncationemque oſtendiſſe.* Idem credidit, dari homines, qui ſeſe valeant in lupos transmutare. Pag. 38. A. 1303 Romæ accuſatus fuit Epiſcopus Angliæ, eo quod ſacramento fidelitatis ſeſe diabolo obſtrinxiſſet, & hujus tergum fuiſſet oſculatus. Abſolvi eum juſſit *Bonifacius VIII*, nullo examine inſtituto. Sic eſt in *Rymeri Actis publicis Tom. II pag. 934.* Jam A. 914 perhibentur multæ ſagæ juxta Corbejam combuſtæ, ſi Annalibus Corbejenſibus eſt fides, qui in rebus Seculi IX, X, XI, ſolent ſæpius laborare. At per ſagas ſæpius ea ætate ſolebant deſignari *veneficæ.* Primam in ſagas lamiasve habitam quæſtionem capitalem Autor deprehendit in quodam *Bartoli* Conſilio apud *Zilletum Conſil. Criminal. Tom. I Conſil. 6.* Dedit *Bartolus*, Seculo XIV vergente vivens, Conſilium illud Epiſcopo Novarenſi, *Joanni de' Ploti.* In tabulario Comi haud exſtiterunt unquam acta quæſtionum in ſagas criminalium, antiquiora anno 1350. Id ipſum patet ex *Lucerna Inquiſitorum*, quam *Bernardus Comenſis*, Inquiſitor, ſcripſit ediditque A. 1510. *Bartolus* ſuaſit, ut ſaga ad pœnitentiam & erroris agnitionem perduceretur, ac poſtea dimitteretur pœnæ exſors; præfracte autem ſi errori inhæreret, combureretur. Inquiſitores hæreticæ pravitatis Seculo ſequenti in ſagarum incendia certatim quaſi conjurarunt. Mirum profecto, tam feralem & ſtupiditate plenum fuiſſe fabulæ exitum. Poterant ad pertexendam hiſtoriæ ſeriem varia hic inſeri. Id inprimis memoratu dignum eſt, Terram a Celtis creditam fuiſſe *Ditis*, ſeu *Teuti*, unius ac ſupremi Dei, uxorem multo fœcundiſſimam; hujus ſymbolum fuiſſe Veneris in cœlo ſtellam; varias fructuum terræ formas & viciſſitudines per lamiam lamiasque fuiſſe denotatas; fœminas fuiſſe habitas vaticiniorum plenas; mulieres rem medicam curaſſe, vulnera ſanaſſe, herbas habuiſſe compertas & congeſſiſſe; mulieres quotannis circa Calendas

lendas Maji coiiſſe noctu in edita montium ad herbas & radices colligendas, ad conſilia ſocianda, ad *Hertam*, ſeu *Tellurem*, *Bendam*, concelebrandam, ad ſomnia ibi captanda, ad quæ variis unguentis, imaginationem augentibus, ſeſe pararunt; Celtis placuiſſe, diem fati violenta manu occupatum, aut cruentam in prælio necem, convivatas fuiſſe mulieres in montium verticibus, ac paſſim provectas ætate mulierculas ibi ex arboribus laqueo enecatas pependiſſe, vel igni fuiſſe exuſtas; reliquas mulieres ex ſociarum defunctarum carnibus aſſatis ediſſe, ac reliquias incendio abſumſiſſe. Cum Chriſti doctrina paſſim ad Celtas perducta fuit, ſacerdotes novi, conſuetudinem illam religionis priorem & avitam deteſtati, diabolo omnia tribuerunt, ac id, quod laudabile haud erat, oratione reddiderunt flagitioſius. Nec tamen expugnari potuit mos priſcus. Inde accidit, ut paſſim reliquiæ inſtitutorum veterum recrudeſcerent, ac fabulæ diverſæ, de lamiis & ſtrigibus, de *Saturni* ævo, in unum confluerent chaos. *Joannes Niderus*, Dominicanus, isque Inquiſitor, non ſolum aſſiduus fuit in concremandis ſagis, ſed etiam *Formicarium*, cujus *Liber* Pag. 40.
quintus omnis *Malleo maleficarum* eſt inſertus, ſcripſit per modum dialogi, Theologum doctrinam hanc edocturus. Germania Seculo XV cœpit ardere rogis innumerabilibus, quibus hauriebantur mulierculæ, autoribus præcipue Inquiſitoribus duobus, *Henrico Inſtitore* & *Jacobo Sprengero*. Carnificinam, per Flandriæ arva furentem, deſcripſit *Jacobus Meier* in *Annalibus Flandriæ Lib. XVI.* Dari ſagas, easque morte eſſe multandas, communis erat perſuaſio. *Alphonſus Toſtatus*, † A. 1450, dictatorie ſic pronuntiavit *in Matthæum Cap. 4 Quæſt. 47*: *Quod dicitur de mulieribus, quæ per noctem diſcurrunt per diverſa loca, etiam verum eſt; nam ſæpe hoc inventum eſt, & judicialiter punitum.* Idem confirmavit de Gallis ſuis *Alphonſus Spina* in *Fortalitio fidei* circa annum 1458. Striges in Gallia, regnante *Franciſco I*, numeratæ ſunt 100000, autore *Petro Creſpero de Odio Satanæ Lib. I Diſcurſ 3. Bartholomæus Spina* numerat plures. Franciſcani retulerunt plerumque omnia ſagarum portenta ad corruptam imaginationem.

nem. Sic ſenſerunt *Petrus Mamor*, Gallus. Complures ſacerdotes
monuerunt, maleficas non dari, aut corporibus nihil nocere
Pag. 42. poſſe, niſi adminiculis naturalibus. Id ipſum legitur in Theo-
logorum Colonienſium *Malleo Maleficarum P. I Quæſt. 18.*
Et illos refellere contendit ſacerdotes *Nicolaus Jaquerius* in
Flagello hæreticorum faſcinariorum. Nideri & Sprengeri cru-
delitatem notat *Fridericus Spe Dub. 23.* Waldenſes in ſtrigo-
nes ab Inquiſitoribus fuerunt converſi in Flandria ac Arteſia,
& rogis jam adſcripti circa annum 1497, teſte *Franciſco Bal-*
43. *duino.* Crudelitatis argumenta ficulna oſtendit *Paulus Sar-*
pius. Andreas Alciatus indignitatem rei reprehendit *Parer-*
gon Juris VII, 22. Hieronymus Cardanus de Rerum varietate
XV, 80, originem crudelitatis optime indicavit hunc in mo-
45. dum: *Sublata primum in hos miſeros & inſanos poteſtas fuit*
a ſapientiſſimo Senatu Veneto, cum animadverteret, eo progreſ-
ſam horum ludorum rapacitatem, ut omnino inſontes damna-
rent ſpe prædæ: neque contemtor divini cultus quærebatur, ſed
divitiarum poſſeſſor. Chriſtianus Thomaſius definivit autorem
proceſſus inquiſitorii Innocentium VIII. At *Bartolo* non eſt
ſermo de Epiſcopo Romano in Conſilio, cujus ſupra memi-
nimus, & ad quod lectores remittit *Thomaſius.* Quæſtio-
nes de ſagis jam A. 1350 haberi cœperant, antequam *Inno-*
centius VIII renuntiaretur Papa. Noſtrum non eſt, hiſtoriam
quæſtionum ad Seculum XVI, & ad ætatem noſtram, perſequi.
Adeant Autorem, qui copioſiori tractatione cupiunt ſeſe re-
creari. Exhibuimus potiora ex Introductione, & *Libri primi*
50. *ſeptem Capitibus* primis. *Nono Capite* Autor inſtituit compa-
rationem inter ſocietatem *Dianianam*, & ſagarum, quæ nunc
dicuntur eſſe, conſortia. Examinatur ſimul *Canon Epiſcopi*
26 Quæſt. 5. Decimo vindicatur ratio agendi, in hac cauſa
Romæ familiaris ſacræ inquiſitioni, a calumniis heterodoxo-
rum. Objectiones adverſariorum, contra *proceſſum* in ſtriges
73. tritum emiſſæ, repelluntur *Capite undecimo. Libro ſecundo*
offerunt ſe Lectori argumenta, quibus, haud dari congreſſus
lamiarum nocturnos, comprobatur. Objectiones obmotæ
diſſolvuntur. Differentia ſtabilitur inter veneficia & fabuloſa
ſtrigum

Digitized by Google

ſtrigum maleficia. *Libro III* oſtenditur, fabula illa de nocturnis lamiarum congreſſibus honorari cacodæmonem, fabulam eſſe materiem ſuperſtitionum oppido multarum, fabulam allicere homines imbecillioris judicii. Fertur judicium de *Martino Delrio*, ejusque Diſquiſitionibus magicis, atque nævi ejus candide indicantur. Series affertur Autorum, qui, congreſſus illos nocturnos dari, negarunt. Adjiciuntur tandem Acceſſiones. Miramur, tantum in Italia valere cauſam haud malam.

CHRIST. GUIL. FRANC. WALCHII, PHILOS. IN Academ. Jen. Profeſſ. Publ. Hiſtoria Canoniſationis Caroli Magni, variis obſervationibus illuſtrata.

Jenæ, ſumtibus Guthianis, 1750, 8.
Plag. 8 ½.

Fructum itineris ſui literarii Cl. Autor hac Commentatione edita laudabili dedit ſucceſſu, ſacratum Reverendiſſ. Abbati *Nicolao Lengleto du Freſnoy*, Hiſtorico Pariſienſi celeberrimo, Galliæ ornamento, Viro ſane magno & elogiis majori, cujus colloquio Autor Pariſiis ante biennium jucunde uſus, ac literis commendatitiis ad Eminent. *Dominicum Paſſioneum* præmunitus fuit. Suſpiciunt Germani cum Autore opera Cel. Abbatis, non ſolum illud *de hiſtorica arte*, ſed etiam *Tabulas* ejus *chronologicas*, & præſtantiſſimam Commentariorum *Cominæi* editionem, ne quid de *Lactantii* habitu novo dicamus. Pertractavit Autor hiſtoriam canoniſationis *Caroli Magni commatibus 28*. Accedunt chartæ *Friderici I* Imperatoris ac *Caroli IV*, nec non *Officium de S. Carolo*, & *Anecdota* Tigurina, ad illud referenda, a *Jo. Jac. Breitingero*, Helvetiorum decore, impetrata. Pag. 108.
Carolum Magnum inter numina Eccleſiæ Romanæ relatum eſſe, conſtat ſatis tum ex *Friderici I* Diplomate, tum ex Hiſtoricorum teſtimoniis, quorum principatum antiquitatis tenet Anonymus, qui *de Sanctitate meritorum & gloria miraculorum beati Caroli Magni Libros IV* reliquit, qui 3. 4.

manu

manu exarati exſtant in auguſtiſſima Vindobonenſi Bibliotheca. *Canoniſatio* vox eſt Seculo XII nata, & ex Miſſæ *canone*
Pag. 13. deſumta. *Suibertum* Seculo VIII cœlitibus a *Leone III* fuiſſe adſcriptum, credere deſierunt eruditi, ex quo *Jo. Mabillonius*
15. certiora tradidit, licet *Joannes Marangonius* illam *Baronii* ſententiam denuo conatus fuerit ſtabilire, Epiſtola, S. *Ludgero*
18. ſuppoſita, adductus. Dedit Autor album eorum, qui Seculo XII inter Sanctos ab hominibus relati fuere. Addit ea, quæ ad ſepulcrum *Caroli* Aquisgranenſe ſpectant. Corpus de tum-
23. ba levari juſſit Imperator *Fridericus*, ab omnibus conſpici, & ſepulcro reponi ſplendidiori intra Baſilicæ medium. Cœperunt Græci jam Seculo VI levare & tangere Sanctorum cor-
27. pora. At *Gregorius Magnus temeritatem* vocavit, *quæ nullo modo remanſura ſit impunita, Lib. IV Ep. 30 pag. 709 Tom. II Oper.* edit. Monach. Benedict. Translationem & diſtractionem corporum humatorum graviter interdixerat lex *Theodoſii.* At vicit leges opinio, ſanctitatis putatitiæ ſoror, & amor
31. in oſſa Sanctorum eximius, 1) altaribus, & 2) elato loco, ut viſum fuit jam hominibus Seculo IV & VII, cohoneſtandus. Levatio, *exaltatio*, & *canoniſatio*, corporis *Carolini* ab Imperatore in comitiis Aquisgrani A. 1165. 4 Cal. Jan. fuit expedita.
35. Qui ſecus ſenſerunt, indicantur ab Autore, ac refelluntur. Imperator ac proceres imperii tunc tenuere autoritatem, de Sanctis quoque, & eorum cultu, ſtatuendi. *Mabillonius*, poteſta-
40. tem eam tunc nondum Romano Pontifici fuiſſe reſervatam, monuit. *Henricus II*, Angliæ Rex, qui *Alexandri III* Pontificatum haud agnovit, *Fridericum* ad ſic faciendum precibus induxit. *Paſchalis* conſenſum canoniſationi adjunxit, *Alexandri III* Antipapa, non *Zacharias*, non *Alexander.*
45. De *Paſchale* nihil addemus. Qui avent vitam ejus perluſtrare, Autorem adeant ipſum, quæſumus. *Carolo* cœlitibus adſcribendo opus haud fuit conſenſu *Alexandri III*, ſiquidem
53. olim antiſtes eccleſiæ cum ſuis eo munere, adſciſcendi Sanctos in cœlitum numerum, functus fuit. *Alexander III* tandem
58. ſibi ſoli id munus tribuit. De *Raynaldo*, Archiepiſcopo Colonienſi, & *Alexandro*, Leodienſi Epiſcopo, ſelectiora attulit

tulit

tulit omnino Autor. *Carolum M.* Pontificiæ religioni ætatis noſtræ addictum fuiſſe, negat Noſter cum *Chriſtiano Niſanio, Schatenii* antagoniſta. *Carolum* ab imaginum cultu abhorruiſſe, contendit. Dicit de *libris Carolinis* ſententiam, eosque genuinos eſſe pronuntiat. *Carolus* certe Sanctis tribuit venerationem, non cultum. Numerum Sanctorum in dies augeri, indigne tulit. Edixit is Concilio Francofurtenſi, *ut nulli Sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur, ſed ut hi ſoli in Eccleſia venerandi ſint, qui ex autoritate paſſionum & vitæ merito electi ſunt.* Et eam ob rationem ne ipſe quidem *Carolus Magnus* inter Sanctos fuiſſet collocandus. Beneficia *Caroli* in Eccleſiam Chriſti prædicavit *Fridericus* Imperator. Addit Noſter, videri *Carolum* quoque religione Chriſtiana ad proferendos imperii fines abuſum, atque juſtis adminiculis ad Saxonas Chriſto lucrifaciendos haud fuiſſe inſtructum. Genuina miracula per *Carolum* edita eſſe, Cl. Autor negat. Cultus *Caroli* religioſus *Friderici* illa ſolennitate Aquisgranenſi haud fuit antiquior. Ex hoc autem temporis articulo tranſiit ille in Germaniam maxime, Belgium, Galliam, cultus, a *Carolo IV* Imperatore reſuſcitatus. Norant eum Mindenſes, Osnabrugenſes, Colonienſes, Wirceburgenſes, Pariſienſes, Bituricenſes, Brugenſes, Tornacenſes, Leodienſes, Turicenſes in Helvetia, Itali nonnulli. De variis orationibus cantionibusque, quæ in honorem *Caroli* ritu ſolenniori recitari ſolent, ac Tiguri recitatæ fuerunt, copioſe tandem expoſuit *Walchius*, inclyti Patris Filius omnino diligentiſſimus. Noſtrum eſt, & doctiſſimo Autori, & Patri Venerando, & publico eruditorum orbi, de tam pulchro monumento publice gratulari.

Pag. 64. 68. 72. 77. 87.

Hiſtoriſcher Münzbeluſtigung ſiebenzehnter Theil, ꝛc.

id eſt,

JOANNIS DAVIDIS KOELERI, P. P. HISTORICO-numiſmaticarum, Anno MDCCXLV per hebdomadum vices editarum, Deliciarum Pars XVII.

Noribergæ, apud Chriſtophori Weigelii, ſenioris, chalcographi, viduam, 1745, 4.
Alph. 2 plag. 17.

Conſecravit hunc *Tomum* Autor Cel. Sereniſſimo Duci Brunſuico Luneburgico, *Carolo*, pietatis omnis, ſcientiarum, ac rei literariæ, ſapientiſſimo ſtatori ac Patrono ſummo. In Præfatione recenſuit Thaleros, ac eorum exhibuit *Continuationem XIV.* Primordia capit a Joachimicis Comitum *Nuenaria* ac *Morſi.* Subjungit recenſionem Thalerorum, quos cudi fecerunt ac juſſerunt Comites, *de Montfort* dicti, & Naſſovii Arauſionenſes. Comitum *Noſtiziorum*, *Oettingenſium*, *Oldenburgicorum*, *Rantzoviorum*, *Reckheimenſium*, *Regenſteinenſium*, A. 1599 exſtinctorum, *Reuſiorum*, *Rietbergicorum*, *Saynenſium* ac *Wittgenſteinenſium*, *Schaumburgicorum*, *Schlikenſium*, *Schwarzburgicorum*, *Sinzendorffiorum*, *Solmenſium*, *Stolbergicorum* & *Wernigerodanorum*, *Sulziorum* in Suevia, A. 1687 emortuorum, *Teclenburgicorum*, *Waldecenſium*, *Daunenſium*, & *Windiſchgræcenſium*, Joachimicos operoſe recenſet, monens ſub finem Præfationis, non omnes Imperii Germanici Comites, vel Ordines, privilegio numi cudendi gaudere, eo quod id ipſum ab Imperatorum gratia profectum ſit, & Capitulatione *Maximiliani II Art. 30* fuerit A. 1562 cautum, ne illud privilegium ulli ordini, ulliſve proceribus, niſi *præſcitu Electorum*, indulgeatur, quæ cautio in Capitulatione *Leopoldi Art. 34* exponitur per *peculiarem electoralem conſenſum*. Nunc vero ad Numos ipſos, hic per partes illuſtratos, veniamus oportet.
Pag. 1. Scenam aperit Joachimicus *Chriſtiani III*, Regis Danorum ac Norwegorum, ad annum 1546, qui ſeſe etiam Vandalorum Gothorumque Regem appellavit. *Waldemarus II* exſtitit primus, qui ſe *Slavorum*, ſeu Venedorum,
8. Regem ſalutavit, teſte *Arnoldo Lubecenſi VI, 17*, teſtibusque tribus *Waldemari* Diplomatibus. Secundo loco exhibetur Thalerus perrarus *Erici*, Epiſcopi Oſnabrugenſis ac Paderbornenſis, Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, e progenie *Grubenhagica* nati, ad A. 1524, demortui A. 1532, 14 Maji, quo præſidente

dente per literas bullatas *Leonis X*, A. 1517, 17 Jul. datas, Do- Pag. 16.
ctores & Licentiati in poſterum Oſnabrugæ a Canonicatibus
fuerunt prohibiti, Tertio loco ſuppeditatur lectori rarus, isque

TAB. III ad Nov. Act. Er



quo ad A. 1744 *Suſanna Maria Preisleria*, cælatrix Noriber- 65.
genſis, commemoratur. Excipit illud Thalerus rarior Comitis Schaumburgo-Lippiaci ac Sternbergenſis, *Philippi*, Bückeburgicam qui progeniem condidit, ad A. 1660. *Eliſabetha Philippo* obtigerat ſoror, mater ultimi Comitis Schaumburgici, *Ottonis*, A. 1640, 15 Nov. mortui, quæ ipſum ſcripſit 86.
hæredem hæreditariorum *Ottonis* bonorum. Deliciis abundat rarior Joachimicus urbis Breslaviæ ad A. 1622. Antiquitate 89.
eminet *Groſſus novus geminus Magni & Baltaſaris, Ducum Magnopolenſium*, ſeu Megalopolitanorum. Caput bubuli, in antica expreſſum, non eſt bucephali, ſed Vandalorum, vel potius Venedorum, veſtigium. Nummus ille æquat 4½ lothones argenti, ac A. 1502 percuſſus fuit. Raritate ſe commendat

 Flo-

Digitized by Google

Noribergæ, apud Chriſtophori Weigelii, ſenioris, chalcographi, viduam, 1745, 4.
Alph. 2 plag. 17.

ne illud privilegium ulli ordini, ullisve proceribus, niſi *præſcitu Electorum*, indulgeatur, quæ cautio in Capitulatione *Leopoldi Art. 34* exponitur per *peculiarem electoralem conſenſum.* Nunc vero ad Numos ipſos, hic per partes illuſtratos, veniamus oportet.
Pag. 1. Scenam aperit Joachimicus *Chriſtiani III*, Regis Danorum ac Norwegorum, ad annum 1546, qui ſeſe etiam Vandalorum Gothorumque Regem appellavit. *Waldemarus II* exſtitit primus, qui ſe *Slavorum*, ſeu Venedorum,
2. Regem ſalutavit, teſte *Arnoldo Lubecenſi VI*, 17, teſtibusque tribus *Waldemari* Diplomatibus. Secundo loco exhibetur Thalerus perrarus *Erici*, Epiſcopi Oſnabrugenſis ac Paderbornenſis, Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, e progenie *Grubenhagica* nati, ad A. 1524, demortui A. 1532, 14 Maji, quo præſidente

dente per literas bullatas *Leonis X*, A. 1517, 17 Jul. datas, Do- Pag. 16.
ctores & Licentiati in poſterum Oſnabrugæ a Canonicatibus
fuerunt prohibiti. Tertio loco ſuppeditatur lectori rarus, isque
vetuſtus, liberi Baronatus Reckheimenſis Thalerus, cui deeſt
anni indicium. Addit Noſter nonnihil de dynaſtia Reckheim,
ejusque ad Comitem *Hermannum de Aspermont* ac *Lynden* 20.
translatione. Quartum locum occupat penſilis rariſſimusque
numus mnemonicus, fœderis Pragenſis A. 1619 index, teſſe- 25.
ræ loco inſerviturus. Quinto loco exhibetur rarus metallio, 33.
Ludovicum Arioſtum, Poetam Italum, Ferrarienſem natu,
referens, a nobis autem, ut vides, hic repetitus. Hic A. 1473 TAB. III.
natus erat patre *Nicolao*, apud Ducem Ferrariæ *Hercu-
lem* aulæ magiſtro, defunctus A. 1534, 6 Jun. carmi-
nibus clarus, ac a *Carolo V* Mantuæ A. 1532 laurea decoratus. 41
Sexto apparet loco unilaterale numisma, referens inſigne So-
cietatis *Arcadum* eruditæ, quæ Romam illuſtrat, orta A. 1690,
5 Oct. autoribus *Joanne Mario Creſcimbeni* ac *Vincentio Leonio*,
quibus decem alii ſeſe ad emendandum Poeſios Italicæ guſtum
tunc adjunxere. Septimus eſt metallio, quo linguæ Græcæ
inſtaurator, *Guarinus Veronenſis*, ad A. 1460 oblivioni fuit 49.
ſubductus. Octavo loco in admirationem rapit lectores Tha-
lerus Epiſcopi Leodienſis, *Georgii* Auſtriaci, ad A. 1547.
Attentionem excitat non minorem Numisma mnemonicum,
quo ad A. 1744 *Suſanna Maria Preisleria*, cælatrix Noriber- 65.
genſis, commemoratur. Excipit illud Thalerus rarior Comi-
tis Schaumburgo-Lippiaci ac Sternbergenſis, *Philippi*, Bücke-
burgicam qui progeniem condidit, ad A. 1660. *Eliſabetha
Philippo* obtigerat ſoror, mater ultimi Comitis Schaumbur-
gici, *Ottonis*, A. 1640, 15 Nov. mortui, quæ ipſum ſcripſit 86.
hæredem hæreditariorum *Ottonis* bonorum. Deliciis abundat
rarior Joachimicus urbis Breslaviæ ad A. 1622. Antiquitate 89.
eminet *Groſſus novus geminus Magni & Baltaſaris, Ducum
Magnopolenſium*, ſeu Megalopolitanorum. Caput bubuli, in
antica expreſſum, non eſt bucephali, ſed Vandalorum, vel
potius Venedorum, veſtigium. Nummus ille æquat 4½ lotho-
nes argenti, ac A. 1502 percuſſus fuit. Raritate ſe commendat

 Flo-

Florenus aureus *Alberti* & *Caroli*, Ducum Münſterbergæ & Ol-
ſæ, fratrum, ad A. 1511, *Reichenſteinenſis* ab aurifodina *Rei-*
chenſteinii dictus. In tractu Franckenſteinenſi eminet perve-
Pag. 112. tuſta urbs metallurgica, Reichenſteinium, cujus vicinia, in-
primis mons *Eſelsberg*, aurifodinis claruit. Aurifodinam
Reichenſteinenſem emit a *Swidgero* ac *Henrico*, fra-
tribus *de Hugwiz*, *Bolco II*, Dux Schwidnizii ac Fürſtenber-
gæ, A. 1356, ea lege, ut poſt ſuum obitum aurifodina Regi Bo-
hemiæ cederet. *Podiebradienſis* familia urbem poſſedit, a qua
ipſam *Wilhelmus Urſinus*, dynaſta Roſenbergi, ſibi ſuisque
acquiſivit. *Petrus Urſinus* enim A. 1599 Duci Lignicenſi *Jo-*
achimo Friderico vendidit. *Carolus* ac *Joachimus*, Duces
113. Münſterbergi, A. 1553 rarius numisma aureum cudi fecerunt,
quod *Dewerdeckii* diligentiam effugit. Numus mnemonicus
Ludovici IV, R. Gall. nobis in memoriam revocat Rupifor-
tium (*Rochefort*), A. 1666 conditum ac perfectum, oppidum
& navale. Excellit metallio major, *Caciliam Gonzagam* vir-
72. ginem, *Joannis Franciſci*, primi Marchionis Mantuæ, filiam,
eruditione præſtantiſſimam, ad A. 1447 referens. *Alphon-*
129. *ſum V*, Arragoniæ Regem, inter Neapolitanos I, *triumphato-*
rem & *pacificum* ad A. 1448 prædicat metallio, arte & metallo
137. eminens. *Jacobum II*, ex Hibernia in Galliam profugum,
ejusque filium cognominem, ad A. 1699 numus rarior deſignat.
145. Archiepiſcopum & Electorem Colonienſem *Hermannum*,
Landgravium Haſſiæ, numus Turonenſis ad A. 1482 celebra-
tum reddit. In antica legitur perigraphe: *Turonus Tuicen-*
153. *ſis Hermanni, Archiepiſcopi Colonienſis*. De groſſo Turonenſi
nonnihil adjecit Cel. Autor, memoratu dignum. Raritate
excellit numisma Papæ *Marcelli II*, qui 22 tantum dies Pon-
tificatui præſedit, ad A. 1555, Papæ emendandis Eccleſiæ
corruptelis intenti, raraque eruditione, prudentia, & vitæ ſan-
161. ctitate, antiquis comparandi. Non eſt, quod de *numismate*
Trinitatis injiciamus mentionem, rati, recordandum eſſe
Canonis XXXVI Synodi Eliberitanæ: *Placuit, picturas in Ec-*
cleſia non eſſe debere, ne, quod colitur & adoratur, in parie-
169. *tibus depingatur*. Scutatus aureus cruciatus, ſeu ducatus, *Fran-*
ciſci,

Digitized by Google

ciſci, Regis Galliæ, ad A. 1539, dignus eſt, qui inſpiciatur pro-
pius. Memoriam *Sigismundi Eliæ Holzſchuheri de Aſpach &*
Thalheim, reip. Noribergenſis Senatoris, familiæque ſenioris, Pag. 177.
ad A. 1709 renovat numus, eam ad poſteros transmittens.
Succedit ei ducatus *Joannis Hunniadæ* perrarus, inter A. 1445 185.
& 1452 percuſſus. In antica viſitur S. *Ladislaus* Rex; in po-
ſtica inſigne Hungariæ, adjuncto corvo, conſpicitur cum
perigraphe: *Joannes D. Hw. R. Ungaie Gub.* id eſt, *Joannes*
de Hwkyad, regni Ungariæ gubernator. Metalliones dein-
ceps duo *Joſephum*, Archiducem Auſtriæ admodum adoleſcen- 198.
tem, exhibent. Nec negligendus eſt ducatus *Camilli* Auſtriaci,
Corregii Comitis, ad A. 1571. Excipit eum icon Thaleri
rarioris, A. 1617 juſſu *Ennonis II*, Comitis Friſiæ Orientalis, per- 209.
cuſſi. D. *Eucharium Gottliebium Rinkium*, Conſiliarium Cæ-
ſareum, anteceſſorem & ſeniorem Profeſſorum Altorfienſium,
juriſperitiſſimum, metallio major ornat ac illuſtrat. Ad *Ni-* 217.
colaum du Chatellet referendus eſt groſſus ſcutatus, A. 1554
percuſſus. Groſſus ille in antica ſcutum habet, galea & or- 225.
namentis inſignium vacuum. Numus, qui ſcutum ejusmodi
exhibet, *eſcu, ſcutatus*, appellatur. Domui *de Chaſtellet* pro-
prii ſunt fundi, inter Lotharingiam Ducatum Comitatumque
Burgundiæ ſiti, nominatim dominium imperiale *Vauvillars*.
Caſteletum (*le Chatelet*) vero eſt caſtrum in Ducatu Lotharin-
giæ pervetuſtum intra Epiſcopales terras Tullenſes in præfe-
ctura *Neufchateau* ac parochia *Barville*, dynaſtis Baſſompier-
renſibus in præſens ſubjectum. Ad ſepulturæ memoriam ſpe-
ctat numus, qui priorem ſequitur, index *Julianæ*, Comiti 233.
Friſiæ Orientalis nuptæ viduæque, A. 1569 defunctæ. Obſi-
dionem moleſtam loquitur numus quadratus aureus Capituli 241.
Magdeburgenſis, A. 1551 cuſus. Eodem anno urbs Magde-
burgum feriundum curavit numum minorem, ejusdem indi- 249.
cem obſidionis. Attentione Lectoris poſthæc indignus haud 257.
eſt primus Thalerus Bohemicus *Matthiæ* Regis, ad A. 1611
referendus. Rarior Thalerus mnemonicus eſt index conjugii, 265.
A. 1685 inter *Maximilianum Emanuelem*, Electorem Bavariæ, &
Mariam Antoniam, Auſtriæ Archiducem, initi. Eodem anno 273.

 cuſus

Digitized by Google

cuſus fuit nitidior Thalerus Epiſcopi Paderbornenſis, *Herman-*
ni Werneri, imaginem *Antonii Patavienſis* in antica referens.
Metallio, qui ſuccedit, repræſentat patronum eruditiorum vi-
rorum, *Georgium Hermanni*, Kaufbeurenſem, *Ferdinandi*,
Romanorum Regis, a conſiliis, ad annum 1527. Virum il-
lum digno elogio celebravit *Joannes Georgius Schelhornius*
Tom. I Amœnit. Hiſt. eccleſiaſt. & literar. n. XIV pag. 693-
750. Duo nummuli unilaterales ſunt Erfurtani, vulgo vocati
Pag. 289. *Sargpfennige*, ad A. 1525 referendi, de quibus Noſter erudi-
te diſſerit. Thalerum, ſub nomine *Caroli XII* A. 1718 cuſum,
nunnulli falſo tribuunt Baroni *de Gœriz*. *Kundmannum* no-
298. minatim Noſter refellit. Sequuntur eum 24 numi Conſulum
Hamburgicorum ſepulcrales, ſex ſeparatis tabulis æri inciſi.
358. Metallio major mnemonicus *Clementis XII* Pontificis, Roma-
ni, exhibet memoriam lateris anterioris ædis S. *Joannis* in La-
terano, recens exſtructi A. 1733. Memoriæ *Joannis, Henrici*
Horbii, Eccleſiaſtæ ad S. *Nicolai* Hamburgenſis, ſacer eſt nu-
361. mus ad A. 1695, qui poſthæc luce perfunditur, teſtis inſecta-
tionum, quibus *Horbium* collegæ appetivere. *Franciſcum*,
Hieroſolymorum Regem, Lotharingiæ, Barri, & Magnum
Hetruriæ Ducem, electum in Regem Romanorum, corona-
369. tum Francofurti 4 Oct. 1745, deſignat numus miſſilis, qui
illi conſpicitur ſubjunctus. Excipit hunc quadrans coronatus
aureus Regis Angliæ *Henrici VIII* ad A. 1542, qui ea ætate in-
377. gratiis Papæ ſe *Hiberniæ Regem* cœpit appellare. *Petro Alexi-*
ewitz, Magnæ Ruſſiæ Imperatori, A. 1717 Pariſiis monetam
inviſenti, oblatus fuit inſcienti numus major mnemonicus,
385. gloriæ ejus teſtis, quem Noſter exhibet illuſtratum, ſuisque
annotationibus perfuſum. Non minoris curæ eſt vetuſtiſſi-
393. mum Scoticum *Jacobi IV* Regis numiſma, ad A. 1513 referen-
dum. Vicariatum imperii geſſit ſecundum A. 1745 *Frideri-*
401. *cus Auguſtus II*, Rex Poloniæ, & Saxoniæ Elector. Numus
mnemonicus, pulchritudine commendabilis, teſtis hujus rei
409. eſt luculentus. Rectoratum Academiæ Erfurtenſis, a D. *To-*
bia Jacobo Reinharto A. 1731 ſuſceptum, numus confirmat. So-
417. cietatis fabrorum murariorum liberorum (*franc maſſons*) Ha-
lenſis

lenſis index eſt numiſma ad A. 1744. *Maximilianum Emanuelem*, Bavariæ Electorem, appellatione *Ducis Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, ac Geldriæ*, uſum fuiſſe, ſignificat ejus numus, A. 1713 percuſſus. Metallio ultimus eſt monumentum *Wilhelmi Conqueſtoris*, ex Normannorum Duce Regis Anglorum, ab A. 1066 ad annum 1087. Subjicitur ſeries Numiſmatum, quæ a *Joanne Daſſiero*, Genevenſium iconographo nummario, profecta ſunt. Notat Autor Cel. ſub finem tractationis raritatem metallionum Angliæ, ejusque cauſam, ingenium ſcilicet Anglorum ab imitandis aliis gentibus remotum ac alienum. Suffecerint hæc in præſens.

Pag. 425. 433. 437.

MEMOIRES POUR SERVIR À L' HISTOIRE DES Spectacles de la Foire, etc.

id eſt,

COMMENTARII, HISTORIÆ SPECTACULORUM nundinalium inſervientes.

Tomi II.

Pariſiis, apud Briaſſonum, 1743, 8.

Tom. I plag. 14, Tom. II plag. 14.

Delibabimus perpauca ex dapibus hiſce, ad corymbos noſtros haud admodum facientibus. Prodierat in lucem liber, cui eſt index: *Recherches ſur les Théatres de France*. Legerat eum generoſiſſimi Viri attentio, & Autorem, ut de ſpectaculis, in foro publice exhibitis a ſcenicis hominibus, exponeret, inſtimulabat. Theatrum, foro ſubductum, & in aulam vocatum, inſtituit *Ludovicus* ſub extremæ ætatis tempus. De theatro ſcenico forenſi exſtat jam liber: *Le Theatre de la Foire*. Theatri aulici indolem Galli appellant *Opera comique*. Magiſter vero rei ſcenicæ, quam exercent muti homines, cogitata motibus corporis edentes duce *Nicolinio*, theatrum ſuum, ejusque exercitium, vocat *Opera pantomima*. Origo pantomimorum a Græcis ac Latinis eſt repetenda. Forum S. *Germani* Pariſiis, quod adhuc viſitur, A. 1482 primordia cepit regnante *Ludovico XI*, qui mercatum ibi publicum anniverſarium ad

octo

Digitized by Google

octo dies certis legibus Abbati Monachisque S. *Germani* impertivit. Mercatus publicus S. *Dionyſii* eodem fere frequentari conſueverat. Tempus mercatus S. *Germani* variis deinde temporibus fuit obnoxium. Mercatus S. *Laurentii* incidit in *vigilias* S. *Laurentii*, ſi initium earum reſpicias, ad quatuor Seculorum antiquitatem accedentes, & in ditione S. *Lazari* jam olim poſitas. De mercatu hoc duplici diſſeruit *Sauval* in *Antiquitatibus Pariſiorum* (*Antiquitez de Paris*). Formis artificioſis, hominem referentibus, quas vocant *marionettes*, olim ſpectacula in utroque excelluerunt. Nonnihil de eis legitur in Novellis, quas Poeta, *de Loret* dictus, ſub initio regni *Ludovici XIV* verſibus concinnavit. In ſpectaculis iſtis adhibiti fuerunt funambuli ac homines, ſaliendi artem callentes. Inde ab A. 1672 luculenta de eis fit mentio. Intelligitur ex pauculis hiſce elementis, quænam ſit origo variæ, in Germaniam progreſſæ, ſpectaculorum nundinalium ſpeciei, e quibus procreverunt ſpectacula comica ac tragica, Principum ſumtibus in domiciliis privis & ſingularibus inſtituta. Gallia ſuppeditavit Germanis materiem formamque ſpectaculorum ſcenicorum, in formam artis redactorum. Italia dedit cantores, cantatrices, ſermones multos, ſaltatores ſcenicos, & machinarum circumpoſitarum pleroſque modulos. Sic Germania induit delicias Galliæ ac Italiæ, penituſque ad indolem ingenii extraneorum converſa fuit. Non vacat in præſens exhibere Lectoribus ſeriem materiæ comicæ, libroſque, eam complexos. Remittimus eos, ſi qui horum ferculorum ſunt avidiores, ad Commentarios ipſos, qui paucis eſſe poſſunt ad palatum, Muſæ magis feriæ addictis.

LETTERE FAMIGLIARI DI M. JACOPO BONFADIO, Veroneſe, etc.

id eſt,

M. JACOBI BONFADII, VERONENSIS, LITERÆ familiares, una cum aliis opuſculis ejusdem, proſo ac vorſo ſermone, Italico & Latino, adornatis, recens collectis.

Bono-

Bononiæ, ex typographeo Longhi, 1744, 8.
Plag. 13.

Bonfadius, in Veronenſi agro ad Benacum natus, in Epiſtolis familiaribus, Etruſca lingua, tenui ſtilo ac preſſo compoſitis, omnium princeps dudum fuit habitus. Scripſit pari candore Latina carmina. Genuenſium inchoavit hiſtoriam, a quibus necatus fuit, & flammis abſumtus. Sic de Autore judicatur in *Peplo Italiæ Lib. III pag. 82.* Vitam *Bonfadii* copioſius expoſuit Abbas *Hieronymus Ghilini P. I* libri, quem inſcripſit *Teatro d'uomini letterati*. Hinc intelligitur, patriam *Bonfadii* fuiſſe *Gazano*, locum fluvio Salo adjacentem ſatis exiguum. Valuit ipſe admodum Philoſophiæ ſcientia, haud minor in literis humanioribus & arte hiſtorica. A ſecretis fuit Cardinalis *di Bari* Romæ per triennium. Eo mortuo, operam ſuam accommodavit eandem Purpurato *Ghinuccio*, donec diuturnitas morbi, ac vitæ aulicæ ſatietas, eum inde abſtraxit. Peregre poſthæc abiit in regnum Neapolitanum. Luſtravit Patavium. Genuam ſe contulit, ubi publicis prælectionibus illuſtravit *Ariſtotelis Politicam*, ac deinceps, precibus ſuperiorum adductus, Rhetoricam. Collecta ibi magna ſui exiſtimatione, invitatus fuit ad ſcribendos *Genuæ Annales* ab eis, qui majorum ſuorum merita factaque glorioſa propius noſcitandi cupiditate flagrabant. Scripſit *quinque* priores Annalium *Libros*. In lucem publicam hi ſunt emiſſi, at rariores. Libere ſcripſerat, &, ut opinamur, veritati congruenter. Notatus fuit in eo acutus & mordax ſtilus adverſus potentiorem Genuæ familiam, a qua infamis delicti crimine fuit accuſatus, in carcerem porro conjectus, & ad rogum damnatus A. 1551, poſtquam ad amicos ſcripſerat, orans, ut corpus ſuum in æde S. *Laurentii* Genuæ humaretur. Præter Annales ejus haud admodum multa fuerunt foras data. Orationes ejus in laudibus feruntur. Epiſtolas familiares & Carmina ejusdem nunc evulgavit *Pius Nicolaus Fabri*, Clericus Bononienſis, addita dedicationis formula ad Comitem *Ludovicum Savioli*. Accuſationem, de qua diximus, negat aperte *Paulus Manutius*, dans tamen, caput ei ex decreto ju-

dicis, fuiſſe amputatum enſe ferali. Ex Epiſtolis multum humanitatis, plus elegantioris ſermonis, plurimum ingenii, elucet.

Pag. 65. *Oratio Ciceronis pro Milone*, a *Bonfadio* in Etruſcum converſa, inter eas apparet. Literis haud ineſt multum, unde Hiſtorici ac Philoſophi poſſint proficere. Carmina Latina ad *Silii Italici* modum aſſurgunt, poematibus Etruſcis ſat convenientem.

175. En partem carminis, quo *Gazanum* vicum deſcripſit hoc modo:

Mœnia cum Saloi & Benaci litora linquo;
Dextra iter ingreſſum per opaca & florida rura,
Me brevis & facile acclivis via ducit apricum
In collem, Cereri placitum patrique Lyæo,
Et placitum altrici ſemper frondentis olivæ.
Planities jacet in ſummo cultiſſima. Primo
Hujus in ingreſſu oppidulum eſt. Salaminius olim
Fadius, egreſſus patria, Patavique ſecutus
Fundatorem urbis, poſuiſſe in litore ſedem
Dicitur: atque plagæ mox acri incenſus amore,
Hunc optaſſe locum Gazæ, quam dives avito
Theſauro ſecum extulerat, tum nomine ab illo
Gazanum dixiſſe. Propinquis collibus arces,
Claraque magnanimum ſtabant monumenta virorum.
Sed rerum abſumtrix retroque abſtruſa vetuſtas
Obruta in obſcuris ſecum omnia condidit umbris.

COMOEDIÆ ET TRAGOEDIÆ SELECTÆ ex Plauto, Terentio, & Seneca, animadverſionibus & interpretationibus illuſtratæ ad uſum ſcholarum.

Florentiæ, ex typographio imperiali apud Tartinum & Franchium, 1749, 8.

Alph. 1 plag. 2½.

Diuturna juventutis inſtitutio commonuit Editorem, Latinæ linguæ vim, gratiam, venuſtatem, ac nativum leporem, uberius

uberius ex nullo ſcriptore commodiusque deguſtari poſſe, quam e comicis Poetis, *Plauto* præſertim atque *Terentio*. Movit hoc ipſum ad eas inde Comœdias, ac *Seneca* ſimul Tragœdias, deligendas, in quibus nihil timendum a licentia Poetarum; cum non ſolum ſint eximiæ & e multis elegantiſſimæ, ſed etiam honeſtiſſimæ, & in quibus optima vitæ morumque præcepta contineantur. Tales ſimul obſervationes adduntur, ut, vel levi Latinæ linguæ cognitione, difficillimum quemque locum aſſequi & intelligere quis poſſit. Laudamus executionem inſtituti. Num vero vel ad Latinæ linguæ nitiorem, vel ad exercitationem poeticæ facultatis, ſufficiant illi triumviri, viderint, quorum intereſt. Nos quidem ad priorem atque poſteriorem ſcopum alias vias eligeremus. Ad poſteriorem hic Lipſiæ prodiit ante decennium *Faſciculus Carminum Latinorum optimæ notæ ex præſtantiſſimis veterum Poetarum monumentis*, quem notum fuiſſe præfanti, non temere conjicimus; ad priorem orationis liberæ ſcriptores, ni cunctis, *Seneca* tamen, præferendi videntur. Sed, ut ad propoſitum redeamus, nonnihil hujus collectionis acceptum refertur *Gabrieli Riccardio*, Eccleſiæ Metropolitanæ Florentinæ Subdecano, & *Ant. Franc. Gorio*, qui rariſſimos Codices ſuppeditarunt, neque minus veterum Criticorum commentationibus. Nominatim in *Plauto* exhibendo adhibuit editiones *Frid. Taubmanni* & *Jo. Fr. Gronovii*, in *Terentio Tan. Fabri*, in *Seneca Jo. Caſp. Schrœderi*. Verſus obſcœni demti ſunt paſſim, quod non convenirent ſcholarum piarum inſtitutis; num autem nullibi ſit obſcuratus ac detruncatus ſenſus, viderint iterum alii. Nos ad tractationem, de origine, incremento, diviſione, & partibus, Comœdiæ & Tragœdiæ progredimur. Drama definitur per narrationem rerum confictarum, ad delectationem & utilitatem inventam, hominumque actiones adhibitis perſonis repræſentantem. Comœdiæ ſemina Græcos ab Ægyptiis accepiſſe, nonnulli contendunt. Differt autem a veteri nova multis rationibus. Nam adſtrictior eſt certis legibus, tam ad argumenta, quam ad dictionem, nec nova

Pag. 5. 6. 7. 8. 9.

vocabula ad riſum fabricat & ad cavillum, ſed, quinque partibus, rectius, quam antea, diviſa, tibicinem interſerit, ſoliſque jambicis & trochaicis contenta, haud per varias carminum ſpecies excurrit, ut in veteri obtinuiſſe conſtat. Apud Latinos a perſonis, in ſcenam prodeuntibus, & veſtitu ornatuque, quem gerebant, diverſa fabularum genera ſunt denominata. Hinc aliæ prætextatæ, quibus inducebantur prætextam gerentes, magiſtratus nimirum & ſacerdotes: trabeatæ, quas invenit *Meliſſus*, Grammaticus; aliæ togatæ, quales ſcripſiſſe *Afranium* legimus, quibus inducebantur privati, ac denique tabernariæ, quæ viliſſimorum hominum, qui vivere, merceſque vendere, ſolebant in tabernis, actiones imitabantur. Sed in genere omnes fabulæ, Latino ſermone ſcriptæ, togatæ dicebantur. Harum recentiores rurſus dividuntur in motoriam, quæ negotiis abundat & turbulentiis, in ſtatariam, quæ eſt quietior, & in mixtam, quæ comprehendit utramque. Stataria perſonas graves, ut Principes, Duces,
Pag. 11. cet. lubentius admiſcet. Tragœdia *Baccho*, cui & hircus, ſacra, vindemiarum tempore primum agi cœpit. Differt a Comœdia materia, vel rebus ipſis. In Comœdiis amores, itinera, nuptiæ; perturbationes, exilia, cædes, in Tragœdiis, proponuntur. Comicus mulierum habitus erat ſirma, veſtimenti genus
12. oblongum, quod ſic de cauda, vel tractu, dicebatur, & peplum, fluxa veſtis, quæ ceteris ſuperinduebatur. Senes candidas veſtes induebant, quod is antiquiſſimus exſtitiſſe veſtitus memoratur. Adoleſcentibus diſcolor ad eorum ingenii mobilitatem præ ſe ferendam tribuebatur; ſervi contegebantur, ut agerent expeditiores. Paraſiti palliis intortis veniebant. Læto veſtitus candidus, obſoletus, ærumnoſo diviti purpureus, pauperi phœnicius, militi chlamys purpurea, puellæ peregrinus habitus, varii coloris pallium erat lenoni. Tandem actores in fabulis peragendis faciem obtegebant perſona, quam alii *Maſonem* Megarenſem, alii contendunt *Æſchylum* inveniſſe. Latinorum primus uſus eſt perſona *Roſcius* Gallus, præcipuus hiſtrio, qui fuit oculis obverſis,

quam-

Digitized by Google

quamlibet nonnulli, *Cincium* & *Faliſcum* antiquiores ipſo fuiſſe, malint. De Theatro, ejusque partibus, memoratur, Pag. 13.
quod Athenis in Græcia primum ſtructum fuerit theatrum ex lapide, cum ante ſublicium fuerit. Romæ vero A. U. 599 Cenſoribus *M. Valerio Meſſala* atque *C. Caſſio Longino* theatrum primum ſtructum eſt. Primus autem *Pompejus* in Conſulatu ſecundo theatrum ex lapide quadrato exſtruxit magnificentiſſimum. Antiquis temporibus ſtantes ſpectabant, mox ſibi ſubſellia quivis afferebat, demum ſedilia cum porticibus & ſcalis etiam de lapidibus erecta fuerunt. In ſingulis gradationibus & ſcalis erant aditus, ſeu portæ, quæ *Vomitoria* dicebantur, per quas ab exterioribus porticibus venientes in ſedilia ſe funderent. Theatri partes ſcena, proſcenium, pulpitum, poſtſcenium, & orcheſtra. Scena primis temporibus erat umbraculum, ex arborum frondibus a ruſticis umbræ gratia factum, in qualibus Attica juventus fabulas agebat. Hinc aulæis erat ſcena tecta, quæ 14.
ſiparia dicebantur. Proſcenium erat locus, ante ſcenam porrectus, ſed ea depreſſior, in quo pulpitum erat excitatum, agentium & loquentium locus. Orcheſtra dictus erat a ſaltando locus apud Græcos, ubi chorus canere ſaltareque ſolebat, apud Latinos interior theatri pars concava, inter ſedilia, ſive cuneos, & proſcenium interjecta, præducta muro pedem unum alto, quod podium dicebatur, qui columnis tres pedes altis ornabatur, quibus ſpectatores inniti poſſent. Ea ſenatoribus ad ſpectandum deſignata fuit, & erat quatuor, aut quinque, graduum, quorum digniſſimus imus fuit, podio proximus ac ſcenæ. Superior theatri pars porticibus conſtabat, e quibus tenuiores ſpectabant. Sed ad excerptas Comœdias & Tragœdias properamus. Sunt autem *Plauti* Rudens & Captivi, cum obſervationibus *Petri Mariæ Soderini*, de Cl. Reg. Schol. piarum; *Terentii* Andria & Adelphi, cum obſervationibus *Everardi Audrichii*, Cl. Reg. Schol. piarum; *Senecæ* Troades & Medea, cum eorundem obſervationibus. De Troadibus illis ait *Heinſius* in *Sen.*

 Troad.

Troad.: *Non auſim Græcam Euripidis Tragœdiam, cui nomen* Τρωάδες, *ullo modo, ſive diſpoſitionem ſpectes, ſive πάθος, ſive gravitatem & auguſtum pondus ſententiarum, cum iſta conferre. Etiam in choris noſter vincit, quos ex paucis Græcis verbis, quæ ſparſim leguntur, fecit alios & plane divinos.* Ex eadem Tragœdia vel unam loco ſpeciminis obſervationem addemus. Quæ ad *v.* 227 verba: *Tellus nobilis Briſeide*, hæc eſt: *Ciliciæ oppidum. Fuit cauſa litis regibus, id eſt, inter Agamemnonem & Achillem, quod, eo capto, Agamemnon Aſtynomem, Chryſæ, Apollinis ſacerdotis, filiam, abſtulit, quam cum pater nec prece, nec pretio, poſſet redimere, Apollo, indignatus ob id, peſtem immiſit, Achilles, ad placandam Deorum iram Aſtynomem patri reddendam eſſe ait, unde Agamemnon ad patriam eam remittit, ſed Achilli, autori reddendæ, eripit Briſeïda, qua ablata, pugnare pro Græcis renuit Achilles, donec Patrocli mortem ulciſci arderet.* Hujusmodi perquam utiles obſervationes hiſtoricæ, criticæ, antiquariæ, paſſim occurrunt; mixtæ tamen etiam ſunt levioris momenti quædam; nonnunquam & antecedentium interpretum, omiſſis nominibus, ipſa verba repetuntur. Neque tamen vel inde doctiſſimorum Duumvirorum laudibus aliquid decedit; dum conſulere ſtudioſæ juventuti voluerunt rerum potius & verborum interpretatione, quam aliorum explanatorum indicio.

ADAMI FRIDERICI GLAFEY COMMENTATIO de Gladio, quocum Guſtavus Adolphus, Rex Sueciæ, in prælio Luzenenſi occubuit.

Lipſiæ, ex officina Langenhemia, 1749, 4.

Plag. 6, cum figura Gladii in æs inciſa.

Gladium Regis *Guſtavi Adolphi* aſſervat Bibliotheca Senatoria Lipſienſis. Fama vulgavit, ipſum eſſe eundem, quo Rex ad Luzenam uſus fuit. *J. B. Morinus* gloriatur,

Digitized by Google

tur, eum in manus ſuas perveniſſe. Autor MSti, quod cuſtodit Bibliotheca Upſalienſis, eum Aquas Sextias in gazophylacium *Borillium* fuiſſe translatum, refert. Notis magicis Pag. 4.
ipſum eſſe inſignem, tradiderunt homines, quos refellit *Georgius Wallinus*, Suecia Epiſcopus, *tribus Diſſertationibus de Gladio magico Guſtavi Adolphi*, in Academia Upſalienſi A. 1729 ventilatis, ratus, gladium Regis Luzenenſem una cum exuviis ejus ſolenni pompa in Sueciam transportatum eſſe, eumque in ſplendidiſſimo Holmiæ armamentario hodieque ſupereſſe. Opinionem hanc Ill. *Glaſey* veritati reſpondere negat, ſilentio *Puſendorſii* ſe ſuſtentans, licet adeſpotos rumores, qui leguntur apud *Lünigium*, *Khevenhüllerum*, Gallosque
duos, haud prætermittat. Addit *Ziegleri* teſtimonium, *Wal-* 7.
lino congruens. Qua ratione *Guſtavus Adolphus* ad Luzenam inter pugnandum exſpiraverit, corpusque ejus Vitebergam & Torgaviam fuerit vectatum, docent literæ, ex MStis allatæ. Hiſce docemur, Regem cum integra legione equitum ſuorum hoſtes adortum, ſed, horum multitudine ſuperatum, disjecta ac perturbata acie, pugnantem, ac variis vulneribus ſauciatum, cecidiſſe. Saxones huic prælio haud interfuere, in Sileſia Cæſareanos infeſtantes. *Franciſcus Albertus*, Dux Saxo-Lauenburgicus, innoxius fuit necis, *Guſtavo Adolpho* illatæ. Gla- 24.
dius Regis, quem Autor Ill. tenet, conſpectus fuit, antequam huc transferretur, a *Joanne Nicolao Pechlino*, nec aliter deſcribitur, ac res ipſa teſtatur. Quæ monet in contrarium Ven. *Wallinus*, ea diluuntur. Gladius certe, qui in armamentario regio Holmiæ aſſervatur, omnibus notis, characteribus, ac inſcriptionibus, deſtituitur, nec deſcribenti *Pechlino* congruit.
Guſtavus Adolphus, in prælio occiſus Lutzenenſi, fuit omni- 27.
bus armis ac veſtimentis ſpoliatus, teſtibus *Burgo*, *Lotichio*, *Furſtenbergio* Epiſcopo, *Piaſecio*, *Chemnitio*, *Gualdo*, *Nano*, *Pradio*, aliisque. *Mauritius Falkenberg* eum, plumbea glande ſauciatum, equo primus detraxit, hoſtili rurſum telo transfixus. *Joannes Schneberg ex Bækendorp* regem peremit & ſpo-
liavit. Exutum eum fuiſſe ad induſium usque, teſtis eſt *Pu-* 29.
ſendor-

ſendorfius in ejus *Vita Lib. IV §. 63.* Gladius *Guſtavi Adolphi*
ſic eſt comparatus. Manubrium holoſerico nigro eſt cinctum.
Anſa argento intruſo undique ornata. In ipſa lamina an-
cipiti, partim proxime ad manubrium, partim paulo infe-
rius, conſpiciuntur literæ & abruptæ & initiales: G. V. S. S.
Pag. 31. D. G. S. R. Y. W. Legit eas Ill. Autor hunc in modum: *Gu-
ſtavus ſecundus Dei gratia Suecorum Rex Gothiæ Wandaliæ.*
Nomen fabri ferrarii in eo legitur *Wilhelmus Wiersberg.* Ad-
ditum eſt nomen oppidi *Solingen*, fabricandis armis clarum.
In lamina legitur votum: *Soli Deo gloria.* Tum leguntur ver-
ba: *Nec temere, nec timide.* In laminæ latere altero obvia
ſunt verba: *Conſtantes fortuna juvat*, *Pechlino* congruenter.
37. In primario latere deprehenditur tritum illud: *Inter arma ſi-
lent leges.* In ſecundario laminæ latere verſus primum a ca-
pula mucronem hæc leguntur: *Virtus funeri ſuperſtes.* Ex
transverſo hæc apparent: *Pro Chriſto & Patria.* Omittimus
imaginem aquilæ, alas expandentis, ſpem regni Romanorum.
40. Inter ſigna eminent *anguis in cruce*, *ſagittæ decuſſatim poſitæ*,
alia. *Joannes Andreas Viatis*, mercator Noribergenſis ſu-
periori Seculo, gladium hunc habuit, qui vir tempora belli
tricennalis attigit, eaque ætate, indefeſſus in colligendis Regum
Principumque armis, armamentarium ſuum inſtruxit, quo
fama de gladio hoc adhuc poterat eſſe certa. Ab hæredibus
ejus is ad B. *Rinckium* pervenit, ære comparatus, ab hoc
ad Ill. Autorem. Fama, huic gladio affixa, ſemper dictitavit,
eum fuiſſe Regis *Guſtavi Adolphi*, in prælio Lützenenſi occum-
bentis. Gratulamur Ill. Autori de hæreditate felici, aut potius
de feliciori hac Commentatione, cedro digna. Quales ſi ipſe
deinde plures dederit, ut pro excellenti eruditione ſua poteſt
omnino dare, magno ſibi beneficio ipſas literas obſtringet,
jam a pluribus inde annis ita ab ipſo cultas, & novis opibus
ditatas, ut, ſi vel ornare eas & juvare nunc per ſenectutis ap-
propinquantis incommoda deſinat, tamen ei plurimum in fu-
turum omne tempus debeant, ſitque ei de his, quæ a multis
inde annis in aula æque ac Muſarum caſtris præſtitit, certiſſi-
mus a ſera poſteritate plauſus exſpectandus.

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Julii Anno MDCCLII.

NOVUS THESAURUS JURIS CIVILIS ET CANOnici, continens varia & rariſſima optimorum interpretum, inprimis Hiſpanorum & Gallorum, Opera, tam edita antehac, quam inedita, in quibus utrumque Jus emendatur, explicatur, atque ex humanioribus literis, antiquitatibus, & veteris ævi monumentis, illuſtratur. Ex Collectione & Muſeo GERARDI MEERMANNI, JCti, & Reipublicæ Roterodamenſis Syndici.

Tomus II.

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1751, fol.

Alph. 8 plag. 5.

Alter hic *Novi Theſauri Juris Civilis & Canonici*, quem Vir Cl. *Gerardus Meermannus* adornat, *Hondtius* vero bibliopola ſuis ſumtibus imprimendum curat, *priori* neque librorum raritate ac delectu, neque typorum elegantia, cedit. Doctiſſ. Editor in Præfatione agit de JCtis, quorum libros & opuſcula huic *Tomo* inſeruit, eorumque vitas breviter deſcribit. Libri autem, quorum hic copia nobis facta, hi ſunt: 1) *Joannis Suarez de Mendoza* Commentarii ad Legem Aquiliam; 2) *Ant. Quintana-*

 duegna

Digitized by Google

duegna de Juriſdictione & Imperio Libri duo; 3) *Franc. Calletii* Commentarius ad *Tit. de Evictionibus XLV Lib. VIII Cod.*; 4) *Nicol. Fernandez de Caſtro* Aquæductus novæ & antiquæ Romæ, ſive prælectio extemporanea ad *l. ad reparationem 7 Cod. de Aquaduct. Lib. XI*; 5) *Ejuſdem* exterminium Gladiatorum, ſive prælectio ſolennis ad *l. unic. C. de Gladiatorib. penitus toll. Lib. XI*; 6) *Joannis Altamirani & Velazquez* in priores XIII Libros ex XX Quæſtion. *Q. Cervidii Scævolæ* Commentarius; 7) *Thomæ Papillonii* Commentarius in quatuor priores Titulos Libri primi Digeſtorum; 8) *Joh. Philippi Dattii* de Venditione liberorum Diatriba, occaſione *l. 2 C. de Patrib. qui fil. diſtrax.*; 9) *Petri Vanderani* de Privilegiis creditorum Commentarius; 10) *Petri de Abaunza* ad *Tit. XV de Sagittariis Lib. V Decretal.* Prælectio. Tot ac tales libros doctiſſimus Editor in hunc *ſecundum Tomum* intulit, rarioribus merito accenſendos, præſertim in Germania noſtra, in quam doctorum Hiſpanorum & Luſitanorum ingenii monumenta vel nunquam, vel nimium ſero, ſolent afferri. Haud injucundum fore Lectoribus noſtris credimus, neque plane inutile, ſi de ſingulis libris, quorum modo titulos dedimus, ſigillatim agamus, &, quæ, illos perlegentes, obſervavimus, libere indicemus. Primus igitur in ordine eſt *Joannis Suarez de Mendoza Commentarius ad Legem Aquiliam*, quem Autor in *tres Libros* diſtinxit, præmiſſa inſuper introductione, ſeu apparatu. Dignus ſane fuit, qui orbi literato, & inprimis cultioris Juriſprudentiæ amatoribus, magis innoteſceret, quippe varia & inſigni doctrinæ ac ingenii elegantia refertus. In *Apparatus Cap. I* inquiritur in autorem hujus legis, vel potius Plebiſciti, & *M. Aquilius*, qui cum *C. Sempronio Tuditano* anno U. C. 625 Conſulatum geſſit, eam tuliſſe, a Noſtro cenſetur. Verum Vir doctus probare non potuit, *Aquilium* hunc & plebejum fuiſſe, & Tribunatum plebis unquam geſſiſſe. Præterea fallitur, dum hunc Conſulem *Marcum* nominat; quandoquidem, *Aquiliorum* genti non *Marci*, ſed *Manii*, prænomen familiare fuiſſe, ex nummis antiquis ſatis con-

conſtat, licet in *Vellejum Lib. II Cap.* 18 hic error, deſcriptorum vel oſcitatione, vel ignorantia, pariter irrepſerit, nec is abſit a plurium Faſtis Conſularibus. Quia vero *Ulpianus* in *l. 1 ff. ad L. Aquil.* aſſerit, legem hanc derogaſſe illi *XII Tabb.* omnibuſque legibus, quæ de damno injuria dato fuerint latæ; hinc Autor noſter *Cap.* 2 inquirit, quibuſnam *XII Tabb.* legibus per L. Aquiliam fuerit derogatum. *Capite* 3 diſputat de variis hujus legis capitibus, & de quo in ſingulis actum fuerit. Deinde *Libro I* Autor commentatur ad caput primum L. Aquiliæ, in quo, præter plures leges Digeſtorum & Codicis, quæ maximis viris in juris arte crucem adhuc fixerunt, docte explicatas, varia occurrunt, quibus quædam ex antiquitate capita illuſtrantur; qualia ſunt, quæ afferuntur de Deo Ende Velico, de variis ludorum generibus apud Romanos, de Duumviris & Quatuorviris in municipiis, & num jurisdictionem habuerint; quod ipſum affirmat, id ſimul agens, ut dubium ex *l. un. ff. Si quis jus dic. non obtemp.* petitum, removeret. *Libro II* caput tertium L. Aquiliæ explicatur, ſimulque erudite diſſeritur de origine & juribus rerum religioſarum, de tabulis, nomina dominorum indicantibus, quas veteres domibus & prædiis ſolebant affigere, quibusque agrorum limites diſcernebant. *Libro* demum *III* agitur de actione directa & utili L. Aquiliæ, ut & de illa in factum prætoria, &, quando unaquæque habuerit locum, variis & legibus & exemplis docetur. Notum eſt, *Franciſc. Balduinum* & *Gerardum Noodtium* in hanc legem Commentarios edidiſſe, ſed, quantum horum labores *Mendoza* ſuperaverit, illis facile conſtare poterit, qui hunc librum cum illis contulerint. Scripturæ genus eſt elegans, ſi pauca excipias, quæ magis properanti calamo, quam Autori, docto ſane viro, & tunc forte alia omnia animo meditanti, attribuenda videntur. Sequuntur *Ant. Quintanaduegnæ Libri duo de Jurisdictione & imperio,* in quibus Autor varias variorum JCtorum, qui de his juribus ſcripſerunt, ſententias expoſuit, calculumque ſuum quibusdam earum addidit, aliis negavit, ubique adductis diſſenſus ſui rationibus. *Libro primo* oſtendere

nititur tam ex antiquorum quam recentiorum, eorum inprimis, qui humaniores literas Juriſprudentiæ intulerunt, JCtorum monumentis, quid ſignificent apud Romanos jurisdictio, imperium merum, mixtum, jurisdictio delegata, &c. & quibus ſingulæ magiſtratibus competierint. Variæ paſſim leges ex Jure civili, quarum interpretatio haud cuivis eſt obvia, in eo explicantur, prolatis ſimul & expenſis diſſentientium opinionibus. *Libro ſecundo* Autor JCtorum medii ævi, Italicorum inprimis, de iisdem juris capitibus placita proponit; adducit præterea Summorum Pontificum deciſiones e Jure Canonico, præterea hodiernam praxin, inprimis in Hiſpaniæ provinciis uſitatam, paſſim ſubjungit. Hos excipit *Franciſci Calletii Commentarius ad Tit. XLV Lib. VIII Cod. de Evictionibus*, in cujus Præfatione Autor erudite diſſerit de ſignificatu vocum *autor* & *autoritas* in Jure civili, eas e variis legibus ac locis Scriptorum veterum explicans. Ipſas deinde hujus Tituli leges, ut & earum occaſione plures e Digeſtis, ſigillatim percurrit, & haud perfunctorie illuſtrat; præterea mores hodiernos, qui in Galliæ foris obſervantur, paſſim allegat, ut facile pateat, Virum doctiſſimum non ſcholæ tantum gratia hunc librum compoſuiſſe, ſed etiam conſulere illis voluiſſe, qui in foro verſantur, &, ut *Horatius* eleganter ait, civilibus undis merguntur. Sequuntur *Nicol. Fernandez de Caſtro* Aquæductus novæ & antiquæ Romæ, ſive Prælectio ad *l. ad reparationem 7 Cod. de Aquæduct. Lib. XI*, liber exiguæ molis quidem, ſed qui ubique autorem ſuum, diffuſæ & ſolidæ eruditionis virum, prodit. Oſtenditur *§. 3*, curam aquæductuum publicorum ad officium Præfecti urbi pertinuiſſe, idque inter alia probatur ex inſcriptione variarum legum ex utroque Codice, quas Imperatores ad Præfectos urbi direxerunt, & in quibus de aquæductibus agitur. Præerant illi Conſulari aquarum & Comitibus Formarum, id eſt, aquæductuum, qui ultimi in locum veterum Curatorum aquarum, quorum apud *Frontinum de Aquæduct.* frequens occurrit mentio, ſubrogati fuiſſe videntur. Deinde Autor tanquam in transcurſu emendat inſcriptionem *l. 1 Cod. h. t.* quæ ita ſe habet

in

Digitized by Google

in vulgatis editionibus: *Imper. Conſtantinus A. ad Maximilian. Conſularem.* Lex autem ipſa incipit: *Aquarum poſſeſſores* &c. ubi acute conjicit, vocem *aquarum* ex inſcriptionis fine, deſcriptorum incuria, in textum fuiſſe translatam. Pari felicitate reſtituit inſcriptionem *l.4 Cod. h. t.* In vulgatis illa Conſtitutio directa dicitur *ad Aſterium, Comitem Orientis.* Sed quid Comiti Orientis cum aquæductibus? Inde reſcribendum omnino eſſe putat: *Comitem For.* id eſt, *Formarum.* Plura ex elegantiſſimo libello excerpta hic proponi, ſpatii hujus haud patitur anguſtia. Totus autem meretur perlegi ab eis, qui cum paucis elegantiores amant literas. Hanc excipit altera ejusdem JCti Prælectio *ad l. unic. C. de Gladiator. penit. toll.* Lata eſt hæc lex a *Conſtantino M.* eo tempore, quo ipſe, ejuratis gentilium ſuperſtitionibus, Chriſtianæ fidei veritatem agnovit; quo facto, omnes ille nervos intendit, ut paganiſmi putridas exterminaret reliquias. Munera gladiatoria Chriſtianis pridem fuerant exoſa partim ob atrocitatem, qua peragebantur, partim etiam ob ſacrificia, ſine quibus nunquam edebantur. Hinc eis *Conſtantinus* lege, modo adducta, finem imponere voluit; verum Hiſtoria docet, malum hoc ſub ſequentibus imperatoribus ſæpius repullulaſſe, donec tandem ſub *Honorio* penitus exſtinctum eſt. Præter plures alias leges Digeſtorum & utriusque Codicis, ab Autore docte explicatas, memoratu digna eſt expoſitio *l. unic. C. Theod. ad L. Fabiam de Plagiar. §. 7 & ſeq.* ubi luculenter oſtenditur differentia inter *damnationem in ludum gladiatorium & ad gladium.* Nam, in quos prior ſententia lata erat, aut rude donati, aut populi juſſu liberati, exitium evadere poterant; ad gladium autem damnatis neceſſario moriendum erat, neque ullo modo hi mortem effugere poterant, licet in arena ſæpius victores exſtitiſſent. *Paragr. 8,* eandem differentiam fuiſſe, putat, *inter datos ad beſtias,* id eſt, *damnatos ad venationem,* & *damnatos ad beſtias.* Priores enim, venabulis & aliis armis inſtructi, cum beſtiis pugnabant, quas ſi occidiſſent, vitæ lucrum faciebant; ſed ultimi inermes feris objiciebantur, nonnunquam etiam, palis alligati, cogebantur mor-

Digitized by Google

mortem exſpectare. Si doctiſſimo Viro placuiſſet, rem illuſtrare exemplis, plura ei potuiſſet Eccleſiaſtica Hiſtoria ſubminiſtrare. Sic *Euſebius Lib. VIII Hiſt. Eccleſ.* cruciatus aliquot Martyrum refert, qui in perſecutione *Diocletianea*, in Tyriorum urbe, nudi beſtiis objecti ſunt, cumque ab his nullam læſionem ſenſiſſent, tandem a militibus trucidati. Similia leguntur in *Actis paſſionis SS. Perpetuæ & Felicitatis*, quæ cum aliis quibusdam Chriſtianis ſub *Sept. Severo* Carthagine idem fatum ſubierunt. Præterea Autor obſervat ex *l. 31 ff. de Pœnis*, Præſidem ad beſtias damnatos, favore populi, dimittere non potuiſſe, quia ſcilicet illi mortem neceſſario oppetere debuerunt. Hinc, ſi caſu aliquo tales rei feras evaſiſſent, in fine ſpectaculi a militibus occidebantur, uti id ex *Euſebii* ſupra citato loco, & Actis memoratis, conſtat. Reperiuntur tamen exempla, ab Autore omiſſa, ad beſtias damnatorum, quos ipſi Imperatores ſalvos dimittere juſſerunt, vel clementiæ laudem apud populum captantes, vel alia cauſa ad benignitatem permoti. Unum exemplum occurrit apud *A. Gellium Lib. V. Noct. Att. Cap. 14*; alterum habet *Euſebius* in libri *de Martyrib. Palæſtinæ §. XVI.* Pergimus ad *Joannis Altamirani & Velazquez Commentarium ad Lib. XIII priores Quæſt. Q. Cervidii Scævolæ.* Opus hoc poſthumum centum annis & pluribus forte, poſt fata ſui Autoris, in lucem protraxit *Joſephus Feneſtres*, JCtus Hiſpanus, cui ejus copiam Vir Cel. *Gregorius Majanſius* fecerat. Autor in interpretandis hujus *Scævolæ* legibus, quæ plerumque obſcuritate ſua non minus negotii JCtis facere ſolent, quam illæ *Africani*, ita verſatur, ut, cum Juris Civilis & Canonici haud imperitum fuiſſe, facile illi animadverſuri ſint, qui aliquid temporis in ejus lectionem impenderint. Sunt quidem in eo aliqua, quæ, paulo obſcurius prolata, lectorem remorari poſſint; ſed dubium eſt, an hujus libri autori, an vero oſcitanti & imperito deſcriptori, tribuenda ſint. Quod affirmavit ad *l. ult. D. de religoſ. pag. 394 §. 5*, uxorem, quæ in manum mariti convenerat, nihilo minus teſtamentum facere potuiſſe, error quidem eſt in jure

vete-

veteri, quem tamen cum pluribus illius temporis, quo Autor vixit, JCtis, interque eos magno *Cujacio*, communem habet, quem, poſt *M. Aurel. Galvanum* & *Ant. Schultingium* ad *Tit. XX Ulpiani*, ſolide refutarunt *Heineccius* in *Antiq. Roman. ad Inſtit. Lib. II Tit. X §. 19*, & Ill. *Grupen de Uxore Romana Cap. III §. 12 pag. 72.* Sequitur *Thomæ Papillonii* Commentarius ad Titulos quatuor priores Libri primi Digeſtorum. Autor, qui *Dionyſii Gothofredi* diſcipulus fuiſſe videtur, paſſim in eo prodit, quantum ſtudii elegantioribus literis impenderit; ubique enim leges, quas explicandas ſibi ſumſit, multiplici eruditione, e ſcriniis veterum Græcorum & Romanorum petita, quaſi condire videtur, ut nemini dubium eſſe poſſit, eum fuiſſe dignum tanti magiſtri diſcipulum. Commentatio, quam ad *l. 2 ff. de Orig. Jur.* inſtituit, præ ceteris legi meretur, cum inſignem partem Hiſtoriæ Juris Civilis contineat, ab Autore perdocte expoſitam. Sed angunt eum verba *Pomponii*: *Exactis deinde Regibus lege Tribunitia, omnes leges hæ* (regiæ) *exoleverunt, iterumque populus Romanus incerto magis jure & conſuetudine ali, quam per latam legem: idque prope viginti annis paſſus eſt.* Nullam enim novit legem Tribunitiam, qua leges regiæ antiquatæ fuerint, imo ipſe contrarium probat, poſt ejectionem nimirum Regum legibus, ab illis latis, populum Romanum uſum fuiſſe. Sed omnes hi fluctus facile ſubſident, ſi diſtinctionis ſignum poſt verba: *lege tribunitia*, interponas. Inde enim ſenſus emergit: Reges lege tribunitia exactos fuiſſe, non leges eorum. Nam, *Junium Brutum*, *Tarquiniorum* expulſorem, & præcipuum autorem libertatis Romanæ, tunc Tribunum Celerum fuiſſe, e *Livio* ſatis notum eſt, qui magiſtratus ei poteſtatem dabat, populum ad comitia convocandi, &, quicquid reipublicæ expedire videretur, cum eo ſanciendi. Vid. *Heineccius* in *Hiſtor. Jur. Lib. I Cap. 2 §. 13.* Deinde dubitat, quomodo ultima *Pomponii* verba accipienda ſint, cum inter Regum ejectionem, & XII Tabb. promulgationem, non ſpatium viginti annorum, ſed ſexaginta, intercedat. Credidit, hos viginti annos

nos numerandos eſſe a rogatione *Terentilla*, vel paulo ante, uſque ad XII Tabb. Sed, cum rogatio hæc vix XIV annis decemvirales leges præceſſerit, veremur, ut hæc ſententia probari poſſit. Si Vir doctiſſimus ſibi perſuadere potuiſſet, verba *Pomponii* in mendo cubare, ſine dubio alio modo eorum explicationem fuiſſet aggreſſus; ſed hoc ei in mentem non venit, imo potius audet aſſerere, non errore librariorum in textum hæc verba irrepſiſſe; ergo, ita, ſicuti nunc leguntur, *Pomponium* ea ſcripſiſſe, credidit. Sed iſtum in eo opinio procul dubio fefellit. Vix enim amplius dubitari poteſt, librariorum ignorantia corrupta eſſe, poſtquam *Corn. van Bynckershœk*, ornamentum quondam Belgii ſui, id clare oſtendit in *Prætermiſſ. ad l. 2 de Orig. Jur. pag. 21.* Ibi enim obſervat, veteres vocem *ſexaginta* per literas numerales ſcripſiſſe ita: VIginta, quod imperiti deſcriptores, & Chronologiæ Romanæ penitus ignari, haud animadvertentes, vocem *viginti* per errorem ſubſtituerunt. Hunc excipit *Joannis Philippi Dattii de Venditione liberorum Diatriba ad l. 2 Cod. de Patrib. qui fil. diſtrax.* Mire eruditos exercuit illa quæſtio: *an patribus jure civili filios vendere licuerit. Dionyſius Halicarnaſſ. Lib. II* memoriæ prodidit, *Romulum* patribus poteſtatem dediſſe, ter filium venundandi; quæ tamen verba *Aleander* non de vera venditione, ſed imaginaria tantum, in emancipationibus filiorum uſitata, intelligenda eſſe, cenſuit in *Notis ad Caji Lib. I Tit. VI § 3. Jacobus Ravardus ad LL. XII Tabb. Cap. 3* in *Tomo I Tract. Tractatuum fol. 244 b.* non quidem in dubium vocat, hanc facultatem ſub Regibus patri competiiſſe; exiſtimat tamen, eam pridem, & quidem ante Regum ejectionem, in deſuetudinem abiiſſe, in cujus locum Decemviri trinam imaginariam venditionem in emancipationibus quaſi ſurrogaverint; cujus etiam ſententiam amplexus eſt, vel potius verba exſcripſit, *Oiſelius* in *Nota ad Caji Tit. ſupra cit.* Sed, quid veri hiſce ſententiis inſit, cuilibet facile patebit, qui hanc Diatribam paulo attentius perlegerit. Autor enim probat, & poſt XII Tabb. libero-

Digitized by Google

liberorum venditionem apud Romanos licitam fuiſſe, &, quamvis eam prohibuerint poſtea Imperatores aliqui, *Conſtantinum* tamen adducta modo lege eam iterum permiſiſſe, ad evitandas liberorum expoſitiones & cædes. Conjicit cum *Jacobo Gothofredo*, ſuaſorem hujus legis *Lactantium* fuiſſe, tunc *Criſpi Cæſaris* præceptorem, qui *Lib. VI Divinar. Inſtit.* haud leviter Romanorum crudelitatem perſtringit, quod, liberos exponendo, acerbiſſimæ ſæpius morti eos objiciant, cum haud raro a feris beſtiis, canibus, aut avibus, dilanientur. *Anton. Schultingius* in *Notis ad Ulp. Tit. X §. I* *Aleandri* ſupra allegatam opinionem refutat quidem ſatis erudite, ſed ita tamen, ut *Dattii* librum haud legiſſe videatur, unde varia pro veriore, quam defendit, ſententia ſubſidia petere potuiſſet. Huic ſubjungitur *Petri vander Aa Commentarius de privilegiis creditorum*, quem jam olim a *Zilleto Tractat. univerſi Juris Tomo XVIII pag. 110* inſertum fuiſſe, nec non in alia collectione *Tractatuum variorum de Aſſecuratione & Cautione*, Coloniæ A. 1569 publicata, reperiri, Cl. *Meermannus* in Præfatione obſervat. Statim initio hujus libri Autor privilegium definit, oſtenditque differentiam inter privilegia, quæ ſingulis perſonis indulgentur, & quæ certo hominum generi, vel ſocietati, in jure conceſſa ſunt, quæ ultima etiam beneficiorum nomine venire ſolent, uti SCtum *Vellejanum*, &c. Deinde ſigillatim diſquirit, quibus creditoribus Jura providerint, & quas ob cauſas. Quamvis vero negari non poſſit, plurima in hoc libello contineri, quæ variis in Jure civili legibus aliquam lucem affundere poſſint, & doctum Autoris ingenium indicent; tamen etiam fatendum eſt, multa in eo occurrere ἀπροσδιόνυσα, & nimium a ſcopo Autoris aliena. Sic *Cap. 3*, in quo de actione funeraria agit, & privilegiis ſumtuum, in funus alicujus mortui factorum, amplas narrationes congerit de modo ac ritibus ſepeliendi non tantum apud Romanos, ſed etiam apud Græcos, Scythas, & Ægyptios, quorum ultimorum morem, condiendi & ſepeliendi mortuos ſuos, ex *Herodoti Lib. IV* ſatis perplexe refert, ut hunc ſcriptorem vix intellexiſſe videatur; verum

cuncta hæc ad hujus actionis cognitionem pleniorem vel admodum parum, vel plane nihil, conferunt. Tandem hunc *Tomum ſecundum* claudit *Petri de Abaunza ad Tit. XV de Sagittariis Lib. V Decretal. Prælectio.* Hoc opuſculum jure ſuo ultimum locum occupavit, cum admodum pauca contineat, quæ ſcire, Juris ſtudioſi intereſſe poſſit. Primo Autor plurima collectanea coacervavit, e Poetarum inprimis ſcriptis, ubi ſagittariorum, vel ſagittarum, aliqua fit mentio; deinde gentes enumeravit omnes, apud quas olim uſus ſagittarum fuerit, neque omittit ſatis accurate illarum varias figuras deſcribere, quas etiam æri incidendas curavit. Tum explicat, quid ſit bellum, & unde nomen habeat; quomodo indictum fuerit; qui feciales apud Romanos; quibus auſpiciis eorum duces, in bella ituri, operam dederint; & alia plura ejus generis in eo continentur, quæ nemo facile exſpectabit, qui titulum libelli legerit. Errat etiam, dum aſſerit, *Juſtinianum* per *l. 2 de Pagan.* ſacrificia & auſpicia interdixiſſe. Inſcriptio enim legis oſtendit, *Valentinianum* juniorem & *Theodoſium* illius autores fuiſſe. *Gratiani* vero nomen, quod in Codice *Juſtinianeo* legitur, ibi ſuperfluum eſſe, jam obſervavit *Jac. Gothofredus*, pro quo *Arcadium* addit modo nominatis Auguſtis, Codicis *Theodoſiani* autoritate fretus. Denique accedit ad ipſius capituli unici, quod in Decretalibus hunc titulum abſolvit, explicationem, quæ tamen ita comparata eſt, ut parum emolumenti Jurisprudentiæ inde ſperandum, & veriſſimum, ſit, quod Cl. *Meermannus* in Præfatione ſcripſit, huic viro non quidem eruditionem, at judicium, defuiſſe.

Hi quidem ſunt Libri & Tractatus, qui in hoc *ſecundo Tomo* continentur, ita quidem omnes comparati, ut de his Jurisprudentiæ ſolidioris amatores doctiſſimo eorum Editori plurimum gratiæ ſint habituri. Nos vero, cum aliis multis honeſtis ac doctis viris, Cl. *Meermanno* vitam & valetudinem precamur, ut ſuſceptum hoc opus auſpiciis divinis ad finem aliquando perducere, & ſpei eruditorum ſatisfacere omni ex parte, poſſit.

DELLA

DELLA STORIA NATURALE MARINA dell' Adriatico Saggio, etc.

hoc eſt,

SPECIMEN HISTORIÆ NATURALIS MAris Adriatici, Autore VITALIANO DONATO, Med. Doctore. Acceſſit Epiſtola LEONARDI SESLERI, itidem Med. Doctoris, de novo genere plantæ cujusdam terreſtris.

Venetiis, apud Franciſcum Stortum, 1750, fol. min.

Plag. 11, Tabb. æn. 10.

Non ſiſtitur hoc libro perfecta Hiſtoria naturalis maris Adriatici, ſed deſignatio ſecuturi majoris operis. Præmittitur a *Joanne Rinaldo Carolo-Rubbo*, *Vitaliani* amico, epiſtola, Ill. *Maupertuiſio*, Acad. Reg. Scient. Berolinenſis Præſidi, inſcripta, qua occaſionem ſuſcepti hujus laboris docemur. Debent eum naturalis Hiſtoriæ ſtudioſi Ill. *Antonio Leproto*, Archiatro Pontificio, rebus humanis jam exemto, cujus impulſu Autor hoc ſtadium ingreſſus eſt. Enumeratis Clariſſ. *Vitaliani* meritis, quem peritum & prudentem Medicum, excellentem Botanicum, Antiquitatum amantem, in Mechanices & Architecturæ diſciplinis exercitatum, quodque omnia ſuperet, honeſtatis laude clarum, prædicat, Ill. *Maupertuiſio*, Virum coram videndi, deſiderium injicere conatur amicus.

Sequitur pertractatio operis, Illuſtri *Leproto* ab Autore jam A. 1745, 2 Novemb. inſcripta, e cujus exordio intelligimus, Cl. *Vitalianum*, ſuadente, quem modo diximus, patrono ſuo, triennio ante vocatum fuiſſe a S. P. *Benedicto XIV* ad obeunda feliciſſima Neapolis & Siciliæ regna, perveſtigandarum & colligendarum earum rerum gratia, quas natura obſervatione dignas per ditiſſimos illos Italiæ tractus diſperſit. Nam ſub id tempus ad erigendum Romæ in Collegio Sapientiæ Officium docendæ Hiſtoriæ naturalis Summus Pontifex animum adjecerat. Optatiſſimum iter ſerpens Meſſanæ contagio præpediverat, Romæ agens *Vitalianus*, Muſeum *Leprotianum*,

Digitized by Google

rerum naturalium, præcipue marinarum, gaza inſtructum, ordinavit, confecto indice nominum, quæ ſingulis exemplis impoſuit, inter alia grati animi teſtimonia, collectione marmorum a poſſeſſore donatus. Exponit eidem in præſenti ſpecimine, quid in opere ipſo ſit præſtiturus; non ſolum hiſtoriam marinam, ſed etiam ea, quæ ad terreſtrem pertinent, mores & conſuetudines populorum, eorum morbos ſingulares & remedia, obſervationes denique geographicas, & ad ſtudium antiquitatum ſpectantes, perſecuturus; tam multiplicibus enim animadverſionibus adverſaria ſua locupletavit, dum per varias Illyrici partes, haud multis ante ipſum adita loca, peregrinaretur. Neque ſolam Iſtriam, Morlachiam *, & Dalmatiam, perluſtravit, ſed Albaniam quoque & Boſniam adiit. Teſtatur, in auſtralibus harum regionum partibus præfervidum regnare æſtum, montana rigere gelu, loca intermedia temperata gaudere cœli temperie; montes Podgorie, Sterniza, (hæc vox Slavonica lingua *præruptum* montem ſignificat,) aliosque multos, perpetuis algere nivibus & glacie. Hinc plantarum diverſitas. Quare per memoratas plagas non ſolum in Germania, Italia, Græcia, Provincia, Hiſpania, naſcentes ſtirpes, ſed etiam proprias quasdam, & inter has nemini adhuc obſervatas, offendit, quas, a ſe nominatas, (additis earum locis natalibus,) deſcribendi curam commiſit Cel. Viro, *Julio Pontedera*, memoratarum plantarum ſeminibus, vel iis vivis, in horto Patavino jam indigenis, a ſe donato.

His præmiſſis, redit ad hiſtoriam maris, in quo elemento, contendit, majorem deprehendi, quam in terra, naturalium rerum non multitudinem duntaxat, verum etiam diverſitatem. Ibi degere piſcium & inſectorum innumerabiles greges. Piſces non ſecus, atque beſtias, terram incolentes, a propriis habitari inſectis, & animalia diſſimilis naturæ in viſceribus aliorum vitam agere. Quælibet pars marini fundi, quin ſaxa ipſa, frequentantur a copioſiſſima fœtura animantium & inſectorum, quæ

* *Morlachia* eſt Morlachorum regio. *Morlachi* Slavonica lingua ſunt *Itali maritimi*; nam Italos *Labos* appellant Slavi & Vindi. Hoc etymon etiam *Wallachis* originem Italicam aſſerit.

Digitized by Google

quæ non ſolum eorum ſuperficiem perreptant, ſed intra illa quoque vivunt. Recitato catalogo Autorum, qui hiſtoriam maris tractarunt, vel attigerunt, incitatum ſe profitetur ad hoc ſtudium præcipue monitis Comitis *Marſilii*, & Celeberrimi Viri, *Reaumurii*, quorum ille obſervationum varietate palmam ſcriptoribus ceteris præripuit, hic diligentia præſtat univerſis. Accingit ſe jam Cl. Autor ad deſcribendum fundum Adriatici maris, cujus naturam ait propemodum nihil differre a ſuperficie terræ, quod etiam illic occurrunt montes, valles, campi, ſpecus, fontes, & flumina. Strata, ibi mutuo ſibi incumbentia, pari modo diſpoſita inveniuntur, atque in ſcopulis, inſulis, & continente, maximam tamen partem ad horizontis libellam accommodata, cubant. Habet omnis generis marmora fundus maris, petras, metalla, glaream, arenam, ſabulum, terras pingues & ſteriles; unde rationem reddit Autor, cur alii tractus maris abundent plantis & animantibus, alii careant iisdem, vel minus frequentes alant. Dum vero, inſtituta comparatione cum facie terreſtri, putat, inde confirmari ſententiam, quam veterum & hodiernorum ſcriptorum nonnulli defendere conati ſunt, nimirum ingentes terræ noſtræ continentis plagas fundum aliquando maris fuiſſe, id quidem nulla probabili argumentatione confici poſſe videtur, ſi hoc poſt cataclyſmum accidiſſe dicatur; verum rationi magis conſentaneum eſt, quasdam ſimilitudines, quæ in partibus globi noſtri relucent, ad ejusdem conditi initia, alias ad horrendam illam vaſtationem, referre, quam tempore diluvii contingere neceſſe fuit. Confidente aquarum mole, novam globo faciem inductam fuiſſe, multaque loca emerſiſſe, quæ prius maribus obtecta fuerunt, nemo ibit inficias.

Delapſus ad recenſendas ſpecies marmorum, affirmat, in fundo maris haud raram eſſe illam, quæ ipſorum lingua *Brecciato* appellatur, fragmentis conſtans ſimilibus, aut diſſimilibus, glareæ, vel minutorum ſilicum, figuram imitantibus, & marmorea diverſi coloris interfuſa materia cohærentibus. Eduxit aliquando e mari lapides *frumentarios*, *lenticulares*, & conchitas, *lumachelle* dictos, qui, e corporibus marinis ac

 terra

terra coagmentati, longo ævo in marmor lucidiſſimæ polituræ abierunt. Iſtria, Morlachia, Dalmatia, Albania, aliaque his regionibus vicina loca, inſulæ quoque & fundus maris, conſtrata ſunt (ſerie quidem haud continenti, verum ex intervallis per alias ſpecies interrupta,) marmore, quod e granis ſimilibus albicantibus congeſtum eſt, *Traguriense* antiquis, hodiernis Italis *marmo di Rovigno*, appellatum. Pari ratione percenſet alias marmorum ſpecies, albam, Canarienſi valde affinem, flavam, rubram, viridem pulcherrimam, Cretenſi ſimillimam, leucophæam, nigram, variam. Obſervavit etiam Cl. Autor in dictis provinciis alabaſtra ſpecioſiſſima multorum colorum, & tophos. At petrefacta, figuræ prioris tenacia, perrara ibidem ſunt; turbinum tantum & pectinum veſtigia, nec non oſſa humana, in lapidem verſa, deprehendit. In marmoribus fere penitus obliterata perhibet indicia priſtinorum corporum. Fundus maris pretioſioribus etiam lapidibus dives eſt, uti ophite, praſio. Chalcedonius reperitur verſus Corcyram nigram, Corneola verſus Anconam, verſus Garganum illa Opali ſpecies, quæ *Oculus cati* vulgo dicitur. Tophi, antea memorati, varia fundi marini loca obtegunt, unde iſtud evinci ait, non ſolum continentem, ſed mare quoque, abundare aquis, tartarum & calcem vehentibus. Illud vero ante omnia memorabile eſt, &, noſtro quidem judicio, inter omnes Cl. Autoris obſervationes primo loco ponendum, quod novam rationem detexit, qua ſolum, cui mare incubat, mareque proinde ipſum, quotannis magis attollitur. Negavit *Straba*, negant multi ex hodiernis Phyſicis, marium fundum accreſcere, quod illorum hæc ſit natura, ut reddant, atque ad litora egerant, quicquid alienorum corporum per fluvios in illa deferatur. Verum diligentiſſimus *Vitalianus*, oculis rem ſæpius intuitus, nos docet, varios tractus fundi in Adriatico cruſta, innaſcente e tegumentis durioribus eorum animalium, quæ cruſtaceorum, teſtaceorum, & polyparorum, claſſes conſtituunt, mire confuſis, terraque & arena permixtis, ea ratione incrementa annua capere, ut animalia hujus maſſæ, fundum incruſtantis, quæ ſuperficiem occupant,

cupant, viva deprehendantur, inferiora mortua, ſed illæſa. Pro menſura profunditatis minus conſervatæ inveniuntur illæ animalium exuviæ, imæ denique mutatæ in petram, aut marmor. Obſervavit Cl. *Vitalianus* hic atque illic pulvinos ingentis altitudinis, e congerie hujusmodi teſtarum aggeſtos *. Hinc attolli maris fundum, & aquæ ſuperficiem, neceſſe eſt. Ad hoc confirmandum adducuntur e locis maritimis Dalmatiæ & Iſtriæ, quin ex ipſa Venetorum metropoli, plurima exempla pavimentorum antiquorum, teſſellato opere, vel marmore, conſtratorum, quæ nunc infra ſuperficiem Adriatici, terra aliquot pedum altitudine obruta, jacent, neque ſubſediſſe credenda ſunt, quoniam quædam vivo ſaxo incumbant. Si objicias: ea ratione Adriaticum litora plana ac depreſſa inundaret, refragante experientia; reſpondet Autor, Iſtriæ, Morlachiæ, Dalmatiæ, & Albaniæ, nihil eſſe metuendum, quod regionum iſtarum litora crepidines editæ ſunt, maximam partem marmoreæ. Litoribus Venetis & Pontificiis natura providit, cujus legibus obediens mare, ſabulum, arenam, humum, terrarum ſublutarum, & ſaxorum e montibus deciduorum atque comminutorum, reliquias, per fluvios in ſinum ſuum devolutas, ejicit continuo, ac ad humiliora illa loca allidit & cumulat, ea vero ratione ſibi ipſi majores quotannis aggeres objicit. Id perſpicuis illuſtratur exemplis quorundam altius ſublatorum Italiæ tractuum, qui Adriatico alluuntur. Hæc exempla illis omnino addi merentur, quæ doctiſſimus Autor Diſquiſitionum de Mari (*Unterſuchungen vom Meere*) *pag. 179 ſeq.* e *Jani Planci* libello *de Æſtu Maris ſuperi*, aliisque ſcriptoribus, collecta, attulit. E memorato *Diſquiſitionum de Mari* libro poteſt etiam reddi ratio, quare litora Illyrici, quanquam re vera depreſſiora forent, non tamen eo modo accreſcerent, uti oppoſita Italica. Torrens enim naturalis maris, ex Ionio veniens,

* Iſta fundi marini facies confirmat Meſſanenſium teſtimonium, qui nobis, in ea urbe verſantibus, retulerunt, exiguo tempore ante æſtus adventum fundum maris commoveri, exaudito inde concharum colliſarum ſonitu.

niens, ac verſus Dalmatiam adſcendens (*pag. 68*), quicquid limi & ſabuli circa frequentes ibi inſulas converrit, ſecum volvit, ac Venetorum in angulum, & ad ſupra memorata planiora Italiæ litora, deportat, ſociandum aggeſtionibus, quas numeroſi tractus illius fluvii jam de ſe magnas faciunt.

Priusquam accedat Cl. *Vitalianus* ad ſuam rationem dividendi Hiſtoriam naturalem marinam, deſcribit inſtrumenta, quorum ope corpora, ſuis inveſtigationibus deſtinata, ex aquis educere conſuevit. Provehitur mari pacato in altum cymba, quatuor, aut quinque, remigibus, & aliis adminiculis, ad ſuos uſus accommodatis, inſtructa, ac, ſicubi aqua 15 paſſibus humilior eſt, oculis perluſtrat fundum, extracturus ea, quæ in rem ſuam facere videntur. Quo clarius, quicquid in imo hæret, conſpicere poſſit, maris ſuperficiem reſpergit oleo, cujus guttæ, mox in cuticulam tenuiſſimam, cymbæ adhærentem, inde vero late vagantem, expanſæ, aquam criſpari non ſinunt, aura, quæ alioquin undas leviores commovet, per lubricam illam planitiem ſine impulſu fugiente. In locis, quorum fundus glareoſus, vel ſaxoſus, proinde limpidum eſt mare, hoc negotium optime ſuccedit; limoſum autem ſolum, quale eſt anguli Veneti, turbat aquam, & viſum ad paulo majorem profunditatem excludit. Inſtrumenta colligendi, pro varietate corporum, varia ſibi comparavit. Bolis exploratoria geminos illi præbet uſus. Nam, quanto intervallo fundus a ſuperficie maris disjunctus ſit, indicat. Deinde, quoniam ſebo illam probe perungit, e minutis, aut levibus, corporibus adhærentibus, etiam in maxima aquæ altitudine, ſoli naturam cognoſcit. Pro locis, ad quæ viſus pertingit, præſtantis uſus eſt forceps, duos pedes alta, cujus alteri cruri perticæ plures, altera manu regendæ, in longitudinem aptatæ ſunt; alterius cruris annulo funiculus eſt inſertus, altera manu ductilis, & attractu ſtringens forcipis maxillas. In mari turbido, vel mole majori aquæ fundum conſpectui ſubducente, fune prælongo, inferne brachiato, plumbato, & hamis armato, piſcatur herbas & alia molliora corpora, damnis, quæ ſcopulorum aſperitas inferre poſſet, indicio bolidis

lidis evitatis. Utitur quoque retibus, quorum una ſpecies illa ipſa eſt, quæ ſervit nautis coralliorum, piſcatum exercentibus, Provincialibus *ſalabre* appellata, & a *Marſilio* deſcripta. Huic irretiuntur corpora duriora & ramoſa, cui ſubvenitur tollenone, ſi onus gravius implicatum hæſerit. His enarratis, diſſerit de progreſſu rerum naturalium, quo non ſolum unius ordinis membra, verum ipſi etiam diverſi ordines, inter ſe copulantur. Ejusmodi gradus, a regno vegetabili ad animale diſpoſitos, ait eſſe manifeſtos; nam lumbrici, &, obſervante primum *Tremblejo*, polypi aquæ dulcis, quod genus *Hydra* eſt Cl. *Linnæo*, diſſecti non moriuntur, ſed ſingulæ partes, convenienti loco depoſitæ, vegetant more plantarum, recuperataque priſtina figura, nova fiunt animalia; quomodo e *Cochleariæ folio cubitali* radicibus conciſis tot novæ emergunt cochlearia, quot fruſta terræ commiſſa fuerunt. A plantis fungoſis & muſcoſis, ſuſpicatur Cl. Autor, proximum eſſe tranſitum ad inſecta. Profecto, uti *Marſilius*, polypos coralliorum flores eſſe, putaverat, ſic itidem filamenta Callopilophori, in aqua ſeſe extendentia, quæ *Vitalianus* pro ſtaminibus habet brachiorum, a peculiari quadam polypi ſpecie emiſſorum, ſimilitudinem cuipiam ingerere poſſent, niſi ſemina vidiſſet *Michelius*. Hæc etiam planta, ſi tamen planta eſt, in confinio poſita, inter duo regna naturæ ambigere videtur. Diviſio Hiſtoriæ naturalis marinæ, *Vitalianea* methodo in *tres Libros* diſtributæ, hæc eſt. *Primus* agit de *Plantis*, *ſecundus* de *Polyparis*, *tertius* de *Zoophytis*, ſive, ut appellare mavult, *Plantanimalibus*.

Primo Libro, in deſignanda partitione *Plantarum*, quemadmodum etiam in digerendis claſſibus ſequentibus, utitur nominibus, a militia Romana deſumtis, quod, hæc iis, quæ in mari generantur, optime congruere, judicat. Cum ſuas claſſes itaque dividat in legiones, centurias, cohortes, ordines, genera; tota hæc diſpoſitio non aliter perſpicue repræſentari poſſet Lectori, quam tabulis, ordinum, claſſium, generumque, notas docentibus, rejectis nominibus militiæ Romanæ, quæ quid claritatis afferant inſtituto, non apparet. Verum, quoniam

Digitized by Google

hic labor fines egrederetur ſola argumenta libri compendio tradentis, eo ſuperſedere viſum eſt. Plantarum nomina ad Italicorum ſimilitudinem efficta ſunt. Cum tamen pleraque Græcam originem, vel certe affinitatem, præ ſe ferant; apta videntur ad Græcam, aut Latinam, formam reduci, quomodo nos plurima, ſalva Cl. Autoris ſententia, exhibere conabimur. Sunt autem hujusmodi: Pterigoſpermum, Thalatodes, Rhodopetalon, Ceraulotus, Polyoſteum, Epicilicodes, Syringia, Aniſocalyx, Uroides, Ceramianthemum, Ootocum, Sicocephalophorus, Crateranthemum; Calopilophorus, Cypariſſoficus, Arocarpus, Byrſoides, &c. Ex his nonnulla Cl. *Linnæo* non arridebunt. Subjicit deſcriptiones quatuor plantarum, 1) *Ceramianthemi ramoſiſſimi, humilis, pellucidi, rubri*; 2) *Callopilophori*, ſive Androſaces *Matthioli*; 3) *Byrſoidis caule tereti, ramis planis, apicibus bifidis, trifidis, turgidis*; 4) *Acinariæ caule tereti, ramis inferioribus compreſſis.* Explicata diverſitate radicum, quibus marinæ plantæ corporibus aliis affiguntur, iterum delabitur ad tractationem illam, quam adamare videtur, nempe de gradibus, per quos natura, in edendis ſuis partibus, a plantis procedit ad animalia, delecto ad hoc exemplo *Acinariæ*, cui maximam intercedere convenientiam cum *Corallio* probat, & occaſione hac Italis ſuis gloriam vindicat, qui a Seculo XVI in Polyparis animalium veſtigia deprehenderint. *Ferd. Imperatum* deſignat, qui, Madreporam, & Tubulariam rubram, inſectorum eſſe alvearia, conjectavit.

Libro ſecundo Polyparorum claſſem, ea complectentem corpora, quæ, e loculamentis conſtructa, polyporum generationi deſerviunt, pariter in legiones, centurias, cohortes, genera, diſpeſcit. Hæc ſunt Madrepora, Myrizoon, Elapheus, Pitocarpoides, Acanthophorus, Retepora, Aſpreus, Ophioides, Fiſtularia, Diſcoides, Gonatodes, Corallina, Aulopius, Sarcodendron, Evaſterius. Subnectit tres deſcriptiones. Prima eſt *Corallii rubri*, e qua (tametſi oculorum ſenſus diu mortales fefellerit, & ad credendum obſtinatos reddiderit,) luculenter cognoſcimus, polypi ſpeciem puſillam, ὀκτάκνημον, per

coral-

Digitized by Google

corallii ſuperficiem habitantem & nidulantem, originem præbere huic ſpecioſo corpori, etiam dum ſub aqua latet, duritie marmor æquanti, neque magis appoſite illos loqui, qui corallia, quam qui teſtas conchyliorum, plantas appellarent. Teredini quoque obnoxia eſt hæc, tametſi duriſſima, materia, non ſecus atque marmora ipſa a certis vermiculis perroduntur. Altera deſcriptio eſt *Madreporæ*, *diſperſis ramis*, *cellulis calyciformibus*, quæ polyporum etiam domicilium eſt; tertia *Myrizoi caule & ramis teretibus*, *liberis*, quod itidem inſecti diverſæ naturæ opus eſt.

Libro tertio Plantanimalium pertractatur claſſis, cujus, pari cum prioribus ratione diſtributæ, genera ſunt Oncoſarcus, Dactyloſpongius, Aneuroſpongius, Spongodendron, Spongia, Alcyonium, Tethya. Deſcribit Autor 1) *Alcyonium primum* Dioſcoridis, & vermem incolam; quanquam etiam, domum ipſam vita & ſenſu non carere, deprehenderit; 2) *Tethyam globoſam, tuberculis hemiſphæricis, in centro vertebratam;* 3) *Tethyam globoſam, tuberculis inæqualibus, vertebra excentrica.*

Opus claudit epiſtola Cl. *Leon. Seſleri* ad Doctiſſ. *Vitalianum*, in qua ille huic deſcriptionem plantæ offert, quam ejus nomine *Vitalianam* appellavit. Eſt flore monopetalo, magno, luteo, odorato, ſuperne in quinque linguas æquales, introrſum reflexas, diſſecto, cujus tubus cylindraceus, longus, calycem ſupereminet. Stamina quinque. Antheræ rectæ, triquetræ. Piſtilli apex rotundus. Calyx monophyllus, quinque ſulcis in longitudinem peraratus, ſuperne in totidem ſegmenta acuta diſciſſus. Ovarium fit capſula ſimplex, ovata, calyce perſiſtente dimidiam partem obtecta, maturitate quinquefariam dehiſcens, ſemina continens quinque grandiuſcula, oblonga, gibboſa. Plantæ hujus deſcriptionem jam dedit *Columna*, ſed rudem, e ſicco exemplari, quod eidem *ſedi Alpini* nomine miſſum fuit, adumbratam. Eſt planta perennis, repens, indigena montis S. *Peregrini*, Bellunenſis agri. In fine epiſtolæ *incomparabilis Linnæus omnium naturalium rerum lumen fulgentiſſimum* vocatur.

Hactenus fere tantum Hiſtorici fidelis munere perfuncti ſumus. Jam, judicium noſtrum de hoc libro ſi requiras, amice Lector, adſtipulamur ſententiæ illuſtris Viri, *Alberti Halleri*, qui Cl. *Vitaliani* opus jam ſuperiori æſtate nobis annuntiavit, Autoremque in binis epiſtolis, ad nos ſcriptis, collaudavit. Doctiſſimus hic Italus votorum noſtrorum partem prævertit. Quam beati, ſi in futuris ſaltem itineribus, Neapolitano Siculoque, fortaſſis nondum peractis, Virum comitandi facultas nobis, aut uni ex noſtris, obtingeret! Laudamus conſilium, quod conſpectum ſecuturi operis literato orbi dijudicandum commiſerit. Sic enim, conſultis plurium ſententiis, labore nondum ad finem perducto, & *membranis intus poſitis*, uti Poeta loquitur, facilius mutabuntur, ſi quæ viris in hoc ſtudio verſatis minus fortaſſis probata fuerint. Si noſtra quoque monita haud negligenda cenſuerit, illud inprimis obſervandum cuperemus, ut utilia nos doceat, miſſa videlicet nimia cura explorandi rationem, qua inacceſſa mentibus noſtris natura operum ſuorum infinitam varietatem ſic colligat, ut tamen gradus quidam, ab unis ad alia ducti, quaſi per velum, tranſluceant. Occupet hic labor, ingeniorum carnificina, futurorum ſeculorum homines. Nobis, ad obvia quæque adhuc miſerandum in modum cæcutientibus, in præſenti ſufficiat, opera naturæ ſolum internoſcere, & propriis ac aptis nominibus ſingula compellare. O nos oppido fortunatos, ſi hoc tantum conſequi poſſimus! Optamus, ut diligentiſſimus Autor ea, quæ ſive terreſtribus in itineribus obſervatu digna invenerit, ſive e profundo maris eduxerit, illa pergat accuratione deſcribere, cujus egregia ſpecimina nobis in hac operis deſignatione obtulit. Adeat fauſtis auſpiciis etiam Ionium & Mediterraneum mare, perſcrutetur Archipelagum; ſperamus, fore, ut de Charybdis & Euripi natura, deque aliis illorum marium prodigiis, circa Siciliam aliquando apparentibus, certiora nobis referat. O quantam teſtaceorum diverſitatem ſola Brunduſina ac Tarentina æſtuaria, tum & amœniſſimi ac fœcundiſſimi Campaniæ ſinus, Neapoli Puteoliſque adjacentes, ei exhibebunt! Delatus in Siciliam, adeat inprimis Terranovenſes, curetque, ſibi demonſtrari calvariam

variam

variam giganteam, cujusmodi plures e vineis proximis effodi audivimus, & unam, regio quocunque antiquitatum theſauro digniſſimam, humana communi ter majorem, urnæ fictili impoſitam, a poſſeſſore donatam, imprudentes non deportavimus, fragmento cranii decuſſo contenti. Figura erat humani capitis, non piſcis. Elephanti calvariam non fuiſſe, præter formam oppido diverſam, multitudo dentium, utrique mandibulæ infixorum, nos docuit; ſed, dum, omnes, etiam anteriores, dentes molares fuiſſe, narramus, quanquam jurejurando, quod vidimus, firmare allaboremus, ridemur. Nihil nempe increduli iſti legiſſe videntur de Heraclidarum dentibus, neque noverunt fortaſſis, hoc nomen in ampliſſima & antiquiſſima Orientis lingua *giganteam ſtirpem* denotare.

Iis, quæ ad hunc diem e ſolo Adriatico collegit Cl. *Vitalianus*, certa methodus, qua nos ad cognoſcendam naturæ univerſitatem ducamur, ſuperſtrui nequit. Differat nunc, quantumvis ingenioſe, eruditiſſimus Vir de cohærentia naturali earum rerum, quæ terra marique gignuntur; inveniet fortaſſis complura in aliquo memoratorum marium, vel in proximo continente, quæ ſpecioſam illam catenam diſſolvent, ac pulcherrima cogitata evertent. Differat quoque ſolicitudinem concinnandi generaliorem doctrinam in illud tempus, quo, ſpoliis Italiæ totius atque Illyrici onuſtus, Romam redibit, hiſtoriam univerſam naturæ, auſpiciis eruditiſſimi Pontificis, publice traditurus. Tum denique nomina, præſentibus commodiora, indere licebit. Incipit fervere hoc ſtudium, ditandis ærariis, ſi quod aliud, apprime utile, per varias Europæ regiones. Nota ſunt Suecorum in hanc ſcientiarum partem merita. Rex Galliarum, agnito ſtudii tam præſtantis multiplici fructu, conducit doctores, qui Hiſtoriam naturalem auditoribus prælegant. Auguſtiſſimus Imperator jam dudum haud obſcuris exemplis declaravit propenſum ſuum animum ad hujusmodi perveſtigationes promovendas. Quotquot iſtius rei conſcii ſunt, maximopere dolent, eos, qui indulgentiſſimi Principis gratia fruuntur, nolle, aut neſcire, id agere, ut confirment tanti Principis nobiliſſima conſilia,

mandataque celeriter exequendo, ejus gloriam augeant; illis vero, qui hoc vellent, & libenter cumulateque facerent, non patere acceſſum, arcentibus illis ipſis, qui patrocinari deberent. Nimium certe præcocia ſunt Germanorum in alias orbis partes itinera, dum Stiriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Tirolis, ſuperioris Auſtriæ, Salisburgenſis ditionis, Bavariæ, & plurimi aliarum Germaniæ provinciarum, theſauri manent intacti. Juſtam querimoniæ cauſam illa denique præbet ſortis iniquitas, quod viri indigenæ, ad docendam univerſam Hiſtoriam naturalem, & ad ea, quæ in dictis regionibus obſervatione digna ſunt, deſcribenda, parati, inſciis procul dubio dominis, cum fame conflictantur. Sunt nimirum fatalia ſtudiorum incrementis tempora quædam & loca. Suos habent illa quoque hoſtes & amicos. Nonnunquam imperiti, aut mediocris fortunæ homines, de ſcientiis, quas non intelligunt, optime merentur; quod perinde mirum, ac, dum opulenti & magnates, allaborantibus literatis viris, eas faſtidiunt.

REFLECTIONS ON ANTIENT AND MODERN Muſick, etc.

hoc eſt,

OBSERVATIONES CIRCA MUSICAM VETEREM ET recentiorem, ejusque applicationem ad ſanandos morbos. Subjicitur tentamen ſolvendæ quæſtionis: in quo conſiſtat diverſitas veteris Muſicæ a recentiori.

Londini, ſumtibus M. Cooperi, 1749, 8 maj.

Plag. 6½.

Primo Capite originem Muſicæ, & quomodo afficiat animum, Autor explicat. Notat ipſe, cultiſſimas gentes Muſicam non tantum oblectamenti loco habuiſſe, ſed eidem in cultu religioſo, in feſtis, in bellica diſciplina, locum conceſſiſſe. Deinde celebriores inter antiquos Muſicos enumerat, & ad vim, quam olim Muſicæ tribuerunt, evehendi veluti animum ad ſapientiam, nobilesque impetus excitandi, progreditur, cui ipſa

Digitized by Google

ipſa vis medendi conjuncta eſt. Id indicare cenſet *Apollinem Hygiaum*, in numis & ſignis adhuc conſpicuum. Tribuit vero animo eam naturam, ut illi aliæ melodiæ placeant, aliæ diſpliceant, æque ut in reliquis ſenſibus aliæ ſenſationes bene illum afficiunt, aliæ male. An hoc a varietate, cum uniformitate conjuncta, proficiſcatur, quod docuit egregii Tractatus Anglici *de Pulchritudine* Autor, in medio relinquit.

Secundo Capite effectus Muſices in organa corporis conſiderat. Non omnes Muſicæ operationes, credit, ex undulatoriis motibus, ad aurem translatis, mechanice poſſe explicari, ſed multas ab affectibus animi concitatis pendere; quod ut illuſtret, oſtendere conatur, nec corporis animalis formationem, nec formati motus omnes, poſſe ex meris mechanicis motibus explicari.

Tertio Capite de vi Muſicæ in animi perturbationibus agit, a poſteriori confirmaturus, quæ ante a priori oſtenderat. Antiquos, in pugnam ituros, Muſica ad timorem pellendum uſos eſſe, ex *Plutarcho* probat; eundem Muſicæ bellicæ adhuc hodie uſum eſſe, notat; deinde *Antigenem* producit, *Alexandrum* Muſices vi ad furorem concitantem, rurſusque affectum ſedantem, variaque ſimilia exempla, quæ docent, Muſicam, dum turbare animum, vel pacare, poteſt, inſignem habere vim, ea in corpore producendi, quæ a ſtatu animi pendent. Itaque *quarto Capite* progredi poteſt ad Muſicen, morbos ſanantem, qui partim a corpore, partim ab anima, pendent. Huc mente capti, & maniæ diverſis gradibus laborantes, pertinent, quibus prodeſt Muſica, dum animum gratiſſime excitat, aliamque plane ſeriem idearum producit, qua habitum inveteratum, & ante inſuperabilem, vincit, mentisque facultates gradatim ad ſenſum communem reducit; cujus rei illuſtre exemplum ex *Commentariis Ac. Sc. Par.* affert nobilis Scoti, qui, cum in profundam melancholiam incidiſſet, ut nec nutrimenta aſſumere, nec loqui cum quodam, vellet, chelys tonis, cujus olim amator exſtiterat, paulatim ſanatus eſt. Ad ſuperſtitionem excitandam multum valere tonos muſicos, teſtantur oracula, ſermone ligato & inter concentus edita. Neque in tot aliis affecti-

affectibus movendis, aut ſedandis, potens Muſica, in amore nihil valet. *Mecenas*, cum *Auguſti* & *Terentiæ* amores animadvertiſſet, ob fidem, ab amata conjuge læſam, noctes inſomnes ducens, muſicis concentibus ad quietem reductus eſt.

Quarto Capite Muſicæ vim in ſanandis morbis contemplatur, qui partim ab animo, partim a corpore, proficiſcuntur. Id ex præcedentibus, ubi de animo & corpore ſigillatim actum eſt, facile intelligetur. Commendat vero Muſicæ uſum iis, ad quos phrenetici ducuntur, cum & antiquos hoc in affectu Muſica uſos eſſe conſtet, & alia remedia plerumque parum utilitatis præſtent. Animadvertit enim, evacuantia omnia, quæ adhiberi vulgo ſolent, minus efficere hos homines, quam quibus mens ſana eſt, ut maniaco doſin eam epurgantis dederit Autor, unica ſaltem ſede ſubſecuta, cujus doſis ſexta circiter pars ſex ſedes homini ſano & robuſto excitaſſet. Credit igitur, mente certis quibusdem ideis nimium intenta, organa certa ad medicamenta minus ſenſibilia fieri. Abducit Muſica animum ab objecto, quo defixus hæret, aliamque ſeriem idearum gratarum ſubſtituit, ut hoc modo organa ipſa corporea medicamentis magis obedientia reddantur. Felices Muſices effectus in his morbis exemplis aliquot firmat, & poſt fuſe agit de moribus hominum a climate pendentibus.

Quinto Capite, debilitatem ægritudinesque ipſas, ſenectutis comites, removeri poſſe Muſices ope, aſſerit, dum eo liberiorem ſpirituum motum excitat, animumque innocua voluptate perfundit. Hinc occaſionem arripit monendi, longævos fuiſſe ob Geometriam & Muſicam inter antiquos celebres, *Platonem*, *Pythagoram*, alios, noſtra ætate adhuc plurimos ad ſenectutem perveniſſe ſummos Mathematicos, ut pateat, eam vitam, ab animi perturbationibus liberam, plerumque longiorem eſſe.

Sexto denque *Capite*, in quo diverſa fuerit antiquorum Muſica, cujus tam incredibiles effectus narrantur, quærit. Colligit vero ex inſtrumentorum formis, quas lapides exhibent, Muſicam antiquorum tot variationum capacem non fuiſſe,

non fuiſſe, ut noſtra, quæ pluribus tonis utitur, cum noſtra inſtrumenta chordis pluribus conſtent. Hocque ipſo, quod ſimplicior fuit, magis feriiſſe animos contendit, cum noſtra, præcipue magis artificioſa, non poſſit fere, niſi ei, placere, qui ipſe artifex eſt. Igitur olim ſenſus fortius feriit Muſica; jam intellectum magis occupat. Quibus explicatis, finem imponit Autor libro, plurima egregia continenti, etſi ad præcipuum, quod tractare volebat Autor, ſtricte non pertineant.

P. D. PAULI FRISII, MEDIOLANENS. CONGR. D. Pauli Clerici Regul. in Laudenſi Academia primum, deinde in Regio Caſalenſi Gymnaſio, Publici Philoſophiæ Profeſſ. & ſtudior. præfecti, Diſquiſitio mathematica in cauſam phyſicam figuræ & magnitudinis Telluris noſtræ.

Mediolani, in regia curia, 1751, 4.

Plag. 11, Tabb. æn. 2.

Cum recentiſſimas Gallorum menſuras aliqui ita acceperint, quaſi illis *Newtoniana* de figura Telluris ſententia ita ſaltem convelleretur, ut axium rationem aliam obſervationes proderent, quam *Newtonus* ex ratiociniis phyſicis deduxerat, alii vero, ut Cel. P. *Boſcovich*, nihil omnino ex his menſuris deduci poſſe, exiſtimaſſent; propoſitum eſt Clariſſ. Autori, & *Newtonum* tueri, & juſtam tantis conaminibus æſtimationem ſervare. Monſtrat autem in Anteloquio, operi præmiſſo, differentiam inter *Newtonianum* Sphæroides & Gallicum tam ſubtili obſervationum exactitudine niti, ut, ſi tantillum peccatum in illis eſſe ſuſpicemur, *Newtoniana* figura æque ac Gallica prodeat. Si *D* ſit differentia dimidii axis terræ & dimidiæ diametri æquatoris, *E* longitudo gradus ab æquatore remotioris, *F* longitudo propioris, *S* ſinus latitudinis gradus *E*, *s* ſinus latitudinis gradus *F*, oſtendit *Maupertuis*, eſſe $D = \frac{E - F}{3\,E\,(S^2 - s^2)}$, qua in formula ſi ſit $S = $ ſin. $66^\circ\ 20'$ $s = $ ſin. $49^\circ\ 22'$ *E* contineat ſexpedas 57437, 9. *F* 57183 ſit *D* =

177

$\frac{1}{177}$ & axis ad æquatoris diametrum in ratione *177 : 178*, cum *Newtonus 229 : 230* ſtatuat. Sed hæ ipſæ obſervationes parum rationi *Newtonianæ* repugnabunt, ſi in illis ponamus errores contigiſſe, qui in tam longis intricatisque operationibus evitari vix potuerunt. Quodſi, retenta ſecundi gradus dimenſione, ponamus, in primo ſexpedis 60 erratum eſſe, aut in quolibet ſexpedis 30, habetur $D = \frac{1}{229}$, tantillo errore contra *Newtonium* pugnatur, tam exigua eſt theoriæ *Newtonianæ* & obſervationum diſſenſio. Tam parvos vero errores præcaveri non poſſe, demonſtratum it Autor, ſic quidem, ut oſtendat, in latitudinum differentiis inveſtigandis, & reperiunda diſtantia, plurium triangulorum, inter ſe connexorum, ope, tantum quidem in angulis aberrari potuiſſe, ut diſcrimen multo majus prodeat, quam reductio Gallicæ figuræ ad *Newtonianam* poſtulat. Menſuræ, ad polarem circulum inſtitutæ, quinque inter ſe conſentiunt, diſtantiamque inter Tornea & Kitti ſexped. 54942, 571 exhibent, ſeptem vero, per novas ſeptem delineatorum triangulorum continuationes, illam ſeptem diverſis valoribus exhibent, quorum unus adducto ſexp. 51 $\frac{1}{2}$, alii quatuor ſexp. 30, minores ſunt. Similiter *Caſſini & Bouguerus* fatentur, in cœleſtibus obſervationibus illé aut 5 ſecundorum errorem præcaveri non poſſe; quibus conjunctis id conficitur, 60, aut 70, ſexpedis in uno Meridiani gradu errari poſſe ſic, ut error evitari nequeat. Præterea, ſi qui, tam ſcrupuloſe exactas has obſervationes eſſe, pugnent, Peruviani, ipſa *Newtoni* ratio evitur. Nam, ſi ſumatur $S =$ ſin. 49° 21′, $s = 0$, ut comparetur gradus Galliæ cum Peruviano, formula $D = \frac{E - F}{3 E . s^2}$ prodit $D = \frac{1}{215}$. *Boſcovichio* vero concedit Autor, non tuto ſatis figuram Telluris ex obſervationibus, in eodem parallelo inſtitutis, definiri, ſed, exacte ſatis id per latitudinum differentias perfici, oſtendit. Objecerat *Boſcovichius*, quadrantis filum attractione montium inſigniorum ex ſitu verticali declinari; ſed regerit Autor, hos montes, ſi circumquaque obſervatorem includant, oppoſitis viribus effectus ejus deſtruere, deinde captas eſſe obſervationes in altiſſimorum

rum

Digitized by Google

rum montium verticibus, ubi attractionis directio, cum gravitatis vi conſpirans, errorem, qui ſentiri poſſit, produxit nullum. Denique, ſi quid peccatum ſit in opere ſuo ætatis, annum 23 nondum attingentis, excuſationem prætendit Autor, & alia, quibus ab his ſtudiis diſtrahitur, Elementaque phyſico-mathematica, promittit.

Capitibus opus ipſum abſolvitur *decem*, de obſervationibus circa Telluris figuram adhuc inſtitutis, de principiis & hypotheſibus quibusdam, de rotatione corporum & vi centrifuga, de mutationibus, ex motu circulari ortis, de attractione corporum rotundorum, de comparatione gravitatis in variis homogeneæ ſphæroidis locis, de figura terræ, de gradibus meridiani & parallelorum, de loxodromiis nautarum, de parallaxi lunæ, & aliis, ex eadem theoria pendentibus, de theoriæ & obſervationum conſenſu. Nobis decerpere aliqua ſufficiat.

Secundo Capite annuum & diurnum motum Telluris inter hypotheſes ſumit, libro tamen monitum præfixit, non aliter id fieri, quam in ſenſu, a ſacra Congregatione & Romani Pontificibus permiſſo. Poſtquam vero monuit, *Flamſteedium* & *Hookium* nimis obſervationibus parallaxis annuæ tribuiſſe, dum ex ea motum annuum deducere voluerunt, eandemque ob cauſam *Horrebovium* (quem minus accurate repetitis vicibus *Herobovium* nominat,) reprehendit; ſolidius, ait, id ſe demonſtraturum ex vi attractiva univerſali; ſed non cogitavit, hanc ipſam vim attractricem in corporibus cœleſtium non aliunde evinci, quam quia cum phænomenis in ſyſtemate *Copernicano* apprime conſpirat. Sed tamen poſtea etiam ad *Bradleji* reperta provocat. Itaque in duabus illis hypotheſibus gravitatis univerſalis, in reciproca duplicata diſtantiarum ratione agentis, & Telluris motæ, Autor cum *Newtono* conſentit, ſed tertium Angli ſuppoſitum, Telluris a rerum initio fluidæ, durius pronuntiat, ſed, cum marium litora ad æquoris, illa alluentis, figuram ſe componant, hoc principium alteri illi de fluiditate primitiva ſubſtituit. Denique aſſumit, intimum Telluris nucleum ex materia homogenea conſtare, cujus

reſpectu partes exterioris ſuperficiei, denſitate differentes, inſenſibiles cenſeri poſſint. Figuram igitur *Capite III* quærit fluidi, cujus moleculæ omnes homogeneæ eſſent, abriperenturque illis viribus, quibus particulas terræ abripi neceſſe eſt; cum qua diſquiſitione aliæ de actione gravitatis, & ſimilibus, quorum mentio facta fuit, dum *Capita* indicavimus, immiſcentur. Cel. *de la Caille* obſervationes parallaxeos lunaris non multi uſus futuras, exiſtimat Autor, ad Terræ figuram definiendam, propter differentias parallaxium tam exiguas, ut ſentiri obſervatoribus nequeant. Theoriæ vero Autoris cum obſervationibus conſenſus reperitur egregius, tum in pendulorum longitudinibus definiendis, tum in gradibus determinandis, aſſignandaque axis terreſtris ad diametrum æquatoris ratione, eadem, quam *Newtonus* dedit. His abſolvitur opus, multa eruditione refertum, profundamque ſublimioris Matheſeos cognitionem in Autore prodens.

CAROLI NOCETI, E S. J. DE IRIDE ET AURORA boreali Carmina, Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Præſuli, BERNARDINO GIRAUDIO, dicata, cum Notis JOSEPHI ROGERII BOSCOVICH, ex eadem Societate.

Romæ, ex typographia Palladis, 1748, 4.
Plag. 16, Tabb. æn. 2.

Ut rariora ſunt Poemata, quæ *docentia* vocantur, in univerſum, multoque plures exiſtunt *Anacreontis* imitatores, aut *Propertii*, quam *Heſiodi*, aut *Lucretii*; ita de ea re, quam id, quod præ manibus habemus, opus carmine exponit, vel eam ob cauſam vix ſperandum erat, vatem aliquem cantaturum, quod alieni plerumque a ſeverioribus illis doctrinis, Geometria, Optica, cet. ſunt Poetæ, ſine quarum cognitione ſcribi jam de iride, aut luce boreali, nequit. Noſtro vero Autori res ita ceſſit, ut jucunda maxime & magnifica ſpectacula verſibus digne expoſuerit, ipſis vero illis, quæ eleganțuli homines tanquam triſtia, & quæ deſperent tractata niteſcere

poſſe,

poſſe, abhorrent, geometricis, amœnitatem conciliaverit. Quæ vero ad illuſtrandum opus requirebantur ex Hiſtoria philoſophica, aut quæ verſibus exponi nolebant, ut ordinatæ & completæ, diagrammatibusque illuſtratæ, demonſtrationes, *Boſcovichius* in Notis addidit, ut nihil deſiderari poſſit in hoc opere ad res illas, de quibus agit, jucunde æque ac ſolide cognoſcendas. Sed, quoniam nec ordinem anxie in Poemate obſervari decet, ut eum hic recenſare poſſimus, nec, nova penitus proferri, ratio inſtituti permiſit, poeticarum elegantiarum ſpecimina quædam ſaltem adducemus. En, quæ habet de radiis diverſimode coloratis :

Pag. 4.

Scilicet, ut primo lux reddita fulſit Eoo,
Continuo quotquot veniunt a ſole ſagittæ,
Staminibus conſtant ſeptem, quorum ordine certo
Quodque ſuum texta defert ſub luce colorem.
Igne rubens vivo, Tyrioque ſuperbus in oſtro,
Prima tenet: tum deinde ſubit, qui divitis auri
Lumina fulva refert: flavo quem lucidus ore
Conſequitur; quales pueris Bataviſque puellis
Ludere promiſſi fuerunt per terga capilli.
Poſt hos qui viridi pingit ſplendore ſmaragdos,
Et nemora, & læto campos conveſtit amictu,
Infert ſe medium; quo non jucundior ullus
Advenit, aut oculis præſentior accidit ægris.
Tum faciem duo perſimiles, quique æmulus undis
Cæruleis, & cui felix dedit India nomen.
Bina quidem ſpecies, ſed quæ tamen una tuenti
Creditur interdum, tam dulci errore moratur
Spectatorum oculos, radiiſque ſimillima fallit.
Septimus, Eoi quales fulgent Amethyſti,
Aut qualis violæ lucet nunc purpura nigræ.

Sequuntur verſus aliquot, Violæ Nymphæ in florem mutatæ fabulam deſcribentes, quos adeſſe nollemus. Dedecet enim præſtantiſſimo Seculi noſtri invento commenta Poetarum admiſcere,

miſcere, quæ, niſi elegantius eſſent ab iis narrata, ab anilibus fabulis non diſtinguerentur. Geometrica complura de refractione, de angulo maximo, & ſimilia, ſic explicuit Autor, ut & hæc non omnino ornatum reſpuere oſtenderit. Finem Poematis de Iride adjiciemus, qui monſtrat, quanto excelſiora religio, quam profitemur, Poetæ dicenda præbeat antiquorum ſomniis:

Pag. 16. *Salve, pulchra comis, ſalve, nitidiſſima vultu,*
Aerias inter fama celeberrima Nymphas,
Attonitis omen felix mortalibus, Iri.
Non ego falſorum tibi tradita munera Divum,
Nec commenta. morer: te rerum vera poteſtas,
Cælicolum genitor, ſummo ditavit honore,
Æternumque dedit tibi ferre in ſecula nomen.
Te ſiquidem, inceſtæ pertæſus crimina terræ,
Cum ruit immenſum cælo ſine nubibus imbrem,
Conſeruitque acrem nimbis toto æthere pugnam
Fervidus, & pelago obduxit juga ſumma ſonante,
Paciferum juſſit deferre per aera fœdus,
Perpetuumque ſui te fulgere pignus amoris.
Salve iterum, & noſtri miſerata incommoda ſecli,
Præliaque, & prædas, tot apertaque limina morti
Exere ſancta caput, bellumque in barbara vertens
Imperia, huc roſeam refero per ſecula pacem.

Adducemus adhuc quædam ex *Boſcovichii* Notis haud vulgaria. Poſt *Newtonum*, memorat, regulam illam de radiis, ex denſiori medio in rarius incidentibus, *ad perpendiculum* refringendis, non univerſalem eſſe, cum *ſulphuroſa & unctuoſa refringant plus, quam alia corpora, quæ ſint eadem denſitate* (*Newt. Opt. Lib. II P. II pr. 10*). Sic refractio major eſt in electro, quam in vitro communi, licet fere triplo denſius & ponderoſius ſit vitro electrum. Deinde liberat *Carteſium* a plagii crimine, ipſi in iridis negotio intentato, quaſi theoriam ejus ex *Mani Antonii de Dominis* libro deſcripſiſſet. Rariorem *Antonii* librum poſtquam reperit, vidit in eo multa, cum primis Opticæ

Digitized by Google

eæ legibus aperte pugnantia, nullam omnino veram refractionis theoriam, & nihil plane ad veram iridis originem faciens, præterquam quod, eam a radiis refractis & reflexis naſci, phialæ vitreæ exemplo confuſe ſatis probat, & iridis circularem formam oſtendit, ut *Carteſio* iridis primo explicatæ gloria illibata maneat.

Longius aliquanto illo de Iride carmine eſt alterum de Aurora boreali, ſed æque venuſtum. In eo *Mairani* ſententiam perſequitur Autor, cujus laudes ſub initium eleganti invocatione exponit, in qua hoc eſt:

Et ſimul e ſtellis, ſimul e parnaſſide lauro,
Debita Pieriæ properant tibi ſerta ſorores.

Sed ipſum Poema integrum deſcribi oporteret, ſi egregia omnia excerpere vellemus, quorum plura etiam hic disjecta membra Poetæ eam, quam corpori inſerta conciliant, venuſtatem non eſſent oſtenſura. Igitur & Poeſeos, non frivolæ, ſed eruditæ, & Philoſophiæ, ſtudioſis opus ipſum commendamus. *Boſcovichii* Notis id debet, ut etiam profundiora ſcrutantes docere poſſit.

CASTRUCCII BONAMICI COMMENTARIORUM de Bello Italico Liber primus. Editio ſecunda, cui accedit Præfatio CORN. VAL. VONCK ad Eminentiſſimum Principem ANGELUM MARIAM QUIRINI, Bibliothecæ Vaticanæ præfectum, & Epiſcopum Brixienſem.

Noviomagi, typis Henrici Heymans, 1750, 4.
Plag. 22 ½.

Non jam recens eſt elegantiſſimus iſte, & ad *Julii Cæſaris* Commentariorum formam conſignatus, liber, quem *Carolo Borbonio*, Neapolis ac Siciliæ Regi, conſecrarat Autor; inde verbis de eodem faciendis jure noſtro parcimus. Recens autem acceſſit *Vonckiana* Præfatio, quam vel ſolam, in libri mentionem incidentes, tangemus. Tractat hæc ipſa tria præcipue momenta, Latinitatis Italorum & eloquentiæ laudes;

Juſti

Digitized by Google

Juſti Lipſii cenſuram; & herois, quem veneratur Autor, literarii præconia. Rariori apud ſuos exemplo Pallada Muſasque juxta Themidem collocat *Vonckius*, neque literas elegantiores præ gravioribus contemnit, aut ſolo nomine colit. Nec nos deſperamus, futurum, ut ipſe eximii aliquid illis pariter in ſpatiis præſtet, ſi præſertim a reſtitutorum Latinitatis rivulis, unde forſitan illa Hercules! medius fidius! ita me Dii boni adament! nonnullas propoſitiones inciſas, verborumque correctiones ac luſiones, hauſit, ad ipſos *Ciceronis*, & optimi cujusque ſcriptorum, nec minus ſanæ rationis ac religionis, fontes acceſſerit. Facimus cum ipſo, novos antiqui Latii cives, quos ipſa patria lingua juvat, inter primi nominis majorum præſtantiſſimorum imitatores referente. Sed nec cœlo multum hic loci tribuimus, aliorum temporum ac locorum, quibus eadem olim laus erat, aut contrarii vituperatio, reſpicientes: neque ceteras Europæ cultioris gentes ita volumus excluſas, ut ne paria facientes paſſim conſpiciamus. Quamvis multum abſit, ut κατ' ἀλήθειαν diſputantes, κατ' ἄνθρωπον dicentem, ideo reprehendamus. Hinc nec illis in momentis diutius moraturi, *Vonckiana* potius veſtigia ſequemur. Allegat ille *Claudium Salmaſium, Jo. Henr. Bæclerum, Car. Sigonium, Jo. Ge. Grævium*, de quibus memoriæ ſit proditum, eos Latine loqui veritos eſſe, quo vel inde, quanti ſit ea facultas facienda, concludat. Miratur tamen inprimis de *Sigonio*, quem, nemo ſit, qui neſciat, iis temporibus principatum pæne in Latine ſcribendo tenuiſſe, &, intervallo proximo, veterum Romanorum ad gloriam acceſſiſſe; quem nimia quoque ſui fiducia *Marco Tullio* de Conſolatione librum ſuppoſuiſſe accepimus. Hic tamen Noſter verius, eruditorum eum, examine honeſto, prudentiam explorare voluiſſe, præ ſe fert; licet *Jo. Imperialis*, elegans ſcriptor, ſed, fervore quodam dictionis, ultra, quam decebat, nonnunquam abreptus, ac declamatoris plerumque magis, quam Hiſtorici, ſtilum oſtentans, hunc fucum celeriter detectum etiam fata maturaſſe *Sigonio*, contendat. Inde certe concludit Noſter, eam fuiſſe a multis annis Italiæ gloriam, ut facundiæ laus ſem-

per

per propria manſerit Italorum, a primis majoribus veluti per manus accepta; cujus rei cauſa fatorum aliqua vis occulta potius, quam diſciplina rectiſſimaque colendorum ſtudiorum ratio, proponitur. Ceterorum cum iis comparat neminem, præterquam in una forte Gallia *M. Antonium Muretum*, unde vero, tanquam exemplo rariſſimo, non peti poſſit argumentum ad id, quod plerumque fiat. Ipſe *Juſtus Lipſius*, hanc unam ob cauſam, cum, æqualia ſe præſtiturum, deſperaſſet, in contraria ruebat, & ſcribendi characterem eligebat, quo, ſecundum Noſtri ſententiam, omnem a ſe poſteritatem, velut ab horribili quodam dæmonio, quod ſtupere magis, quam admirari, deceat, avertit. Egerunt plures, ac nos ipſi, nominatim in *Miſcellaneis Novis Lipſienſibus*, de *Lipſii* Latinitate, tantum ſane vituperanda, quantum elegantior doctrina vindicari debet. Nihilo minus eadem ita cepit Autorem, ut meliore genio ſcriptas Orationes repudiaret, &, a *Melchiore Haiminsfeldio Goldaſto* ſibi ſuppoſitas eſſe, contenderet. Quod vero mirabilius videtur, tam corrupta ratio dicendi reperit æmulatores, autore ipſo pejores & corruptiores, quos inter vel ſolum *Erycium Puteanum*, e Gelria Venloanum, indeque popularem ſuum, appellat Noſter. Ipſe tamen *Lipſius* æmulus potius videbatur, quam autor, æmulus autem, vel priſcorum & exoletorum, vel arrogantum quorumvis novatorum, & Romanæ dictionis corruptorum. Non modo *Senecam*, declamatorem, hic appellare licet, ſed Medaurenſem Philoſophum, & ſi quis eodem eſt deterior. At recte hic ſentiens *Vonckius*, in re quoque majoris momenti, vituperat *Lipſium*, qui, non religione commotus, aut ob diſſidium privatum, minimi certe faciendum, diſceſſerit e Batavis, ſed quod civili factioni, quæ tum periclitabatur, inconſultius ſeſe immiſcuiſſet, quo facto, poſt errores varios, Lovanium venit, ut novis ſe civibus ſuis gratiorem hoſpitem offerret, qui de Conſtantia ſcripſerat, in negotio religionis inconſtantiſſimus. Verum enim vero dextra, quam ſiniſtra, repetere malumus, ad laudes Eminentiſſimi *Quirini* tanto lubentius acceſſuri, cum in iisdem, jure ſuo propagandis, *Acta* quoque noſtra nominet

Digitized by Google

Vonckius. Nos ſane maximi ſemper facimus Viros eruditos, licet magis nobis amica ſit veritas; laudamus igitur, ſed ita, ne blandiri videamur. Ac tantum abeſt, ut Em. *Quirini* præconiis aliquid decedat, ſi quid etiam ſubinde monemus, ut, accedere vel inde plurimum, exiſtimemus. Novimus indolem erectam Eminentiſſimi Purpurati, quem & ipſum hocce propoſitum noſtrum, prout ſapientum, non corvorum, adamat judicia, probaturum eſſe, confidimus.

OPUSCULA SUA ANATOMICA DE RESPIRAtione, de monſtris, aliaque minora, recenſuit, emendavit, auxit, aliqua inedita, novas icones, addidit, ALBERTUS DE HALLER.

Gottingæ, apud Jo. Wilh. Schmidt, 1751, 8.
Alph. 1, ſine Præfatione, cum Tabb. æn. 10.

Qui ante aliquot annos botanica ſua ſcripta, de quibus tunc mentionem fecimus, collecta ediderat Cel. Autor, nunc anatomica pariter ſcripta ſingulari comprehendens volumine, omnibus iis, qui doctrinis bene cupiunt anatomicis, gratiſſimam rem egit. Paulo enim accuratius perſpicienti, quæ hic proponuntur, opuſcula, facile apparebit, ejusmodi in illis declarari anatomicas diſquiſitiones, vel phyſiologicas confirmari, quarum utilitas longe lateque pateat. Sed commune illud omnibus iis, qui ſingulari cum cura rerum inhærent perſcrutationibus, fatum, invidiam puta, & noſter expertus eſt Ill. *Hallerus*. *Senacus* enim in ſuo de Corde Tractatu, ſicut alios, de Anatome ſatis meritos, viros, ita etiam *Hallerum* noſtrum, male habuit, ut compilatorem ac falſum minusque accuratum in deſcribendis partibus virum appellare non erubeſceret. Hæc autem potiſſimum cauſa fuit, cur in Præfatione, hiſce Opuſculis præmiſſa, illatas a *Senaco* ſibi injurias non averteret ſolum, ſed, easdem etiam falſas eſſe, clare evinceret. De quibus omnibus eam ob rationem plura hic notare non poſſumus, quod ſine uberiori expoſitione partium, a *Senaco* deſcriptarum, & in *Hallero* taxatarum, intelligi nequeant.

Digitized by Google

queant. Poſſemus etiam ipſorum, qui in hocce libro continentur, ſcriptorum ulteriori ſuperſedere recenſione, cum pleraque eorum non ſint nova, ſed diu ante comparuerint, & veris Anatomes amicis ſatis ſint cognita, niſi & nova acceſſiſſent quædam, & alia ſic mutata eſſent, ut a prioribus multum differant. Continentur autem *tredecim* in hoc volumine ſcripta, quorum duo nova ſunt, reliqua jam ante edita. De ſingulis pro eo, qui Autori placuit, ordine quædam adducemus. *Primum* igitur eſt de Diaphragmatis muſculis Diſſertatio, quam, incitante eum Cl. *Schreibero*, conſcribere cœperat Cel. Autor, &, expoſitis diaphragmatis definitione, nexu, ſtructura, fibris, vaſorum tranſeuntium natura, & utilitate, adjecta quadam icone, quam ante eum *Bartholinus* quoque, haud tamen ſufficientem, dederat, Bernæ A. 1733 ediderat. Hæc completa admodum diaphragmatis expoſitio, in paucis mutata, iconem tamen non adjunctam habet, quoniam huic, cognitis quibusdam erroribus, emendandæ, nitidiusve proponendæ, in *Iconum anatomicarum*, ab ipſo editarum, *Faſciculo primo* multum ſtudii adhibitum ab *Hallero* eſt. Tum ſequuntur experimentorum anatomicorum de reſpiratione Pars prima & tertia, deinde eorundem Pars altera. Occaſionem hiſce inſtituendis præbuit illa, quæ nunc per aliquot annos Noſtrum inter & Ill. *Hambergerum* agitata eſt, controverſia. Quæ, cum aliquanto acerbius tractaretur, eos, qui eruditos vix decet, aſperiores ſtimulos acrimoniæque vim delevit, ea tantum retinens, quæ ad ipſas, de quibus controvertitur, ſententias pertinent, momenta. Pars I Gottingæ jam edita eſt A.1746, altera ibidem anno ſubſequenti; utraque autem recuſa exſtat in mutuis, ad hanc controverſiam pertinentibus, ſcriptis, Jenæ A.1748, 4, editis. Tertia nunc acceſſit Pars, quæ ſub nomine Diarii experimentorum, in vivis animalibus factorum, quarto loco in his Opuſculis proponitur. Hæc nova eſt, & experimentorum ſeriem ab A. 1746 ad A. 1750 complectitur, quibus omnibus id egit Clariſſ. Autor, ut ex vivis animalibus diſſectis cognoſceret, utrum aer ſit pleuram inter at-

que pulmones, an externi æque ac interni intercoſtales muſculi eodem agant tempore, vel deſtinatas, ſibique, ut Ill. *Hambergerus* vult, contrarias & oppoſitas, producant actiones. Ita tamen in omnibus experimentis ſuam corroborari opinionem deprehendit, ut, ab illa quo recedat, alteramque aſſumat, ne minima quidem ſuperfuerit ratio. Sunt deinde & alia ſimul annotata in his experimentis, in vivorum diſſectione obſervanda, phænomena, quæ & ſtructuræ partium illuſtrandæ, & utilitati earum eruendæ, favere poterunt, præſertim cum in diverſi generis animalibus fuerint ſuſcepta. Vetuſtiſſimorum Medicorum in exercenda Anatome ſtudium exiguum eſt, vel ſaltem non evidentibus ſemper hiſtoricis momentis confirmatum; *Hippocratem* tamen ſecuiſſe humana corpora, ut, quæ per naturam, aut præter eandem, homini inſunt, cognoſceret, indubium reddere variis, ex ipſis ejus ſcriptis deſumtis, demonſtrationibus, in ſingulari edito Programmate Gottingæ A. 1737 conatus eſt *Hallerus*, quod, hic recuſum, *quintum* in ordine eſt. Excipit hoc *ſexto* loco anatome fœtus bicipitis, ad pectora connexi, primum edita Tiguri A. 1735, nunc variis in locis mutata & aucta. Monſtrorum enim haud raræ, ab aliis exhibitæ, & ſolertiſſime ab Autore noſtro collectæ, deſcriptiones diverſiſſimis de illorum ratione originem dederunt conjecturis. Illud monſtrum, quod hic deſcribitur, humanum fuit, cujus intrinſecæ viſcerum differentiæ, potiſſimum cordis atque vaſorum majorum, nitidis in iconibus, hic adjunctis, conſpiciuntur, quibus in eam deductus eſt Autor ſententiam, has ipſas fabricas certiſſimum præbere teſtimonium, a primis monſtra delineata eſſe principiis, non vero ſenſim fieri, & caſu enaſci. Cujus ſententiæ plura momenta, ad eam confirmandam facientia, continet duorum monſtrorum anatome, olim A. 1742, Reſpondente *Rollino*, diſputata Gottingæ, *ſeptimum* hic occupans locum; quorum alterum porcum in omnibus partibus, excepto capite, duplicatum, alterum canem, ſiſtit, anterius reliquis ſimillimum, poſterius inter crura naturalis fabricæ interſertam gerens caudam, ex crure factam unico, ſed duos in pedes fiſſo. Quibus adjungimus

gimus *octavum* ſcriptum de fele capite ſemiduplici, eodem anno editum, & *nonum* de fœtu humano ſeptimeſtri, ſine cerebro edito, nec non *decimum*, quo hanc ſuam ſententiam contra *Lemery* & alios defendit *Hallerus*, utrumque ibidem A. 1745 evulgatum. Tot enim argumentis convictus, non ex compreſſione in utero, ut plerumque putatur, monſtrorum geneſin deducendam eſſe, ſed ob mirabilem vaſorum coalitum communicationemque certiſſime delineata illa præexiſtere, credit. Sequitur deinde Strena anatomica, nuperrimarum nempe obſervationum ex Theatro Gottingenſi Faſciculus, A. 1740 conſcriptus, in quo varia congeſta deprehendimus, vel plane nova, vel cognitas jamjam partes magis illuſtrantia. Agitur ſcilicet in illo, ut breviter tantum partes adducamus deſcriptas, de duplicatura peritonæi, de veſicæ urinariæ figura, de media inter chorion & amnion, fœtus involucris, membrana, de hepatis fœtus & adulti differentia, de ductu pancreatico duplici, de glandulis variis conglobatis, de invaginatione inteſtinorum, de facili injectæ maſſæ in venam portarum exitu in inteſtina, de ductu *Botalliano*, de arteriarum bronchialium, œſophageæ, intercoſtalis ſuperioris, diverſa origine, de peculiaribus, a ſplenica ad ventriculum abeuntibus, vaſis, tandemque de variis arcus aortæ ramis. Illa tandem, quæ *duodecimum* ſcriptum eſt, hic exhibitum, Oratio de amœnitate Anatomes, demonſtrat, quanta ab Anatome exſpectanda ſit utilitas, tot tamque elegantibus a diverſis Autoribus illuſtrata inventis. Ultimo autem loco illa repetitur Obſervatio de nova tunica, pupillam fœtus claudente, cujus etiam icon adjungitur, quæ olim jamjam in *Actis Soc. Reg. Upſalienſis A. 1742* erat propoſita. Primum hujus membranæ inventorem, *Wachendorffium*, poſtquam adduxit, ejus fabricam vaſculoſam accuratius exponit, variiſque experimentis confirmatam ſiſtit. Ad finem libri catalogum ſcriptorum ſuorum genuinorum addidit Ill. Autor, quod alieni aliquando laboris fructus ſibi tribui intelligeret. Præcipua, quæ ad hæc opuſcula pertinent, momenta dum adduximus, neminem fore putamus, quin ſuo Autore, & plauſu publico, digniſſima judicet.

Digitized by Google

MIRTISBI SARPEDONII, PASTORIS ARCADIS, de vera Atticorum pronuntiatione ad Græcos intra Urbem Diſſertatio, qua cum ex Hiſtoria, tum ex veterum Græcorum Latinorumque teſtimoniis, perſpicue oſtenditur, quam longe hodierna Græcorum pronuntiatio a veteri diſceſſerit.

Romæ, ex typographia Hieronymi Mainardi, 1751, 4.
Plag. 6 ½.

Romæ nuper agitata fuit controverſia de vera pronuntiatione literarum Græcarum, & aliquot ea occaſione libelli in unam alteramque partem prodierunt. Hujus Autor, qui vero nomine *Fridericus Reiffenberg* appellatur, S. J. Sacerdos, ſententiam rogatus, demonſtrare voluit, veteres Græcos *Platonis* & *Demoſthenis* æquales, non eo modo, quo hodie Græci, & omnes Jotaciſtæ, vel Reuchliniſtæ, ſolent, ſed illo altero, quem *Eraſmus* cum ſuis optavit, pronuntiaſſe. Primó loco id evincit e loco *Platonis*, quem prætermiſſum ab omnibus, qui hoc argumentum tractarunt, fuiſſe, miratur. Colligitur ex illo loco (in *Cratylo* eſt), *ει* & *η* & *ι* diverſis modis enuntiata fuiſſe. Ait ibi *Socrates*, *οἱ μὲν ἀρχαιότατοι ἱμέραν τὴν ἡμέραν ἐκάλουν, οἱ δὲ* (*νεώτεροι* videtur excidiſſe) *ἑμέραν οἱ δὲ νῦν ἡμέραν.* Literam *η* ad *ε* propius, quam ad *ι*, acceſſiſſe, teſtimonio *Terentiani Mauri* probat, qui ait: *Literam ε videmus eſſe ad η proximam, ſicut ο & ω videntur eſſe vicina ſibi. Temporum momenta diſtant, non ſoni nativitas.* Deinde tollit objectionem alterius partis, gentem Græcam tenacem veterum rituum eſſe, Græcos hodiernos ubique terrarum eodem modo pronuntiare, & a multis jam Seculis, ab imperio inde Byzantino, ſic, ut hodie faciunt, pronuntiaſſe; tantæ mutationis autorem ætatemque nusquam tradi. Exemplum Romanorum his opponit Autor, qui tanto in ſtudio conſervandæ ſuæ linguæ impedire tamen non potuerint, quin in tot dialectos transformaretur. Facile idem Græcæ quoque pronuntiationi contingere potuiſſe, quod Græcæ linguæ contigit, a colluvie barbarorum quarto & ſequentibus

Seculis

Digitized by Google

Seculis in orbem Romanum irrumpentibus. Senſim talia, neque uno autore, irrepere; humanas res fluxas eſſe. Porro *β* non ut *f*, ſed ut *b*, Latinum pronuntiari debere, cum ex aliis, tum e loco *Ciceronis* illo noto, in Epiſtola ad *Pætum*, demonſtrat, quo is voces *bini* & *βινεῖ* comparat. *Bini*, non *vini*, neque *fini*, ſcripſit *Cicero*. Ne autem idem locus illis favere videretur, qui *ει* ut *ι* efferunt, oſtendit, *Ciceronem binei* ſcripſiſſe, ex more veterum Latinorum, cui teſtis eſt *Gellius XIII, 5*; *i* nominativorum pluralium per *ei* exarandi, ut *magni amici* in genitivo ſingulari, *magnei* & *amicei* in nomin. plurali. Allegat porro *Plutarchi* locum e *Quæſt. Gr.* a nemine adhuc in hanc rem adhibitum, quo ait: *Φ litera Delphi pro β non utuntur, ſed loco π. Solent enim πατεῖν & βατεῖν, πικρὸν & βικρὸν, dicere; πύσιος & βύσιος.* Inter argumenta, *η* ut *ε* longum fuiſſe pronuntiatum, hoc eſt: Si *η* ut *i* pronuntietur, non habuiſſe Græcos *ε* longum, quod in lingua tam ubere, varia, & auditu jucunda, probabile non ſit. Teſtes quoque allegantur præter alios *Montfauconius*, qui in Codice MSto Seculi VII, in quo Græcum Alphabetum latinis literis fuit exaratum, *beta*, *theta*, non *vita*, *thita*, invenit, & *Martianus Capella*, qui ait: *ε cum corripitur, ψιλὸν eſt, cum producitur, eta eſt*, & *Plato* denique, qui *ἥρως* ab *ἔρως*, & *ἥρα* ab *ἐρατή*, derivat, & innumera tandem exempla vocabulorum Græcorum, in linguam Latinam receptorum, in quibus *η* non ut *i*, ſed ut *e* longum, effertur: *Exegeſis*, *Matheſis*, *Schema*, *Tragema*, *Academia*, *Allegoria*; *y* propius ad *u*, quam ad *i*, acceſſiſſe, ideo contendit, quod Latini Græcas voces, per *υ* ſcriptas, per *u* exprimant, ut *Sibulla* pro *Σίβυλλα*; & in ſuis quoque *y* & *u* promiſcue habeant, ut *Sylla* & *Sulla*. *Αυ* & *ευ* olim ut *au* & *eu* ſonuiſſe, demonſtrat ex *aura*, non *afra*, *auſterus*, *eurus*, *euge*, *pentateuchus*, &c. diſtinctum quoque fuiſſe inter *ι* & *οι*, demonſtrat ex loco *Thucydidis*, ubi de peſte Attica loquitur, &, *λιμὸν* atque *λοιμὸν* in pronuntiatione diſcrepuiſſe, teſtatur. *Capite IV ſecundæ Partis* (tribus enim opuſculum conſtat) reſpondetur argumentis R. P. *Gregorii Placentini*, qui, edita non ita pridem de eodem argumento Diſſertatione, pronuntiatio-

tiationis novorum Græcorum cauſam egerat. *Tertia* denique *Parte* quæſtionibus reſpondet Autor: Habuerintne Græci accentus, & adſcriptine fuerint, aut ſaltem in ſermone uſitati, & num in carminibus pariter atque in proſa. Olim adſcriptos fuiſſe accentus, negat autoritate Codicum manuſcriptorum, quotquot hodie exſtant antiquiſſimi, accentibus carentium. At, fuerintne accentus inter loquendum adhibiti a quantitate ſyllabarum diverſi, non liquere, ait; probabile tamen ſibi fieri ait, fuiſſe aliquos, idque ut credat, ſe induci cum exemplo *Auſonii*, qui in voce *tetragonum o* corripit, & antepenultimam producit, tum illo *Demoſthenis*, quem μίσθωτος accentu in antepenultima poſito reprehendiſſe fertur populus Athenienſis, gravem ultimæ imponens. Credit nihilo minus, a Grammaticis, declinante jam lingua Græca, vocibus accentus appingentibus, ſæpe peccatum, & a veteri modulatione diſceſſum fuiſſe. Verum, carmina non ſecundum accentus, hodie adſcriptos, aut olim in ſermone uſitatos, ſed ſecundum quantitatem ſyllabarum, recitata fuiſſe, putat; quia vulgaris accentuum poſitio metri legibus ſæpiſſime adverſatur, & aures offendit, longiores, aut breviores, faciendo ſyllabas, quam judicium aurium poſtulat. Tandem in Corollario addito inquirit Autor, quænam ſit hodie via in pronuntiando eligenda. Debere, ait, unumquemque ad ſcopum reſpicere, quem ſibi præfixerit, eique ſe accommodare. Qui tantummodo legere velit Autores Græcos, illi ſe pronuntiationem veterem *Eraſmianam* commendare. Si cui vero animus, aut opus, ſit, cum Græcis novis colloqui, eligendam illi eſſe alteram methodum; quia alias neque illos intellecturus ſit, neque ab illis viciſſim intelligi queat.

LE THEATRE OUVERT, OU PUBLIC, etc.

id eſt,

THEATRUM, PUBLICE APERTUM, AUT TRActatio de Tragœdia & Comœdia, ubi, poſt enarratam originem utriusque, regulæ ſuppeditantur accuratiores, quibus

quibus obſervatis, commodum hic judicium ferri queat. Opus varii generis perſonis utile, ſingulatim autem iis, quæ ſpectaculis intereſſe ſolent, duabus Partibus diſtinctum, & ex Anglica lingua converſum.

Pariſiis, apud Jac. Franc. Quillau, filium, 1750, 8.

Plag. 12½.

Titulus Anglicani libri eſt: *The Stage opened to the Publick*, cum Gallico conſentiens. *Prior Pars* habet *Capita XIV*, *poſterior IV*. Agitur initio ſtatim de Poeſios, inprimis Tragœdiæ, rerumque huc ſpectantium, originibus. Cum feſtis die- Pag. 4.
bus inſerviret eadem, fabulas addiderant Philoſophi, quæ primam conſtituere Philoſophiam, quo nomine Poeſin celebrat *Strabo Lib. I*, ubi ſimul Stoicorum invenitur effa- 5.
tum, quod ſapiens ſolus bonus ſit Poeta. Poeſis eadem fabuloſa principia faciebat inſtitutionis puerilis. *Homerus* uſum 6.
illum fabularum, generatim introductum, invenit, & admirabilibus modis uſurpavit, extraordinarium illud, de quo *Strabo* 7.
loquitur, & quod infinitum addit delectationibus incrementum, conjungens. *Margites Homeri*, ſatiram miſcens, quaſi pri- 8.
ma ſtamina præbuit Comœdiarum, ut Tragœdiis Ilias & Odyſſea poſſunt accommodari. Qui deinceps vixerunt Poetæ, 9.
vel ad genus panegyricum hymnorum, vel ad cantiones injuriarum & obſcœnitatis plenas, inclinati, Tragœdiis, aut Comœdiis, occupabantur. Ejusmodi ludorum amor & alias 10.
gentes interno velut inſtinctu videtur occupaſſe. De Chinenſibus idem *Acoſta* memorat *Amer. P. I Lib. VI Cap. 6*. Ce- 17.
terum Tragœdiæ, ſtrictim dictæ, fuiſſe creditur *Æſchylus* inventor. Hic alteram perſonam adjunxit, & theatrorum, 18 ſeq.
neque minus exornationis, autor fuit. Idem & reliqui tem- 25.
poris illius Poetæ tragici ſimul in ſcena primarias ipſi perſonas exhibuere. Neglexit illud *Sophocles*, ideo ſaltem, quia voce deſtituebatur. In ſcenam æque prodierunt *Æſchi-*

Digitized by Google

Cap. 2 nes & *Ariſtodemus*, inſignes Athenienſium Oratores, cum
pag. 28. aliis primariis viris. Inde pergitur ſingulatim ad Tragœ-
29. diam & partes, ex quibus componitur. Definitur eadem,
quod ſit imitatio actionis gravis, initium, medium, ac finem,
habentis, ſive totius, ut & juſtam præ ſe ferentis magnitu-
30. dinem, ſive durationem, ſuo gratum in modum numeris,
verſibus, harmonia, colligato, quæque ſine narrationis præ-
ſidio, commotionis animorum terrorisque via, purgat in no-
31. bis easdem perturbationes, & hujusmodi quasvis. Diſtin-
guitur his poſterioribus verbis ab heroo carmine, quod
35. narrat, ſibique propoſitam habet admirationem. Genera-
tim Poeſis duos ſummos excipit uſus, ut mores hominum
38. efficiat manſuetiores, quod *Orpheus*, *Linus*, & *Homerus*,
præſtiterunt, utque ſenſus eorum ſubordinet rationi. Cete-
rum in Tragœdia Muſica verſusque non ſunt abſolutæ ne-
ceſſitatis, multo minus corporis ad numeros muſicos motiones,
Cap. 3 aut ſaltationes. Mox ſingulatim explicantur argumenti
pag. 54. conſtitutio, trium partium, ut & totius ac perfecti, defini-
tio plenior, pulchritudinis partium ac proportionis deter-
minatio, tandem extenſio materiæ, duratioque repræſenta-
Cap. 4 tionis. Accedit unitas argumenti, neque minus integritas
pag. 60. actionis, quæ partium quarumvis eſſe colligatio deberet.
61. Prior non eſt confundenda cum unitate perſonæ, qua
parte *Theſeidos* & *Heracleidos* autores, cum aliis quibusdam
heroicis Poetis, decepti fuerunt. Id quod tanto magis
Cap. 5 mirandum, poſtquam *Homerus* atque *Virgilius* ſcripſerunt,
pag. 65. ideoque nec *Statio* condonandum idem *Achilleidos* vitium.
At nos, ſecuti propoſitum, indicamus, deinceps explo-
rari, utrum veritatem, an veriſimilitudinem, ſequi de-
beat Poeta; quæ ſit hujus & Hiſtorici differentia, quæve
carminis utilitas major, quam Hiſtoriarum; num omnium
perſonarum ſuarum nomina Tragœdia debeat invenire;
num fabulæ receptæ ſint omni tempore ſequendæ; quo
modo Poeta ſit argumenti ſui dominus; num Hiſtoria vera
poſſit argumentum eſſe Tragœdiæ; quid de fabulis epiſodi-
cis

cis obſervandum; quo modo fabula ſtuporem gignere debeat,
& hujusmodi alia. Receptas fabulas ſequi, minus eſſe neceſſa- Pag. 71 ſeq.
rium creditur, alioqui *Sophoclis* Oedipus & Electra, *Cor-
nelii* Cinna Horatiique, *Racini* Phœdra & Iphigenia, non
niſi ſapientes delectarent, quæ tamen rudes pariter capere
ſolent. Oedipus ille, ſtuporis excitati gratia, feliciſſimum 77.
omnium argumentum extitiſſe cenſetur, cum, quicquid ac-
cidit infortunato Principi, ſingularem inſinuat providentiam
divinam. Sequitur diviſio fabularum in ſimplices & im- Cap. 6
plexas. Huic tractationi junguntur mutatio fortunæ cogni- pag. 78.
tioque perſonarum, cum variis ſuis generibus Tragœdiæ Cap. 7
diviſio, tres præſertim in partes, initium, medium, finem, pag. 80.
vel implicationem & explicationem nodi; characteres, Cap. 8
quos eligere Tragœdia debet, quo ſit perfecta, non ſine pag. 86.
perquiſitione, num ſimplex eſſe debeat, an duplex, num Cap. 9
καταστροφὴν habere fauſtam, an funeſtam. Duplices qui- pag. 97.
dem eſſe potius comicæ, quam tragicæ, putantur, & earum
origines perveſtigantur; quem etiam ad modum indiciis
bonæ Tragœdiæ accenſetur, ut æque ſapientibus placeat
ac ignorantibus. Adhæc inquiritur, unde terroris ac miſe- Cap. 10
ricordiæ plenum naſcatur, & eorum detegitur error, qui pag. 107.
tale quid per decorationem, aut incidentia monſtroſa, con-
citare voluerunt. Oſtenditur autem, quæ ſint incidentia Cap. 11
terribilia, vel ad miſericordiam eliciendam comparata, qua- pag. 111.
que ratione gerere ſe debeat Poeta, ne fabulas, ſemel re-
ceptas, in primariis momentis, & ad rem maxime facien-
tibus, commutet. Inprimis, cum tria ſint atrocium actio-
num genera, quæ potius conveniat Tragœdiis, exploratur,
atque probatur, actiones atroces defectu laborare, quæ con-
cipiantur, non vero perficiantur, argumentorumque tragico-
rum raritas cum ſuis cauſis indicatur. Additur porro, qui Cap. 12
ſint mores Tragœdiarum, eorumque conditiones quatuor. pag. 121.
Primum occupat locum bonitas morum, quæ quo modo
ſit explicanda, diſputatur. Decet hic utique ſequi neceſſi-
tatem, aut veriſimilitudinem, ut in argumento. Nec ubi-

Digitized by Google

vis excluduntur machinæ, quæ quibus locis ſint adhibendæ,
docetur, nec minus qua ratione tolerabilia ſint incidentia
præter rationem; qua ratione veriſimilitudinem conſervare
Cap. 13 debeat Poeta; quando præferri debeat eadem veritati. Ha-
pag. 132. bet quoque Poeta cautiones obſervandas, ut bene flectat
argumentum, ut & laudabiliter formet characteres atque
mores; quod ut eo melius procedat, requiritur ingenium
Cap. 14 excellens, furoreque poetico concitatum. Agmen denique
pag. 147. claudunt ſententiæ, loci communes, actio tragica. *Pars*
Cap. 1 *altera* conſiderat Comœdiam, ejusque præſertim hiſtoriam,
pag. 147. ſive mutationes & fata, hinc differentiam notatu dignam
Cap. 2 a reliquis operibus eruditis, poſt regulas Comœdiæ genera-
pag. 2. les, maximam partem & alibi jam ſuppeditatas, ac denique
Cap. 3 diſquiſitionem, an Tragœdia difficilior ſit elaboratu, quam
pag. 166. Comœdia. Ridiculum inprimis ad eſſentiam Comœdiæ re-
Cap. 4 fertur; major autem difficultas, aut facilitas, ad animi, ſive
pag. 171. genii poetici, diverſitatem.

ELOGIUM JACOBI PHILIPPI D' ORVILLII, Viri Celeberrimi.

Ut *Dorvillii* laudes hoc loco celebremus, cum inſtitutum noſtrum, Manibus virorum doctrinis illuſtrium in his Annalibus parentandi, tum præclara Viri de literis humanioribus merita, flagitant, doctiſſimi denique *Petri Burmanni*, junioris, Oratio, memoriæ ejus dicta & dicata, nuper typis excuſa, invitat. Antiqua oriundus gente, quæ ante duo Secula in Provincia Gallica florebat, vidit *Dorvillius* primam lucem Amſtelodami A. 1696 die 28 Julii, ibidemque literarum primum guſtum ab *Hogſtratano* & *Hemſterhuſio*, Viris Clariſſimis, accepit. Quem pater, mercator, arti ſuæ deſtinaverat, eum *Burmannus* ſenior ſtudiis Muſarum vindicabat. Anno itaque 1715 Leidam in diſciplinam dicti modo literatoris concedebat. Qua in ſchola exacto quinquennio, poſt frequentatos Græcarum & orientalium literarum doctores dexterrimos, *Jacobum Gronovium*, *Heymannum*, *Schaſium*, celeberrimos-

rimoſque JCtos, *Schultingium* & *Noodtium*, capeſſebat A. 1721 ſummos in utroque Jure honores, & Hagam migrabat, forenſis cauſidicinæ diſcendæ & exercendæ ſtudio. Sed ſecus cecidit. Ineſcatus eruditis mercibus & ſpectaculis, quibus abundare Angliam, ſuperiore anno viderat, deſidiæ domeſticæ impatiens, animum adjiciebat ad peregrinationem, &, trajecta Gallia Belgica, Pariſios ibat A. 1723. Nexa ibi cum *Montfauconio*, *Boivino*, & aliis præclaris viris, amicitia, luſtratisque deinceps, quotquot urbium & Bibliothecarum Francicarum præſtant, & in celebritate ſunt, revoluto anno patriam repetebat. Unde, poſt interpoſitam aliquot menſium quietem, rurſus Britannos ſalutabat. Ruente anno 1725 reverſus domum, anni proxime ſecuti æſtate, magnum illud opus aggreſſus eſt, quod inter decora, quæ vitam, ab ipſo actam, illuſtrant & commendant, loco poſtremo collocari profecto non debet; iter puta triennale per Galliam denuo, Italiam, Siciliam, Germaniam denique. Non vacat nobis, urbes, *Dorvillio* delibatas, cum Cl. *Burmanno* omnes obire, non eruditos nominare, quos ille ſalutavit, non Bibliothecas, quas excuſſit, non manu exaratos Codices, quos tractavit. Hæc qui ſcire avent, ipſum adeant facundum Oratorem, dignum *Dorvillio* præconem. Id dixiſſe ſufficiat, in hoc itinere comparatas fuiſſe opes, quas larga manu ſecutis temporibus per libros cum ſuos, tum amicorum, profudit & explicuit. Natum tunc & conceptum *Iter Siculum*, nata *Anthologia*, nati *Theocritus* & *Charito*, ne de minoribus dicamus, quæ partim abſoluta edidit, partim affecta in ſchedis reliquit. Redditum laribus ſuis, Conſules urbis Amſtelodamenſis Gymnaſio ſuo Illuſtri aſſerebant A. 1729, illi olim per *Voſſios*, *Barlæos*, *Francios*, celebri. Munus, humaniores literas in eo docendi, orſus die 22 Maji A. 1730 Oratione, typis excuſa, *de felici Mercurii cum Muſis contubernio*, quod ipſe & frater junior, *Petrus*, exemplo ſuo comprobarunt, per duodecim annos dextre geſſit in patriæ gloriam, civiumque & bonarum artium emolumentum. Anno autem 1742 eo ſe ſponte abdi-

cavit, titulo & ordinis honoribus ſibi ſervatis, ſuumque in locum ſuffici curavit toties jam laudatum *Burmannum*, Franequera accitum. Id autem eo fecit conſilio, ut lucubrationes, jam dudum animo conceptas, aut etiam inchoatas, per otium perficeret, expolitasque luci daret; ut ſibi vacans denuo luſtraret, recenſeret, explicaret, & in commune bonum ſive per ſe, ſive per alios, exprómeret literarias opes, magno ſtudio & ære conquiſitas in itineribus ſuis, & congeſtas tanto numero, ut, qui de veterum librorum, naſcentis typographiæ fœtuum, manuve exaratorum Codicum, aut cum MStis collatorum, item numorum, marmorumve, copia cum eo contenderet, privatus homo in Belgio non eſſet. Tantis ergo cum nollet opibus incubare invidus, ac ſolus frui, humanitate promtoque communibus ſtudiis inſerviendi animo vincere omnes nitens, factum ex eo fuit, ut docti hujus ætatis homines, ſi quid in Græcis Latinisve molirentur, ad *Dorvillium* confugerent, liberalem eruditarum opum promum condum, & ab eo ſymbolas haud contemnendas obtinerent. Teſtes *Joſephus*, *Lucianus*, *Libanius*, *Diodorus Siculus*, *Ariſtophanis Plutus Hemſterhuſianus*, *Fragmenta Sapphus & Poetriarum Græcarum Wolffiana*, *Muſæus*, *Coluthus*, Gloſſæ chemicæ *Bernardinæ*, *Livius*, *Cæſar*, *Virgilius*, *Lucanus*, *Suetonius*, Poetæ minores, *Phædrus*, *Frontinus*, *Plinii* Epiſtolæ, & alii, qui omnes per ipſum comtiores & auctiores prodierunt. Facile hinc æſtimatu ſit, quanto ſtudio viri docti eum amaverint, quantis laudibus celebraverint, quam frequens per literas commercium capitalia quæque ingenia, illarum regionum, quas peragraverat, ornamenta cum eo excoluerint. Inter ea, quæ ipſe de ſuo largitus fuit, ordine temporum primum eſt opuſculum de antiquitatibus & monumentis Deliacis, inſertum illis *Miſcellaneis Obſervationibus criticis*, quas, ab eruditis in Britannia viris edi cœptas, recudi, & augeri, atque continuari, curavit, a doctis Belgis, ſeniore *Burmanno* ſub initia curæ hujus ſocio, poſt ejus exceſſum vero ſolus. Produxit hanc telam uſque ad vitæ finem, oppreſſus a fato, cum novi voluminis editionem

nem

nem pararet. In eadem collectione multæ leguntur animadverſiones, ab ipſo profectæ, & litera *B* ſignatæ, nec non Diſſertationes aliquot, quibus antiquas Inſcriptiones illuſtravit, uti & *Rhemnius Palæmon*, Latinus Grammaticus, olim ineditus, de Sermonum differentiis. In *Vanno critica*, ſecundo ipſius opere, ſi laceſſitus juſtæ iræ ſtiloque ferocienti indulſit, id intra veniam eſt, ſatisque compenſant & delent utiles doctrinæ, quibus acerba convicia non tam temperavit, quam obruit. Denique merebatur adverſarius flagellum vel immitius. Poemata fratris, aucta ſuis, A. 1740 nitidiſſime excudi curabat, egregie de Muſis, & fraterna memoria, eo meritus. Decennio poſt prodire in lucem primus jubebat *Charitonem*, Græcum amatoriarum narrationum ſcriptorem, uberrimis Commentariis, eruditione Græca refertis, a ſe inſtructum. Vix eſt ullus antiquus Scriptor Græcus, cui lucem ibi opemque non attulerit, ſed præ cæteris bene mereri de *Manethone*, ignoto & derelicto Poeta, ſtuduit, *Heliodorum*. *Alciphronem*, alios, novis ſupplementis locupletavit, & ingentem numerum Epigrammatum ex *Anthologia* inedita protulit. Magna quoque pars *Itineris Siculi* vivo ipſo typis excuſa eſt, tabulæ certe omnes, quibus inſtruere ſplendidum illud opus volebat, ſub ejus oculis in ære cælatæ. Parabat quoque grandes Animadverſionum & Caſtigationum libros ad *Muratorii* Theſaurum Inſcriptionum. Interceptam horum ſpem eſſe, vehementer dolent eruditi, ſed adhuc magis, *Anthologiæ* Græcæ per fata non licuiſſe, ut dexterrimis ejus manibus integra & omnibus numeris perfecta prodiret. Iidem *Theocriti* vices dolent, cujus obtinendi, quam fecerat ille, ſpem ſecum abſtulit. Ajunt, ipſum quoque *Catullo*, *Tibullo*, *Propertio*, curarum partem aliquando tribuiſſe. Sed hæc cum ceteris aut invidit nobis fatalis ſors, aut edendi curam & gloriam ſervat aliis. Comis erga omnes & officiorum promtus, munificentiam erga literarum ſtudioſos, a bonis fortunæ deſtitutos, exemplo teſtatam fecit non uno; amorem autem viri erga literas, ſtudiumque laudis, bonis arti-

bus

bus partæ, demonſtrant ultimæ ejus tabulæ, quibus filius, quem unicum reliquit, hæres quidem ampliſſimarum opum ſcribitur, eique per vitam uſus & poſſeſſio Bibliothecæ, numorum, marmorum, conceditur, poſt ipſius autem fata Bibliothecæ Batavæ, quæ Leidæ eſt, ea addicuntur. Suſtulit eum die 14 Septembr. A. 1751 morbus haud diuturnus, & per initia carere viſus periculo. Memoriam ejus ætatem literarum eſſe æquaturam, dubitare nefas eſt. Ut autem, quæ reliquit affecta, ingenii monumenta, etiamſi præcipua ſaltem, Libitinam & commune fatum præſtantium operum evadant, incidantque in manus fidas & doctas, a quibus decus, & perfectionem, & lucem, nanciſcantur, id cupiunt, id optant omnes, qui nomini *Dorvilliano*, qui literis, ab eo cultis, bene volunt.

NOVA LITERARIA.

Prodiit hoc anno Amſtelodami, aut Swollæ, nitidis excuſa typis, abſque indicio loci, plagula ſingularis formæ octuplicis, continens *Friderici Ludovici Abreſchi* dilucidationes aliquot ex *Thucydidis Libro I.* Doctiſſimus earum Autor, poſt edita non pauca, neque contemnenda, documenta, quibus ſuam Græcarum literarum peritiam probatam dedit, *Thucydidem* quoque uberi Commentario illuſtrandum ſibi ſumſit. Cujus operis in guſtum atque ſpecimen ſelectas has obſervationes luci publicæ voluit exponere, bibliopolam circumſpiciens, qui ſumtus excudendo faciat. Plenum id fore ſcitis obſervationibus, & Viri fama, & hoc ipſum ſpecimen, nobis perſuadet. Nulli ergo dubitamus id orbi erudito commendare; confidimusque, haud defuturum eſſe bibliopolam, qui præclaro illo munere quantocyus nos beet. Ingreſſus eſt Vir Cl. amplum campum, in quo non tantum explicare ſuas copias, ſed illam quoque præcipue monſtrare, poterit, qua pollet, dexteritatem, intricatos quosque Autorum vexatosque locos a vitii ſuſpicione liberandi, commoda interpretatione emolliendi, dictionesque inſolentiores allatis aliorum ſimilibus vindicandi. Diligenter ipſum triviſſe Græcos Codices, & in iis, quæ cuique propria ſunt, ſedula manu, & ad emendandum non pruriente, enotaſſe, *Thucydidemque*, ſi quis alius, impeditam & pæne ſolœcam elocutionem affectaſſe, non facile erit, quem lateat. Habebit igitur *Abreſchius* ſatis & ſuper, quod agat. Speciminis hujus ut ſpecimen exhibeamus, non arbitramur opus eſſe, cum in manibus doctorum hominum & *Æſchyleæ* & *Ariſtænetea* Lectiones verſentur, quibus & hoc ſpecimen, cum ipſo inſtituto *Thucydideo*, prorſus eſt ſimillimum.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti Anno MDCCLII.

CODICES MANUSCRIPTI BIBLIOTHECÆ REGII Taurinenſis Athenæi, per linguas digeſti, & binas in Partes diſtributi, in quarum prima Hebræi & Græci, in altera Latini, Italici, & Gallici. Recenſuerunt, & animadverſionibus illuſtrarunt, JOSEPHUS PASINUS, Regi a Conſiliis, Bibliothecæ præſes & moderator, ANTONIUS RIVAUTELLA, & FRANCISCUS BERTA, ejusdem Bibliothecæ Cuſtodes. Inſertis parvis quibusdam Opuſculis, hactenus ineditis, adjectoque in fine Scriptorum, & eorum operum, Indice, præter Characterum ſpecimina, & varia Codicum ornamenta, partim ære, partim ligno, inciſa.

Taurini, ex Typographia Regia, 1749, fol. maj.
Tom. I Alph. 5 plag. 15, Tom. II Alph. 5 plag. 20, cum Tabb. æn. 5.

Magnas merentur laudes, magnamque ineunt gratiam, præſertim ab Hiſtoriæ literariæ ſtudioſis, illi, qui notitiam theſaurorum, quos penes ſe habent, literariorum publice produnt. Sed majores merentur atque inveniunt laudes gratiasque illi, qui theſauros ſuos rogantibus, & in commune bonum converſuris, non invident. Fuerunt enim ab omni tempore, & ſunt adhuc, qui beatos ſe tum demum exiſtimant rariorum monumentorum poſſeſſores, ſi ea ipſi ſoli tenent; qui, editis Catalogis Bibliothecarum ſuarum, poſtquam moverunt eruditis ſalivam, uſum negant, maluntque ſua tineis & muribus & pulveri eſcam, quam

doctis oculis gratum pabulum, permittere. Nos quidem nulli dubitamus, Catalogum hunc manuſcriptorum Codicum Taurinenſium ideo regia cum magnificentia, & ſplendore, Pariſienſem imitante, fuiſſe editum, ut docti homines ad eorum uſum appetendum percipiendumque invitarentur. Neque porro ea de re dubitabit, quisquis eminentes in toga ſagoque virtutes, & amorem non in arma, quam in literas, majorem, quibus Sereniſſimus Sardiniæ Rex claret, haud ignoraverit.

Celebrata fuit ab aliquo tempore Taurinenſis hæc Bibliotheca ſcriptis atque ſermonibus doctorum hominum, quorum aliqui idem paſſi fuerunt, quod rerum incompertarum jactatoribus contingere ſolet, ut ſcilicet eam in majus, quam par & verum erat, extollerent; quod ab edito Catalogo nunc tandem patuit. Auditi profecto fuerunt narrantes, in hac Bibliotheca latere Codices optimæ notæ, & antiquiſſimæ ætatis, *Xenophontis* & æqualium Autorum. Verum inſpectio Indicum docet, vanos eos fuiſſe rumores, vanas ſpes, e cupiditatibus illorum hominum natas. Oppido rari occurrunt hic Autores, non Chriſti dicemus ætatem, ſed ipſum, quod appellant, medium ævum, excedentes. At, quamvis hac quidem in parte fallat, ſi non publicam, privatam certe, quorundam exſpectationem, hæc Bibliotheca, compenſat tamen hunc defectum aliorum inſignium monumentorum, quibus recentior tam Byzantina, quam Italica, Hiſtoria illuſtretur, copia. Quod ut pluribus conſtet argumentis, paulo poſt efficere ſtudebimus.

Poſt diuturnam hujus Bibliothecæ ignorationem, neglectumque, primus eam in famam miſit Cel. *Pfaffius*, Tubingenſis Theologus, qui, cum ſub præſentis Seculi initia una cum Sereniſſ. Duce Würtembergenſium, cujus ſtudia tum moderabatur, Taurini ageret, opportunitate invitatus, Codices ejus Bibliothecæ perluſtrabat; &, redux domum ab itinere factus, edendi, quem confecerat, Catalogi Codicum illorum publico loco ſpem faciebat. Male habet Taurinenſes noſtros, fidem ab ipſo falſam fuiſſe; niſi potius id ipſos ufferit, quod vir a gente ſacriſque ſuis alienus opes ſuas aliquanto liberiore

manu

manu pertractaverit. Cauſam omiſſi inſtituti eam conjiciunt eſſe, quod, re diligentius expenſa, deprehenderit Vir Cel. pollicitatorem ſe præcipitem fuiſſe, eademque cum feſtinatione atque trepidatione luſtraſſe Codices Taurinenſes, quacum *Epitomen Inſtitutionum divinarum Lactantii* deſcripſerit. Multum quoque laborant fidem, qua in edendis *Irenæi* Fragmentis uſus fuit, ſuſpectam facere. Nulla quamvis non adhibita diligentia, nullis non excuſſis perlectisque libris, in quibus, ſpes probabilis erat, illa Fragmenta repertum iri, quæ ſub *Irenæi* nomine *Pfaffius*, tanquam e Taurinenſi Bibliotheca eruta, vulgavit, nihil tamen uſquam a ſe reperiri potuiſſe. Quod quo tendat, illi forte magis in promtu habeant intelligere, quibus noſtratium cum Pontificiis controverſiæ de rebus & opinionibus ſacris perſpectiores ſunt. Nolunt quidem honeſtum Virum aut impoſturæ, aut furti, arguere: neque enim probabilem, neque facilem evictu, hanc accuſationem futuram eſſe; debuiſſe tamen Virum doctum Codicem, e quo illa S. Patris Fragmenta exſcripſerit, indicare.

Prodierunt igitur ex hac Taurinenſi Regia Bibliotheca, ut patet, *Irenæi* Fragmenta, & Epitome Inſtitutionum divinarum *Lactantii*. Sed & præterea memorabiles quosdam illa Codices habet, quorum titulos e Præfatione hujus Operis huc transſcribemus. Integras, ajunt Editores, ſibi eſſe *Amphilochii* Quæſtiones ad *Photium*, & hujus ad eum reſponſiones; (cujus operis partem, ni memoria nos fallit, B. *Wolffius*, Hamburgenſis, *Tomo ultimo Curarum* ſuarum *ad N. T.* edidit,) integri quoque & diſtincti Sermones aſcetici Patris *Iſaaci Syri*, Ninivitani Epiſcopi, qui confuſi, mutilique, & ex parte, ac Latine tantum, exſtant in *Bibliotheca Patrum*; & iter *Jeremiæ* ſecundi, Patriarchæ Conſtantinopolitani, in Moſcoviam, comite *Arſenio*, Elaſſonenſi Epiſcopo, unde Moſcoviæ Patriarchatus percipitur inſtitutio: quod forte nullibi reperies; (meminerint Lectores, Editorum verba nos dare,) & *Joſephi Pluſiadeni* Synaxarium Concilii Florentini, ejusque Carmen de ejusdem Concilii laudibus, & parergon de feſto die S. *Joannis* Baptiſtæ, apud Florentinos celebrari ſolito; quibus mirifice

Digitized by Google

acta illius ſanctiſſimi Concilii illuſtrari poſſunt. *Quid de Monembaſia Eccleſiæ monumentis*, (ita pergunt,) *& chronologica ejus Epiſcoporum ſerie, quorum pauciſſimos recenſere potuit Vir orientalis eruditionis amantiſſimus, Pater* Lequien? *Quid de nonaginta tribus Epiſtolis* Michaelis Glycæ,*quarum decem priores duntaxat edidit* -- Joannes Lamius? *Quid de Imperatorum Chryſobullis, Argyrobullis, Deſpotarum chartis, Patriarcharum & Epiſcoporum hypomnematis, venditionis, emtionis, conſtitutionis, donationis, inſtrumentis? Ex quibus quanta in Græcorum Diplomaticam lux derivari poteſt? Adde Concilii Piſani Acta, elegantiſſimo charactere ſcripta, ubi Principum, Cardinalium, aliorumque ſummorum virorum, epiſtolæ, Patrum, qui Concilio interfuerunt, ſubſcriptiones, dignitates, teſtium nomina, qui in Pſeudopontificum cauſa evocati fuerant, de quibus ne unum quidem verbum reperire eſt apud* Labbeum, Harduinum, Caniſium, *ceteros. Adde* Iſidori, *Hiſpalenſis Epiſcopi, librum* Numerorum, *quem prorſus interiiſſe opinati ſunt* Oudinus *&* Cave. Mittimus cetera deſcribere, in quibus potiſſima & pretioſiora monumenta Latina, in hac Bibliotheca aſſervata, recenſentur; præſertim cum eorum partem deinceps nominaturi nos quoque ſimus, quando opuſcula, quæ adhuc inedita fuerant, huic Catalogo inſerta, indicabimus. Interim prædicanda nobis eſt eminens & vere regia *Caroli Emanuelis*, Sardiniæ Regis, liberalitas, eo monſtrata, quod notum illud *Pyrrhi Ligorii* opus Antiquitatum Græcarum & Romanarum, triginta conſtans Voluminibus, octodecim ducatorum aureorum millibus redemtum, (quod Præfatio hujus Operis teſtatur,) ab interitu vindicavit, & in Bibliothecam ſuam intulit. Fuit olim *Chriſtinæ*, Reginæ Sueciæ, continetque vaſtum apparatum Inſcriptionum utriusque ſermonis, quas præter *Ligorium* nemo unquam oculis uſurpavit, pleraſque etiam (ut ex *Gudiano* Corpore conſtat) tam plenas mirarum & incognitarum rerum, & dictione conceptas tam peregrina, ut mirum non ſit, ſi doctorum bene multi, ſi non omnes, pleraſque certe, proditas a *Ligorio* Inſcriptiones ſuſpicati fuerint confictas ab ipſo, creduliſque pro veris venditatas, eſſe.

eſſe. Quam, ipſi adſperſam, maculam cum alii eluere ſtuderent, orta inde lis, adhuc ſub judice pendens. Optandum eſſet, (ſed irrita proh dolor! & vana optamus,) ut invenirentur tandem aliquando toties deſiderata, nulli ætati imitabilia, vetuſtatis monumenta integra, quæ, cum tota æterna mererentur eſſe, tantum ex parte ætatem tulerunt, *Polybii*, *Livii*, *Taciti*, *Dionis*, *Dionyſii*, *Menandri*, *Sophoclis*, *Ariſtophanis*, aliorum; & ut reperta emtores invenirent tam liberales, tam excelſi animi, tam auri contemtores, quam intelligimus *Carolum* Sabaudum fuiſſe.

Codices Hebræi, *primo Tomo* recenſiti, ſunt numero 169. Græci, quos idem *Tomus*, ſed aliquanto, ut etiam par erat, diligentius, perſequitur, ſunt numero 369. Latini, quos una cum cognatis illi dialectis *alter Tomus* exhibet, ſunt numero 1184, Italici 210, Gallici 172. Hos non jejune, ut in multis, etiam ſplendidiſſimis quibusdam, Catalogis factum fuit, ſed erudite, & ſic, recenſent Editores, ut lectoribus proſint, indicando ætatem Codicum, & alia circa eos memorabilia, &, quod rei caput, & hujus Operis excellens dos, eſt, partim integrando e ſuis Codicibus lacunas editorum librorum, paſſim occurrentes, partim etiam inedita quædam, ſatis longa, cum interpretatione integra inſerendo. Quorum indicem, quem ipſi cuique *Tomo* præfixerunt, huc adſcribi cum notulis quibusdam noſtris, Lectorum intereſt, & apprime ad inſtitutum noſtrum facit. Continentur ergo *primo* quidem *Tomo* hæc triginta & unum ſeu opuſcula, ſeu fragmenta, Chartæ item, Græca monaſteria ſpectantes: 1) *Jacobi Gupyli*, Pictavienſis Medici, Epiſtola ad *Emanuelem Philibertum*, Sabaudiæ Ducem, qua ipſi Codicem Græcum *Strategicorum Onoſandri* dono offert, *pag.* 153; 2) Parvulum Lexicon, explicans dictiones, quæ in Pſalmis occurrunt, *pag.* 190;* 3) Chryſobulla *Joannis Alexii Comneni* ad ſtabilienda cum Venetis

 com-

* Præterierunt in Indice annotare, ſe *pag.* 201 *ſeq.* edidiſſe Τάξιν προκαθεδρίας Μητροπολιτῶν, *ordinem præſidentiæ Metropolitarum*, quem volunt cum ſimilibus illi libellis, a *Leunclavio* &

commercii jura, *pag.* 222; 4) Deſcriptio diei feſti Præcurſoris, qui olim agebatur Florentiæ, *pag.* 271; 5) *Joannis Pluſiadeni* Hymnus in octavam Synodum, Florentiæ habitam, *pag.* 273; 6) Ejusdem Synaxarium Sanctæ & Oecumenicæ Synodi Florentinæ, ſeu narratio eorum, quæ in Concilio Florentino geſta ſunt, *pag.* 277; 7) *Gregorii Palamæ* opuſculum adverſus confeſſiones Latinorum, *pag.* 281. Sunt iſta omnia minuta opuſcula, ut mirum non ſit, ſi eorum quædam *Fabricii*, aliorumque doctorum hominum, in his Græcorum rebus cum diligentia verſatorum, notitiam fugerunt. 8) *Theodori Studitæ* Verſus jambici adverſus Iconomachos, *pag.* 305; 9) Series & commemoratio eorum, qui monaſterium S. *Nicolai* Caſularum primi condiderunt ac moderati ſunt, *pag.* 308; 10) Epiſtola *Joannis Camateri*, præfecti Canicleo, ad Imperatorem *Conſtantinum Porphyrogennetum*, *pag.* 315. Eſt Præfatio ad ejus opus περὶ τῆς ὀυρανίας τῶν ἀςέρων διαθέσεως, *de cœleſti ſiderum diſpoſitione*; 11) *Joannis Canabutzæ* Epiſtola ad Principem Æni & Samothraciæ, *pag.* 317. Eſt Præfatio ad opus ejus, quo memorabilem illum *Dionyſii Halicarnaſſenſis* in primo Antiquitatum Romanarum Libro, de ſacris Cabirorum & Samothraciæ, illis Trojam deinceps, & ab *Ænea* tandem in Latium, illatis, exponit. Voluit *Allatius* in ſuis *Symmictis* hunc libellum edere, qui variis in Bibliothecis exſtat. Verendum tamen, ne totum opus procemio, quod hic proditur, ſimile ſit, hoc eſt, obſcurum & intricatum, ut pæne neſcias, quid homo ſibi velit; quo modo loqui & ſcribere & cogitare illa tempora ſolebant. Sane haud probabiliter a Græculo recente novum aliquid & eximium exſpectes. 12) *Michaelis Palæo-*

& *Bandurio* editis, conferri. Videntur Parergon *Holſtenianum* ad *Caroli a S. Paulo Geographiam ſacram* ignoraſſe, in quo inter alias Notitias Epiſcopatuum huic ſimillima *pag.* 33 habetur. Exſtat hæc ipſa Notitia in Opere inedito *Conſtantini Porphyrogenneti de Cerimoniis domus Auguſtæ* (vid. *Fabric. Bibl. Græc. Tom. VI pag.* 621), at ibi tribuitur *Euſebio*, Cypri Epiſcopo. Sed in Codice illius operis unico excidit unum folium, ut ex collatione cum hoc Catalogo conſtitit; indeque egregie ſuppleri poterit.

Digitized by Google

Palæologi Chryſobulla ad confirmandas poſſeſſiones venerandi patriarchalis monaſterii Macrinitiſſi. Sequentibus numeris exhibitæ Chartæ ejusdem Imperatoris, item *Arſenii*, Patriarchæ CPtani, & *Joſephi*, alterius Patriarchæ, & *Comneni Palæologi* Deſpotæ, ad idem monaſterium pertinent; at nolumus in recenſendis chartis non maximi momenti tempus terere. 19) Habetur Charta conſtitutionis, factæ a Druanabainitis in favorem monaſterii Præcurſoris Novæ Petræ, *pag. 344.* Proxime ſequentes Chartæ ſpectant eodem. 25) Habetur *Conſtantini Laſcaris* opuſculum de Poeſis natura atque origine, *pag. 375*; 6) *Maximi Margunii*, Cytherorum Epiſcopi, Epiſtola ad *Gabrielem Severum*, Archiepiſcopum Philadelphiæ, *pag. 387*. Eſt Præfatio ad librum alicujus *Laurentii*, de ordine Capucinorum, de numeris ſacri Codicis, quem ille *Margunius* e Latino Græcum fecit. 27) Monumentum de origine urbis Monembaſiæ, *pag. 417.* Præterimus cetera, tantum notantes *num. 31* & ultimo exhiberi bene longam deſcriptionem itineris, quod *Jeremias II.* Patriarcha CPtanus, circa finem Seculi XVI in Moſcoviam fecit, ut primum ibi conſtitueret Ruſſorum Patriarcham. Nova vulgari Græcorum dialecto ſcripta ea eſt narratio ab itineris comite, *Arſenio*, Elaſſonis Epiſcopo, & decurrit per decem pæne plagulas a *pag. 433* inde uſque ad *pag. 469.* Continet ſcita multa, & inveniet lectores, ſi quis dialectum calleat.

Præter hæc, haſtenus inedita, opuſcula, vel apoſpaſmatia, & ab Editoribus peculiari indice commemorata, inſeruerunt iidem paſſim Supplementa quædam & variantes lectiones librorum, jam olim editorum, indices Capitum, ſi forte ordo eorum in ſuis MStis alius, quam in editis, eſſet, ſpecimina ſcripturæ Græcæ variis e Codicibus, ligno inciſa, & alia præterea inedita, quorum mentionem in ſuperiore indice nullam fecerunt. E. c. *pag. 92* habent fragmentulum Græcum de ſignis librariorum Græcorum, quæ theologicis libris ad marginem adſcribere ſolebant; *pag. 108 ſeq.* dant indicem Quæſtionum *Amphilochianarum* ad *Photium*, per octo plagulas decurrentem; *pag. 145* proferunt indicem Homiliarum *Joannis*

nis Xiphilini, quas (nondum enim ſunt editæ) typis & luce dignas multi judicarunt; *pag. 188* & *189* integrum ſiſtunt procœmium Catenæ in *Lucæ* Evangelium, Autore *Macario Chryſocephalo*, quod *Fabricius Bibl. Gr. Tom. VII pag. 775* non integrum dederat; *pag. 259* proponunt Præfationem ad interpretationem Græcam celebris epiſtolæ *Rabbi Samuelis ad Rabbi Iſaac de Meſſiæ exſpectatione apud Judæos.* Fecit eam *Joſephus Pluſiadenus*, jam ſupra memoratus, Epiſcopus Methonenſis, A. 1497, juſſu *Benedicti XIV*, Pontificis Romani, ex interpretatione Latina, quam *Frater Alpheſius Bonhomine*, Hiſpanus, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, A. 1338 ex Arabico confecerat. Epiſtolæ hujus, quæ multas in alias dialectos translata paſſim proſtat, ſola Græca interpretatio adhuc inedita & tam ignota fuit, ut etiam peritiſſimum harum rerum *Wolffium* lateret. Luſtrantes Latinam hujus Præfationis interpretationem, offendebamus ad hæc verba: *Rabbinus Samuel Iſraelita ex Anatoliæ civitate regia Marochii.* Mirantes, ut par erat, ſubito translatam ex ultimo Africæ Occidente in Anatoliam, celebrem urbem Maroccanam, reſpiciebamus Græca, quæ hæc ſunt: Ἐπιϛολὴ, ἣν ἀπέϛειλε Ῥαββι Σαμουὴλ, ὁ Ἀνατολικὸς, ἐκ τῆς πόλεως τῆς Ῥηγικῆς τῶν Μιροχώρων. *Epiſtola, quam Rabbi Samuel Iſraelita, Anatolicus, ſeu ex Oriente oriundus, miſit ex urbe regia Marocco.* Unde intelligebamus, doctos Editores hic humani quid paſſos fuiſſe. *Pag. 262* habetur parvum Lexicon, quo voces quædam *Gregorii Nyſſeni* explicantur. *Pag. 264* proſtat ſpecimen collationis *Ordinis eccleſiaſtici* &c. cum editione *Goari*, qui eundem poſt *Codinum* ſuum *pag. 344* dederat. *Pag. 265* legere eſt procœmium alicujus *Jobi* ad Commentarium ſuum in quindecim priores Pſalmos *Davidicos*. *Pag. 270* prodit in lucem Præfatio *Leonis* Imperatoris, *Sapientis* vulgo dicti, ad ſuum, huc uſque ineditum, Ὀρνεοσοφιϛικὸν, ſeu *de re accipitraria. Pagina 280* præſtat collationem *Decreti adverſus Synodum Florentinam*, *a Syriæ* (ut appellantur) *tribus Patriarchis editi*, cum editione *Banduri*, qui in *Imperio Orientali* primus id produxerat. A *pag. 286* inde & deinceps legun-

leguntur tituli & initia nonaginta & duarum ineditarum *Michaelis Glycæ* Epiſtolarum. *Pag. 311* occurrit conſpectui prima *Quæſtionum & ſolutionum Theophanis Ceramei & Juſtini Philoſophi.* Agitant illæ Quæſtiones varia Sacræ Scripturæ loca, & neque ad *Oudini*, neque ad *Fabricii*, notitiam pervenerunt. *Pag. 360* conſpicitur ſubſcriptio avtographa Imp. *Andronici* ſenioris; item *pag. 361 Joannis Becci*, vel *Vecci*, celebris Patriarchæ CPtani, ambæ ligno inſculptæ. *Pag. 363* leguntur verſiculi aliquot Græci in *Euſtathii* Apologum de amoribus Iſmeniæ; & *pag. 364* Epigrammata quædam in Hymnos *Callimachi. Pag. 369* memoratur Codex, in quo dicuntur *Æſchyli* duæ Tragœdiæ, *Prometheus* & *Eteocles*, exſtare. In vulgatis ejus libris nulla proſtat *Eteoclis* nomine fabula. Non tamen eſt, quare quis tanquam reperta nova quadam *Æſchyli* fabula, dudum deperdita, lætetur. Nulla procul dubio eſt alia, quam quæ ſolet *Septem ad Thebas* vulgo citari. *Pag. 377* producitur Prooemium ad Commentarium *Theophylacti Bulgari* in Epiſtolam *Pauli* ad Corinthios, ab edito diverſum, quocum conferri jubetur; & *pag. 381* narratiuncula de tribus tomis, id eſt, chartis, vel decretis, aut edictis, ſynodicis, contra eos, qui ſeditiones cient. Opuſculum memoraverat *Fabricius* inter inedita *Harmenopuli. Pag. 405 ſeq.* enumerantur tituli Capitum de Catecheſi *Theodori Studitæ*, propterea, quod in Codice Taurinenſi complures adſunt, quorum index *Fabricianus, Bibl. Græca Tom. XII* proditus, mentionem nullam facit. *Pag. 412* percenſentur aliquot *Michaelis Pſelli* opuſcula, in *Leonis Allatii* Diatriba *de Pſellis* prætermiſſa.

Tranſimus nunc ad *ſecundum* hujus Operis *Tomum*, in quo quæ fuerint edita a Clariſſimis Viris, hujus Catalogi Autoribus, Latina & alterius generis opuſcula, adhuc inedita, intelligere eſt ex indice eorum, ab ipſis præmiſſo, quem transſcriptum imus. *Primo* itaque loco legitur *pag. 25 Henrici VII*, Romanorum Regis, Diploma in gratiam Fratrum Minorum & prædicatorum, in *Cherio* commorantium; 2) Cardinalis *Talaimandi* Epiſtola ad Priorem Carthuſienſem *pag. 32;* 3) *Joannis Argyropili* (ſic ſcribitur) Epiſtola ad *Dominicum Roboreum*

reum Cardinalem *pag. 102*; 4) Vita *Joannis Michaelis Pignonii* *pag. 112*; 5) Oratio, habita a legatis civium Aſtenſium ad *Philippum Mariam*, Mediolani Ducem, *pag. 139*; 6) Chronica Aſtenſia *pag. 140*; 7) Privilegium conceſſionis magnæ indulgentiæ, a *Bonifacio VIII* quovis centeſimo indultæ & conceſſæ, *pag. 146*; 8) Series monaſteriorum, quæ a Marchionibus Montisferrati vel condita, vel aucta, fuere, *pag. 148*; 9) Hiſtoria conſtructionis caſtri Saphet *pag. 152*. Eſt particula Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ *Magiſtri Jacobi*, Epiſcopi Acconenſis, alias *de Vitriaco* dicti; quæ in Scriptoribus Geſtorum Dei per Francos *Bongarſianis* prorſus deeſt, & in *Miſcellaneis Baluzianis* manca & interpolata circumfertur, 10) Elenchus juvenum militumque, qui ad *Cæſarem Titionem*, Comitis *Ludovici* filium, in expeditione Cæſaris *Maximiliani* contra Venetos ſecuti ſunt, *pag. 164*; 11) Exemplar integrum & omnibus numeris abſolutum donationis factæ per *Tertullum*, Patricium Romanum, S. *Benedicto* in monte Caſſino, *pag. 166*; 12) Memoriale *Raimundi Turchi*, civis Aſtenſis, *pag. 176*, quod *Muratorius* (ut e Præfatione ad *primum Tomum* intelligitur) libenter ſuis Italicarum rerum Scriptoribus addidiſſet, ſi potuiſſet ejus copiam nanciſci; 13) Hymnus ad honorem S. *Thomæ* Cantuarienſis *pag. 215*; 14) Epiſtola, a familiaribus Comitiſſæ *Mathildis* ſcripta ad Imperatorem, *pag. 224*; 15) *Eugenii* Papæ IV Epiſtola ad Fratrem *Joannem de Capiſtrano* *pag. 229*; 16) Charta libertatum Eccleſiæ Anglicanæ *pag. 236*; 17) Charta contra infringentes libertates Eccleſiæ Anglicanæ ſub & jubente Angliæ Rege *Henrico III*, *pag. 237*; 18) *Ogerii de Locedio* Prologus in Tractatum de laudibus S. Dei genitricis *pag. 249*; 19) *Boſonis*, Epiſcopi Taurinenſis, Epiſtola ad Clerum & Diœceſanos ſuos, qua illis Treuvam Dei indicit, *pag. 285*; 20) Fragmenta Hiſtoriæ Aſtenſis, collecta ex Memorabilibus *Secundi Parutiæ*, *Jaffredi Boani*, *Deciani de Naſiis*, *Thomæ Auriculæ*, *Julii Falleti*, *Baptiſtæ Lunati*, *Guilielmi Cornaliæ*, *Bruti Salomonis*, & multorum aliorum, item ex Archivis civitatum Aſtæ atque Albæ, *pag. 307*; 21) Chronicon, res Inſubriæ complectens ab

anno

Digitized by Google

anno Chriſti 64 usque ad A. 1218; *pag. 351*; 22) Chronicon alterum, res Inſubriæ complectens ab anno Chriſti 1170 uſque ad A. 1202, *pag. 355*; 23) Epiſtola, totius Capituli Ciſtercienſis nomine ſcripta ad *Gregorium IX* Pontificem, *pag. 365*; 24) Reſponſio *Pii II* Pontificis, Romæ data oratoribus Franciæ, *pag. 377*; 25) *Guilielmi Ficheti*, Sabaudi, Pariſienſis Univerſitatis Rectoris, Epiſtola ad *Amedeum*, Sabaudiæ Ducem, ejusque fratres, qua eos hortatur ad bellum contra Turcas, *pag. 390*; 26) *Beſſarionis* Cardinalis Epiſtola ad *Gu. Fichetum pag. 394*; 27) Capitula, ſtatuta, & ordinamenta, ſocietatis Baroniæ militum civitatis Aſtenſis; 28) *Il Prologo del libro, il quale ha nome Orivolo della Sapientia, pag. 404*; 29) *Il primo Sermone di Santo Bernardo ſopra la Cantica Canticorum*; 30) Epitome Chronici Salutienſis, Italico ſermone ſcripta, qua res Ducum Sabaudiæ & Marchionum Montisferrati atque Salutiarum accurate perſtringuntur ab A. C. 593 usque ad A. 1409, *pag. 419*.

CHRISTOPHORI MATTHÆI PFAFFII ACADEMIÆ Tubingenſis Cancellarii, de Catalogo MStorum Codicum Bibliothecæ Taurinenſis Epiſtola ad Celeberrimum & literatiſſimum Virum, JO. ERHARDUM KAPPIUM, Lipſienſium Polyhiſtorem.

Deſideraſti nuper a Summe Reverendo D. *Cotta* noſrate, ut referret mihi, quid Editores *Catalogi Codicum MSS. Taurinenſium*, hem quam pretioſi! in Præfatione de me ſcripſiſſent. Ego vero & ipſe poſſideo duo iſta Volumina, non ita pridem ad me perlata. Multum profecto debet aſſiduis iſtis Viris Reſpublica literaria, quod non ſaltem Codices indicare, ſed & pleniorem illorum notitiam dare, haud fuerint gravati. Gaudeo, florere jam Auguſtæ Taurinorum literas, Hebraicas quoque & Græcas. Cum primum admitterer, indulgente Sereniſſimo Sabaudiæ Duce, magno *Victore Amadeo*, cujus perpetuum favorem & gratiam expertus fui, ad Bibliothecam hanc, Archivo Regio tum junctam, cu-

Digitized by Google

ram illius gerebat Abbas *Machetus*, qui mirabatur, me tanto ardere deſiderio, illam frequentandi. Quid, ajebat ille, ſtudio teneris, vetuſtos hos Codices, pulvere & ſitu ſqualidos, inſpiciendi? Jam enim ſtat ſententia, Codices hoſce, qui ſpatium gratis occupant, quos nemo intelligit, vel curat, exigendi ex hoc loco & projiciendi. Nihil eſſe, addebat, quod attentionem mereatur, quam menſam illam Iſiacam, & volumina *Pyrrhi Ligorii*, quæ in Bibliotheca ſerventur. Reponebam, vetuſtos ejusmodi libros MStos Bibliothecarum eſſe cimelium, quo ſuperbiant; ſi venia mihi detur, ſi copia Codices inſpiciendi, facile me eorundem pretium determinaturum; meminiſſe me, *Mabillonium*, poſt *Phil. Labbeum*, mentionem eorum feciſſe in *Itinere Italico.* * Admiſſus igitur in ſuperius receptaculum, (in inferiore enim exſtabant libri impreſſi,) mox obſervavi, adeſſe Codices MStos omnis generis, queis literæ, maxime ſacræ, augeri poſſint, veniamque nactus, illos, nullo ordine diſpoſitos, nec ullo conſignatos Catalogo, tractandi non ſaltem, ſed & deſcribendi aliqua, quæ inedita noveram, ex quibus eminet Epitome *Lactantii*, Martyrium S. *Theodori Tyronis*, aliaque, deſcripſi, alia cum editis contuli, & variantes lectiones notavi, denique & pro ratione temporis, quod mihi reſtabat, & veniæ, mihi prolixe primum datæ, poſtea reſtrictæ, Catalogum Codicum confeci, quo tamen longe illuſtrior & plenior eſt ille, quem docti illi Taurinenſes ante biennium dederunt. Nec tempus, nec locus, mihi ſuppetiit, volumina ſcribendi tum. Quin imo & tandem tum Illuſtri Viro, *Scipioni Maffejo*, tum mihi, neſcio quo fato, aditus ad Bibliothecam non amplius tam liber, ut antea, fuit. Poſt abitum meum fuere, queis Bibliotheca magis patuit, miſſus & Codicum MStorum præcipuorum index alphabeticus fuit a *Joſepho Roma*, Ord. Minim. cujus nomen, neſcio, cur diſſimulent Edi-

* §. 15, ubi hæc invenias: *Bibliotheca palatii multis referta eſt Codicibus variarum linguarum, ſed qui in acervum cum editis congeſti ſunt, ob nuperum incendium, quod multos libros corripit.*

Digitized by Google

Editores Taurinenſes, queis homo imperitus audit, ad Cel. *Montfauconium*, qui illum *Bibliotheca Bibliothecarum MStorum nova Tom. II f. 1393 ſeq.* A. 1739 Pariſiis inſeruit. Video, cauſari eruditiſſimos Viros, qui A. 1749 Auguſtæ Taurinorum Catalogum Codd. MSS. Bibliothecæ hujus, quæ Academiæ Taurinenſi vel tandem ceſſit, & hujus in ædes ex palatio Regio tranſlata fuit, varia, tum occaſione anecdotorum *Irenæi*, quæ ex Codicibus MStis Taurinenſibus, Patrum Fragmenta exhibentibus, non præciſe ejusmodi catenis, quæ explicationes horum & illorum librorum Biblicorum, ex his & illis Patribus deſumtas, continent, vel aliis alius generis collectaneis, ex Patribus extractis, (non enim varia iſta Collectaneorum genera confundere licet, vel nos confudimus,) deſcripſimus, & Hagæ Comitum edidimus, tum quoad Epitomen *Lactantii*, e Codice MSto Taurinenſi erutam, quam Pariſiis, obſtetricante *Nourrio*, vulgavimus. Miror Virorum modeſtiam & humanitatem, æquitate prorſus perfuſam, qua nolunt ſuſpicari, vel me anecdota iſta, quæ tamen, cum tam amice cum impreſſis *Irenæi* conſentiant, ſua radiant authentica luce, finxiſſe, vel Codices, in quibus jacuerint, abſtuliſſe, aut folia exſcidiſſe, atque exiſtimare, contigiſſe forſan, ut in nova compactione Codicum ex incuria & ignorantia bibliopegi aliqua exciderent folia, in quibus hæc Fragmenta exſtiterint. Ego vero, cum ſcribant, ſe fragmenta iſta *Irenæi* in nullo Codice Taurinenſi, adhuc exſtante, inveniſſe, licet maximo ſtudio omnes Codices evolverint, non poſſum Viris tam doctis, & huic negotio apprime attentis, quidquam tribuere negligentiæ, ſed pro eo, quo ipſorum probitatem & aſſiduitatem colo, affectu feror potius ad credendum, fuiſſe, qui poſt meum abitum improbam Codicibus pluribus manum injecerint. Quod enim ajunt, omnes Codices fuiſſe numeris ſuis diſtinctos dudum, & Catalogis conſignatos, id ego quidem teſtari non poſſum, qui nullis numeris diſtinctos Codices, Catalogos nullos, inveni, ita, ut mirer oppido, qui aſſeverare poſſint, omnes adhuc exſtare Codices, qui in antiquis notati fuerint Catalogis. Jam & in eo Catalogo, quem egomet

Digitized by Google

confeci, exſtare video, quæ in impreſſo nupero non inveniuntur. Non vacat jam, illa hic exſcribere. Quæſivi in Catalogo inter alia quoque *Origenis* Philoſophumena, ſed non inveni notatum Codicem, ex quo collectas variantes lectiones miſi olim ad Cel. *Wolfium*, meum quondam in itinere Belgico & Anglicano ſocium, noviſſimum libelli hujus editorem. Nunquam credideram, fore, ut ejusmodi in me vibrarentur tela. Aliam viam ingreſſus erat Vir illuſtris, *Scipio Maffejus*, qui tamen & ipſe Codices Taurinenſes mecum & poſt me tractavit, & *αὐθεντίαν* ſaltem horum *Irenæi* Fragmentorum vocavit in dubium. Norunt eruditi, quæ in Diario literatorum Italico, Venetiis, cuſo, mihi oppoſuit, quæ & peculiari Diſſertatione, *Primitiis* meis *Tubingenſibus* poſtea inſerta, refutavi. Siluit per annos bene multos Vir doctiſſimus, & mea laude major, atque ex acie diſceſſit, donec A. 1734, quo nova Venetiis data Operum *Irenæi* editio fuit, Monachum contra me, ſuis ſub auſpiciis pugnaturum, conduceret, Fr. *Franciſcum Mariam Leoni*, qui ad calcem noviſſimæ editionis hujus tres contra me Epiſtolas adjecit, haud politas admodum, in quibus cum acriter in me invehatur, nec niſi recoctam cramben apponat, refutandis non admodum ero ſtudioſus. Quod ad Epitomen *Lactantii* ſpectat, quam putant Viri docti nimia celeritate a me deſcriptam fuiſſe, atque a me haud feliciter emendatam, ipſa docet Pariſienſis editio, me verba Codicis annotaſſe ſemper ſub finem paginæ. Aſt & poſt hanc denuo contuli illum, & exactas Lectiones omnes tranſmiſi poſtea ad *Bünemannum*, & ante triennium quoque ad *Nicolaum Lengletum Dufresnoy*, Theologum Pariſienſem doctiſſimum, qui novam Operum *Lactantii* editionem Pariſiis A. 1748 dedit. Hæc inſpicientibus ſatis, quod eſt, faciet. De emendationibus, contra quas & calamum ſtrinxit *Daviſius*, diſpiciant eruditi. Quod reſtat, optandum foret, ut Viri eruditi in anecdotis determinandis, & Autoribus ſcriptorum *ἀνωνύμων* indicandis, ſtudium, quod poterant, collocaſſent omne. Deſcripſi inter alia & Acta *Theodori Tyronis*, Martyris, nondum edita, quæ, cum Antverpiam

A. 1715

A. 1715 tranſirem, dedi Jeſuitis, Acta S. S. compilantibus, pergratum ipſis munus. Video etiam, recenſere Viros doctos *Tom. I §. 108* explanationem Liturgiæ Græcæ, & addere *ſine ullius Autoris nomine*, quem nec nominant ipſi. Sed norunt Liturgiarum gnari, eſſe hunc libellum *Nicolai Cabaſila*, Archiepiſcopi quondam Theſſalonicenſis, quem Græcum dedit *Fronto Ducæus*, Latinum *Gentianus Hervetus*, *Bibliothecis Patrum* inſertum. Si tempus, quod altioribus negotiis mihi deſtinandum eſt, ſuppeteret mihi, partim ut totum hunc Catalogum perlegerem, partim ut eundem cum meo totum conferrem, plura ſane mihi occurrerent, partim obelo transfigenda, partim ſupplenda. Quicquid autem hujus ſit, multum, uti ſub initium faſſus ſum, præſtantiſſimis Viris debet Reſpublica literaria, quod Catalogum MStorum Codicum Bibliothecæ Taurinenſis, quæ nunc Academica eſt, pleniorem nobis exhibuere. Habeo adhuc in ſcriniis meis plura anecdota, e Codicibus Taurinenſibus deſcripta. Si arderem adhuc impetu iſto, qui olim me inceſſit juvenem, anecdota edendi, darem iſta luci. Sed jam ſenex facile capio, non edenda eſſe anecdota, niſi quæ internum & præcipuum ſecum pretium vehant. Habui & *Chryſoſtomiana* varia, quæ cum *Monfauconio*, poſtremo Operum *Chryſoſtomi* editore, communicavi, Pariſiis cum verſarer. Sed quem fugit, nulli Patrum plura fuiſſe ſuppoſita, quam *Chryſoſtomo?* Rogandi tamen videntur Editores *Catalogi Taurinenſis*, ut *Amphilochii Quæſtiones ad Photium*, cum hujus reſponſionibus, quæ in Codice Taurinenſi bene ſcripto exſtant, in lucem prodire ſinant cum verſione Latina, ita tamen, ut juſtum libro conſtituatur pretium, cujus fragmenta, a *Wolfio* data, ipſius oſtendant præſtantiam.

Atque hæc ſunt jam, quæ deſideriis tuis dare volui, Celeberrime *Kappi*, bona pace mea *Novis Actis Eruditorum* inſerenda, ſi ita viſum fuerit, currente abs me calamo ſcripta Tubingæ, die 15 Oct. A. 1751.

CREMONENSIUM EPISCOPORUM SERIES, A FERDINANDO UGHELLIO primum contexta, deinde a NICO-

NICOLAO COLETO aliquantulum aucta, nunc tandem a FRANCISCO ANTONIO ZACHARIA, Soc. Jeſu Presbytero, reſtituta, emendata, pluribusque ineditis documentis locupletata. Accedit Diſſertatio de Cremonæ origine, amplitudine, veteribus ædificiis, cæde, inſtauratione, deque Catholicæ fidei & Epiſcopalis ſedis apud Cremonenſes primordiis; Menologium quoque Sanctorum, quorum reliquiæ in Cremonenſi Patrum Soc. Jeſu Eccleſia aſſervantur, annotationibus illuſtratum, ac tandem triplex Calendarium Cremonenſis Eccleſiæ, ex totidem MStis Codicibus erutum, & animadverſionibus explicatum.

Mediolani, in Regia curia, apud Bonacinam, bibliopolam, 1749. 4.

Alph. 1 plag. 14.

Exhibetur nobis in hoc libro Cremonenſium Epiſcoporum ſeries, a *Ferdinando Ughellio Tomo IV Italiæ ſacræ* contexta; a *Nicolao* veo *Coleto* maxime ex *Ariſii Cremona literata* obſervationibus aucta. Hanc rurſus adornavit Reverendus Autor, in ſubſidium vocatis tribus Codicibus manu exaratis, quorum alter *Privilegia Epiſcopii Cremonenſis*, ſub finem Seculi XII a *Girardo* Notario ex holographis membranis, poſtea deperditis, deſcipta: alter *Adonis Martyrologium*, ad cujus finem *Necrologium* eſt, in quo Presbyterorum, Canonicorum, Epiſcoporum, Cremonenſium obitus notatur, tertius denique *Collectionem Inſcriptionum Cremonenſium*, a *Joſepho Breſciano* exaratam, complectitur. Trium horum Codicum conditio in Præfatione enarratur.

Præmiſſo *Ughelli* proœmio, & additamento *Coleti*, ſequitur *Diſſertatio de Cremonæ origine, amplitudine, veteribus ædificiis, cæde, atque inſtauratione*, in *Capita V* diviſa. Horum *primum* de Cremonæ origine & etymo exponit, atque oſtendit, nonnullos, prima ejus fundamenta annis ante Chriſtum natum mille tercentis & quinque ſupra ſeptuaginta jacta eſſe, ſibi perſuadere, alios vero initia ejus ab *Hercule*, aut a Trojanis, arceſ-

arceſſere, neque deeſſe, qui, illam modo ab Etruſcis, modo a Gallis, originem ſuam habere, ſtatuant. His diverſis ſententiis prolatis partim, partim examinatis, cum *Cellario* & Illuſtriſſ. *Maffæo*, conditam hanc urbem a Romanis eſſe, affirmat Vir plurimum Reverendus, factumque id fuiſſe anno ab Urbe condita 535, ante Chriſtum 218, probat. Eo poſtea deducta eſt Pag. 9.
colonia Romana, ut ex priſcis Autoribus haud obſcure patet, quod quando factum ſit, ex *Livio* & *Tacito* monſtratur, & *Ariſius*, qui, *Polybium* erraſſe, & *Tacitum* in errorem adduxiſſe, putat, ſolide refutatur. *Caput II de Cremonenſis* 11.
Coloniæ juribus, amplitudine, potentia, divitiis, & viciſſitudinibus, agit. Habuiſſe illam ſuos decuriones, triumviros juri dicundo, quæſtores pecuniæ publicæ, & ædiles plebis, ex Inſcriptionibus Cremonenſibus ſatis conſtat. His expoſitis, cetera, quæ nominatim *Livius*, *Tacitus*, & *Martialis*, de hac Cremonenſi colonia memoriæ prodiderunt, Reverendus Au- 13.
tor perſequitur, pergens deinde *Cap. III* ad *ædificia celebria hujus civitatis*, ad quorum cenſum ante omnia templa, & inter hæc templum Mephitis, ad arcendam aeris luem, ab incolis exſtructum, & templa *Jovis*, *Herculis*, & *Fidei*, itemque 25.
Fortunæ, *Dianæ*, ac *Proſerpinæ*, referuntur, additis veterum Inſcriptionum teſtimoniis. A templis tranſit Autor ad alia 27.
ædificia publica, nominatim ad amphitheatrum, balneas, gymnaſium, atque ex Inſcriptionibus ac priſcis ſcriptoribus probat, ea Cremonæ olim exſtitiſſe.

Maxime vero notabilia ſunt, quæ Cremonenſes ſequenti tempore ſubierunt, triſtia fata, incendium nimirum, quo optima hæc urbs conflagravit. Quod ut rite explicetur, neceſſe viſum noſtro Autori, quædam ex antiquis ſcriptoribus præmittere, quæ ipſum hoc incendium præceſſerunt, & viam quaſi ad fatale illud incendium pararunt. Eo ſpectant, quæ ibi de 28.
Vitellianis, haud procul Bedriaco cum *Ottonianis* pugnantibus; de *Vitellio*, victore Cremonam ingreſſo; de prælio cum *Veſpaſiani* copiis ad Bedriacum, quo *Vitelliani* victi; de alio, quod inſecutum eſt, novarum legianum prælio, deque *Vitellianorum* clade, commemorantur. In hac pugna ut

Flaviani victores erant; ita ipſa hæc victoria nobili civitati triſtem intulit everſionem. Expugnabant enim illam *Flaviani*, incendebant ac depopulabantur, ut ex *Tacito* patet, anno a primordio urbis 286, urbis conditæ 821, Chriſti
Pag. 31. 69, circa finem Octobris. Ex eodem *Tacito* compertum habemus, paulo poſt civitatem reſtitutam ac reparatam fuiſſe. *Caput* denique *V de Catholicæ fidei & Epiſcopatus apud Cremonenſes exordiis* diſputat. Nonnulli ejus prima initia a *Stephano*, alii, & inter hos *Ughellius*, a *Barnaba*, vel certe a *Sabino*, repetunt, contradicente Illuſtriſſ. *Maffeo*, qui fictam Cremonenſium Epiſcoporum ab Apoſtolorum tempore ſeriem ridet, atque contendit, ante tertium Seculum
35. Epiſcopi nomen ibi non auditum fuiſſe. Autor noſter, *Anathalonem*, ut Mediolanenſis, ſic & Cremonenſis, eccleſiæ primum autorem, & ſalutaris doctrinæ præconem, fuiſſe, ſtatuit, affirmatque, Apoſtolici ævi Epiſcopis vix fixam exſtitiſſe ſedem, quo & factum, ut unum eundemque Epiſcopum plures ſibi
36. tribuerent civitates. Addit, quamvis primo jam Seculo Chriſtiana condita ibi ſit civitas; neutiquam tamen inde colligi poſſe, habuiſſe quoque Cremonenſes peculiarem Epiſcopum, id quod ex variis argumentis probat. De Martyribus Cremonenſibus haud immerito credit, non adeo magnum ipſorum
37. fuiſſe numerum. Ex his pariter atque aliis, quas fovere ſe profitetur Reverendus Autor, ſententiis facile patet, eſſe eum veritatis, quam ſuperſtitionis, amantiorem, neque abripi ſe pati præoccupatis eccleſiæ ſuæ opinionibus, quibus alios, ceteroqui doctiſſimos, viros cœco quodam impetu addictiſſimos eſſe, ſæpe haud ſatis mirari poſſumus.

38. Ipſam ſeriem Epiſcoporum Cremonenſium a *Stephano I* arceſſit, aliosque, quos cives ejus ante *Stephanum* pro Epiſcopis habent, Presbyteros ſolummodo exſtitiſſe, contendit; id tamen eccleſiæ ſuæ tribuit, fuiſſe eam in nobilioribus numeratam, ut fuerunt Ravennatenſis, Colonienſis, Novocomenſis, Mediolanenſis, Senenſis, & Patavina, id quod variis argumentis comprobatur. Commentationi huic adduntur ali-
39. quot Inſcriptiones Cremonenſes Chriſtianæ, quas Autor ex manu

Digitized by Google

manu exarato libro, inſcripto: *Breſciani*, deſcripſit; ipſe tamen dubitat, utrum omnes germanæ ſint atque antiquæ. Marmoribus breves annotationes adjunctæ ſunt.

Sequitur deinde *Ugbelliana Epiſcoporum Cremonenſium ſeries*, una cum additionibus Reverendi noſtri Autoris. Haud abs re erit, primum nomina horum Epiſcoporum, prout alter alteri ſucceſſiſſe a Cremonenſibus dicitur, indicare, ac deinde quædam, notatu potiſſimum digna, ex Autoris noſtri annotationibus ſuppeditare. Ipſe Epiſcoporum ordo hic eſt: *Sabinus*, *Felix*, *Gorgonius*, *Marinus*, *Simplicianus*, *Maternus*, *Caſſianus*, *Sixtus*, *Florianus*, *Stephanus*, *Syrinus*, *Auderius*, *Conradus*, *Vincentius*, *Syrinius*, *Joannes Romanus*, *Euſtachius*, *Chryſogonus*, *Felix*, *Creatus*, *Xyſtus*, *Deſiderius*, *Anſelmus*, *Euſebius Placentinus*, *Bernardus*, *Deſiderius*, *Zeno*, *Sylvinus*, *Stephanus*, *Walfredus*, *Atbo*, *Sinpertus*, *Polycardus*, vel *Panchoardus*, *Benedictus*, *Lando*, *Landulphus*, *Joannes*, *Darimbertus*, *Ægidius de Guiscardis*, *Luitprandus*, *Oldericus*, *Landulphus*, *Ubaldus*, *Arnulphus*, *Walberus*, *Ugo de Nocetto*, *Obertus*, *S. Emmanuel*, *Unfredus*, *Sicardus Caſalenus*, *Homobonus Medalbertus*, *Bernerius*, *Caciacomes*, *Pontius Ponzonus*, *Raynerius de Caſulis*, *Ægidius de Madalbertis*, *Ugolinus de S. Marco*, *Ugolinus de Ardengheriis*, *Petrus Capellus*, *Marcus de Porris*, *Georgius de Tortis*, *Franciſcus de Lantis*, *Petrus Craſſus*, *Bartholomæus Franciſci Capræ*, *Conſtantius de Fundulis*, *Venturinus de Marnis*, *Jacobus Neapolitanus*, *Bernardus Rubeus*, *Jo. Stephanus Buticella*, *Jacobus Antonius a Turre*, *Aſcanius Maria* Card. *Sfortia*, *Galeottus Franciottus Roboreus*, *Hieronymus Triviſanus*, *Benedictus Accoltus*, *Petrus Accoltus* Cardinalis, *Franciſcus Sfondratus* Cardinalis, *Federicus Ceſius* Cardinalis, *Nicolaus Sfondratus* Cardinalis, *Ceſar Specianus*, *Paulus* Cardinalis *Sfondratus*, *Joannes Baptiſta Brivius*, *Petrus Campora* Cardinalis, *Franciſcus* Vicecomes, *S. Petrus Iſimbardus*, *Auguſtinus Iſimbardus*, *Ludovicus Septala*, *Alexander Crucius*, *Carolus Octavianus Guaſco*, *Alexander Litta*. Quæ addita eſt Cremonenſium Epiſcoporum Tabula chronologica, quo quis anno ele-

Pag. 43. 44. 52. 53. 56. 58. 67. 88. 109. 132. 149. 166.

 ctus,

ctus, quove mortuus ſit, oſtendens, ab hac *Ughelliana* ſerie haud raro diſcedit, nonnulloſque Epiſcopos indicat, qui in hac ſilentio prætermiſſi ſunt.

Hæc de Epiſcoporum Cremonenſium ordine. Nunc, quidnam in illo adornando poſt *Ughellium* & *Coletum* præſtiterit Reverendus Autor, videamus. Omnia, quæ apud *Ughellium* ſunt, iterum hoc loco typis deſcripta reperimus; his vero addidit Autor obſervationes, quæ ad hiſtoriam, vitam, ſeriemque, horum Epiſcoporum illuſtrandam potiſſimum ſpectant. Hauſtæ illæ ſunt partim ex antiquis Chriſtianis monumentis, maxime titulis horum Epiſcoporum ſepulcralibus; partim ex nonnullis Codicibus manu exaratis, & ad hiſtoriam Cremonæ maxime pertinentibus. Sufficiat hoc loco, obſervationum harum ſelectiſſimas ſuppeditaſſe. Poſt *Simplicianum* collo-
Pag. 43. candum eſſe *Babylam*, Autor noſter putat, cumque, primis ſeculis eos, qui a Cremonenſi eccleſia pro Epiſcopis habentur, ſolos Presbyteros fuiſſe, ſibi perſuadet, tum &, huic *Babylæ* non tam Epiſcopi, quam Presbyteri, nomen tribuendum eſſe, arbitratur. A nonnullis *Simpliciano* ſucceſſor datur *Permenius*, ad cujus hiſtoriam illuſtrandam, ex tabulario Cremonenſis Collegii afferuntur *Franciſci Guilielmi*, Oſnabrugenſis Epiſcopi, literæ patentes *de translatione reliquiarum S. Permenii*, in quibus etiam de reliquiis nonnullis
45. *XI millium Virginum* inventis agitur, additis ſimul nonnullarum nominibus. Literas has excipiunt aliæ, ad eundem *Permenium* ſpectantes, una cum diſquiſitione, num probabile ſit, *Permenium*, Epiſcopum Cremonenſem, occiſum eſſe cum
56. S. *Urſula*. Ad *Anſelmum* Epiſcopum annotatur, ſub ipſo templum S. *Luciæ* Cremonæ A. 622 ædificatum eſſe, vetere quadam inſcriptione ſuffragium præbente, ut ibidem oſtenditur. *Benedictus*, A. 855 Epiſcopus factus, ab Autore noſtro pro *Paneboardi* Præſulis nepote habetur, atque ſimul oſtenditur contra *Muratorium*, a *Ludovico* Imperatore *Theo-*
65. *doricum* non A. 852, ſed 851, Cremonam miſſum eſſe ad componendam ibi controverſiam, *de paliſicatione & ripario & paſtu ad riparios* Cremonenſes inter & *Benedictum* Epiſcopum ortam.

Digitized by Google

ortam. Oſtenditur, *Benedictum* A. 878 nondum mortuum Pag. 70.
fuiſſe, anno vero 881 a *Carolo Magno* eccleſiam Cremonenſem privilegium de libertate obtinuiſſe, quod ex avtographo exhibitum eſt. Trigeſimus ſextus Epiſcopus *Landulphus* fuiſſe creditur, quem vero ex Epiſcoporum ſerie expungendum eſſe, argumentis haud contemnendis evincit 73.
Noſter. Inprimis fuſe *Luitprandi* vitam ac res geſtas de novo perſequitur, quoniam, uti ait, *Ughellus* hoc loco 84.
ex lutulentis pſeudochronicorum fecibus hauſit. *Luitprandi* hujus Opera in lucem emiſſa ſunt A. 1640 Antverpiæ, pleraque vero ſuppoſititia, & ab aliis conficta. Ad germana ejus ſcripta ſolummodo refert Autor: *Rerum ab Europæ Imperatoribus & Regibus geſtarum Libros ſex; Legationem Luitprandi ad Nicephorum Phocam, Imperatorem Conſtantinopolitanum, pro Ottonibus Auguſtis, & Adelhaida.* Quadrageſimus primus Epiſcopus 91.
fuit *Landulphus*, qui A. 1023 menſe Majo ab exilio rediit. Ex *Regeſto Cremonenſis Epiſcopii pag. 219* ſuppeditatur teſtamentum 93.
ipſius. De *Hubaldo* Epiſcopo obſervatur, *Muratorium Tomo II* 100.
Antiquit. Ital. medii ævi col. 421 haud levem anachroniſmum commiſiſſe, eo, quod *Chartam concordiæ inter Hubertum, Comitis Huberti filium, & Hubaldum, Epiſcopum Cremonenſem, pro domo & Eccleſia S. Joannis ſita in urbe Ticinenſi* A. 1004 conſcriptam dicat, cum tamen *Hubaldus* anno demum 1031 Epiſcopatum fuerit adeptus. His annectuntur, quæ ad annum 1038, ſive, ſecundum *Muratorium*, 1037, ſpectant, *Conradi* Statuta de uſibus Vaſallorum, quæ ibidem exhibentur. 101.
Idem *Muratorius* refert quoque *Tom. VI Antiquit. col. 217 Henrici IV* Diploma, datum 16 Cal. Febr. A. 1040 pro dicto *Hubaldo*, Epiſcopo, contra *Waldericum*, Abbatem S. *Laurentii.* Ab hoc Diplomate aliud eſt diverſum, quo A. 1402 ab eodem *Henrico* privilegium impetravit, nunquam antea editum, nunc vero primum literis expreſſum, ex *Regeſto Cremonenſis Epiſcopii*, De hoc *Ubaldo* annotatur, quoque, ante ipſum, 105.
poſt *Landulphi* anteceſſoris mortem, *Valerium Schitium* fuiſſe Cremonenſem Epiſcopum a Cremonenſibus electum; eo ſpectare ſine dubio diuturnas illas *Hubaldum* inter & Cremo-

nenſes lites, de quibus *Ughellius* agat; in *Breſciani* MSto libro dari duas, ad hunc *Valerium Scbirium* pertinentes, in-
Pag. 109. ſcriptiones, in quibus hujus *Valerii* mentio facta fuerit. Sequitur poſt alios quadrageſimus ſextus Epiſcopus, *Obertus*. Ante hunc aliquem, *Petrum Stanga* nomine, fuiſſe, *Breſcianus* in
117. edito libro: *Roſe e Viole di Cremona*, *pag. 51* memorat, nec ſine cauſa, ut ex gemina inſcriptione probatur. Inter hunc *Ubertum* & *Tebaldum de Pontida* lis vertebatur A. 1144, a *Littefredo*, Novarienſi Epiſcopo, diremta, ad quam intelligendam ſpectat potiſſimum, quæ hic exhibetur, *ſententia de eccleſiis*
121. *Morengi*, *quæ pertinent ad diviſionem Epiſcopatus*, cui præter alia ex Codice manu exarato *Privilegium de bonis Cremenſium*, quod a *Friderico* A. 1159 *Obertus* impetravit, cum *Epiſtola* quædam *ad Cremenſes*, & *proſcriptione* Cremenſium,
129. adjungitur. Hiſtoria deinde resque geſtæ *Sicardi Caſaleni* egregie ſupplentur, multa, ab *Ughellio* tradita, corriguntur, accuratiusque explicantur, addita ex jam laudato *Regeſto Epiſcopii* Cremonenſis *Confirmatione acquiſitionis eccleſiarum Sanctorum Coſmæ & Damiani*, *Sanctique Vitalis*. Tacemus
138. ea, quæ de obitu *Caciacomitis*, quinquageſimi ſecundi Epiſcopi, ex necrologio Cremonenſi; de anno emortuali *Ray-*
141. *nerii* Epiſcopi, *Ægidioli*, & *Petri Capelli*, deque meritis *Alexandri Littæ*, qui A. 1718 Epiſcopus factus eſt, ibidem commemorantur.

Opuſculo huic additum eſt aliud, ita inſcriptum: *Menologium Sanctorum, quorum reliquiæ in Cremonenſi P. P. Societatis Jeſu, ſeu S. S. Marcellini & Petri, eccleſia aſſervantur.* Franciſcus Antonius Zacharias, *ejusdem Societatis Presbyter, digeſſit, & annotationibus illuſtravit.* Numerus Sanctorum ultra 150 fere adſcendit, quorum reliquiæ, & ſæpe minutæ illarum partes, Cremonæ aſſervari dicuntur. Memorantur in his particulæ oſſis, fruſta cranii, capitis, oris, cruris, brachii, ſcapularum, ſpinæ dorſi, cet. Sanctorum cujusvis fere generis. In animadverſionibus Autor noſter tam de Sanctis, quorum multi maxime incogniti ſunt atque obſcuri, quam de ipſis, quæ ad Cremonenſem eccleſiam delatæ ſunt, San-

ctorum

ſtorum horum reliquiis; de occaſione, qua illas obtinuerunt Cremonenſes, de tempore, deque aliis, quæ huc ſpectant, rebus. Ut vero hæc omnia, quæ de his reliquiis dici queunt, lubrico nituntur fundamento; ſic Autor noſter iis ſeſe adjungere voluit, qui ultra ſuperſtitioſam ejusmodi ſcriptorum turbam ſapiunt. Quam ob rem luculentis argumentis oſtendit, ea, quæ de hac ſancta merce Cremonæ dicantur, eſſe ſæpe, ſi non aperte falſa, maxime tamen dubia. Menologio huic triplex Calendarium Cremonenſe, ex totidem MStis Codicibus Cremonenſis majoris eccleſiæ erutum, addidit Vir plurimum Reverendus, idque itidem variis annotationibus illuſtravit.

PATHOLOGIA METHODICA, SEU DE COGNOſcendis morbis, Autore FR. DE SAUVAGES, Regis Conſiliario & Medico, in alma Monspelienſium Medicorum Academia Profeſſore Regio, Noſocomii generalis Medico, Regiæ Scientiarum Societatis Londinenſis, Monspelienſis, Upſalienſis, & Academiæ Stockholmianæ, Socio.

Amſtelodami, ſumtibus Fratrum de Tournes, 1752, 8.

Alph. 1 plag. 4.

Ut luculenta aliqua methodo morbos, ſeu ſtatum quemcunque, in quo homo actiones ſuas cum tranquillitate & conſtantia celebrare nequit, doceret eruditus Autor, ab omnibus ſcholaſticorum diſceptationibus, verborumque ac diſtinctionum lenociniis, ſibi abſtinendum eſſe putavit. Quo morbi natura penitus intelligeretur, ſtatum hominis ſanum pro norma ſibi ſiſtit, ſecundum quam diſceſſus a regula, morbus ſcilicet, æſtimari poſſit. Sanitatem perfectam ita aſſumit, uti eſt omnium cauſarum verſus eundem finem tranquillitatis, atque in agendo conſtantiæ, *tendentia*, quam definitionem ſummo Germanorum Philoſopho, *Wolffio*, acceptam refert. Igitur, ſi omnium actionum in eundem finem conſenſio exquiſitiſſima ſanitatem abſolutam ſiſtit; oportet etiam minimum errorem, qui iſthanc cauſarum unionem turbat, minimum aliquem morbum

bum producere, &, ſicut vita quædam *moralis* eſt, in actionum liberarum, voluntati ſubjectarum, adminiſtratione conſiſtens, alia autem *phyſica*, quæ actionum mechanicarum integritatem ſupponit, ita ſimiliter morbos ad hæc duo recurrere fas eſt, eo tamen ſenſu, ut morbus, actiones liberas lædens, ex aliquo corporis ſtatu mutato ſemper conſequatur; aliter enim actiones morales læſæ, niſi ſint effectus phyſicus, & corporeus, ad medicum haud pertinerent. Ut ergo clarum eſſet atque evidens, quid morbus dici poſſit, hominis ſtatum naturalem ac ſanum generali aliqua ſcriptione complectitur Cl. Autor. Facultates hominis aliæ ſunt in *cognoſcendo bono, vel malo*, poſitæ, aliæ *appetitionem* ſiſtunt, qua, quicquid in omni re præſtantius videtur eſſe, ſeligi poſſit, aliæ denique in *motu* conſiſtunt, quo bonum conſectari atque apprehendere, malum autem fugere, poſſimus. Conſiderat hominem, quatenus *ſtructus* eſt, id eſt, quatenus ejus partes ſenſibiles, aliquo nexu verſus actionem directo, conjunguntur, cujus unionis lex *mechaniſmus* dicitur, & quatenus eſt *mixtus*, atque veluti ejus partes elementares inter ſe combinantur. Licet ergo ſtructura partium ad ſanitatem omnibus eadem ſit; poſſunt tamen varii homines, pro ſexus ætate, ſuaque uniuscujusque idioſyncraſia, perfecta equidem, diverſa tamen, ſanitate frui. Hinc ſequitur, imperfectionem functionum non eſſe *abſolutam*, ſed tantum ad ætatem, ſexum, aut individua, *relativam*. Eadem, ait Noſter, pulſus frequentia perfectio infanti eſt, aſt febris ſeni, eadem balbuties perfectio infanti, vitium adulto. Uterque hominis ſtatus, & ſanus & ægrotus, per ſua patet phænomena, ſive illa ſimplici ſenſuum miniſterio, & *experientia propria*, aut *peregrina*, accipiantur, ſive aliquo veritatum univerſalium nexu, ſeu, *ratiocinio*, fuerint comprehenſa. Atque illa vel ſanitatem ſignificant, vel morbum, dicunturque *ſymptomata*, alio omnino ſenſu, quam vulgo accipi notio *ſymptomatum* ſolet. Cum enim reſpectu *morbi* alicujus prioris ſymptoma ſit omnis effectus morbi, atque novus morbus ex priori, tanquam cauſa ſua, enaſcens, ita reſpectu *ſanitatis*, ad mentem *Galeni* ſymptoma eſt, quicquid homini accidit ſano,

Digitized by Google

ſano, ejusdemque perfectionem turbat, qua ſignificatione morbus & ſymptoma unam ideam ſiſtunt. Cum autem nihil ſine ſufficiente ratione cauſaque & principiis eſſe poſſit; hinc in homine ægroto aliquid eſt, quod actionem turbat, idque vel *activum*, quo alicujus partis actio intenditur atque augetur, vel *paſſivum*, quo organorum facultates imminuuntur. A quo morbus aliquis principium & originem ducit, *cauſa* eſt, quæ, ſi paulo longius ab effectu recedit, *remota* & *προηγουμένη*, quodſi autem propior eſt, non autem ita propinqua, ut inter eam atque effectum porro nihil intercedat, tunc cauſa eſt *προκαταρκτική*, vel *prædiſponens*, denique, quæ proxime ab effectu abſunt, cauſæ *proximæ*, ſeu *materiales*, ac aliquando *inſtrumentales*, appellantur. Non autem omnes cauſæ in producendis morbis ita agunt, ut corpus deſtruant, ſed, quemadmodum actiones liberæ & morales ad conſervationem machinæ directæ ſunt, ita illæ internæ *phyſicæ* & *mechanicæ*, quarum complexum *naturam* appellamus, haud raro verſus corrigendas cauſas deſtruentes diriguntur. Morbus, ait *Sydenhamius*, conamen naturæ eſt, quæ materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem molitur. Cauſæ autem, morbum facturæ, vel in *ſolida* hominis agunt, vel in ejusdem *fluida*, non, quod alterutrum horum corporis elementorum ſeorſim affici, altero integro manente, poſſit, ſed quod ab eo, quod morbo formam ſuppeditat, tanquam a potiori, res denominanda ſit. *Solida ſimplicia* peccant *volumine* ac *denſitate*: hinc quadruplex vitium, *craſſitudo*, *exilitas*, *durities*, *mollities*. Adjicit Clariſſimus Autor *erethiſmum*, qui major eſt actionis contentio, a ſtimulo orta, & *torporem*; & hæ quidem morborum veluti elementa, morbi *ſimplices*, aut *ſimilares*, dici poſſunt, ex quibus, cum variæ aliæ cauſæ occaſionales acceſſerunt, fiunt *morbi compoſiti*. Peccant partes, *organicæ* dictæ, *ſolutione continui*, *dimotione contigui*, & *figura*. Ad ſolutionem continui pertinent fractura, vulnus, caries, ulcus. Ad ſolutionem contigui referuntur luxatio & procidentia. Ad figuram vitiatam ſpectant protuberantia & depreſſio. Sub ſingulis hiſce conceptibus, tanquam totidem generibus, ſingulæ conſtant

ſpecies. Sub tumoris notione *ſcirrhi*, *emphyſemata*, quibus, *cum ſine* febre ſunt, *frigidorum*, itidemque *phlegmonæ*, *eryſipelata*, *furunculi*, quibus, cum febrem comitem habent, *calidorum* nomen eſt, comprehenduntur, atque hi quidem *ſolitarii* dici poſſunt, cum alii ſint *gregales*, ut *vari*, *variolæ*, *rubeclæ*, *eſſeræ*, *aphthæ*, *lepra*, *gutta roſacea*. Singulare tumoris genus eſt, quod vel ſacco, vel vaſe, diſtento, vel aliquo in cavo, humores collegit. Sed, cum ſolida ipſa in minimis ſuis excreſcant partibus, pro diverſa tumoris materia & firmitate, *exoſtoſis*, *ſarcoma*, *fungus*, oriuntur. Vitia fluidorum *ſimplicia* ſunt in craſi & conſiſtentia vitioſa fluidorum. Craſis, ſeu miſcela & compoſitio duplex ſtatuitur, alia ad *acidum*, alia ad *alcalicum*, vergens, hinc *aceſcentia* & *alkaleſcentia*. Conſiſtentia autem & firmitate humores peccant, nec minus exceſſu & defectu, hinc ſpiſſitudo & diſſolutio. Acida quidem intemperies ex vegetabilium fermenteſcentium, farinatorum, actuque acidorum, aut dulcium, ſuccis germinat, alkali autem ſuas regno animali debet origines, cum cibi putreſcibiles in ſal volatile, oleumque aliquod rancidum, convertuntur. Deinde eſt quædam viſcoſa ac gummoſa humorum diſpoſitio, in guttularum tenaci aliqua cohæſione conſiſtens. Denique, cum humorum minimæ guttæ in ſe minores alias diſcedunt ac ſolvuntur, oritur fluiditas ſumma, quæ legibus vitæ haud reſpondet. Hæc vitia cum ex cibis ſurgunt, *cacochyliam* aliquam, in vitio ventriculi & primarum viarum conſiſtentem, conficiunt, ex qua corruptelæ ſanguinis ſimiles conſequuntur, atque illa humorum dyſcraſia nunc *ſimplex* eſt, nunc inter ſe variis modis iſtæ humorum turbulentiæ miſcentur, atque exinde variæ ſanguinis cacochymiæ, *grumoſa*, *inflammatoria*, *acris*, *ſicca*, *ſeroſa*, *virulenta*, reſultant. In his omnibus morborum cauſis idea vel ſolidi, vel fluidi, prævalet. Sunt autem haud paucæ corporis mutationes, ex utroque aliquid tenentes, cum fluida ſolidaque, his continendis & movendis dicata, peccant, idque vel in proportione quantitatis fluidi ad quantitatem vaſis, adeoque *copia*, vel *inopia*, vel in motu utrisque communi; adeoque *tarditate* & *velocitate*,

citate. Deinde vel, cum *trajicienda* per viſcus ſunt, *ſiſtuntur*, vel *retinenda*, *propelluntur*, unde obſtructio & evacuatio. Accedunt his affectiones aliæ, quæ ad motum humorum intrinſecum, eorumque attritum, adeoque ortum exinde calorem, aut frigus, vel colorem, attinent. Super his omnibus motor, qui, determinatæ virium motricium potentiæ *innixus*, quamdiu illi robur adeſt, vitam ſanam præſtat, nunc deficit, atque exinde oritur *aſthenia* & *debilitas*, quæ gradu differt. His, generali aliqua doctrina, præmiſſis, eruditus Autor morborum ipſorum exponit ordines. *Claſſis prima* morbos colligit, ex tali materiæ erga cor reniſu ortos, unde oporteat ejus motum auctum conſequi, febres puta continuas, continentes, intermittentes, atque has vel regulares, vel ex ſchemate continuarum mixtas, quales ſunt *amphimerinæ*, *tritæophyææ*, *tritææ*, *hemitritææ*, *tetartophyææ*. *Claſſis ſecunda* morbos tradit inflammatorios, febri continuæ & acutæ junctos, ex quiete ſanguinis in viſcerum membranis ortos, illisque nomen a loco affecto tribuit. Sunt enim *Phrenetis*, a dura matre cerebri, *paraphrenetis*, a ſepto transverſo, *pleuritis*, a pleura, *gaſtritis* a ventriculo, *enteritis* ab inteſtinis, *hyſteritis* ab utero, *cyſtitis* a veſica inflammata. Paulo aliter ſeſe habent inflammatorii morbi, qui ad viſcus totum, ejusque parenchyma, pertinent, quos proptera *parenchymaticos* appellat. Tales ſunt *ſphaceliſmus*, cum cerebrum, *cynanche*, cum glandulæ faucium, *peripnevmonia*, cum pulmones, *hepatitis*, cum hepar, *ſplenitis*, ubi lien, *nephritis*, ubi renes toto ſuo habitu accenduntur. Denique ſeorſim illi nominantur morbi inflammatorii, qui cutem afficiunt, atque ab aliquo exanthemate, illuc delato, definiuntur. *Tertia Claſſis* morbos ſpaſmodicos, ſeu conculſivos, continet. Hos dividit in *tonicos*, cum ſola contractio ſpaſmum efficit, *clonicos*, cum contractio & remiſſio partium muſcularium alternæ ſunt, quorſum *epilepſia*, ejusque ſpecies, referuntur, & *dyſpnoicos*, ſeu ex ſpaſticis illos, qui reſpirationem præ ceteris lædunt, quorſum *aſthma*, ejusque refert ſpecies, dolores ſcilicet laterum ſpurios, & pulmonum infarctum ſine febre, *pſeudopleuritidem*

puta & *pſeudopneumoniam.* Sub *Claſſe quarta*, quæ morbos paralytodes recipit, partim ſiſtuntur *ſyncopales*, in debili cordis motu conſtituti, partim affectus *ſoporoſi*, inter quos apoplectici numerantur, cumque hi ad viſcera plus ſpectent, illas nervorum ſolutiones, quæ ſalvis viſceribus accidunt, ſeparat, & *hemiplegiam*, *paraplegiam*, atque *paralyſin*, ſeorſim explicat, illos diſtinguens a ceteris, qui in ſenſoriorum læſione conſiſtunt. *Quinta Claſſis* habet morbos dolorificos ſixos atque vagos, *arthritidem* ſcilicet, ejusque ſpecies, atque omnes dolores, alicui parti dedicatos, uti eſt *cephalalgia*, *hyſteralgia*, *cardialgia*, aliæque hujusmodi ægritudines. *Sexta Claſſe* exhibentur morbi *paraphrenici*, qui mentis errorem involvunt. *Claſſis ſeptima* complectitur morbos *evacuatorios*, ſeu fluxiones ſanguineas, ſeroſas, feculentas. *Claſſis octava* illos habet, *qui ad habitum corporis attinent*, *cachexias* propterea dictas, atque illi vel minuunt corpus *atrophia*, vel *tumoribus*, intra pingue velum ortis, illud augent. Toti operi elegantiſſima, varioque ſcientiæ apparatu locuples, annectitur, de diverſa morbos in claſſes dividendi methodo, deque nominibus, ſynonymiis, polyonymiis, ac pſeudonymiis morborum, Commentatio. Eruditus Autor ubique in Latino ſermone caſtitatis, perſpicuitatis in ſcriptione, acuminis in diſtinctionibus, gloriam aſſecutus eſt.

ART DE FAIRE ECLORRE, etc.

hoc eſt,

ARS, AVES DOMESTICÆ OMNIS GENERIS QUOlibet tempore ut ex ovis excludantur, efficiendi ope caloris fimi, aut ignis vulgaris, illasque educandi; Autore DE REAUMUR, Membro Acad. Reg. Sc. &c.

Volumina II.

Pariſiis, 1749, 12 maj.

Vol. I plag. 15, Tabb. æn. 9, Vol. II plag. 15, Tabb. æn. 6.

Reaumurii nomen ut nemini ignotum exiſti, qui maxima inter naturæ ſcrutatores ævi noſtri nomina non ignorat; ita

ita ſummum hunc Virum, qui tot miracula primus omnino vidit, vel primus accurate vidit, plurima etiam, rei familiari utilia, illisque ſcienda, qui non tam addiſcendo vero, quam illi ad uſum transferendo, operam dant, detexiſſe conſtat. Inter hæc inventa non ultimum locum occupat illud, de quo jam dicendum nobis eſt. Abſolvitur autem ars, quam deſcripturus eſt *Reaumurius, duobus Capitibus.* Alterum eſt, ova fovere, donec pulli erumpant, alterum, pullos, qui proruperunt, quod matre carent, educere. In *duo Volumina* igitur diviſum opus, diſtincte hæc proponit.

Diſſertationes (*Memoires*) appellavit Autor minora libri ſegmenta, uti operis de Inſectis. *Prima Voluminis I* de furnis Ægyptiorum, antiquitus jam celebribus, agit, notatque, vix credendum eſſe, tales aliquando uſui nobis futuros, quod impenſæ illis initio exſtruendis majores ſint, utilesque ipſi non exiſtant, niſi ingens copia ovorum, 30000, vel 40000, uti in Ægypto illis immitatur, tanta vero copia noſtris in regionibus nec habeatur commode, nec poſſit excluſorum pullorum talis exercitus ita apud nos educari, ut in calidioribus, magisque temperatis, Ægypti provinciis. Habentur vero apud nos furni ita comparati, qui negotio illi adhiberi poſſunt, piſtorum cupediariorum, &c. qui quomodo pullis excludendis inſerviant, Autor dilucide exponit. *Secunda Diſſertatione* methodi, pullos intra ſtrata fimi excludendi, generalem ideam exhibet, illamque *tertia Diſſertatione* uberius proſequitur, illos præcipue, ut appellat, *furnos* deſcribens, qui unico dolio majori, quale vino, aut cereviſiæ, ſervandis adhibemus, abſolvuntur. Ejusmodi dolium, ſupra unum fundorum perpendiculariter erectum, ultra dimidium fimo immergitur, ſuperioris fundi loco, operculo mobili tectum, quod pluribus foraminibus pertunditur, prouti calor temperari debet, obturandis, vel reſerandis. In hoc dolio ova, corbibus pedulis indita, fimi calore foventur, calor autem thermometri, intra ova poſiti, ope temperatur, quæ omnia *quarta Diſſertatio* explicat, eſtque calor, pullo excludendo idoneus, 32 grad. thermometri *Reaumuriani.* Sed ruricolis thermometri loco eſſe poteſt mixtura ex ſapone &

 buty-

Digitized by Google

butyro, quæ, prout conſiſtentiam retinet, aut funditur, colorem indicat. *Quinta Diſſertatio*, quæ funeſta embryonibus accidant ob vapores imperceptibiles, locum, in quo excludi debent, occupantes, exponit. Impedimento ſunt illi vapores tranſpirationi per ovi cruſtam, quam inſignem & liberam eſſe oportet. Igitur Autor conſtructionem furnorum, qui ab his vaporibus tueantur pullos, explicat. *Sexta Diſſertatio*, quæ obſervanda ſint, dum ex ovo prodeunt pulli, recenſet.

Secundi Voluminis prima Diſſertatio de matrum defectu in hac pullorum excluſione ſupplendo agit. Cum vero potiſſimum gallinarum functio ſit, fovere pullos, commode illis ſubſtituuntur receptacula, pro pullis intra eundem fimum, intra quem excluſi ſunt, exſtructa; illis additur peculiaris machina, ſi eo nomine appellare fas eſt opus ſimpliciſſimum, pulpiti figuram habens, planum ſcilicet inclinatum, duobus verticalibus impoſitum, gerens, cujus interiora lana veſtiuntur, ut intra illud ſe recipientes pulli, calorem, & quæcunque mater illis præſtitura fuiſſet, reperiant. *Secunda Diſſertatio* de pullis nutriendis agit, oſtenditque, tum quæ huic ſcopo idonea magis inter grana eligi debeant, quod ad vilitatem fere omne redit, tum quomodo pulli ciborum rejectaneis, herbis, vermibus, ſuſtentari poſſint. *Tertia Diſſertatio* emolumenta novæ artis exponit. Cum pullorum & gallinarum caro in magnis præcipue urbibus, ad carnem pecorum relata, carior exiſtat, cum, gallinarum numero aucto, ovorum numerus augeatur, quorum in illis regionibus, quibus Autor præcipue ſcripſit, ob eccleſiæ, cui ſubſunt, præcepta, major adhuc neceſſitas ſit, quam in noſtris, cum poſſint hoc modo peregrinarum avium ova apud nos excludi, ut de inſigni artis utilitate dubitari nequit. *Quarta* denique delicias, quas multitudo varii generis avium animo, phyſicis inveſtigationibus aſſueto, offert, recenſet. Facile enim perſpicitur, de generatione tot, tamque diverſorum, volucrum, de vivendi generibus, de hybridis, ex ſpecierum mixtione reſultantibus, &c. innumera obſervari poſſe, quæ Philoſophum doceant & delectent. Sed de his omnibus uberius hic agi non poteſt; nec enim ſpecialia fere ſine figu-

figuris explicari poſſunt, nec poſſunt ſcripta *Reaumurii* in brevitatem commode contrahi, qui, ut nulla in re, explicatione digna, verbis parcit, ita verbum nullum, in rebus explicandis, ſuperfluum ponere ſolet. Interſperguntur autem varia, illis etiam Phyſicæ cultoribus utilia futura, qui pullis excludendis operam daturi ſunt nullam.

DOMINI DE LA LANDE, ASTRONOMI REGII, de Obſervationibus ſuis Berolinenſibus ad Parallaxin Lunæ definiendam Epiſtola ad ABRAH. GOTTHELF KÆSTNERUM.

Cum anno præcedenti, juſſu & auſpiciis potentiſſimi Galliarum Regis, iter ſuſcepiſſem, obſervationes pro Parallaxi Lunæ & terreſtris ſphæroidis curvitate determinanda Berolini peracturus; ſæpe animus fuit, aliquid de ſuſcepti neceſſitate & mediis, ac de ipſis obſervationibus, tecum communicandi; quod quidem hodie exequar.

Aſtronomi, a Regia Scientiarum Academia Pariſina in ſeptentrionales & meridionales Sphæræ regiones miſſi, quid magni peregerint, ſatis ſuperque compertum eſt. Non autem in ſola graduum terreſtrium dimenſione verſati ſunt, ſed & in variis Phyſices & Aſtronomiæ partibus plurimum profecere, quippe in deſcriptione regionum ſatis incognitarum, obliquitate eclipticæ, refractionibus, aeris proprietatibus, longitudine pendulorum, aliisque, quorum quidem ſingula eosdem potuiſſent ſibi & labores & impenſas vindicare; de parallaxi autem lunari nusquam curaverunt. Nimia ſemper fuit ſimul obſervantium diſtantia in longitudine, & minor in latitudine. De ea hodie quæſtio eſt, & ſimul de curvitate Meridiani, ad quam nos deducit ratio earundem parallaxium, ſi a pluribus obſervatoribus, ſub eodem circiter Meridiano diſperſis, probe determinetur.

De hac ergo parallaxi ſollicitus Vir Cel. *de la Caille*, die 21 Octobris A. 1750 profectus eſt in extremitatem Africæ meridiona-

dionalem, ubi etiam generalem fixarum catalogum, quem jam ſuſceperat, complebit per obſervationem ſtellarum circumpolarium auſtralium. Et ego propter Meridiani proximitatem (integro tamen poſtea fere anno) Berolinum profectus ſum, quod interim Academia Regia Scientiarum Pariſina notum fecit Europæ Aſtronomis, qui ejusdem ſuſcepti participes eſſe poſſunt & debent propter commune inter omnes Aſtronomiæ ſtudium. Summa autem cum voluptate audivi, plurimos iis jamjam vehementer incubuiſſe pro rei dignitate & præſtantia. Sunt enim v. g. Romæ, Olyſſipone, Toloſæ, Maſſiliæ, Lugduni, Vittebergæ, Aobonis, Petropoli, aliisque in locis quampluribus; præcipue autem nuper Dom. *Griſchow* a potentiſſima Ruſſorum Imperatrice miſſus in inſulam, quæ vocatur Oeſel, & 13 tantum minutis temporis a Meridiano promontorii ad Orientem remotam, obſervationibus incumbet cum magno quadrante, ab eximio artifice *Bird* Londini elaborato.

Eſt autem parallaxis Lunæ criterium ejusdem diſtantiæ, & ſola ejus nobis diſtantiam repræſentat. Eſt ergo eſſentialiter requiſita ad ſingulas partes ipſius motus determinandas, cum is, qui circa centrum terræ peragitur, nobis in ſuperficie conſtitutis, irregularis fiat ejusdem parallaxeos effectu, &, licet per theoriam gravitatis videatur poſſe a priori determinari, manifeſtum tamen eſt ſerius attendenti, ipſam theoriam ſupponere tanquam prius cognitas excentricitatem, inclinationem orbitæ, & epochas locorum Lunæ, apoges ipſius, & modi, quæ ſcilicet ſine prævia parallaxis cognitione cognoſci nullo modo potuerunt. Jam vero ex pluribus ſimul obſervantibus ſub eodem Meridiano, duo quilibet exiguam nobis præbent parallaxin, cujus baſis eſt ſubtenſa arcus meridiani, inter ipſos comprehenſi. Harum omnium parallaxium progreſſus, ſi terra foret ſphærica, ſemper creſceret in ratione valde ſimplici & cognita, quippe ex ſolis Trigonometriæ legibus determinanda, ſed, cum latitudines inæqualiter creſcere debeant ſub eadem ſubtenſa data in ſphæroide, ſeu ipſæ ſubtenſæ inæqualiter in latitu-

Digitized by Google

latitudinum æquabili progreſſu, operæ pretium eſt, exacte ipſas latitudines & ipſos angulos in centro Lunæ determinare, ut arcuum lex & progreſſus innoteſcat, ſeu Curvæ natura, aut ſaltem irregularitas.

Itaque multitudo angulorum, in centro Lunæ inter ſe comparatorum, figuram terræ determinat, dum interim ſingula puncta, cum Capite bonæ ſpei comparata, majorem angulum pro ipſa parallaxi Lunæ cognoſcenda conſtituunt. Sic olim Dom. *de Maupertuis* in Tractatu de Parallaxi Lunæ eleganter ex ſuis formulis deduxerat, tres obſervatores, in latitudinibus 0, 28, 56, graduum conſtitutos, ſcilicet æquali latitudinum intervallo diſtantes, dum luna in 28° conſtituitur, 10 ſecunda differentiæ reperturos inter parallaxes, quas efficit obſervator medius cum duobus extremis, quæ ſcilicet tota a terræ figura dependet, & evaneſceret prorſus, ſi æqualibus latitudinibus æquales ſubtenſæ, & arcus in circumferentia Meridiani æquales, reſponderent.

Aliam quidem methodum exhibuit Dom. *Manfredi* in Commentariis Academiæ Regiæ Pariſienſis A. 1734, figuram terræ ex parallaxis obſervatione deducendi, qua ſcilicet obſervata parallaxi horaria ante & poſt culminationem Lunæ, ex hoc calculo deducantur anguli, qui, cum obſervatione in ipſo meridiano facta comparati, oſtendant, utrum terra plus ſit minusve complanata, quam per calculi theoriam fuit ſuppoſitum. Attamen mihi vix aliquid exinde commodi fluere apparet, cum methodus obſervandi parallaxin horariam lunæ utiliter applicari nequeat propter motus celeritatem & irregularitatem, ac diametri ſuæ, ſuæque parallaxis, nimiam quantitatem. Hac itaque derelicta, noſtra, quæ exactior eſt, & calculos ſatis ſimplices ſupponit, pro vera & quaſi unica habeatur.

Dictum eſt modo, parallaxin lunæ requiri neceſſario ad ipſius theoriæ cognitionem. Quæ ergo ipſius lunaris theoriæ, eadem parallaxis, cenſenda eſt utilitas; hoc autem perſpecto, quid plus dici poteſt? Nonne omnes tandem Aſtronomi conſentiunt, nullam fore methodum exactam longitudinis in mari determinandæ, niſi quæ lunarem theoriam ſupponit,

cum ipſius inter ſtellas fixas ſitus & reſpectus ſit quolibet inſtanti novum ſignum, quo poſſit nauta in mediis fluctibus locum ſuum probe dignoſcere, ſi ſciat per lunares tabulas, quem locum luna occupet data hora in meridiano quolibet dato. Sic ergo, dum theoriam lunæ proſequimur, eo devenimus, ut cogatur planeta erroneus quaſi accenſa face nos ubique deducere, & forte optimi creatoris objectum plenius adimplere. Sed, miſſa omni utilitate in geographicis, nauticis, aliisque Aſtronomiæ, uſibus, nonne hujusmodi inventa ſatis per ſe nobilia ſunt & ardua, quæ memoriam *Ludovici XV* inter cetera tam pulchra apud poſteros exornent, ſi nihil unquam in ſcientiis elaboraſſent, quam quod per ſe actualem & manifeſtam utilitatem geſtare videbatur; certe, quæ jam ſunt utiliſſima & pulcherrima, nobis in perpetuum excidiſſent.

Mirabiles ſane methodos invenerunt Aſtronomi ad determinandas Parallaxes, inter quas primum locum occupat methodus parallaxium horariarum, in Tractatu de Cometa anni 1680 a *Caſſino* expoſita, quæ motum diurnum adhibet, & ex eo eſt aliquatenus lubrica, & methodus maximarum latitudinum, a *Ptolemæo* primum adhibita, quæ nihil niſi dimenſionem angulorum ſupponit, ſed minorem præbet ſummam parallaxium, & eſt refractionum inæqualitatibus obnoxia. Semper itaque convenit inter Aſtronomos, optimam fore ſupra omnes methodum obſervandi in locis ſub eodem meridiano remotiſſimis, quam ſane ope ſpatii, inter Berolinenſe & Africanum obſervatorium interjacentis, cum plena fide & certo ſucceſſu exequi poſſumus.

Obſervationes, pro eadem parallaxi in iisdem locis ſimul habitas, ut notum eſt, A. 1705 auſpiciis Viri generoſiſſimi & nobiliſſimi, *de Kroſigk*, duas duntaxat publicavit, 30 poſtea annis, *Wagnerus* in Miſcellaneis Berolinenſibus, ſed quasnam ſcilicet? Aliquam hic ipſarum recenſionem veritatis amori juvat perſolvere.

Sunt hodie quidem in Obſervatorio Regio Berolinenſi inſtrumenta, quibus iſtæ tunc temporis obſervationes ſuſceptæ ſunt. Horum præcipua pars eſt Sextans ferreus 3 circiter pedum, ſolis transverſalibus lineis ſatis craſſis, & nudis pinnacidiis,

Digitized by Google

diis, inſtructus, etiamſi jam antea in Gallia 40 fere annis tubi teleſcopici Quadrantibus adhiberi ſolerent, & *Nonnii* diviſiones ſatis etiam in uſu eſſent. Fuit & Quadrans azimuthalis in uſum vocatum, ſed cujus conſtructio eadem imperfectione laborabat, & nihil plus in executione præſtitit.

Sed nec differentia meridianorum neceſſario in obſervationum comparatione requiſita, nec latitudo promontorii, cujus totus error directe parallaxin afficit, ſatis cognita huc uſque nobis fuerant. Scilicet de differentia meridianorum erat inter Aſtronomos 20 minutorum temporis diſſenſio, de latitudine 30 circiter minutorum gradus, &, quam ſuppoſuit in ſuis calculis Dom. *Colbe* 33° $\frac{3}{4}$, per 10′ 23″ minor erat, quam quæ a Dom. *La Caille* nuperrime fuit obſervata. Tales igitur obſervationes, ut manifeſtum eſt, nec opus quidem attigerunt.

Sola ergo methodorum obſervandæ parallaxis diverſitas huc uſque fuit in auxilium vocanda, ſed & ipſa Aſtronomos in confuſionem inextricabilem dejecerat. Quot enim varia tentamina, tot variæ prodierunt determinationes, tot varii ſucceſſus; quæ autem majorem autoritatem obtinuerunt *Flamſteedii*, *Halleji*, *Caſſini*, & *Lemonnierii*, vix intra minutum totum contentæ fuerunt. Ex ipſa theoria gravitatis aliud inſuper prodit, ut ex calculis Celeb. *Euleri* & *Clairaut* manifeſtum jam fuit.

Hiſce igitur ſolummodo propoſitis, abunde conſtat noſtra ſuſcipiendi ratio, ex ipſamet parallaxi deducta. Sed & graviora forte accedent, poſtquam figuræ terreſtris conſiderationes adduxerim. Figuræ terreſtris determinatio, licet ex multiplici parallaxium obſervatione fluat, & ipſius ſit quaſi acceſſorium, non eſt ſane minoris ipſa utilitatis; in quibusdam enim theoriæ nauticæ phyſicæ, aut aſtronomicæ, partibus, ubi omnium calculi elementorum requiritur exacta cognitio, non eſt ipſa ſolum magnitudo terræ ſcitu neceſſaria, ſed & figura & curvitas; cum v. g. longitudo parallelorum nautica pro obſervato latitudinis augmento computatur, adhibendus eſſet non radius oſculi in puncto dato, ſed radius circuli majoris, meridiano perpendiculariter ducti qui tamen priori major eſt

 dua-

duabus tertiis exceſſus ultimi gradus latitudinis ſupra gradum meridiani in puncto dato, ſed cujus cognitio dependet a terræ curvedine, ita ut juſto minores ſemper inveniantur paralleli, & circa tropicos differentia ad $\frac{1}{101}$ excreſcere poteſt. Cujus itaque erroris fons eſt cognitus, remedium negligi non poteſt.

Figura terræ nos de gravitate primitiva, qua lege, ad quæ puncta, dirigatur, certiores facit, quod neceſſarium eſt, ut variæ inter ſe hujus quantitates & directiones comparari in ſingulis locis queant, ac vera ipſius quantitas melius dignoſci, quæ quidem certe aliquando, ſi recte ominamur, eo nos perducent, ut interior telluris conſtitutio & fabrica e profundis tenebris in medium eluceſcat. Nec minus eſt, quod ab his etiam ſperandum eſt circa exactiorem cognitionem, ſi fas eſt, acquirendam rationis, quam habet terreſtrium gravitas cum univerſali planetarum, ad ſua centra tendentium, gravitate; ſed hoc magnam potiſſimum exactitudinem requirit in figuræ terreſtris cognitione. Nam ſub eadem complanationis quantitate variæ curvedines varias longe directiones & virium menſuras præberent, & in magnos errores deducerent. Cum quædam præterea Saturni periodicæ inæqualitates, quæ aliorum planetarum gravitationi minimi poſſe tribui, Celeberrimo *Eulero* viſæ ſunt, ipſi ſuſpicionem injecerint de lege attractionis *Newtoniana* in motu planetarum non exacte obſervabili, & per ipſam planetarum figuram mutabili; quantum operæ pretium erit, hujus figuræ exactiſſima & geometrica aſſignatione tale dubium de medio ſuſtuliſſe! Ipſe autem mihi & varias ſuas ſolutiones jam communicavit, quibus figuram terræ per coordinatas transcendentes determinat ex parallaxi, in locis pluribus obſervata.

Gemina graduum dimenſio, in Laponia & America meridionali feliciter peracta, omnes ipſius terræ dimenſiones debebat in perpetuum ſtabilire, ſi quid aliunde hypotheſiu de ipſius convexitate, ſeu curvedine, ſuppeditare potuiſſet. Principia autem gravitatis, cum motu diurno terræ comparata, jam adhibuerat *Newtonus*, & diametrorum terræ differentiam $\frac{1}{230}$ aſſignaverat, ſed ſtatim primæ experientiæ de pendulorum longi-

longitudinibus accelerationem fieri majorem accedendo ad ſeptentrionem, quam ex hacce theoria ſequebatur, manifeſte oſtenderunt.

Tertius poſtea gradus, in Gallia dimenſus, tertium præbuit perimetri punctum, quod poterat cum duobus aliis easdem dimenſiones determinare, ſed, quantum abeſſet ſcopus, ex diverſitate figuræ, hacce via inventæ, ſole clarius innotuit.

Quantum ad geometricas hypotheſes, ellipſis ſtatim ab initio in calculum adhibita fuit, utpote ſimplicior & magis obvia. Hujus ope Dom. *de Maupertuis* eggregias & ſimplices formulas adinvenit ad ſingulas dimenſiones ex unico gradu deducendas.

Nuper vero Dom. *Bouguerus*, ex trium graduum cognitorum conſideratione perſpiciens, exceſſus eorum ſe habere circiter ut quartæ potentiæ ſinuum latitudinum, ex hac proprietate, inſtituto calculo, comperit differentiam diametrorum 36659 hexapedarum Pariſinarum, quarum diameter æquatoris eſt 6562026.

Poſtea idem Autor, ipſarum latitudinum potentias exceſſui graduum comparando, exponentem invenit 2½, ſed in ea Curva differentia axium prodit 43457 hexapedarum, nec omittendum eſt, expreſſionem algebraicam generalem, quæ ex hac hypotheſi deducitur, quartum gradum cognitum implicite ſupponere; quocirca Autor, unam ex indeterminatis quantitatibus evaneſcere, ſupponit, & ſolutionem ſuam ſingularem ex hac ſuppoſitione eruit.

Cum autem de electione inter utramque determinationem agendum eſt, ipſe ſuam diffidentiam exponit his circiter verbis: Non mirum eſt, de his adhuc verſari dubium, cum tria tantum Curvæ puncta cognoſcantur, cujus coordinatæ exprimunt relationem inter graduum longitudinem & ab æquatore diſtantiam; nihil abſolute poſitivum affirmari poteſt de natura ſpeciali Meridiani, aut Barocentricæ. Hiſce prolatis, eam ſeligit determinationem, quæ convenit propemodum gradui longitudinis in Gallia menſurato ad latitudinem 43°. 32′, quæ tamen

Digitized by Google

tamen menſura minoris certe capax eſt acribeiæ, quam quæ in Meridiano peragitur.

Enormes autem diſcrepantias advertere fas eſt, ſi vari gradus inter ſe, ſcilicet duo alternatim, comparentur; differentia enim axium ſimplex, aut dupla, figura autem toto cœlo, ut ita loquar, diverſa, reperitur.

Nec ſatis; minimus error, quo unus ex his gradibus affici ſupponatur, ſenſibilem adhuc differentiam producit; tamen vix poſſibile eſt, ut etiam indefeſſa cura, aut ſuperſlitioſa exactitudo ſenſuum, debilitatem, & organorum artificialium imperfectionem, tam exacte ſuppleat, ut leve quid incertitudinis non remaneat. Hujus generis eſt differentia hexapedarum 18, quæ eſt inter operationes *Bougueri* & *La Condamine*, aut eas, quas Dom. *Godin* cum Sociis ſuis peregit, quasque in peculiari libro, Hiſpanice conſcripto, videre eſt, & hoc etiam laudatus Autor diſerte agnoſcit, cum fateri coactum ſe dicit, certitudinem non ultra 4″ dari, quod patet, inquit, in omni obſervatione, cum diverſis inſtrumentis, vel cum eodem, in diverſo ſitu ac diſpoſitu, ſucceſſive habita.

Habetur itaque pro demonſtrato, omnes obſervationes, huc usque pro figura terræ habitas, neceſſitatem non ſolum non excludere, ut videri forte potuiſſet, ſed ſtatuere, ſeriei obſervationum, quibus priores confirmentur, & quæ eo magis determinent æquationem, qua hæc curvitas exprimitur: æquationem, inquam; reapſe enim ſupponitur, terram eſſe ſolidum circumvolutionis, cujus nempe omnes meridiani ſint ſimiles & æquales, eadem æquatione expreſſi. Cum enim tres gradus cogniti fuerint in meridianis valde diverſis menſurati, ex his nihil abſoluti concludere liceret, quousque operationes parallaxis determinaverint ſeriem progreſſus chordarum, quæ reſpondent arcubus meridiani, ſub quo omnes ſimul obſervamus, ac oſtenderint, utrum ad hunc referri queant omnia, quæ ſub aliis jam ſunt obſervata.

Hæc autem curvatura meridianorum, inter ſe licet ſimilium, eſtne in utroque hemiſphærio eadem, in circumferentia tota eidem legi adſtricta, vel forte potius incerta arcuum,

aut

Digitized by Google

aut linearum, inter ſe diſſimilium, farrago. Hoc ſaltem aliquanto melius innoteſcet per comparationem chordæ arcus, qui Berolinum inter & Caput Africæ interjacet, cum minoribus chordis, quibus varii Europæ obſervatores inter ſe mutuo diſtant. Et certe Phyſici non ita pridem irregularitates hujusmodi, ſicut & de inæqualitate ponderum utriusque hemisphærii, non levibus rationibus ſunt ſuſpicati; unde operæ pretium fuit, hiſce, quantum licuit, lumen affundere. Hoc ſcilicet hodie cum ſumma ſui in poſteros commendatione abunde perpetrat inviĉtiſſimus noſter & generoſiſſimus Galliarum Rex, *Ludovicus*.

Hæc tamen de ſola parallaxium obſervationis utilitate dicta in majora ſane excreſcent per novam dimenſionem gradus terreſtris, quam in Capite bonæ ſpei noviſſime ſuſcepit Vir iſte laborioſiſſimus, *de la Caille*, ſi & locorum ſitus, & inſtrumentorum perfectio, in ſuſcepti iſtius perfectam executionem debite concurrant.

Quod ad me ſpectat, Vir Celeberrime, non meum fuit, Sextantes mobiles hexapedales, ut ille, in meis partibus exequendis adhibere, ſed Quadrantem muralem aurichalcicum quinque pedum Londinenſium, a Regia Academia acceptum, mecum devexi, a quo idem (ſaltem proxime) me obtenturum confido.

Hujus autem diviſio ſingula quinque minuta præbet per lineas, quæ ad centrum diriguntur; in centro autem, circa cylindrum metallicum, cum incredibili cura confectum, teleſcopium verſatile appenſum eſt. In extremitate tubi teleſcopici, quæ circumferentiam deſcribit, adjacet lamina aurichalcica, limbo ſemel exacte applicans, cui alia diviſio inſculpta eſt, quæ occupat exacte 21 diviſiones Quadrantis, ſeu gradum integrum cum quadraginta quinque minutis, & eſt in 20 partes diviſa. Hæc ſcilicet (ſecundum methodum, a *Petro Nonnio* in Tractatu de Crepuſculis propoſitam, & quam *Ptolemæo* attribuit, alii autem cuidam *Hetræo*,) oſtendit vigeſimam partem cujuslibet diviſionis in Quadrante, ſeu 15″, ita tamen, ut in aſtronomicis organis levis acquiſita conſuetudo tertiam, aut quartam,

partem

partem etiam nudis oculis per æſtimationem facile ſuppeditet, id eſt, 4″, aut 5″, vel etiam exactius, ſi lens, ad minorem focum convexa, in adſpicienda diviſione adhibeatur. Eidem limbo alia adhuc ineſt diviſio in partes Quadrantis nonageſimas ſextas, quibus aliquando uſi ſunt Angli artifices, quia in praxi, ſeu diviſionis conſtructione, facilius adhibetur, & harum quælibet in 16 alias ſubdividitur, deinde lamina, ſuperius deſcripta, aliam ferens diviſionem *Nonniacam* in parte ſui inferiori, huic correſpondentem, eam in minutiores 24 particulas ſubdividit, quæ conſequenter partium ſupra dictarum alterius diviſionis ſunt circiter ſubduplæ. Hinc apparet, omnes & ſingulas obſervationes, in utraque diviſione peractas, mutuam ſui verificationem præbere, & duarum obſervationum vices præſtare, ſaltem quantum ad errorem diviſionum, & æſtimationis defectum.

Diviſio autem *Nonnii* ſane multo potior erat, quam quæ fit per transverſales lineas, quales v. g. videntur in magno Quadrante 6 pedum turris orientalis obſervatorii Pariſienſis. Nam difficultas non mediocris ineſt in 5400 diviſionibus, eidem inſculpendis cum neceſſaria exactitudine; quæ quidem diviſiones, quod inprimis notandum eſt, vel inæquales, vel curvis lineis diſtinctæ, neceſſario eſſe debent.

Præterea ſatis difficilis eſt æſtimatio loci lineæ inter duos terminos fixos, ſi non ſunt in ſitu huic perpendiculari, ſed maxime obliquo, quorum unus ſæpe non eſt conſpicuus propter laminam indicatricem, & qui conſtant punctis non valde rotundis, quippe productis ex interſectione linearum, quæ habent ſuam quælibet craſſitiem.

His demum non leve accreſcit pondus, ſi, ut ſemper fit, transverſales nihil niſi minutum primum oſtendant, ſcilicet per Theorema ſequens, quod naſcitur ex conſideratione errorum in æſtimando poſſibilium, & eſt per methodum differentialem facile demonſtratu. Errores in æſtimando poſſibiles ſupponantur huic legi adſtricti in ſua inæqualitate, ut ſingulæ partes æſtimatæ intra eosdem limites habeant ſaltem ſecundas, vel tertias, &c. differentias æquales, quod ſenſibiliter verum eſſe, ſupponi poteſt. Tunc ***maximum erroris***, ſeu quantitas, qua terminus

minus medias diſcrepat a termino correſpondenti progreſſioni æquabilis, intra eosdem fixos terminos contentæ, & ejuſdem numeri terminorum, *augetur in ratione duplicata numeri intervallorum*; unde, cum limites intra 15 ſecunda dent quadruplo minus ſpatium, quam intra minutum integrum, facilitas errandi, ſeu in eadem errandi poſſibilitate maxima erroris quantitas, erit ſexies decies major, ceteris nempe omnimodo paribus.

Eadem vero *Nonnii* diviſio merito fuit uſui micrometri anteferenda, & hoc veriſſimum eſt, ubi agitur de Quadrante murali, cujus tubus eſt mobilis. Forte in indice micrometri quælibet ſecunda poſſent numerari, ſed nihilo minus 3″, vel 4″, vix ſenſibilem quantitatem efficerent. In micrometro illud neceſſario incommodum fertur, quod ſtella obſervanda in centro, ſeu axe, teleſcopii nunquam fere appareat, ac ſit proinde ſemper obnoxia vitioſæ parallaxi, quæ ſæpe fit in foco objectivi, quæ autem, cum in ipſo axe fit, facile evitari poteſt. Hæc ipſa parallaxis Domino *Bouguero* viſa eſt æque noxia ac inevitabilis, cum huic aliud prorſus remedium non afferat, quam æſtimationem ſatis periculoſam & lubricam, qua ſcilicet pro vario motu ſtellæ, ſupra ac infra agitatæ, medium oculo aſſumi deſiderat. Obiter tamen notandum eſt, varias experientias, noviſſime ab aliis, & a me ipſo, peractas, de quibus alias loquar, nobis oſtendiſſe oculorum diverſitatem, & conſtitutionem atmoſphæræ non eſſe mutationum cauſam, ſaltem adeo ſenſibilem, in dicta parallaxi.

Obſervationes, cum micrometro factæ, eſſentialiter dependent a cochlea, cujus helices exacte & præciſe æquales ſupponuntur abſque ullis inæqualitatibus. Certum eſt tamen, tam perfectam cochleam eſſe opus perquam rarum atque difficile, cum & materia, qua id conficitur, & modus fabricandi, ipſi perpetuo debeat eſſe imperfectionis origo, idque eo facilius & periculoſius, quo minores erunt ſtriæ, ſeu helices, quia tunc vitium minus fit ad extra ſenſibile. Multo autem ſimplicius eſt, lineam datam in partes quasdam æquales dividere, quæ ſenſibilis ſint magnitudinis, & quarum ſæpe ac facile defectus, ſi quis

Digitized by Google

ſit, exacte poſſit perſpici. Demum diviſio *Nonnii* obſervationem promtam magis, minusque erroribus neceſſariis obnoxiam, facit, promtam ſcilicet, cum hic unicum, duplex autem in micrometro opus, ſcilicet in puncto aliquo teleſcopium exacte conſtituere, & poſtea micrometrum movere; eo ipſo exactiorem, cum in minori operationum numero minus officiant defectus iſti inſenſibiles & neceſſarii, qui Philoſopho, naturam ſcrutanti, imbecillis naturæ memoriam ſiſtunt. Sed in hujus inſtrumenti fabrica non meliora tantum & commodiora media aſſumta ſunt, ſed varii etiam ſublati ſunt errorum fontes, huc usque vel ignoti, vel pro deſperatis habiti.

Multæ experientiæ, in Baſilica Sancti *Sulpicii* Lutetiæ, & in Scotia, habitæ, variationes ſatis magnas ex frigore & calore, in parietes etiam firmiſſimos agente, vel exteriorum motuum tremula agitatione, ortas, monſtrant. His ut fieret remedium, in ſuperiori Quadrantis parte filum appenſum eſt argenteum tenuiſſimum, quod nempe $\frac{1}{370}$ tantum ſit pollicis unius Londinenſis, & ſupra limbum libere deſcendens, ſi ope microſcopii compoſiti inſpiciatur, etiam minimas in verticali Quadrantis mutationes indicat. Hæc adeo neceſſaria & naturalis cautela, cujus Quadrantes mobiles exemplum offerebant, vigilantiam Aſtronomorum, muralibus utentium, ſatis diu eluſit; ſed hic etiam aliud periculum obſervationum notatu difficilius pariter ſublatum eſt.

Semper artificibus & Aſtronomis viſum fuit, in Quadrante murali magnam ſoliditatem & immobilitatem omni mediorum genere eſſe procurandam, & huic ideo ferrum & lapides generoſe adhibebant, ſed naturæ vires utiliter adhibere potius, quam eludere fruſtra & debellare in omnibus, neceſſarium eſt. Factum enim fuit, ut partes Quadrantis, interjacentes inter puncta magis fixa, majori dilatationis, aut contractionis, effectu afficerentur, cedendo facilius impreſſioni, & figuram ſuam ac ſitum reſpectu reliquarum partium totaliter mutarent cum magno obſervationum vitio. Sed huic, ut videtur, abunde jam cautum eſt. Quadrans enim meus, conflatus ex variis laminis aurichalcicis, ejusdem craſſitiei, quæ in iisdem punctis omnes ſe mutuo interſecant, ſuſpenditur in duobus ex his interſectionum

num punctis, ita ut in his etiam punctis libertas extenſionis, vel contractionis, ſuperſit, unde neceſſario Quadrans magnitudinem mutare quidem poteſt, ſed non figuram, ſeu partium inter ſe mutuam relationem, aut planum, in quo omnes conſiſtunt, ac proinde absque omni cœleſtium dimenſurationum vitio. Hujus aſſertionis teſtis eſt experientia. Expoſito enim Quadrante ſub æquatore ipſo meridiano ſoli, ita ut calorem extremum contraheret, certum eſt, partes ipſius debuiſſe vehementer extendi, ut patet ex experientiis penduli & hexapedæ ferreæ, pluries repetitis; tamen menſuratus arcus inter objecta terreſtria ejusdem adhuc quantitatis in Quadrante apparuit, quam ante caloris iſtius impreſſionem.

Demum, ne teleſcopium, extremitate ſua centro affixum, aliquid nocere limbo ſuo pondere poſſet, dum in eo moveri, & ſingulis punctis affigi, neceſſario debebat, vel aliquid libertatis motus & commoditatis obſervationum minuere, (ſemper autem commoditas in obſervando cum exactitudine conjungitur,) huic appoſitum eſt pondus in axe æquilibrii, ſatis ingenioſe diſpoſito, cujus ope teleſcopium minima etiam impreſſione quaſi ex ſe ipſo moveatur, & in omni ſitu detineatur.

Quæ hactenus memoratæ ſunt optimæ & ingenioſæ in hacce machina diſpoſitiones, debentur ſtudio & vigilantiæ ſagaciſſimi & emunctiſſimæ naris Aſtronomi, Dom. *Lemonnier*, in artifices Londinenſes peritiſſimos, & ipſi gradum perfectionis, ad obſervationes noſtras requiſitum, ſatis ſuperque communicant.

Quæ quidem ut in meridiano recte & debite collocari poſſet, Dom. *de Maupertuis*, Aſtronomiæ, ut ſcientiarum omnium, fautor præſtantiſſimus, ſimul Illuſtriſſima Regia Academia Berolinenſis, ſummopere præſtiterunt, ſcilicet in alta Obſervatorii Regii contignatione, horizonte ſatis libero, immenſæ lapidum moles altitudinis ſex pedum, & latitudinis quinque, omni cura & ſumtu allati ſunt, qui, in ſeptentrionali & meridionali pariete juxta meridianam lineam proxime collocati, inſtrumentum, ſupra deſcriptum, alternatim egregie ſuſtinent absque ulla variationum nimiarum ſuſpicione. In quolibet ho-

rum præter duo fixa ſuſtentamina inhærent pro variis Quadrantis circumferentiæ punctis duplices cochleæ, quæ Quadrantem vacillationis immunem detinent abſque ulla reſiſtentia nocibili. Itaque, quod operis ſolus ego ſuſceperam, ſuum proprie fecit illuſtriſſima Academia, & ſibi vindicare ſine injuria pro majori totius parte poterit.

Abſque ſimilibus & facilitate & auxiliis, difficillimum videtur, utile quid in ſubtilibus hiſce operationibus perpetrare. Parum enim prodeſſet teleſcopium, micrometro inſtructum, ſi per aliquod notabile temporis ſpatium perfecte immobile ſupponi debeat, niſi quid adhibeatur, quo poſſit hujus ſuppoſitionis error cognoſci & caveri in calculo.

Hoc quidem cum ſatis magna facilitate præſtari poſſet, ſi tubo adhæreret firmiter triangulum, aut quadratum, metallicum quodlibet ſatis magnæ amplitudinis, ut 3, aut 4, pedum, in cujus angulo uno perpendiculum appendi, & uno ex lateribus quædam puncta minutiſſima pro arbitrio fieri poſſent, in quibus filum decidens ſitum teleſcopii exacte denotaret, & levem mutationem in minutis ſecundis indicaret, modo craſſities & longitudo fili cognoſcerentur. Hæc autem methodus nullam exactitudinem in conſtructione ſupponeret, & nulli incommodo foret obnoxia.

Hoc autem, vel ſimile quid, niſi adhibeatur, vix exactitudo ulla ſperari poteſt, præterquam in occultationibus fixarum, aut proximis appulſibus; unde Aſtrophilos vehementer hortari debeo, ut his invigilare quotidie non negligant, modo pendulum oſcillatorium æquabile habeant.

Jam obſervationes, Vir Celeberrime, unam, aut alteram, tanquam laboris mei præmium, benigne accipe, & deditiſſimum me tibi in perpetuum exiſtima. Scribebam Berolini, die 15 Junii A. 1752, ſtilo novo.

A. 1752, die autem 23 Februarii, in obſervatorio Regio Berolinenſi $6^h\ 54'\ 39''$ temporis veri, ſeu apparentis, limbus lunæ præcedens meridianum attigit, & ad $6^h\ 55'\ 50''\frac{1}{2}$ centro ipſo lunæ

lunæ in meridiano conſtituto veram differentiam declinationum inter limbum lunæ meridionalem & ſtellam ζ tauri obſervavi 0°. 32′ 31″, ſtella ad Septentr. exiſtente, & eandem ſtellam ab occidentali & ſplendido margine emergentem 7^h 42′ 29″ prope maculam, quæ Endymio vocatur.

Die Aprilis 18, 9^h 7′ 57″ immerſio momentanea ſtellæ ☽ in tertio pede geminorum die Maji 28 12^h 41′ 40″ vera differentia declinationum marginis Lunæ ſuperioris & ſtellæ μ in extremitate arcus Sagittarii 0°. 20′ 39″, ſtella ad Septentrionem verſante. Die Maji 29, 13^h. 30′ 21″ vera differentia declinationum inter limbum lunæ ſuperiorem & ſtellam O in capite Sagittarii fuit 0°. 22′ 21″, ſtella autem ad auſtrum eadem die 13^h 55′ 4″, ſtella μ in extremitate arcus Sagittarii ab obſcuro lunæ limbo emergebat; erat autem in linea, quæ per *Copernicum* & *mare Serenitatis* ducitur, & infra *mare Caſpium* quantitate ipſius latitudinis maculæ.

OBSERVATIONES PHILOLOGICÆ AC GEOGRAphicæ, ſive Topographiæ ſacræ Specimen primum, quo urbes ac regiones, quarum in ſacris literis fit mentio, breviter deſcribuntur, iisdemque verus ſitus, juſtaque nomina, redduntur; ad illuſtranda nonnulla ſacri Codicis loca editum a quodam fontIum ſaCrorum Scrutatore.

Amſtelædami, apud Jac. Loveringh, 1747, 8.
Plag. 6½, cum fig. æn. Hieroſolymam deſignante.

Eruditiſſimus Autor *Calmetum* inprimis & alios emendare, lacunasque Geographiæ ſacræ ſupplere, laudabili conatu, laborat. Inveniuntur autem hic loci *duodecim Obſervationes*: 1) *de Hieroſolyma*; 2) *de Grammadim*; 3) *de patria Eliæ*; 4) *de Harmageddon*; 5) *de oppido Chebron*; 6) *de oppido Elath, ſive Eloth, & de regione Ophira*; 7) *de urbe Eziongeber in Idumæa*; 8) *de urbe Dimona*; 9) *de patria Abrahami*;

bami; 10) *de Aram-Bet Rechob;* 11) *de urbe Eglaim;* & 12) *de Moabitis ſub ſcalpro.* Primæ tria membra priora veterem urbem Hieroſolymam tangunt; ultimum agit de muliere, ſeptem collibus inſidente, ad *Apoc. XVII,9,* per quam non Romam intelligit Autor, ſed Hieroſolymam, comparans eum locum cum *Apoc. II,8, XVII,18, XVIII,18 ſeq.* Septem Hieroſolymæ colles numerantur mons Zion, Moria, Acra, Bezetha, Olivetum, Ophel, Gareb, ſive Golgatha. Sic autem diluit objecta, patefactionem *Joannaeam* brevi ante urbis excidium factam eſſe largiens, ut, re vera Judæorum pontifices regum eſſe titulo uſos, aquas plebem deſignare, reges terræ proceres, ad perverſum cultum deducentes, ſignificare, ſolitudinem itidem Hieroſolymam oſtendere, per cornua quoque pontifices indicari, poculum aureum divitias & luxum, beſtiam pontificatum Judaicum, eſſe, & alia hujuſmodi, ſatis quidem coacte contendat. *Gammadim* ad *Ezech. XXVII, 11,* una cum Arvadim ſic explicat Noſter, ut per hos urbis Doræ in tribu Manaſſe ad mare mediterraneum cives, de quibus & *v. 8* intelligantur, per illos autem Megiddonenſes in tribu Manaſſis ad idem mare, utrique Tyro vicini. *Eliæ* patria ſecundum *1 Reg. XVII, 1,* erat Thisbe, urbs Galilææ in tribu Naphtali. Occurrit *Tob. I, 2,* Tobit ex Thisbe, quæ ad dexteram Cydios Naphtaliticæ in Galilæa ſuper Aſer ſita. Hæc urbs Thisbe vocatur etiam alio nomine Bethſchemeſch. Vid. *Joſ. XIX, 27.* Per Gilad autem, ad Autoris mentem, non denotatur regio Gilead trans Jordanem, ſed urbs Michdalel, ſive Magdala, in tribu Naphtali, ſecundum *2 Reg. XV, 29, Hoſ. VI, 8, XII, 13.* Natus ergo vates in urbe Thisbe, ſedem ſumſit in vicina civitate Migdalel, donec, pro partibus officii, per urbes ceteras commeandum foret. Ut, quid ſit Harmageddon *Apoc. XVI, 16,* intelligamus, obſervare jubemur, quod *Joannes Marcus,* in hoc toto *Capite,* præſertim hoc in *commate,* de gentis totius Judæorum excidio poſtremo loquatur; quod ad antiquiſſima tempora reſpiciat, utaturque ſymbolo quodam, a clade Regis *Joſiæ* depromto; quod omnes Judæi ſint congregandi, Chriſtianos tunc acerrime vexantes; quod tempus præteritum

tum pro futuro ponatur; quod mera veraque ſit in vocabulo *Harmageddon* alluſio ad *2 Paral. XXXV, 20 ſeq.* quam ad interpretationem proxime accedit *Tremelliana.* Chebron, ubi ſedes & ſepultura fuit *Abrahami Gen. XIII, 18,* quæ fuerit, poſtea quæritur, dum tria ſunt ejus nominis oppida, primum in Ephraimitica tribu, alterum in Judaica, in Philiſtæa prope Gazam tertium. Judæam hic appellant interpretum plerique, graviter errantes de ſententia Noſtri, cum ibi non fuerit vallis Mambre; ſitum igitur in Ephraimitica tribu præfert ille. Idem oppidum Elath, vel Eloth, ad *1 Reg. IX, 26, 2 Reg. XVI, 6, 9,* putat idem eſſe, quod exteri ſcriptores Ornithopolin, ὀρνίθων πόλιν, ipſi Judæi Kerach Tharnegola, nominent, cui vocabulo clare reſpondeat Ebræum Eziongeber. Conf. *1 Reg. IX, 6.* Is ergo *Salomoni* portus fuit, unde claſſem, aut triremes, mitteret in Ophir, id eſt, Iberiam, aut Hiſpaniam, unde ſitum hujus urbis aliquo modo perſpicere poſſimus. Alia fuit urbs Eziongeber in Idumæa *Num. XXXIII, 35,* ſub lacu Aſphaltite duobus milliaribus Germanicis ab illo diſtans. Ea poſt tribui Judæ ceſſit, cui tota tribuebatur Idumæa. Sed varia ſortitur in ſacris nomina. Dicitur 1) Pharan, ut adjacens regio ſolitudo Pharan *1 Reg. XI, 18,* coll. *Gen. XIV, 6;* 2) Goſchen *Joſ. XV, 51;* 3) Zinna *Deut. XXXII, 51,* unde ſolitudo Zin probe diſtingui debet a Sin, aut Sinai, circa urbem Oſtracinem ſita, quæ quidem urbs alioqui Sin pariter dicebatur, unde ſolitudines illæ vicinæ fuerunt ad occaſum altera, prout altera ad ortum; 4) Malatha; & 5) Jenyſus apud *Herodotum.* Urbs Dimona *Joſ. XV, 22,* in illo Idumææ fundo ſita fuit, qui poſtea tribui Judæ ceſſit. Alioqui dicitur Theman *Jer. XLIX, 7,* vel Midjan, ut ſemper in hiſtoria *Gideonis,* ubi & per Amalekitas Noſter cives urbis Carmel, per filios Kedem Maccedenſes in auſtrali Palæſtina, cupit intellectos. *Abrahami* patria, *Gen. XI, 28, 31, XV, 7, Neh. IX, 7, Act. VII, 3, Ebr. XI, 8,* memorata, vocatur *Ur Chasdim,* ac originem traxiſſe dicitur non a Chaldæis Babylonicis, quaſi ſita fuiſſet in Babylonica regione, ſed a Chaldæis illis, qui, priſcis tem-

temporibus, ad Pontum Euxinum degebant, ſimulque Chalybes appellabantur. Horum Chalybum colonia quædam prius ex Euxino Ponto commigravit illuc, ubi *Ur Chasdim* ſita, porroqué deinceps in Babyloniſcam terram venit, ab illo tempore Chaldæam κατ' ἐξοχὴν dictam. Sita vero fuit eadem urbs *Ur Chasdim* haud procul a Damaſco, verſus ortum, propemodum in confiniis Aramææ, ſive Syriæ, non procul a Jordane terraque *Batanea*, ſive Baſchan, boream verſus, in *Manaſſitide*, e regione urbis Argob, ſuper urbem Trachoniticam *Canatha*, & ſub Arabiæ deſertæ celebri civitate *Boſtra*, ſive *Beſtera*, cujus *Joſ. XXI*, 27, luculenta fiat mentio. Vocabatur & alias Geſchur, ſive Geſſur, neque minus Chazor *Jerem. XLIX*, 28, 30, 33, probe diſtinguenda ab alio oppido, Geſchuri dicto, in tribus Judæ finibus auſtralibus, ſub Cades Barnea ſito. *Aram bet Recbob* ad *Sam. X*, 6, eſt Aramæa Auranitica, ſive regio Auranitis, inter Damaſcum & fontes Jordanis, non autem ad lacum Tiberias, ut *Tyrius* & *Golius* volunt. *Eglaim* ad *Jeſ. XV*, 8, eadem eſt, quæ *Callirrhoe* apud *Ptolemaeum*, in Peræa, trans Jordanem in angulo propemodum, ubi ſeſe Jordanes in mare Asphaltites exonerat. Vatis ævo regionem illam adhuc Moabitæ tenebant, ſed is minitatur, inſtare tempus, quo populus Iſraeliticus Moabiticum e Peræa ſit expulſurus. Non confundi debet hæc urbs cum *En Eglaim*, licet paulo ſaltem diſtante, itidem in angulo confluentis Jordanis & mortui maris, in tribu Juda, quod & oppidum Bethgogla dicebatur. Denique Moabitæ ſub ſcalpro, ad 2 *Sam. XII*, 31, ſunt Noſtro duris & ſervilibus laboribus ſubjecti, quo ſcalpro lapicidarum lapides ſcinderent finderentque, & palis, ſeu vallis, ferreis, aut tribulis ferreis, triturarent, verterentque terram. Sufficiat nobis, Autoris ſententias expoſuiſſe, has ei proprias relinquentibus, &, ut acuminis gloriam ei minime negantibus, ita verentibus tamen, ne pauci ſint futuri, qui talibus conjecturis, quippe ingenioſis magis, quam probabilibus, aſſenſum præbeant.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLII.

Pars I.

THEOPHILI ANTECESSORIS PARAPHRASIS Græca Inſtitutionum Cæſarearum, cum Notis integris P. NANNII, J. CURTII, D. GOTHOFREDI, H. ERNSTII, & C. A. FABROTTI, ac ſelectis quamplurimorum Eruditorum obſervationibus, cum editis, tum ineditis. Lectionum varietates ex primariis editionibus & Pithœano MSto inſeruit, novam verſionem κατὰ πόδας concinnavit, ſuasque animadverſiones & ἐπικρίσεις addidit, GUL. OTTO REITZ, JCtus, qui & Fragmenta Theophilina, nunc primum collecta, & Titulos Græcos de V. S. ac de R. J. denuo recognitos, nec non XX Excurſus varii argumenti, cum Gloſſario Theophilino, atque copioſiſſimis cum rerum, tum Autorum, Indicibus, ſubjunxit.

Hagæ Comitum, 1751, 4 maj.
Alph. 7 plag. 17.

Centum propemodum effluxerunt anni, ex quo *Theophilus* Anteceſſor Græce poſtremum prodiit. Nam, poſt ſecundam *Fabrotti* editionem, A. 1657 curatam, non niſi Latina ejus interpretatio, a *Jacobo Curtio* profecta, recuſa fuit aliquoties. Defectui huic ergo ſupplendo Vir Clariſſimus, *Gu. Otto Reitzius*, animum adjecit, poſtquam viri docti, *J. H. Mylius*, *Georgius D' Arnaud*, & *Cornelius Siebenius*,

 quos

quos fama non certa ſaxum hoc volvere ferebat, rebus humanis exemti eſſent. De conſilio ſuo ſignificabat A. 1745, *Prodromum Theophili* edens; executus tandem feliciter nunc eſt, ipſa adornata editione, de qua nobis exponendum eſt. Prima *Reitzii* cura fuit, ut Græca verba recte conſtitueret; altera, ut fidam daret, Græcisque preſſe adhærentem, neque elegantiæ negligentem, Latinam interpretationem; tertia, ut neceſſariis obſervationibus hanc Paraphraſin illuſtraret. In Græco textu reddendo ſecutus maxime fuit editionem *Dion. Gothofredi*, A. 1620 curatam, alias tamen vetuſtiores ſollicite conſuluit. Manu exaratos *Theophili* Codices, paſſim in Bibliothecis exſtantes, quorum aliquos in Præfatione laudat, nullos ad manum habuit. *Trekellius*, JCtus Hamburgenſis, ipſi quidem variantes lectiones, e Codice MSto Pariſino excerptas, quarum exemplum in Bibliotheca publica Hamburgenſi aſſervatur, miſit; verum, quod illæ ſero venirent, cum operæ typographicæ jam ad *pag. 611 Tomi II* perveniſſent, non potuerunt emendationes, quas illæ ſuggerebant, citius inſeri, debueruntque antecedentia in *primum Volumen* rejici, & Præfationi ſubjungi. Conjecturarum ſuarum aliquas in textum recipere non dubitavit *Reitzius*. Variantes editionum lectiones inter textum & notas medio loco, more hodie recepto, collocavit. Paraphraſi *Theophili* alia ejusdem fragmenta *pag. 929*, e Synopſi Baſilicorum, *Baſilicis* ipſis, eorumque Scholiis, item e Gloſſis nomicis, & *Harmenopuli* Promtuario, depromta, ſubjecit, una cum Titulis de Regulis juris & Significatione verborum, omnia ſuis aliorumque obſervationibus illuſtrata.

In his obſervationibus, præter nomina, in ipſa libri inſcriptione laudata, leguntur etiam nomina *J. Doujatii*, Editoris Leidenſis, *Wielingii*, *Meermanni*, & alia quædam. Editor Leidenſis ipſi eſt ille, qui Latinam editionem *Theophili*, Lugduni Batavorum typis excuſam, curaverat, &, celato nomine ſuo, ſuis obſervationibus inſtruxerat. Hunc eſſe *Schultingium*, voluerat *Everhardus Otto*, ſed, *Duckerum* eſſe, Noſter evincit.

Verſionem Latinam ut novam conderet, in cauſa erat *Curtianæ* improbitas, ſenſum Autoris non ſatis fideliter aſſectan-

ſectantis, & ſtudio elegantis ſermonis plerumque luxuriantis. Ipſe ſtrictius vertere maluit, & ſenſui verborum arctius adhærere: „ Namque in ea ego ſum opinione, ait, ſi quis „ peregrini ſcriptoris adornare velit verſionem, quam ſeorſim edere geſtiat, ut quidem *Curtius* fecit, eam & elegantem & concinnam deſiderari, quo & legatur lubentius, & „ Autore πρωτοτύπῳ indigna non ſit. Cui autem bono „ fuerit talis verſio, ſi eidem, ut vulgo fit, Autori e regione adjungatur? Neque enim tironibus utilis eſſe poteſt, qui „ inde alterius linguæ genium non percipere, ſed ſola interpretatione uti, poſſunt. Viris autem doctis quid ea opus „ eſt, niſi ut illum librum altero tanto emere cogantur, quam „ ſi unico is ſermone prodiiſſet? Adeoque mea cum venia „ nunquam eventurum eſt, ut ſola hæc mea verſio ſeparatim „ excudatur. „

In quatuor Libris Inſtitutionum retinuit Editor accentus & ſpiritus; ſed in Fragmentis Notiſque, cum ſuis, tum aliorum, & in Excurſibus, ut appellat, omiſit. „ Non propter accentuum „ ignorantiam, ait, ut forte interpretabuntur, eos me negligere, ſancte affirmo, ſed quia, quo magis omnem tonorum doctrinam a puero & didici & docui, eo magis eorum „ & inutilitatem (paucis exceptis caſibus) & vanitatem perſpexi. „

Excerpta hæc ſunt e Præfatione, cujus finis de *Theophili* ætate diſſerit, & argumentis demonſtrat, Paraphraſin hanc ante finem anni 534 confectam fuiſſe, adeoque ante editionem Codicis repetitæ prælectionis. Suſpicatur quoque Editor, *Theophilum* hanc Paraphraſin matura meditatione non elaboraſſe, aut caſtigaſſe in chartis depoſitam, ſed auditoribus ſuis in calamum dictaſſe; unde imperfectum opus emerſerit. Inſcriptionem Paraphraſeos, & rubricas, & alia quædam, ab ejus diſcipulis adjecta eſſe. Opinionis ſuæ hæc affert argumenta, quod non idem ſervatus fuerit tenor in Latinis vocibus Græce ſcribendis & declinandis; quod multa inſint ἀνακόλουθα, quæ dictantibus ſolent excidere; quod ſæpius eadem recurrant; quod quædam contra mentem *Juſtiniani* reddiderit, etiamſi

Digitized by Google

doctrinæ juris non contraria. Exempla hujus rei exſtant in Indice Autorum, v. *Theophilus humani quid patitur.*

Præfationem excipiunt eruditorum judicia & teſtimonia de *Theophilo* Anteceſſore; lectiones variantes ex MSto *Pithœano*; addenda & corrigenda in *Tomo primo*, in quibus ſunt excerpta e literis Ill. *Ritteri* ad Editorem, *Rhunkenii* quædam, & excerpta e Diſſertatione *Ephraim Gerhardi de Lege Furia Caninia a Juſtiniano ſublata. Tomo ſecundo*, poſt Fragmenta *Theophili*, habentur Excurſus viginti, in quibus hæc ſunt: *Fabrotti* Apologia pro *Theophilo; Gundlingii* Commentatio de *Theophilo*, e *Gundlingianis P. II pag. 105* excerpta, Latine reddita, & notulis illuſtrata ab Editore; *Mylii* opuſcula ſeptem, cum ejusdem Editoris animadverſionibus. Sunt autem illa hæc: Hiſtoria *Theophili*; Vindiciæ ejusdem; de Prætore peregrino; de jure Quiritium. Opuſculi hujus fini addita fuerunt, particula ex *Cornel. Val. Vonkii Obſervat. miſcellan. pag. 104*, & alia *ex Alb. Dieterici Trekellii Selectis Antiquitatibus P. I pag. 111.* Porro ſequitur *Mylii* Diſſertatio poſthuma *de SCto Sabiniano*; altera *de tribus L. Aquiliæ capitibus*; tertia ad *§. 1 & 2 de J. N. G. & C.* Quartum Excurſum efficit *Reitzii* Prodromus *Theophilinus*, ſuperiorum editionum hiſtoriam enarrans. Quintum Dedicationes & Præfationes earundem. Sunt autem hæ: *Viglii Zuichemi* ad *Carolum V* dedicatio, & aliæ ternæ epiſtolæ; *P. Nannii* Præfatio & Apologia; *J. Curtii* dedicatio; *J. P. Neithardi* dedicatio; *Pontii a Quadraginta* dedicatio; *Antonii Vincentii* Præfatio; *Ludovici Cloquemin*, *Jo. Tornæſii*, variorum, communis; *D. Gothofredi* Dedicatio & Præfatio; *Jacobi Stær* Præfatio; *C. Annib. Fabrotti* Præfatio; *D. Gualterii* pars Præfationis, *J. Doujatii* Dedicatio & Præfatio; verſionis Gallicæ Præfatio; Editoris Leidenſis Præfatio; *J. H. Bœhmeri* Præfationis pars, tandem *de Beaurieux* Dedicatio & Præfatio. Sexto loco habetur inter Excurſus *Reitzii* Diſſertatio de Græcis rubricis *Theophilo* abjudicandis; ſeptimo ejusdem de τριετῆ corrupto ex τετραετῆ in Proœmio Inſtit.; octavo ejusdem de controverſia, fratrem inter & patruum defuncti exorta; nono ejus-

ejusdem de *L. Siſenna*, Prætore peregrino; decimo exhibentur collectæ aliquot Diſſertationes de nuptiis conſobrinorum, *Fr. Florentis*, *Jac. Sirmondi*, *Jac. Gothofredi*, *Ever. Ottonis*, & *G. d' Arnaud*, quibus accedunt Editoris prologus & ἐπίκρισις. Ejusdem ſequuntur tria opuſcula de adoptione filiifamilias pro nepote adverſus *Hotomanum*; de duabus legibus Julia & Titia; ſubſidiariam actionem eſſe in factum, adverſus *Merillium* & *Wiſſenbachium*. Quarta & decima eſt Diſſertatio *Gundlingii* de *Parthenio*, e *Gundlingianis* excerpta. Poſt duas inſertas *Reitzianas*, de curialibus & decurionibus, & de ſervis binominibus, ſequitur rurſus *Gundlingianum* opuſculum de Literis obligatoriis. Excurſus XVIII eſt *Jo. Cujatii* Diſſertatio de uno caſu in *§. æque ſi agat quis 2 de Action.* Proxima huic eſt *J. Dan. Ritteri* ad *Theophili* Editorem Diſſertatio *de via, actu, & itinere, pro Theophilo.* Tandem Editoris memorabilia e Scholiis Baſilicorum, quæ faciunt ad indagandam ætatem JCtorum, maxime qui ſub Imp. *Juſtiniano M.* floruerunt, nove collecta, & conſectariis ac poriſmatibus illuſtrata. Finem omnium faciunt Gloſſarium *Theophilinum*, Addenda & Corrigenda *Tomi II*, & Indices.

Noſtrum nunc eſt, ut eorum, quæ *Reitzius* in hac ſua *Theophili* editione præſtitit, ſpecimina quædam proferamus. Huc pertinet, quod *Lib. I proœmii §. 3* τȣ̃το δὲ πρά̀ξας ex ingenio reſtituit, cum in aliis editionibus legeretur τ. δ. πράξαι, &, poſt verba τȣ̃ θείȣ παλατίȣ, προσέταξεν, quod Editor omiſit. *Pag. 8 §. 6* verba τȣ̃το μὲν τῶν ὡς ἐν Ἰνςιτȣ́τοις vertit, *tam quos in modum Inſtitutionum conſcripſit.* *Pag. 17* pronuntiat Imperator, debere τȣ̀ς φόνȣς ἀποτέμνεσθαι, *homicidas capite plecti.* Locus aſteriſco notatus eſt, ut corruptus. Pro φόνȣς conjecerat *D. Gothofredus* probabiliter ἀνδροφόνȣς. *Fabrottus* ediderat φονεῖς. Cui hanc ἐπίκρισιν adjungit Editor: „Si *Fabrottus* ex Codice φονεῖς edidit, nihil obloquor. „Sin ex ingenio, poterit alterum (nempe φόνȣς) defendi, quia „dialectorum ſcriptores Dorienſibus tribuunt φόνος pro eo, „*qui cæde digna perpetravit.*„ Non difficile eſt, quanti valeat hæc interpretatio, æſtimare. *Pag. 20* affert conjecturam

Digitized by Google

ram fratris ſui, *Jo. Friderici Reitzii*, qui pro καλύσης, in dictione τῆς χρείας καλύσης, malebat κελευύσης. Quamvis, eam tam ſibi placuiſſe, ſcribat, ut ab ea in textum recipienda parum abſuerit, vulgatam tamen retinuit; idque bene factum. Ipſe eam in Gloſſario v. καλέω repudiat, & e literis *Rhunkenii* exempla profert verbi καλεῖν pro *exigere, flagitare,* poſiti. *Pag. 38* pro vulgari lectione τεθένἶων edidit τιθέντων in illis: *jus honorarium* appellabatur, ἐπειδὴ εἰς τιμὴν τῶν ἀρχόντων καὶ τῶν τιθέντων ἐκράτει ταῦτα. *Pag. 46* verba, ἔσθ' ὅτε γὰρ διαλέγομαί τινι, vertit *fortaſſe enim dico alicui*. *Arnaldus* levi & probabili mutatione reſtitutum iverat θὲς γὰρ ὅτι &c. *finge, me alicui dicere*. Noſtro autem non ſatisfecit, neganti, ſe in vulgata quidquam incommodi videre. *Pag. 49* verba, κἂν ὁ ἐμὸς πειραθεὶς κληρονόμος, εὐνοίᾳ ἑαυτῶ, ἠλευθέρωσεν, vertit: *Et ſi herus meus, benevolentia affectus, ipſum manumiſerit*, notamque hanc adſcripſit. „Forte legendum αὐ„τὸν, uti, commate poſt κληρόνομος deleto, vertimus, conſtru„entes εὐνοίᾳ πειραθεὶς.„ *Pag. 65* verba, μέχρι γὰρ ἑνὸς τὴν οἰκείαν παραχαράττει νομοθεσίαν, vertit, *nam intra unum* lex *conſtitutionem ſuam terminat*, ex mente nempe *Gavelli*, ſui in Gymnaſio Middelburgenſi Collegæ, qui περιχαράττει conjiciebat, *ſenſu optimo & unice vero*, ex judicio *Reitzii*. *Pag. 93* ad locum αἰσχυνέσθω γὰρ τὴν νῦν θετὴν ἡ πάλαι τῶ πατρὸς καὶ πάππω προσηγορία, quem vertit, *pudefaciat enim* quondam *adoptivam patris & avi appellatio*, affert hanc ſuam conjecturam, legendum eſſe αἰσχυνέτω γὰρ τὴν ποτε θετὴν, &c. Aliam viam ingreſſus eſt *Rhunkenius*, cujus de hoc loco ſententia in Addendis habetur. Putat autem ille, ſic emendandum eſſe locum: αἰσχυνέσθω γὰρ ἡ γυνὴ ἡ θετὴ πάλαι τῇ τῶ π. κ. π. προσηγορίᾳ. *Pag. 110* recepit in textum μὴ ἐχῶσα παῖδας, pro μὴ ἔχωσα π. e conjectura. *Pag. 150* pariter conjecturam τῆς πρὸς πατρὸς θείας, bis vulgatæ, τ. π. μητρὸς θ. præhabuit. Non tamen ſemper ſibi conſtitit. Paſſim enim locorum certas emendationes ſuas aliorumque veritus fuit in textum admittere. Sic *pag. 197* ἐγκαλεῖται pro *appellat* exhibet, cum *Fabrottus* jam ἐκκαλεῖται dediſſet, item ἔγκλητος pro ἔκκλητος.

Obſer-

Obſervationum, quibus *Reitzius Theophilum* aut illuſtrat, aut defendit, ſpecimen unum alterumve ut addamus, neceſſe eſt. *Pag. 30 §. 8 I. de J. N. G. & C.* ait *Theophilus*, prudentes, ſeu JCtos, appellatos fuiſſe eos, quibus populus, Senatus, aut Cæſar, facultatem feciſſet, reſponſa juris dandi. Reprehenſum propterea Editor ex *Pomponio l. 11 D. de O. J. §. 35* ſtudet excuſare. *Pag. 59* dividit *Theophilus* prudentum reſponſa in ſententias & opiniones. Diſtinctionem hanc, a multis exagitatam, eo tuetur Editor, quod *Theophilus* ambas voces recte expoſuerit. *Pag. 60 Theophilus* hanc dat vocis *cenſus* deſcriptionem: *Cenſus erat tabula, vel charta, in qua Romani* ἀπεγράφοντο τὰς οἰκείας οὐσίας, *ſuas conſcribebant facultates*, (ſic habet nova verſio,) *ut tempore belli pro modo proprii patrimonii quisque conferret. In hoc igitur cenſu ſi quando ſervus juſſu domini ſeſe liberum ſcripſiſſet, liberabatur a ſervitute.* Offenſioni fuit JCtis hic locus, quod cum antiqua profitendi cenſus ratione non conveniret, & quod ex eo conficiatur, ſervos manu ſua ſe liberos in tabula cenſuali ſcripſiſſe. Tueri ſuum Autorem Editor exemplo *Dionyſii Halicarnaſſenſis* ſtudet, allegans *Antiquitatum Lib. IV Caput 15*, e quo colligit, patresfamilias cenſum ſuum in ſcriptis tradidiſſe, a publicis ſervis in libros cenſuales redigendum, ejusdemque cenſus ſibi exemplar ſervaſſe. Huc quoque videtur ſuam interpretationem conformaſſe, cum alias ἀπεγράψαντο ſignificet *profitebatur*. *Pag. 77* demonſtrat, legem Fuſiam Caniniam Ælia Sentia poſteriorem eſſe, argumentis his: primo, quod hæc ubique a JCtis priore loco, illa poſteriore, laudetur; altero, quod probabilius ſit, *Auguſtum* prius voluiſſe conditiones, quibus dominus manumittere, & ſervus manumitti, poſſit, quam numerum manumittendorum, definire. Illud autem in L. Ælia Sentia, hoc in Fuſia Caninia, factum eſt. Tandem illa lex A. U. 757 lata fuit, hæc Conſulatu *M. Furii Camilli*, cui omnes legem Fuſiam Caniniam tribuunt, id eſt, A. U. 761 antiquior eſſe nequit. *Pag. 130* novam proponit *Reitzius* opinionem de μέσῳ, (ut vertit *Theophilus*,) ſeu anteſtato, cujus apud emancipationes uſus erat. Verba

ba ejus ſunt: „Anteſtatum, puto, vix diverſum fuiſſe ab eo, „quem hodie *Notarium* dicimus, ſive cum veteribus tabellarium, vel tabellionem, ſive ſcribam, appellare malis, qui totum mancipationis atque emancipationis actum, ritum, & ordinem, apud vulgus & juris civilis imperitos dirigeret, atque „in perpetuam rei memoriam ac fidem tabulas inde conficeret.„

Sufficient hæc ad judicium de toto Opere ferendum. Perfectiſſimam & optimam omnium *Theophili* editionum hanc eſſe, Editoremque nihil eorum omiſiſſe, quæ ad Autorem ſuum illuſtrandum & emendandum facere poterant, egregiamque operam Jurisprudentiæ præſtitiſſe, nemo facile negaverit.

C. SUETONIUS TRANQUILLUS, EX RECENSIONE FRANC. OUDENDORPII, qui variantes lectiones, ſuasque animadverſiones, adjecit; intermixtis J. G. GRÆVII, & J. GRONOVII, nec non ineditis CAROLI ANDR. DUKERI, annotationibus.

Lugduni Bat. apud Sam. Luchtmans & filios, 1751, 8 maj. Alph. 3.

Ecce tibi rurſus novam *Suetonii* editionem, a Viro, multis nominibus bene de literis merito, curatam, ad quam ille eodem fere tempore adjecerat animum, quo Cel. *Jo. Aug. Erneſti* apud nos illius Scriptoris edendi conſilium ſuſceperat: qui tamen illum, dum Lugdunenſes operæ nimis cunctantur, prævenit. Sed bene cum *Suetonio* actum eſt, quod ea res non deterruit *Oudendorpium*, quo minus deſtinata perficeret; præſertim cum aliis ſubſidiis inſtructus, alio etiam conſilio, ei labori manum admoviſſet. Videamus primo de ſubſidiis librorum.

Habuit ergo V. C. ob oculos MSS. *Periz.* & Harlem. quibus & *Burmannus ὁ πάνυ* uſus eſt, nec ſine fructu rurſus inſpexit: excerpta Cod. *Memmiani*, qui & *Salmaſianus*, *Turonenſis*que, dicitur, item *Cujaciani*, quæ ad ſingulas ferme voces conſuluit; varias Lectiones Codicis Medicei, ab *Iſ. Voſſio* excerptas;

cerptas; excerpta *Cortiana*, quibus & *Erneſtus* noſter uſus fuerat; &, præter hæc, varias lectiones duorum MSS. membranaceorum, quas Illuſtris *Swietenius* e Bibliotheca Vindobonenſi ſubmiſit; ſed maximum adjumentum habuit a MStis Florentinis. Nam primo *Abrah. Gronovius*, V. C. ei conceſſit excerpta trium antiquiſſimorum Codicum Mediceorum, a *Jac. Gronovio* editioni *Gryphianæ* anni 1544 adſcripta; deinde per *Ant. Franc. Gorium*, V. C. accepit, quicquid *Angelus Politianus* ad margines editionis Mediolanenſis anni 1475 notaverat e tribus vetuſtiſſimis Codicibus, non illis Mediceis omnibus, ſed altero Vaticano, altero ſuo: unde fluxere lectiones, quæ ſunt in margine editionis Venetæ anni 1490, quam non magis, quam priorem illam Mediolanenſem, viderat *Burmannus*. Editos libros habuit, *Romanum* utrumque, *Campani* & *Andreæ*, *Mediolanenſem* alium cum *Beroaldi* notis anni 1494, non viſum *Burmanno*, denique *Rob. Stephani* Pariſienſem anni 1543. Textum *Suetonii* non ille quidem ad unius exempli formam edidit; ſecutus tamen eſt plurimum *Grævianum* & *Gronovianum*: a quibus ubi diſcedit, quo autore, aut qua cauſa, id faciat, docet. Ceterum utriusque notulas in hanc ſuam editionem recepit, easque vel confirmavit, vel, cum opus videretur, refellit. Acceſſere etiam notæ quædam ineditæ antea *Dukeri*, V. C. præſertim in *Flavios*, ut omnia illius Viri, elegantes, item *J. A. Fabricii* ad *Vitas Grammat. & Rhetorum*, denique *Schefferi* quædam in *Cæſarem* & *Octavium* e *Miſc. Obſ. Vol. IX Tom. III.* Ipſe quomodo uſus ſit copiis, ante commemoratis, quomodo vel in textu conſtituendo ad fidem veterum librorum, vel in explicandis illuſtrandisque locis difficilioribus, verſatus ſit, vix neceſſe eſt, ut dicamus, cum tot aliis documentis in hoc genere cognita ſit Viri præſtantiſſimi ratio & doctrina. Criticam ille ſemper exercere ſtatuit cautam, caſtam, libris plus fidentem, quam ingenio, & divinationibus: quas tamen non plane ſpernit, ut res ipſa docet, exemplisque poſtea patebit, nec ſpernere licet omnino; præſertim cum non modo jam tot lectiones, ab ingenio doctorum natæ, receptæ ſint in omnibus Autoribus, quæ jam pro receptis & vulgatis tenentur ac defenduntur, etiam

Digitized by Google

iam a Noſtro; ſed etiam uſus docuerit, multa, quæ de conjectura poſita eſſent, poſt plane reperta eſſe in libris veteribus, receptasque vulgo lectiones ſæpe eſſe operarum vitia non animadverſa. Interpretationes ſunt breves, non copiam lectionis vaſtæ oſtentantes, perſpicuæ tamen ac planæ, nihil contorti habentes; ut facile & ingenium & doctrinam his rebus aptam agnoſcas. Ad reliqua hujus editionis bona etiam nitor chartæ & elegantia typorum acceſſit. Repetitæ etiam ſunt figuræ Cæſarum ex editione *Græviana* minori, ſed de conſilio bibliopolæ, ni fallimur. Etiam comparando intelleximus, plane easdem eſſe: ut appareat facile, bibliopolam uti voluiſſe ad librum exornandum tabulis, e quibus eædem formæ in *Græviana* expreſſæ ſunt. Ita univerſe expreſſa editionis hujus ratione, e Notis quædam ponemus, unde planius, quid præſtitum ſit, appareat.

Cum editio nupera Lipſienſis prodiiſſet ante, quam hæc prelis eſſet ſubjecta, veniſſetque in manus Viri Cel., pluribus locis non omiſit ejus emendationes, conjecturas, interpretationes novas, ſub examen vocare, & vel probare calculo ſuo, vel refellere, ſervata tamen ea, quæ literis humanioribus convenit, humanitate, quod etiam in *Burmannianis* aliorumque fecit; niſi quod ad *Aug. Cap. 9* Viris duobus, ut ipſe vocat, eruditione & ingenio nobiliſſimis effrænem quidvis novandi libidinem objecit, quod in loco *Valerii Max. I, 5, 4,* pro *perſediſſet* legi voluerunt *perſtetiſſet*, vel *aliquantisper ſtetiſſet.* Ab autore quidem iſtius conjecturæ novandi libidinem omnem, nedum effrænem, longe abeſſe ſcimus: &, ſi maxime ea conjectura probari non poteſt, tamen nihil aliud ei accidit, niſi quod omnibus, ut interdum aliquid non videamus, quod, paulo poſt miramur, nos non vidiſſe. Ceterum etiam ſperamus, atque adeo ſcimus, Virum Cel. & hic, & ſi quo alio loco aliquid durius contra aliquem dixerit, mitius ſenſiſſe, quam locutum eſſe, præſertim, cum ab eo, contra quem dixit, nulla re, ut putamus, læſus ſit. Sed difficile eſt, in reprehendendo cavere, ne quid, quod aut durius ſit, dicatur, aut durius accipi poſſit: difficillimum autem tum, cum res nobis eſt cum eo, qui eandem eodem tempore rem tractandam ſuſcepit, aut nos idem agentes occupa-

cupa-

Digitized by Google

cupavit. Verum,quod difficillimum eſt,bene cavit V.C. Itaque in hac editione quædam etiam in textu ſunt, quæ primum in Lipſienſi fuere recepta; ſed quæ partim & *Oudendorpio* ante in mentem venerant, quam Lipſienſem editionem vidiſſet, vel etiam ſine hujus admonitione fortaſſe ventura erant.

Caſ. 1 alieno loco eſſe putat verba *flamen dialis deſtinatur*, & e ſuperioribus, quæ periere, huc tracta, cum eſſent in margine ſcripta, ad explicandum *ſacerdotii* verbum. Illo quidem anno, qui hic editur, flaminem dialem deſtinatum non fuiſſe, ſatis hodie convenit. Unde bene fecit V. C. cum uncis circumſcripſit, ne cum *ſequentibus Caſ.* jungerentur. Mox *redimeret*, quod jam *Burmannus* & *Erneſtus* probaverant, de MSS. conſenſu & Mediol. pr. bene recepit, & poſt *Burmannum Cap.3* extr. *diffiſus occaſione*, pro *occaſioni*, multis confirmans hanc formam loquendi. Poſt *Cap.4* late defendit lectionem vulgarem, *non ſine ſumma indignatione*, pro qua *dignatione* malunt Viri docti, eodem modo cum *Erneſto* explicans, quocum etiam conſentit in loco *Cap. 13* de comitiis Pontif. M. quæ tributa ex illo loco facit *Gruchius*, propter tribuum mentionem. At contra ab eo & *Burmanno* diſſentit *Cap. 17* de *Vettio*, quem *Judicem* facere maluit, cum plerisque, quam *Indicem*, etſi pro hac lectione ſtant omnes MSS. præter Viterb. *Caſaubono* laudatum, & omnes editiones veteres, præter unam Venetam anni 1471. Neque vero *Erneſtus* hunc *Vettium* indicem a *Catilinaria* conjuratione delata vocatum dixit, ſed conſuetudine indiciorum faciendorum. *Cap. 19* init. *Conſulatus* vocem haud immerito de gloſſa ſuſpectam facit, præſertim cum & a MSto *Torrentii* abfuerit, nec ſit in edd. Rom. *Cap. 20* init. recepit *acta conficerent* pro *conficerentur*, e MS. *Memm.* aliorumque veſtigiis. Transpoſitionem verborum *per jocum* eodem *Cap.* quæ *Torr. Lipſ. Erneſto* placet, improbat cum *Grævio*: quippe indecorum eſſe, in rebus ſeriis jocari. Eſt ſane. At hoc ipſum eſt ſcurrarum, alieno loco, & contra decorum, jocari. *Cap. 22* extr. bene e MSS. & edd. vett. recepit *reſpondit*, quod cum *temperavit* jungendum: itemque *Syria* pro *Aſſyria*, ut jam placuit *Grævio* & *Gronovio*. Neque valde diſplicet, quod *Cap. 24* verba : *perfecitque utrumque*

que ſpuria eſſe putat, faventibus Codd. *Cujac. Cort. Hiſt. Pinell.* quanquam verba, *qua fiducia*, ab iſtis verbis videntur pendere. Nam fiducia iſta nata eſt ex eo, quod perfecit, ut *Domitius* Conſulatu detruderetur, & provincia ſibi in quinquennium prorogaretur. Recte vero *Cap.* 25 pro *a ſaltu - - fluminibus* R. & R. edidit *ſaltu - - fluminibusque*, & mox *circuitu*. Facile etiam ei aſſentiamur credenti, in verſiculo: *Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia*, *Suetonium* ſcripſiſſe, fallente memoria *imperfi*, quod exhibent fere MSS. & edd. vett. *Cap.* 40 reſtituit in verbis, *exceptis Conſulatus petitoribus*, ut inde a *Gravio*, ſed non e MSS. editum eſt, veterem lectionem *competitoribus*, cum contra *Cap.* 23 pro *competitoribus* recte editum fateatur *petitoribus*. Sane ferri poſſe videatur *competitoribus*, propterea quod, ut bene V. Cl. oſtendit, *Caſari* perpetuus Conſulatus decretus fuerat, eaque de cauſa omnes, qui petebant, competitores *Caſaris* erant. Sed illud contra dici poteſt, *Caſarem*, perpetuo Conſulatu recepto, petitorem poſtea non fuiſſe, adeoque nec competitores habuiſſe, &c. Eodem porro *Capite* cum verba, *ad centum quinquaginta retraxit*, explicat, tot eſſe expunctos e numero accipientium frumentum; in eo Viro Cel. aſſentiri non poſſumus: neque credimus *retrahere* pro ſubtrahere, aut detrahere, dici, ſed potius pro revocare, in tali quidem contextu: ſi quis corrigeret *detraxit*, non admodum repugnaremus. *Cap.* 43 probat *Erneſti* conjecturam, verba *jus laborioſiſſime a. ſ. dixit* tranſpoſita credenti, & poſt *movit* reponenda. *Cap.* 49 in verbis, *ad cyathum & vinum Nicomedi ſtetiſſe*, ſuſpecta ſibi eſſe oſtendit verba *& vinum*, in quibus non conſentiunt MSS. Eleganter. Secutus ibidem *Gronovium*, bene edidit *tute dederis*. *Cap.* 50 in verbis, *ex auctionibus haſta ei numo addixit*, delet ille quidem *ei*, ut *Erneſtus* fecerat, ſed *minimo* revocat, ut *Burmannus* voluerat, hac uſus ratione, quod τῷ *numo* non conveniret dictum *Ciceronis: quo melius - - tertia deducta eſt*. Ejus enim verbi acumen perire, ſi *numo* legatur, cui tertia deduci non poſſit: quod, neſcio, an alii probaturi ſint. Nos quidem hac ratione non movemur. Nam verba *numo addixit* dicuntur e perſona *Suetonii*: nec cum eis

eis quidquam conjunctum habent *Ciceronis* verba, qui ea dixit, cum pretium, quo addicta eſſent prædia, audiſſet: illud antem leve pretium, quid impediebat, quo minus *Suetonius* uſitatiſſimo in ea re verbo *numo* exprimeret? *Cap.* eodem in verſiculo, *Aurum in Gallia*, mavult e MSto Medic. *Aurum in Galliam - - at hic* &c. aut tantum *in Gallias*. Sane ita verſus conſtaret, etſi alias formulam *effutuere in Galliam*, vel *Gallias*, non ſatis concoquimus, cujus Vir Cel. ſenſum hunc facit, ut *Caſar* ſtupris magis, caro emtis, quam fortitudine, Gallias ſubegerit: perbonum ſane & acutum, ſi forma dicendi recta eſt. At plane accedimus ei, *Cap. 68 centum & triginta millia*, quem numerum vitioſum eſſe, ſatis conſtat, corrigenti *& ad triginta m.* item in eo, quod *Cap. 72* edidit, *deverſoriolo eo, quod unum erat, ceſſerit*, ut *Heinſio* placuerat, & mox *cubuerit* pro *accubuerit*, utrumque e libris ſcriptis. *Cap. 81* probat eorum judicium, qui in verbis *ſine ulla noxa ſua* delevere *ſua*, etſi id in multis MSS. eſt, repudiatque *noxia*, quod varii libri habent, bene & copioſe de diſcrimine utriusque verbi disputans. *Cap. 84* fluctuant viri docti inter *ad donum & ad manum aderat*. Cel. *Oudendorpius*, non dubitaturum ſe, profitetur, *ad manum* præferre, ſi modo unus fidei vetuſtioris Codex, aut plures, haberent. Neque vero liquere putat, omnes, qui dona rogo tuliſſent, jam egreſſos fuiſſe in campum Martium neminem in foro ſuperfuiſſe: turbamque tibicinum, ſcenicorum, veteranorum, matronarumque, quæ poſt memoretur, adfuiſſe eo animo, ut dona in campum & ad rogum ferrent: porro clare *Appianum Lib. II Civil. pag. 521* tradere, præter ligna eſſe injectos ϛεφάνυς καὶ ἀριϛεῖα πολλά. *Ad donum* denique accipit, pro *doni cauſa, in donum, dono deſtinatum, in uſum doni*, quo ſenſu illam præpoſitionem & in aliis formulis dici oſtendit. Quæ ſane non improbabiliter diſputantur. Ceterum non abhorret a conjectura hac, ut, *odorum* eſſe a *Suetonio*, putet, quorum ſæpe mentio in crematione corporum, ut bene docet V. C. præſertim cum *Suetonio* ſolenne ſit, τὸ *quicquid* cum genitivo dicere. *Cap. 86* diſſentit ab *Erneſto*, qui dixit, in verbis: *ſuſpicionem Caſar quibusdam ſuorum reliquit, neque voluiſſe*

ſe diutius vivere, neque curaſſe, delendum τὸ *ſe,* non quo pronominis adjectione offenderetur, ſed quod hic eſſe deberet *eum:* ut mox *confiſum eum.* Putat Vir Cel. aliam hic rationem eſſe: nam ibi præcedere *putent*, hic pendere a *reliquit.* Quod non eſt. Accuſativi cum infinitivo pendent a *ſuſpicionem,* & in eo latente verbo *putare, ſuſpicari:* licetque hæc verba ſic explicare: Poſt mortem ſui cœpere ſuſpicari. Fecit, ut poſt mortem ſuſpicarentur. Neque ſatis ſimile eſt, quod ponit, *ſuſpicionem præbet, ſe nolle:* quod ſane rectum eſt. Pronomen tertiæ perſonæ ſequi debet, non neceſſario *ſe.* Adverſantur etiam ſequentia verba *curaſſe, neglexiſſe,* in quibus *ſe* intelligere, nobis durum videtur. In *Auguſto Cap. 3* init. *Octavio* bene reddit e MSS. prænomen C; contra *Cap.* 7 in dubitationem vocat idem cum *Lipſio* & *Caſaubono,* ubi *C. Cæſaris* nomen aſſumſiſſe *Octavianus* dicitur. Nam prænomen C. non aſſumſit, quod ab initio habuerat, & de cognomine agitur, non prænomine. Neque unquam dictus eſt *C. Cæſar Auguſtus*, aut *C. Auguſtus*, ſed ſine prænomine *Cæſar Aug.* ut innumera monumenta teſtantur. Sunt quidem numi nonnulli & lapides, in quibus *C.* additur; ſed dubitari poteſt, an publice vel cuſi, vel poſiti, ſint, denique recte inſpecti lective; ut aliquot exemplis Vir Cel. docet: ut adeo videndum putet, an plura exempla reperiantur, ubi extra dubitationem ſit *C. Cæſar Aug.* Quodſi *Auguſtus C.* prænomine uſus eſt, quomodo potuit *Suetonius* dicere, omnes *Cæſares,* qui *C.* dicti ſint, ferro periiſſe. *Calig. 60.* Illud quoque dici poſſe putamus, adoptionem non neceſſario poſtulare, ut totum nomen, etiam prænomen, uſurpetur. Nam, ſi hoc eſſet, *Auguſtus*que adeo *C.* vocatus, pari jure ſucceſſor ejus *C.* vocandus fuiſſet: quod non eſſe, ſatis conſtat; nec ullo modo probari poteſt *Ryckii* ratio, ad *Tacit. Ann. I* init. qui etiam *Tiberii* filium *Druſum* vocat *C. Julium Druſum Cæſarem,* & ſic reſcribit pro *Nerone Claudio Druſo Cæſare.* Quicquid ſit, hoc quidem in loco alieniſſimum eſſe illud prænomen, concedi debet. Mox non modo *Guieto, Grævio, Gronovio*que, concedit, verba *ab auctu, vel avium geſtu, guſtuve,* eſſe inſititia, ſed etiam *Cannegietero,* V. C. totum lo-

cum

eum de interpretatione nominis *Auguſti, quod loca -- Roma eſt,* ſpurium eſſe, eumque propterea uncis incluſit. Bene. Nec minus recte, auctoribus libris bonis, delevit *Cap. 10* in verbis, *Candidatum petitorem*, poſterius. *Cap. 13* in verbis: *Quare ceteri, & in his M. Favonius, - hunc fœdiſſimo convicio proſciderunt*, delet copulam *et*, autoribus ſane libris bonis: ſed exempla, quibus hanc formam illuſtrat, non conveniunt ſane, nec neceſſarium factu putamus. Nempe copula omittitur ſemper, ubi major diſtinctio & abſoluta jam ſententia præceſſit, ut eſt in omnibus exemplis, a Viro Clariſſ. allatis, ut in primo ſtatim e *Ner. 32: ſimulacraque - conflavit: in his.* Sic centies etiam *Tacitus.* Ubi id non eſt, ut h. l., copula locum habet, & poni ſolet; & ſic eſt in omnibus exemplis contrariis, quæ V. C. ipſe attulit. Melius copula deleta eſt *Cap. 19* in verbis *compreſſit, & alias alio tempore. Cap. 17* non improbamus quidem magnopere, deletum eſſe verbum *militum* poſt *ſeditionem*, quia libri boni autores ſunt, etſi *ſeditionem militum Suetonius* etiam alio loco dixit *Tib. 25*; ſicut etiam plane accedimus Viro Cel. *Cap. 19 mulieris* verbum damnanti in his: *Telephi, mulieris ſervi nomenculatoris.* Sed in eo aberravit elegantiſſimum Viri judicium, quod, eodem loco pro *repetit Italiam* cum *Scheffero* legi poſſe, putat, *repetita Italia:* quod contextus non patitur. Deberet enim eſſe *repetens Italiam tempeſtate in trajectu bis conflictatus*, hoc eſt, dum repetit Italiam, non, cum repetiſſet. In eodem *Cap.* conjectura proponitur in loco illo vexato, *viditque mortuum* (ſc. *Antonium*) *Cleopatræ* &c. hæc: *ultroque mortuæ Cleopatræ*, elegans illa quidem, ſed cui adverſari putemus hoc, quod in *Cleopatræ* non tam copula deſiderari videtur, quam *autem*, propter præcedens *quidem*, idque intelligi debere. Antonium *quidem* mori coegit, Cleopatræ *autem* etiam mortuæ pſyllos admovit, ſi ad vitam revocare poſſet, &c. Bene autem *Cap. 30* extr. *ut* reſcripſit pro *utpote*. *Cap. 31* in *profeſſus eſt edicto*, τὸ *eſt* delevit; extr. *ſuperpoſuit* recepit; inſititia judicat *Cap. 32* verba, *id eſt, quinquennio maturius, quam ſolebant*, deinde *Ac* repoſuit, & *Cap. 33* extr. *præfecto delegabat urbis.* At, quod *Cap. 34*

in

in verbis: *hanc cum aliquanto ſeverius emendaſſet*, corrigi poſſe conjicit *commendaſſet*, ſubveremur, ne τὸ *ſeverius* non ſatis ei verbo conveniat. *Cap. 43*, quo loco Cel. *Erneſtus* de conjectura inſeruit verbum *munera*, quod ibi deeſſe, nemo ſuperiorum animadverterat, idem verbum & ipſe ponit, eamque emendationem ſibi ante in mentem veniſſe dicit. Quod miratur, eundem ſcribere, de ludis ſcenicis nihil eſſe hodie in monumento Ancyrano, cum ibi ſit: *Ludos feci meo nomine quater*, &c. & ipſo aliquo loco notaverit, *ludos* ſimpliciter de ſcenicis dici: iſta verba in nullo ejus inſcriptionis exemplo ſunt, niſi in *Chishulliano*, ex quo ea verba attulit Vir Cel. Sed ſcriptura, quam curſivam vocant, indicat, non eſſe e monumento inducta, ſed e libris *Suetonii*, ſupplendi monumenti cauſa, addita. *Cap. 50* diſſentit ab eodem, ubi ille edidit contra libros ſcriptos *imagine ſcalpta* pro *ſculpta*, ut *Ner. 46 ſcalpturam* pro *ſculpt.* ex edd. *Baſil. Ald. Steph.* item *Galb. 10* e libris ſcript. & edd. etiam hac ratione uſus, quod Latini de gemmis dicerent *ſcalpere*, non *ſculpere*. Doctiſſ. *Oudendorpius* putat, & *ſculpere* & *ſcalpere* de gemmis & lapidibus dici poſſe, non hoc diſcrimine, quo *Salmaſius* volebat, ſed hoc, ut *ſcalptura* ſit rudior, *ſculptura* accuratior. Utitur loco *Vitruvii IV, 6: Sculpendum eſt Cymatium Lesbium cum Aſtragalo*, ſed *ſcalpendum Aſtragalum ſima ſcalptura*, ut conſtanter MSS. præferant. Ex qua obſervatione etiam apud *Horat. Carm. III, 11* extr. malit *ſepulcro ſcalpe querelam*, quod vetuſtiſſimi a ſe viſi libri exhibeant. *Lib. II Sect. 3, 22, infabre ſcalptum.* Sed *mira arte ſculpere Ovid. Met. X, 248*. Quæ contra non unum dici poteſt, quæ jam mittemus, ne longiores ſimus. Illud quidem planum eſt, locis poſtremis *Horatii* & *Ovidii* nihil effici. Nam illæ ipſæ adjectiones, *infabre, mira arte*, indicare videntur, verbis ipſis nihil in utramque partem indicari, & *Vitruvius* contra *II, 7*, habet *flores & acanthos eleganter ſcalptos*. Sed ita variant in locis prope omnibus libri, ut propemodum nihil certi dici poſſit. *Cap. 58* ingenioſe conjicit Vir Cel. poſt verba *& læta huic* excidiſſe *Urbi*. Digniſſima porro lectu ſunt, quæ Vir Cel. ad *Cap. 76* verba, *dum lectica*

ex

Digitized by Google

ex regia domum redeo, diſputat de regia *Numæ*, & regia altera, regis ſacrorum domo, quæ legiſſe neminem pœnituerit: unde etiam patebit, incertum eſſe, utra regia hoc loco intelligenda. Recte etiam, putamus, ab eo *Cap. 86* probari *concinnitate* e Codd. *Memm. Medic. Vindob. Cujac. Hulſ. Harlem.* pro *inconcinnitate*, idque receptum in textum vellemus. Nam, ut vere dicit V. C. inconcinnitatem fugiſſe *Auguſtum*, quid mirum? Concinnitatem autem, quæ eſt, ex interpretatione *Ciceronis*, cum v. c. paria paribus referuntur, in ſimilibusque argutiis cernitur, fugiſſe, id tradi conveniebat. Verum, cum mox defendit *præpoſitiones verbis addere*, repudiato *urbibus*, pariter licebit quærere, quid mirum habeat, ſi id fecit, quod omnes faciunt; cur non potius dixerit *Suetonius præpoſitiones addere* ſimpliciter, aut addito *ubique, ſemper*, cum Latine ſatis dicatur *pr. verbis addere* eo, quo volunt, ſenſu. Si autem etiam nominibus urbium addidit, ut alii quoque fecere, & dixit v. c. *ab Roma*, idque frequenter, tum res eſt ejusmodi, quæ notari merebatur. Mox rectiſſime edidit *addit hæc*, ubi vulgo eſt *addidit hæc*; item *Cap. 89*: *deinde eruditione etiam varia repletus eſt per Arei Philoſophi - - contubernium*, ut olim ex parte conjecerat *Salmaſius*, cum etiam in libris ſcriptis pluribus & edd. Rom. τὸ *iniit* non reperiatur, & ſic diſtinguant libri boni: quanquam mallet *contubernia*. *Cap. 90* in loco de *Jove*, *Auguſtum* puerum tutorem demonſtrante, *ejusque oſculum, delibatum digitis, ad os ſuum referente*, conſentit cum *Burmanno*, qui interpretatur de apprehenſa leniter digitis buccula pueri, & ori ſuo admota. Ceterum ſcrupulum illum non attigit, nec exemit, quod in hac ratione non intelligitur, quare *oſculum pueri digitis delibaverit*. Nam apud *Apulejum Met. VI pag. 123 Jupiter* prehenſam *Cupidinis* bucculam ad os ſuum refert & conſuaviat, nulla libati digitis oſculi mentione. Itaque *Erneſtus* explicabat ſic, ut, *Jovem*, diceret, nihil aliud, niſi digitos, in oſculo pueri poſuiſſe, & ad ſuum os retuliſſe, quod proprie *adorare* dicitur. Hic quærit Cel. *Oudendorpius: Ergo Jupiter puerum adoravit?* Recte, ut opinamur. Sed non religioſe, ut

ut homines Deos, ſed honoris cauſa, ut *Nero citharam adoravit Ner. Cap.* 12, ut adorat homo hominem. Neque enim ita proprium Deorum cultui id verbum, ut non & ad humanos honores transferatur. Quorſum Noſter *Vitell. Cap. 2: C. Caſarem adorare, ut Deum, inſtituit;* ſi verbum adorandi non niſi de Diis dicitur? Hæc e duobus primis Imperatoribus; ſed vel ſic exiguam tantum partem eorum commemoravimus, quæ digna ſunt cognitu, hoc eſt, quibus aut emendatiorem explicatioremque *Suetonium* reddidit Vir Cel., aut materiam diſputandi ſuppeditavit. Nunc, per ceteros, animus erat, vagari, &, quid de quibusdam nobilioribus ob difficultatem aliquam locis ſentiat, commemorare; ſed videmus, nos jam ſatis longos fuiſſe. Itaque reliqua ad aliud tempus differre cogimur. Et non dubitamus, Lectores noſtros vel ex his, quæ diximus, intellecturos, quam præclare de *Suetonio* meritus ſit V. C., & quam bene ſibi conſulturi ſint, qui ejus Commentarium perlegerint.

HISTORIA UNIVERSALIS ET PRAGMATICA ROmani imperii, regnorum, provinciarum, una cum inſignioribus monumentis hierarchiæ eccleſiaſticæ, ex probatis Scriptoribus congeſta, obſervationibus criticis aucta, atque ad Theologiæ poſitivæ, Jurisprudentiæ, ac Philologiæ, peculiarem uſum reflexionibus dogmaticis, politicis, & chronologicis, illuſtrata, Autore P. ADRIANO DAUDE, I. S. Theol. D. & in Acad. Wirceburg. Hiſtoriarum Profeſſore Publico & Ordinario,

Tomi II Pars I.

Wirceburgi, ſumtibus Lochneri & Mayeri, Bibliopol. Norimberg. 1751, 4.

Alph. 5 plag. 9.

Complectitur hæc *Tomi II Pars I* Hiſtoriam Seculi quarti & quinti, inde ab A. 306 usque ad *Auguſtuli*, poſtremi per Occidentem Seculo V Imperatoris, exceſſum deductam. Inſeri-

Digitized by Google

Inſcripta eſt illa religioſiſſime Reverendiſſimo & Celſiſſimo Principi ac Domino, Domino *Carolo Philippo*, Wirceburgenſi Epiſcopo, Franciæ orientalis Duci, Principi ſummis animi dotibus inclitiſſimo, ad *Theodoſii II* Imperatoris inſtar conformato. Scripſit tantus Princeps *opus heraldicum ac genealogicum*, quod ultimam manum exſpectat. Addidit Academiæ Wirceburgenſi duos novos Profeſſores, aliis ad acuendam diligentiam largiores reditus annuos conſtituit. Bibliotheca ejus aſſervat vetuſtiſſimum *Codicis Theodoſiani* avtographum, nec non *Codicem Carolinum*, quo multæ controverſiæ de Candidatorum nobilitate, ac de vera ad *præbendas nobiles* obtinendas habilitate, deciduntur. Hæc docemur per formulam dedicationis. Præfatio tradit ſummam Hiſtoriæ politicæ ac eccleſiaſticæ ad *Auguſtulum* usque. Ad poſteriorem ſpectat hoc Autoris Cel. judicium: *Nunquam clarius, atque his duobus Seculis, eluxit vicaria Chriſti & in Eccleſiam univerſam ſuprema Pontificis poteſtas, qua & hæreſes condemnare, præſidere Synodis Oecumenicis, aut easdem confirmare, appellationes ab omnibus terrarum Epiſcopis accipere, totumque jus ſacrorum exercere, valuit.* Quid *Euſebius*, quid *Gregorius Nazianzenus*, quid *Theodoſius Magnus*, de hiſce capitibus memoriæ proditum voluerint, jam non eſt noſtrum, indicare. Approbant ſe Geographis Tabulæ IV, quibus Patriarchatuum quinque tractus fuerunt delineati atque expreſſi. Ineſt enim eis multum ex recentiorum Geographorum accuratione. An loca Palæſtinæ *tertiæ* fuerint ſic poſita, ut nihil deſiderari poſſit, admodum dubitamus. Excidiſſe *Conſtantinum Maximum* idola, ac flagitia ethnicorum proſcripſiſſe, Cel. ſibi perſuaſit Autor, de patria *Conſtantini* incertus. At, hanc fuiſſe Naiſſum, nunc Niſſa, urbem olim Daciæ ſupra Macedoniam, dubium non eſt. *Joannes Vogtius* ſingulari *Diſſertatione*, & *J. A. Fabricius* in *Bibliotheca Græca*, id ipſum extra controverſiam collocarunt. Juvat legiſſe, quæ Autor de fatis *Conſtantini*, inter ſocios Imperatores hærentis, ediſſeruit. Melitinam legionem pro *Marco Aurelio* precibus ad Chriſtum fuſis viciſſe hoſtes, credit. Bella *Conſtantini*, in *Maxen-*

Digitized by Google

Pag. 14. *tium* & *Licinium* expromta, fideliter & tragice exponit. Ve-
28. ritatis vox eſt illa: *Illi longius a vero aberrare videntur, qui-
bus perſuaſum eſt, Conſtantinum in hac temporum acerbitate
integrum urbis Romanæ pluriumque provinciarum dominatum
in Pontificis* (*Silveſtri*, Epiſcopi Romani,) *poteſtatem tradere
potuiſſe*. Sententiam hanc ſuam Autor, ratus, donationem
180. *Conſtantini* eſſe a recentiore ingenio confictam, rationibus
ſingulis rite ponderatis, ſatis communivit. Idem putat, *Con-
ſtantinum* transtuliſſe Byzantium ſedem, eo quod amplior
illi in Oriente diſſeminandæ fidei Chriſtianæ ſpes fuerit. *Eu-
ſebium* Nicomedienſem clam *Ario* faviſſe, ac in Cæſarem fle-
ctendum omnia valuiſſe, pronuntiat. Cædem, in *Criſpum*
exercitam, jure vacuam, in *Conſtantino* notat, crimine in
Fauſtam, *Criſpi* novercam, conjecto, quam paulo poſt *Conſtan-
tinus* idem, balneo incluſam, perire voluit ex æſtu et fumo.
32. A. 331 *Conſtantinus Ario* favere cœpit, & *Athanaſium* A. 335
Treviros juſſit diſcedere. Diviſit imperium minus auſpicato.
Ægrotus diſceſſit in ſuburbana Nicomediæ, ubi ab *Euſebio*
35. Nicomedienſi publice fuit baptizatus prima vice. Hæc denuo
vox eſt veritatis. Romani eum ſolita apotheoſi inter numina
ſacra retulerunt, quibuscum religioni Chriſtianæ nulla affi-
nitas interceſſit. *Julianus* ac *Zoſimus*, in eum aſperi, virtu-
tes ei omnes detrahere haud valuerunt. Dolemus, *Gotbo-
fredum Arnoldum* etiam ultra limites veritatis fuiſſe evaga-
39. tum. Non vacat, cædes & calamitates, quibus filii *Conſtantini*
ſeſe & orbem gravarunt, repetere. *Julianum* curate Noſter
delineat, virtutibus omiſſis, quas magni fecit *Bletierius*. Ala-
67. mannos certe *Julianus* fortiter ſatis devicit. Salios, Franciæ
orientalis incolas, fregit. Incidit paulo poſt diſſidium inter
Julianum, quem milites proclamabant Imperatorem, & *Conſtan-
tium*, bello Perſico intentum. Repente vita hunc, febri ad
montem Taurum ſubinde correptum, deſtituit. *Julianus* in-
de rapuit imperium, ac paulo poſt in Perſica expeditione ex
vulnere imæ jecoris fibræ periit. Ultima vitæ ſic Ven. *Daude*
exponit: *Ferro a corpore extracto, ſanguis copioſus protinus*
76. *erupit, quem manu hauſtum in cœlum evibraſſe dicitur, hoc*
convi-

convicio Chriſtum, debellatorem ſuum, allatrans: Viciſti, Galilæe! *Theodoretus* hæc confirmat. Nec admodum diſſentiunt *Acta S. Theodoreti*, ac ipſe *Sozomenus*. Nihilo minus reprimere pedem videmur, quamprimum Cel. *C. A. Heumanni* de hoc argumento Diſſertationem pervolvimus. *Jovianus*, ejusque ſucceſſores, digno affecti ſunt præconio. *Gratianus* ethnici Pag. 113.
Pontificatus detrectavit primus nomen & veſtes. Hæ erant chlamydes candidæ, *Lactantio* teſte *de M. Perſecut. Cap. 36.* 223.
De *Gratiano* id, quod ſignificavimus, habet *Zoſimus*. Non fert Noſter eos, qui cum *Goldaſto* credidere, Reges Romanorum veſtibus illis pontificalibus jus ſuum *circa ſacra* ſignificaſſe. *Tillemontius* ac *Pagius* negarunt, Imperatores Chriſtianos veſtimentis illis pontificalibus uſos fuiſſe. Noſter hiſce ſuffragatur; an ſolide ſatis, alii judicent. *Bletierius* certe, eadem olim ſentiens, poſtea mentem mutavit. *Va-* 128.
lentiniani I genealogiam, fuſius concinnatam, communicavit Autor cum lectore, nec in diligentia ſua, Imperatorum vitis impenſa, paſſus eſt deſiderari quidquam. Tandem & ipſe Naiſſum pro *Conſtantini* patria habet. *Helenam* fuiſſe hujus 155.
uxorem legitimam, oſtendit. Crucem *Conſtantino* fuiſſe re vera in cœlo obviam viſamque, ac denuo nocte ſequenti per ſomnum oblatam, ex *Euſebio*, *Nazario*, *Lactantio*, *Sozomeno*, comprobat. Interventu ſigni crucis *Conſtantinum* viciſſe hoſtes, contendit Noſter, inductus verbis: *In hoc vince.* Signum vero illud conſtitit ex ☧ literis, quæ *Chriſtum* denotant. Per hunc *Conſtantinus* victoriam obtinuit. Illas literas in labaro & galea geſtari voluit. Id ſignum ei fuit in adſpectu & ſacrum. Quis hoc negare auſit? *Indictionis* initium Noſter deducit ab A. 312, ratus, cauſam inventi latere. De nova juris legumque *Conſtantini Maximi* ratione tradit idem haud tralatitia. Loco duorum Prætorio præfectorum *Conſtantinus* 167.
conſtituit Quatuorviros ea lege, quam *Zoſimus* enarravit *Lib. II.* Inde exortæ ſunt *diœceſes* & politicæ, & eccleſiaſticæ. In Notitia Imperii, Seculo V perſcripta, ſupereſt copioſior expoſitio. Diœceſes tamen in Novi Fœderis tabulis jam depre- 176.

hendit

Digitized by Google

Pag. 193. hendit Noſter. Tabulam donationis *Conſtantini Maximi* pro
197. minus genuina habet, ut diximus. De origine urbis Conſtantinopolis ſolide diſſerit, & ex Autore vetuſto ichnographiam ejus ſuppeditat. De baptiſmo *Conſtantini* exponit fuſe, ac ſe ad ſententias ſingulas dijudicandas accingit, acquieſcens in teſtimoniis *Euſebii* ac *Sozomeni*. *Zoſimi* calumnias, in *Conſtantinum Maximum* effuſas, diſpungit. Quærit, an Chriſtiani Imperatores Seculi IV ſibi jus ſacrorum vindicarint, aut vindicare potuerint. Argumenta ajentium candide percenſet, licet, eis acquieſcere, non putaret eſſe partium ſuarum.
227. De Hunnorum & Alanorum origine commentatur, Scriptores profanos Seculi IV, *Attium Pateram*, *Jamblichum*, *Gregorium*, & *Hermogenem*, attingit, copioſior in Chriſtianis enarrandis ſcriptoribus, *Commodiano*, *Juvenco*, aliisque. Perſecutiones, Pontifices Romanos, Viros ſanctos, eosque inter *Antonium Eremitam*, *Ammonem*, *Hilarionem*, *Alexandrum Alexandrinum*, *Athanaſium*, Concilia, Schiſma Donatiſtarum & Meletianorum, *Arii* hæreſin & funeſtam mortem, ſubjungit.
271. Concilium Nicænum copioſe exponit. Legatos *Silveſtri* in eo tenuiſſe ſiniſtram ſedem, quæ fuerit primaria, arbitratur.
283. Canones XX Concilii exſtitiſſe, fatetur. *Helenam* fuiſſe inventricem crucis dominicæ, credit. *Athanaſii* calamitates haud omittit. Arianiſmi ſub *Conſtantio* triumphantis fata ex-
323. ponit. Synodum Sardicenſem copioſa exequitur oratione. Eandem diligentiam inſumit Concilio Carthaginenſi primo. *Photini* fata percenſet. *Euſebii* Vercellenſis inſtitutum, quo Clericorum officia, & Monachorum inſtituta, conjunxit, ex-
346. ponit. *Liberii* lapſum haud omittit. An reſtitutus fuerit ab Arianiſmo immunis, non definit. Synodum attingit Ari-
363. minenſem, in qua Patres congregati inciderunt in erroris profeſſionem. Arianis nocuiſſe Schiſmata & diſſidia inteſti-
377. na, oſtendit. *Luciferum Calaritanum* & *Hilarium* oppoſuiſſe *Conſtantio* intrepidam profeſſionem, monſtrat. Inſectationes *Juliani* in doctrinam Chriſti tentatam perſequitur. *Joviani* in eccleſiam merita dilaudat. Synodos, Laodicenam, Lampſacenam, Valentinam, attingit. Errores varios recenſet. De

Optato,

Digitized by Google

Optato, *Ambroſio*, *Martino Turonenſi*, *Ephremo*, *Hieronymo*, *Epiphanio*, aliisque viris claris, exponit. Saracenos & Gothos ad Chriſti doctrinam adductos, hos ad Arianiſmum, ſignificat. Presbyterum pœnitentiarium Conſtantinopoli ob impudicitiam depoſitum fuiſſe, non negat. Controverſiam, de libris *Origenis* exortam, diſcutit. *Auguſtini* vitam enarrat. De Pag. 448.
veterum templorum Chriſtianorum forma & conſecratione diſputat fuſe. An Synodus Arelatenſis ſit *plenarium* illud *Concilium*, in quo quæſtionem *de baptiſmo hæreticorum* abſolutam eſſe, ſcripſit *Auguſtinus*, diſquirit, ratus, deſignatum fuiſſe ab hoc Concilium Nicænum. Argumenta, obſtare ſibi 453.
viſa, ſolvit erudite. De Chorepiſcoporum, quorum prima ſit in Synodo Arelatenſi mentio, origine, officio, & ordine, 459.
commentatur docte, eosque dat fuiſſe Vicarios Epiſcoporum per villas vicosque intra tractum, ab antiſtite aſſignatum. Quærit, quisnam prima œcumenica Concilia jure legitimo 463.
convocarit, iis præſederit, ac illa confirmarit. Confugit Noſter ad quæſtionem extricandam non ad *Euſebium* & Hiſtoricos alios, ſed ad illud pronuntiatum Chriſti, *ubi duo, vel tres, congregati fuerint in nomine meo*, & ad primatus exempla, Seculis primis tribus obvia, quibus & deputati laici in Synodis jure ſuffragiorum gaudebant, needum Epiſcoporum alter alterius juriſdictioni ſuberat, *Cypriano* teſte. Accedit porro 473.
ad Canonis ſexti Nicæni ſenſum, ac de Romani Epiſcopi poteſtate in ſuburbicarias provincias diſſerit. Obſcurus eſt ille Canon, & a *Rufino* ſic expreſſus: *Et ut apud Alexandriam, & in urbe Roma, vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum, ſolicitudinem gerat.* Quatuor variantes lectiones exhibentur ejus Canonis apud *Harduinum Concil. Tom. I pag. 326, 333, Tom. II pag. 638.* Diſtinguit Noſter in Epiſcopo Romano Epiſcopum a Metropolitâ, Patriarcha per Occidentem, Primatem. Primatum ſimul deſignari per mentionem vetuſtæ conſuetudinis, contendit. Sunt, qui ſuburbicariam metropolis Romanæ poteſtatem ad centeſimum ab urbe lapidem, quousque præfecti Romani poteſtas patuit, proferunt, haud ultra. At, Præfecto

Urbis,

Urbis, putat Noſter, nunquam diœceſeos gubernationem aſ-
ſignari. Vicarii duo diœceſes Italiæ moderabantur. Alter
Pag. 476. degit Mediolani, alter Romæ. Hic ſuburbicariis præfuit
provinciis decem, Campaniæ, Thuſciæ ac Umbriæ, Piceno
ſuburbicario, Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ, provinciæ Bru-
tiorum & Lucaniæ, Samnio, Sardiniæ, Corſicæ, Valeriæ.
Ad Notitiam Imperii provocat Noſter. *L. E. du Pin* eadem
jam docuit cum aliis. Negat Noſter, terras patriarchicas
481. Epiſcopi Romani Canone illo ſexto deſignari, ac argumenta
promit. Canones Arabicos, quos vocant, a Patribus Nicæ-
nis editos eſſe, ſolide inficiatur. De autoritate Synodi pro-
vincialis, & an ea ab Apoſtolica ſede ſit confirmanda, quærit.
487. Inveſtigat controverſiæ momenta, an ex Canonibus Sardi-
cenſis Synodi ortum ſit jus provocationum ad ſedem Apoſto-
licam. Ajunt ita *Petrus de Marca* & *L. E. du Pin*, qui præ-
terea ad *Cyprianum Lib. I Ep. 3* confugiunt. Repugnat Noſter,
& argumenta in contrarium recenſet, quæ apud ipſum ſunt
499. evolvenda. De liturgiis Apoſtolorum & *S. Baſilii* diſſerens,
illa Chriſti verba: *Hoc facite in memoriam mei*, de ſacrificio
exponit. Liturgias, *Marco*, *Matthæo*, *Petro*, *Jacobo*, inſcri-
ptas, dubiæ fidei eſſe, non negat. *Baſilii* illa magis eſt ge-
nuina, nec non *Chryſoſtomi*, quæ magnam partem ex illa fuit
502. deſumta. Momenta celebrationis Miſſæ recenſet Noſter co-
pioſe, ac concedit, populum primis Seculis utraque ſpecie
euchariſtica fuiſſe uſum. De Catechumenorum claſſibus, in-
ſtitutione, ac de baptiſmi ſolennis ritibus, docte commenta-
504. tur. Tum vero exponit de Scriptoribus ſacris Seculi IV.
Euſebium, celeberrimum Hiſtoricum, ab Arianiſmi labe haud
512. prorſus purgari poſſe, ſignificat. *Petrus Cave* ab eo appel-
latur, qui *Guilielmus* fuerat dicendus, *pag. 513*. Noſter doctri-
nam eccleſiæ, ac diſciplinam Seculi IV, ſua dignatur tractatio-
519. ne. Ad illam hæc quoque refert capita: 1) certa eſt Eccle-
ſiæ in traditionibus & decretis autoritas; 2) Primatus *Petri* &
Pontificis ſucceſſoris a Patribus ejus ævi fuit celebratus; 3)
Euchariſtiæ veritatem & ſacrificium comprobarunt iidem
Patres; 4) ſola fides ad ſalutem haud ſufficit; 5) pœnitentiæ
datur

Digitized by Google

datur Sacramentum; 6) purgatorium docuit *Ambroſius*; 7) invocationem Sanctorum probarunt *Cyrillus* & *Hieronymus*; 8) reliquiæ Sanctorum & crux in honore fuerunt; 9) cœlibatum laudavit *Athanaſius*; 10) abſtinentiam a cibis laudat *Baſilius*. Exponet aliquis noſtrum de Theologia dogmatica Seculi IV alias. De diſciplina, Conciliis, & Synodis, Seculi IV Autor haud parce agit. *Auguſtulum* non ita deſcribit, ut in eo ſubſiſtat. Subjungit potius Imperatoribus Occidentis Seculi V hiſtoriam de Suecorum & Gothorum regno per Hiſpaniam & Galliam Narbonenſem. Exequitur regni Burgundionum & Francorum in Galliis initia. Regnum Vandalorum haud prætermittit. Anglo-Saxonum in Britannia diſpicit geſta & regna. *Alaricum*, Romæ direptorem, cominus intuetur, non definiens, an *Alaricus* Romam A. 409, an 410, expugnaverit. De ratione, qua *Theodoſius II* inſtitutus fuit, exponit copioſe, nec non de *Codice Theodoſiano*, de cauſis exitii, quod imperio occidentali accidit, porro de Pictis, Scotis, Saxonibus, Anglis, ac Jutis, nec non de ſcriptoribus Seculi V, tum profanis, tum eccleſiaſticis. Subjicit ea, quæ ad ſacrum Eccleſiæ principatum videntur ſpectare, creſcentem magis inter calamitates publicas, quam imminutum. De ſacris veſtibus ſacerdotum ac miniſtrorum differens, negat, earum originem a paganis eſſe arceſſendam, contenditque, veſtes ordinis ſacri ab initio doctrinæ Chriſtianæ in ſacris fuiſſe peculiares. Vaſa illuſtrat ſacra, vetuſtorum Seculorum delicias. De jure aſyli, eccleſiis impertito, diſſerit, exceptis ab eo criminum graviorum reis. De Patriarchatu Romano, ejusque finibus, agit luculente, nec non de Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano. Diſſerit de ſupremo jure indicendi, moderandi, ac firmandi, Concilia œcumenica Seculo V. De ſcriptoribus ſacris ejus Seculi agit, nec non de doctrina & diſciplina eccleſiaſtica illius ætatis. Donatiſtæ, Pelagiani, Neſtoriani, Eutychiani, Concilia, & Synodi, adjiciuntur. Quanto oceano Cel. Autor navem ſuam credidit!

[Margin: Pag. 523. — 623. — 637. — 669. — 684. — 689. — 828.]

Digitized by Google

PRODUZIONI MATEMATICHE DEL CONTE GIULIO CARLO DI FAGNANO, etc.

hoc eſt,

PRODUCTIONES MATHEMATICÆ COMITIS JULII CAROLI DE FAGNANO, Marchionis de Toſchi & de S. Honorio, Nobilis Romani, & Patricii Senogallienſis.

Tomi II.

Piſauri, anno Jubilæi 1750, 4 maj.
Tom. I Alph. 3, Tom. II Alph. 3, Tabb. æn. 16.

Comparet hic Sylloge Operum Ill. Comitis *Fagnani*, inter celebriores noſtri ævi Mathematicos Italos numerandi. Inclaruit is jam dudum per multa egregia ſpecimina, in variis inprimis Italiæ Diariis, nec non in his *Actis* noſtris, publicata. Horum pleraque, etſi non omnia, jam in unum collecta, ut & anecdota varia, hic reperient Lectores; ad quorum notitiam paulo pleniorem exhibendam omni ſine mora accedimus. Maximam *Tomi I* partem occupat *Theoria generalis proportionum geometricarum* longe ampliſſima. In hac id operam dedit Ill. Autor, ut utiliſſimam illam, & in univerſa Matheſi adeo ſolennem, doctrinam, de proportionibus geometricis, ſolidiſſimis pariter ac evidentiſſimis principiis inædificaret. Quod ad ideam ipſam proportionis geometricæ, fundamenti loco ponendam, attinet, (de qua adeo jam diſceptatum eſſe conſtat inter viros doctos, qui in hac palæſtra ſe exercuerunt,) relicta illa de æquemultiplicibus, ſatius duxit Autor, illam de aliquotis ſimilibus aſſumere. Ex hoc principio patet, proportionem geometricam eſſe veram quantitatem, unde indoles omnium proportionum geometricarum, præſertim vero compoſitarum, admodum naturaliter deduci poteſt; quin & demonſtrari inde evidentius ipſa calculi vulgaris analytici principia. Rei natura vix permittit, ut plura de hocce Tractatu hic exponamus, cum integra theo-

theoria in uno nexu concipi debeat; præſertim cum, quæ data opera pluribus exponere voluit Cel. Autor, in compendium redigi absque perſpicuitatis jactura haud queant. Fatendum certe eſt, executum eum eſſe, quod ſibi propoſuit, negotium inſigni cum facilitate & evidentia; adeo, ut non poſſit non placere iis, qui totam de proportionibus geometricis doctrinam clariſſime ante oculos poſitam conſpicere geſtient. Id vero ſilentio præterire nullo modo poſſumus, propoſuiſſe eum hic *novum Algorithmum*, a communi algebraico diverſum. Cum nempe in Algebra communi ab omni ævo receptum ſit, ut in omnibus calculi operationibus unitas poſitiva aſſumatur, hoc vero omnino ſit arbitrarium; in animum induxit Autor, an non poſſit unitas quoque negativa ſtatui, & in operationibus iſtis adhiberi. Valde uſus eſt novo hoc Algorithmo ſuo non ſolum ad demonſtranda multa in proportionum theoria, ſed & inprimis ad illuſtrandam quantitatum imaginariarum (ſeu, ut vocat, *extraordinariarum*,) indolem, aliaque. Eundem quoque applicavit ad reſolutio- Pag. 423.
nem analyticam æquationum ſecundi, tertii, & quarti, gradus, eumque oſtendit uſu venire potiſſimum iis in caſibus, ubi quantitates adſunt imaginariæ. Adjecta eſt Appendix duplex: 455.
altera *Supplementum ad Librum V Elem.* (jam in *Diario: Giornale de' Letterati d' Italia Tom. XXXVIII P. I pag. 290* publicatum); altera *duæ novæ methodi reſolvendi algebraice æquationes quadraticas*, non novo quidem ipſi Algorithmo (ut præcedentes), ſed communi, ſuperſtructæ. Si nempe ſit $xx + bb = ax$, invenit Autor duplicem hanc expreſſionem: $x = b\,[1 \pm \surd\,(1 - \frac{4bb}{aa})]^{\frac{1}{2}}$ diviſum per $[1 \mp \surd\,(1 - \frac{4bb}{aa})]^{\frac{1}{2}}$ vel quoque $x = b[\surd(a \mp 2b \pm \surd(a - 2b)]$ diviſum per $\surd\,(a + 2b) \mp \surd\,(a - 2b)$. Quem tamen uſum ab expreſſionibus hiſce, quæ communibus longe ſunt complicatiores, exſpectet, addere ipſi non placuit. Porro exhi- 470.
bet *novam methodum reſolvendi algebraice æquationes quarti gradus*: unde quoque fluit reſolutio æquationum, tam qua-

Digitized by Google


draticarum, quam cubicarum. Eruuntur hic pariter variæ expreſſiones radicum, a conſuetis forma ſua differentes. Ultimum hujus *Tomi* locum replent varia, ad *menſuram ſortis*
Pag. 497. ſpectantia. Primo *Theorema generale*, quo determinantur præmia debita in quavis ſpecie ſortis, quæ dicitur ad uſum Romanum, pro quavis combinatione numerorum, de quibus ludus poteſt inſtitui. Sequuntur duo *Problemata*, ad eundem ludum pertinentia; denique alia, quibus theoria præcedens adhuc ulterius profertur; ſed de quibus omnibus in compendio dicere non poſſumus.

Ad *ſecundum* itaque *Tomum* progredimur, in quo primo
1. occurrit *Tractatus de triangulis rectilineis.* Conqueritur Autor, perperam negligi a recentioribus Mathematicis doctrinam de triangulis, eosque nimis in ſublimioribus curvilineis occupari, relictis ſimplicioribus illis, quæ tamen reliquis omnibus fundamenti loco inſerviant. Laborem itaque ſuſcepturum ſe credidit haud inutilem, ſi varia, ad hanc doctrinam ſpectantia, etſi jam ſatis cognita, denuo reſumeret, & novis, iisque multiplicibus, demonſtrationibus corroboraret, præterea autem varia nova, a ſe inventa, ſimul proponeret. Primo itaque varias triangulorum rectilineorum proprietates conſiderat. Spectant hæ ad ſymptomata rectarum, in iis ductarum, angulorum, circulorum circumſcriptorum, vel inſcriptorum, &c. maxima & minima, &c. Has dein traducit ad aliorum Theorematum demonſtrationem, & Problematum reſolutionem. Fatendum eſt, occurrere hic permulta, & in ſe elegantia, & in aliis quoque diſquiſitionibus uſum habitura. Speciminis loco addamus unum alterumve. Ita e. g. *pag.* 7 demonſtratur *Theorema* ſequens: Intra $\Delta\ BAR$
TAB. IV Fig. 1. aſſumto pro lubitu puncto *C*, per id ducantur ad angulos Δli rectæ ACO, BCD, RCP, erit $\frac{CR}{RP} = \frac{CD}{BD} + \frac{CO}{AO}$. Unde porro (*Cor. II pag.* 8) ſequitur, fore $\frac{CR}{RP} + \frac{CA}{AO} + \frac{CB}{BD} = \frac{2CP}{RP} + \frac{2CO}{AO} + \frac{2CD}{BD}$, quæ eſt nova & ſatis elegans trianguli pro-

prietas.

Digitized by Google

prietas. *Pag.* 89 ſolvitur ſequens *Problema*, ad *Calculum differentialem* ſpectans: Dato angulo rectilineo quovis *D*, ductaque a puncto quovis *M*, in uno ipſius latere *DA* ſumto, recta *MF* parallela alteri lateri *DC*: invenire curvam *MGg*, TAB. IV Fig. 2.



ambo vel acuti, vel obtuſi, jungatur *DE*: erit ſemper novum Δlum *DAE* = dato Δlo *BAC*. (Tale vero Theorema, poſitis *CADH*, *BAEG*, quadratis, demonſtratum legiſſe meminimus in *Commentar. Acad. Pariſ.*) Haud contemnenda etiam eſt æquationum quadraticarum, quin & cubicarum, reſolutio, *pag.* 177 e triangulo rectangulo nova methodo deducta. Tacemus, ne longiores ſimus, relationes varias, inter latera trianguli rectanguli locum habentes, & a *pag.* 194 *Cor.* 39 usque ad *pag.* 198 evolvendas. Novitate non minus, quam

draticarum, quam cubicarum. Eruuntur hic pariter variæ expreſſiones radicum, a conſuetis forma ſua differentes. Ultimum hujus *Tomi* locum replent varia, ad *menſuram ſortis*

Pag. 497. ſpectantia. Primo *Theorema generale*, quo determinantur

ta, & in re elegantia, & in aliis quoque diſquiſitionibus uſum habitura. Speciminis loco addamus unum alterumve. Ita e.g. *pag.* 7 demonſtratur *Theorema* ſequens: Intra Δ *BAR*

TAB. IV Fig. 1. aſſumto pro lubitu puncto *C*, per id ducantur ad angulos Δli rectæ *ACO*, *BCD*, *RCP*, erit $\frac{CR}{RP} = \frac{CD}{BD} + \frac{CO}{AO}$. Unde porro (*Cor. II pag. 8*) ſequitur, fore $\frac{CR}{RP} + \frac{CA}{AO} + \frac{CB}{BD} = \frac{2CP}{RP} + \frac{2CO}{AO} + \frac{2CD}{BD}$, quæ eſt nova & ſatis elegans trianguli proprietas.

Digitized by Google

prietas. *Pag. 89* ſolvitur ſequens *Problema*, ad *Calculum differentialem* ſpectans: Dato angulo rectilineo quovis *D*, ductaque a puncto quovis *M*, in uno ipſius latere *DA* ſumto, recta *ME* parallela alteri lateri *DC*: invenire curvam *MGg*, cujus abſciſſæ originem habeant ipſum punctum *M*, ordinatæ, ut *HG*, ſint parallelæ ipſi *DA*, & tangentes, ut *GC*, ſecent latera *DA*, *DC*, & rectam *ME*, ita, ut inter omnes rectas, quæ per punctum *E* duci poſſunt, ſubtenſa *AC*, quæ eſt portio tangentis *GC*, reſecet ſummam minimam maximamve poteſtatum *n* ipſorum laterum, hoc eſt, ut $DA^n + DC^n$ ſit minimum maximumve, poſito *n* quovis integro, vel fracto, poſitivo, vel negativo. Hujus curvæ invenitur æquatio ſequens, (poſita $AM = x$, $HG = y$, $ME = b$, $MD = c$, $c^{\frac{1}{n+1}} = q$,) $y = (n+1)\, q \left(\frac{x}{n}\right)^{\frac{n}{n+1}}$, quæ adeo eſt e genere parabolico, vel hyperbolico, prout *n* eſt vel poſitivus, aut negativus major unitate, vel negativus unitate minor. Si $n = 1$, prodit Parabola, intra angulum *HMA* ſe extendens, in qua ſumma $DA + DC$ eſt minimum. Si $n = -2$ emergit Parabola, intra angulum *DME* cadens, in qua adeo $\frac{1}{DA^2} + \frac{1}{DC^2}$ eſt minimum. Quarum utraque eſt pulchra Parabolæ proprietas. Nec inelegans eſt ſequens trianguli proprietas: Ad △li cujusvis *BAC* latera *BA* & *AC* formata ſint parallelogramma æquilatera ſimilia *CADH* & *BAEG*, ita quidem, ut ipſorum anguli ad communem verticem *A* non ſint ſimul ambo vel acuti, vel obtuſi, jungatur *DE*: erit ſemper novum △lum $DAE =$ dato △lo *BAC*. (Tale vero Theorema, poſitis *CADH*, *BAEG*, quadratis, demonſtratum legiſſe meminimus in *Comment. Acad. Pariſ.*) Haud contemnenda etiam eſt æquationum quadraticarum, quin & cubicarum, reſolutio, *pag. 177* e triangulo rectangulo nova methodo deducta. Tacemus, ne longiores ſimus, relationes varias, inter latera trianguli rectanguli locum habentes, & a *pag. 194 Cor. 39* usque ad *pag. 198* evolvendas. Novitate non minus, quam

TAB. IV Fig. 2.

Fig. 3.

Digitized by Google

quam ambitu, & elegantia, ſeſe commendare poterit ſequens *Theorema* generale circa polygona *pag. 206*: Sit polygonum quodvis, cujus latera jaceant vel in plano eodem, vel in diverſis, ſitque ubicunque aſſumtum pro lubitu punctum, e quo ducantur rectæ ad vertices ſingulorum polygoni angulorum, nec non aliæ rectæ ad puncta omnium ipſius laterum media. Erit ſumma quadratorum rectarum, ad angulos ductarum, — ſumma quadratorum rectarum, ad puncta laterum media ductarum, = ſummæ quadratorum ipſorum laterum, diviſæ per 4. Inter *Problemata* quoque, ad maxima minimave ſpectantia, quorum triga *Appendicis* loco exhibetur, *pag. 218* occurrit ſequens: Dato angulo, & intra eum circulo; quæritur tangens circuli, cujus pars, a lateribus utrinque reſecta, ſit minima omnium. Problema hoc eſt ſolidum, variasque ejus conſtructiones per circulum ipſum & curvas Autor hic exhibet.

Sed convertamus nos ad alia *Schediaſmata* mathematica, Tractatum hunce excipientia. Analytica ea ſunt omnia, vel ad reſolutionem æquationum, vel ad curvas, Pag. 235. ſpectantia. Primo itaque ſeſe offerunt *Meditationes occaſione quadraturæ ſpatiorum hyperbolicorum cujusvis ſpeciei.* Simile eſt hoc ſcriptum ei, quod olim inſeruit *Varignonus Commentariis Pariſ. A. 1706 pag. 15* ed. Amſtelod. E natura nimirum duarum ſerierum, ubi differentiæ terminorum in una æquantur ſemper differentiæ terminorum in altera, demonſtrat principia calculi integralis; eaque dein applicat ad quadraturam parabolæ conicæ, rectificationem parabolæ cubicæ, & cycloidis; tunc vero traducit ad quadraturam hyperbolæ, & hyperboloidum cujusvis ordinis.
271. Additum eſt ſcriptum breve *de infiniteſimo, & infinito*, miſſum ab Autore A. 1736 ad Doctiſſ. Prælatum, *Nic. Antonellum*, in quo evolvuntur ideæ de variis infinitorum ordinibus, & traduntur theoremata varia de iis, quæ e multiplicatione, vel
275. diviſione, variorum ordinum reſultant. Sequitur *Problema, ad calculum integralem ſpectans, excerptum e ſecunda Reſponſione ad Nic. Bernoullium* (vid. Diarium: *Supplimenti al Giornale de' Letterati d'Italia Tom. I pag. 180*): Data æquatione

XYdx

$$\frac{XY\,dx\,dy^n}{dx^n} = P\,dx + \frac{b\,ddx}{dx} + \frac{c\,ddy}{dy} + Q\,dy + \frac{g\,dZ}{Z},$$

ubi *b*, *c*, *f*, *g*, *n*, repræſentant numeros quosvis integros, vel fractos, poſitivos, vel negativos; *X* & *P* quantitates quomodocunque datas per *x* & conſtantes; *Y*, *Q*, vero quantitates quomodocunque datas per *y* & conſtantes; *Z* denique quantitatem compoſitam utlibet e variabilibus & conſtantibus: quæritur ſuppoſitio differentialis conſtantis talis, quæ reddat ipſam æquationem integrabilem. Non minus reſolvitur aliud, eidem affine, excerptum e *tertia Reſponſione ad Nic. Bernoullium* (vid. *Opuſculi Calogierà Tom. XXIII pag. 103*); ubi idem quæritur pro æquatione: $\frac{XP\,dy^r}{dx^{r-1}} = \frac{a\,dz}{z} + \frac{b\,ddx}{dx} +$ Pag. 282.

$\frac{c\,ddy}{dy} + \frac{f\,db}{b} + \frac{g\,dZ}{Z}$ denotantibus *r* numerum quemvis; *P*, *Z*, quantitates quomodocunque datas per *x*, *y*, & conſtantes; *X*, *z*, quantitates utcunque datas per *x* & conſtantes; *b* vero quantitatem datam per *y* & conſtantes. Ex eadem *Reſponſione* excerptum quoque eſt *Theorema* ſequens, ad calculum differentialem ſpectans (vid. *Opuſc. eadem pag. 86*): 284.
Denotante $D\,ds$ differentiale elementi curvæ, ubi differentiale ordinatæ dy ponitur conſtans; & δds differentiale elementi ejusdem, ubi differentiale abſciſſæ dx pro conſtanti ſumitur: erit $D\,ds = -\frac{dx^2\,\delta ds}{dy^2}$; cujus demonſtratio triplex traditur.

Porro e *ſecunda Reſponſione ad Nic. Bernoullium* extractum 290.
eſt *Problema* hoc (vid. *dicta Opuſc. pag. 95*): Poſito, ad æquationem $A\,dds + B\,ddy + C\,ddx + Q = 0$, ubi *A*, *B*, *C*, *Q*, ſignificant quantitates utcunque datas per *x*, *y*, *dx*, *dy*, *ds*, & conſtantes, perventum eſſe absque ſuppoſitione ullius conſtantis: liberare eam a differentialibus ſecundis. Fit hoc, omittendo terminos non multiplicatos per ullum differentiale ſecundi gradus, & in reliquis mutando differentialia ſecunda in prima, adeo ut integralis quæſita futura ſit: $A\,ds + B\,dy + C\,dx = 0$. Sequuntur *bina Solutiones Problematis, ad calculum integralem ſpectantis, unde deducitur ſolutio* 293.

Proble-

Problematis, olim a Tayloro, Anglo, omnibus Mathematicis non Anglis propoſiti, exſtantes in *Suppl. al Giorn. de' Lett. d' Italia Tom. III pag. 181.* Quæritur nempe trinomii $\frac{x^f\,dx}{x^{2m}+cx^m+a^{2m}}$, ubi *m* poteſtas quævis binarii, integratio per quadraturam circuli, vel hyperbolæ. Hoc Pro-
Pag. 308. blema jam ſatis ventilatum eſſe, conſtat, inter Analyſtas. Excipit has *Solutio Problematum duorum mechanicorum, A. 1713 ab Anonymo in Schedula volante propoſitorum.* Alterum ſequentis eſt tenoris: Duo muri verticales convergunt in angulo rectilineo, cui ſubtenduntur trabes contiguæ, æqualis craſſitiei, inter ſe parallelæ, formantes quaſi planum horizontale; propoſitum vero eſt, ſuper hoc plano erigere parietem, quo ſeparetur a reliquo pars conclavis, a dictis muris comprehenſi; ſed, cum, erigendo hunc parietem, ſupra lineam aliquam rectam, ea non poſſit non vel parallela eſſe alterutri muro, vel concurrere cum ambobus, manifeſtum eſt, eam non poſſe ſuſtinere trabes omnes æquali cum reſiſtentia: quæritur itaque curva talis in plano dato horizontali, ut erectus ſuper hac paries inveniat ubique reſiſtentiam æqualem. Satisfacere invenitur huic ſcopo hyperbola, cujus aſymptoti datis muris ſunt parallelæ. In altero Problemate quæruntur duo priſmata æqualis longitudinis, & ejusdem materiæ, quorum baſes inſcribi queant eidem rectangulo, ſed habeant inter ſe datam rationem, quæque præterea ſint æqualis reſiſtentiæ. Uſus eſt Doctiſſ. Autor in horum ſolutione theoria *Varignoniana*, in *Comment. Pariſ.* olim propoſita. Sed pergamus. In *Diario Eruditor. Italiæ Tom. XIX pag. 348* propoſitum eſt ab Autore Problema ſequens: Data parabola biquadratica primaria, cujus æquatio $x^4 = y$, dataque ejus certa portione: aſſignare aliam ejusdem portionem talem, ut ambarum differentia ſit rectificabilis. Hujus dignitas ſatis ex iis apparet, quæ pronuntiavit Vir ſummus, *Jo. Bernoullius*, in *Actis* noſtris *A. 1698 pag. 465*, ubi, cum eandem proprietatem in parabola cubica primaria, ſeu ubi $x^3 = y$, primus detexiſ-

ſet,

ſet, prædicat id inventum nobilitate non modo non cedens, ſed & multis paraſangis præcellens illud *Heuratianum*, ſeu *Nelianum*, de rectificatione parabolæ cubicæ ſecundariæ. Cum vero nulla ejusdem ſolutio huc uſque comparuerit; ipſe Autor inſeruit *Tomo XXII* ejusdem *Diarii pag. 229 Schediaſma de nova methodo rectificandi differentiam binorum arcuum in in-* Pag. 317.
finitis ſpeciebus parabolarum irrectificabilium, una cum ſolutione dicti Problematis. Adjecit præterea modum biſecandi quadrantem curvæ lemniſcatæ, cujus æquatio eſt $xx + yy = a\surd(2xx - 2yy)$. Porro in ejusdem *Diarii Tom. XXVI*
pag. 266 tradidit ſequens *Theorema analyticum:* Poſitis duo- 336.
bus polynomiis $\frac{dx\surd(bxx+l)}{\surd(fxx+g)}$, & $\frac{dz\surd(bzz+l)}{\surd(fzz+g)}$, necnon æquatione $\overline{fbxxzz}^{s} + \overline{flxx}^{s} + \overline{flzz}^{s} + \overline{gl}^{s} = o$, ubi b, l, f, g, denotant conſtantes quasvis: erit integrale aggregati polynomiorum $= \frac{-bxz}{\surd - fl}$, ſiquidem in æquatione exponens s ſignificet unitatem poſitivam; ſed $= \frac{xz\surd - b}{\surd g}$ ſignificante s unitatem negativam. Ex hoc deducit novam dimenſionem arcuum ellipticorum, hyperbolicorum, & cycloidalium. Sequuntur varia *Schediaſmata, circa dimenſionem*
curvæ lemniſcatæ verſantia. Celebrem ſatis reddiderunt olim 343.
curvam hancce egregium fratrum par, *Jacobus* & *Joannes Bernoullii*, adhibendo eam ad conſtructionem iſochronæ paracentricæ, uti ex *Actis* noſtris *A. 1694* & *ſeq.* ſatis ſuperque conſtat. Quodſi ergo menſurari poſſit hæc curva mediante alia curva ſimpliciori; manifeſtum eſt, obtineri conſtructionem multo perfectiorem non ſolum iſochronæ paracentricæ, ſed & aliarum curvarum, quarum conſtructio a lemniſcata pendet. Docet vero hic Ill. Autor metiri lemniſcatam mediantibus arcubus ellipſios conicæ, hyperbolæ æquilateræ & rectæ; nec non aliter & multis modis ope rectæ & arcuum parabolæ cubicæ primariæ. Præterea monſtrat, non ſolum

Ttt bíſe-

Digitized by Google

biſecare quadrantem lemniſcatæ, (ut jam ſupra diximus,) eumque dividere in partes tres & quinque, verum etiam denuo biſecare omnes haſce portiones; ut adeo (quod multo generalius & valde elegans eſt) quadrans hujus curvæ dividi poſſit algebraice in tot partes æquales, quot numeri continentur in tribus hiſce formulis, $2.\ 2^m$, $3.\ 2^m$, $5.\ 2^m$, denotante *m* integrum poſitivum quemvis. Porro, biſecto quadrante, & dato arcu directo minore ſemiſſe quadrantis, invenire oſtendit arcum intermedium illi directo æqualem. Quæ lemniſcatæ proprietas eſt eo pulchrior, quod in nulla adhuc curva geometrica non rectificata inventum ſit, dato cuivis arcui
Pag. 369. aſſignare æqualem alium diſſimilem. Ex iisdem quoque derivat *methodum inveniendi menſuras novas arcuum parabolæ cubicalis primariæ.* Eam nempe dimetiri docet mediante extenſione hyperbolæ æquilateræ, ſpecie ellipſeos conicæ, & lineæ rectæ. Ut de horum omnium præſtantia judicare queant, pretiumque iis debitum ſtatuere, Lectores, indicaſſe ſufficiat, quæ de argumento hocce pronuntiarunt Viri ſummi, inter quos id olim in *Actis* noſtris ventilatum eſt. Aſſerit nempe in *Actis A. 1694 pag. 338 Jac. Bernoullius*, lemniſcatam eſſe curvam ſimpliciſſimam poſt circulum; & ſectiones conicas, pro conſtructione curvarum mechanicarum; etiamſi æquatio ipſius ad quartum gradum adſcendat. Idem in *Actis A. 1695 pag. 543 lin. 14* breviter repetit hoc aſſertum; additque, *Leibnitium* excitaſſe *Jo. Bernoullium* ad indagandas eas curvas algebraicas, quæ ſequantur immediate circulum & parabolam ordinariam in conſtructione curvarum mechanicarum; ſemet ipſum prædicans, quod invenerit, lemniſcatam eſſe unam curvarum ejusmodi, immediate ſequentium. Unde ſatis liquet, ſi conjectura aſſequi potuiſſet Vir egregius, ipſam lemniſcatam menſurabilem eſſe mediantibus curvis aliis ſimplicioribus, ipſum ſane judicium tale, tamque conſtans, laturum non fuiſſe. Quod vero ad menſuram parabolæ cubicalis primariæ dictam Autoris noſtri attinet, *Leibnitius* in *Actis A. 1694 pag. 370*, & *A. 1695 pag. 184*, ait, videri ſe ſibi inveniſſe aliquando, quantum dimenſio parabolæ cubicæ primariæ connexa

nexa ſit cum illa hyperbolæ æquilateræ. Sed, cum ne verbum quidem addat de ellipſi, indicio id eſt, inventum hocce ipſius ſubſiſtere non poſſe, eo magis, quod ibidem promittat, alio tempore ſe argumentum id accuratius eſſe pertractaturum, quod tamen executum ipſum unquam eſſe, non meminimus. De hoc vero credito reperto *Leibnitiano* hæc ſunt verba *Jo. Bernoullii* in *Actis A. 1695 pag. 64*: *Verum Vir Cel. demonſtrationem bujus publicare haud gravabitur; oſtendetur enim, curvas parabolæ cubicalis primæ & hyperbolæ a ſe invicem dependere, & unam alteram menſurare; id quod nobile prorſus & omnino novum eſſet inventum in Geometria.* Denique diviſio lemniſcatæ, quam attulimus, eſt eo magis ſingularis, quod (quantum quidem conſtitit huc uſque) non conveniſſe inventa ſit ulli curvæ algebraicæ non rectificatæ, præter circulum. En itaque prærogativas bene multas, easque novitate non minus, quam elegantia, ſeſe commendantes, ab Autore noſtro in lucem prolatas. Sed, ſatis in his morati, pedem promovemus ad *Schediaſmata, de inventione curvarum, in quibus angulus* Pag. 375.
comprehenſus inter chordam, (quæ omnes educuntur ex eodem puncto,) & axem, ad angulum factum a normali & eodem axe, ſit in data ratione numeri ad numerum. Harum exhibetur generatim æquatio differentialis, ea reducitur ad algebraicam, exponuntur caſus ſimpliciores. Occurrunt hic permulta elegantia; traduntur quoque obſervationes variæ, ad deſcriptionem cycloidis geometricæ primariæ ſpectantes. Or- 413.
dine ſequitur *nova methodus deſcribendi curvam lemniſcatam,* 415.
ut & quadratura evolutæ hujus curvæ. Theoremata duo, un- 426.
de deducitur reſolutio analytica infinitarum ſpecierum æquationum, ſemper magis magisque compoſitarum in infinitum, & ſectio indefinita arcuum circularium. Theorema *primum* eſt: Poſita exponente a quavis, ſi duarum æquationum harum $2yc^{a-1} = (x+\sqrt{(xx+cc)})^a + (x-\sqrt{(xx-cc)})^a$ & $2xc^{\frac{1}{a}-1} = (y+\sqrt{(yy-cc)})^{\frac{1}{a}} + (y-\sqrt{(yy-cc)})^{\frac{1}{a}}$ vera eſt una, vera erit & altera. *Secundum:*

 Si

Si eſt $2yc^{a-1} = \pm x(+\sqrt{(xx+cc)})^a \mp (-x+\sqrt{(xx+cc)})^a$ erit quoque $2xc^{\frac{1}{a}-1} = \pm(y+\sqrt{(yy+cc)})^{\frac{1}{a}} \mp (-y+\sqrt{(yy+cc)})^{\frac{1}{a}}$ & viciſſim. Haud obſcure jam patet, quomodo, evolvendo quantitates radicales, eruantur per has formulas æquationes altiores, quarum reſolutio inde in promtu eſt; nec non, quomodo ope formulæ notiſſimæ pro multiſectione arcuum $\int\frac{dy}{\sqrt{(1yy)}} = a\int\frac{dx}{\sqrt{(1-xx)}}$ habeantur expreſſiones generales pro arcubus multiplis. Sequi-
Pag. 444. tur *Formula generalis pro reſolutione analytica æquationum quarti, tertii, & ſecundi gradus, derivata ex methodo reſolvendi æquationes quarti gradus, in Tomo I pag. 470 exhibita.*
450. Porro *Solutio quatuor Problematum analyticorum, unde deducitur methodo uniformi reſolutio æquationum ſecundi, tertii, quartique gradus.* Problemata hæc in eo verſantur, ut in trinomii $a+b+c$ vel quadrato, vel cubo, vel biquadrato, diſcernantur ii termini, qui multiplicant ipſum $a+b+c$, vel $(a+b+c)^2$, vel $(a+b+c)^3$, a reliquis, qui tantum conſtituunt homogeneum comparationis. Ita e. g. in caſu primo eſt $(a+b+c)^2 = (a+2c)(a+b+c) + bb - ab - cc - ac$; ita & in reliquis. Ex his, præter reſolutionem æquationum, in titulo Schediaſmatis indicatarum, deducit etiam ſolutionem *Problematis*, in *Novis Actis* noſtris *A. 1749 Octob. pag. 627* ab ipſo Autore, haud indicato tamen ipſius nomine, propoſiti, & a nemine adhuc ſoluti. (Ita quidem ait ipſe: unde, nondum ad ejus manus perveniſſe, colligimus, ſimpliciſſimam ejus ſolutionem, a Cl. *Barmanno* in *Novis Actis A. 1750 Menſ. Mart. P. I pag. 134* exhibitam.) Hanc etſi huc transferre lubenter vellemus; ideo tamen non poſſumus, quod neceſſario cohæreat cum integro *Schediaſmate* Autoris, ut absque ipſo plane nequeat in-
469. telligi. Sequitur *alia methodus pro ſectione indefinita arcuum circularium absque ſerierum adminiculo*, jam A. 1719 ad Academiam Arcadum Romanam miſſa, & aliquot annos ante exarata. Fundatur hæc noto artificio integrandi $\frac{dt}{1+tt}$ per logarith-

logarithmos imaginarios. Offerunt jam ſeſe *duo Schediaſmata*, quibus continetur *methodus*, *Geometriæ inſervire faciendi quantitates imaginarias*: de cujus novitate non potuit non ipſe paulo gloriari Autor doctiſſimus. Priori enim inſcripſit *Lucretianum* illud: Pag. 476.

Avia Pieridum peragro loco, nullius ante
Trita ſolo.

Alteri vero aliud ejusdem Autoris:

juvat integros accedere fontes,
Atque haurire; juvatque novos decerpere flores.

Hæc una cum præcedenti ad modo dictam Academiam fuere miſſa. Solvuntur in his ſequentia duo Problemata, absque reverſione ſerierum, approximando tamen, per introductionem quantitatum imaginariarum: 1) *Invenire ſectorem circularem æqualem dato ſpatio, comprehenſo intra hyperbolam æquilateram, aſymptotum, binasque ordinatas*; 2) *Invenire viciſſim tale ſpatium hyperbolicum æquale dato ſectori circulari.* Solutio hæc eo redit: Patet, haberi formulam, (dicendo tangentem arcus $= t$, abſciſſam hyperbolæ $= x$) $\frac{dt}{1+tt} = \frac{dx}{1+x}$; unde, multiplicando per $\sqrt{-1}$, & integrando per logarithmos imaginarios, fit $\frac{1+t\sqrt{-1}}{\sqrt{(1+tt)}}, = (1+x)^{\sqrt{-1}}$, cujus reductione habetur ſecans $\sqrt{(1+tt)} = 2$ diviſ. per $(1+x)^{\sqrt{-1}} + (1+x)^{-\sqrt{-1}}$, quod demonſtrat Autor æquari ſeriei: $1 - \frac{1}{2}x^2 + \frac{1}{2}x^3 - \frac{5}{12}x^4 + \frac{1}{3}x^5$ &c. Viciſſim eruitur eadem methodo $1+x = 1+t+\frac{1}{2}tt - \frac{1}{6}t^3 - \frac{7}{24}t^4$ &c. Ex his itaque formari jam poteſt idea generalis methodi, a Cl. Autore hic in uſum vocatæ. Subjunguntur tria *Problemata, ad Calculum integralem pertinentia*, jam A. 1718 ad ſupra dictam Academiam miſſa, in quibus quæritur integratio binomii $dx \left(\frac{x^n}{a} + c\right)^{\frac{1}{n}}$ poſita integratione ipſius $dz: \sqrt{\left(\frac{t^n}{a} + cc\right)}$; in- 492.

 tegratio

Digitized by Google

tegratio binomii $dx: \left(\frac{x^{u}}{a}+c\right)^{n}$ poſita integratione ipſius $du: \left(c-\frac{u^{n}}{p}\right)$; denique integratio binomii $dz: \sqrt{\left(\frac{z^{n}}{a}+cc\right)}$ poſita integratione ipſius $du: \left(c-\frac{u^{n}}{p}\right)^{\frac{2}{n}}$. Colophonem de-
Pag. 504. nique imponunt Operi duo *Schediaſmata*, in quorum *altero* proponuntur *menſuræ novæ arcuum hyperbolæ æquilateræ*, quæ nempe concinnantur transformationibus variis formulæ, recti-
510. ficationi hyperbolæ inſervientis; in *altero* vero *methodus dimetiendi arcus ellipſeos conicæ, in qua axis major eſt media proportionalis inter axem minorem & duplum ipſius.* Statuendum eſt omnino hiſce omnibus pretium ex inventionis tempore; adeo, ut, etiamſi quædam non prorſus nova nunc ſint, ſatis tamen & abunde præclarum Ill. Autoris ingenium, & egregios in Analyſi ſubliniori profectus, declarent. De integro autem Opere non melius ferre poſſumus judicium, quam commodatis huc verbis inſignis Mathematici, doctiſſimi nempe illius in *Newtonum* Commentatoris, P. *Thomaſii le Seur*, quæ in fronte hujus libri legimus: *Illuſtriſſ. Autor - - plurima & maxime univerſalia Theoremata invenit proprio marte; quæ ab aliis jam erant inventa, aut ad majorem univerſalitatem adduxit, aut ſuis propriis ſedibus reſtituta, novis demonſtrationibus munivit; ubique veterum demonſtrandi rigorem cum recentiorum perſpicuitate conjunxit. Totum igitur Opus, tum ob præclara inventa, quæ continet, tum ob methodum accuratiſſimam, tum ob demonſtrationum veritatem & copiam, rerumque uſum ampliſſimum, luce publica digniſſimum judicarem.*

MEDICAMENTORUM CONSTITUTIO, SEU FORMULÆ CAROLI BARBEIRAC, Doct. Med. Monſpelienſis, Practici celeberrimi, nec non feliciſſimi. In lucem editæ ac auctæ, cura & ſtudio Doctoris Medici Monſpeſſulani.

Lugdu-

Digitized by Google

Lugduni, ſumtibus Fratrum de Tournes, 1751, 12 maj. Alph. 1.

Exercuit olim Clariſſ. *Barbeirac* Monspelii cum laude medicinam, ſimulque cum ſororis ſuæ filio, Cel. *Sydobre*, formulas concinnavit, Gallica partim, partim Latina, conſcriptas lingua. Has Medicus quidam Monspeſſulanus, qui ſuum latere voluit nomen, congeſſit, atque ad unam omnes in Latinum traduxit ſermonem, nec non, quantum ex praxeos medicæ cognitione fieri poterat, nova adjunxit additamenta, aſteriſco notata, quo ab iis diſtinguerentur, quæ ab illis viris fuerunt propoſita. Ad tria genera omnia referuntur medicamenta, ad interna nimirum, externa, & media, quorum unumquodque ſingulari recenſetur *Libro*. Poſt ponderum autem & menſurarum recenſionem *primus* conſequitur *Liber*, qui hæc continet. *Cap. I* agit de *Apozemate*, ſive decocto, ex variis ſimplicibus parato, ſaccharo, & ſyrupo edulcorato, quod vel alterandi, vel purgandi, vim habet. *Cap. II Julepos* conſiderat, quos ab apozematibus majori, quæ ingrediuntur, plantarum copia, & quod vim catharcticam non habeant, differre, ex decoctis autem, vel ex aquis ſtillatitiis, ſyrupo & ſaccharo parari tradit. *Cap. III Potiones* diſquirit. Ex aquis illæ conficiuntur, & alterantem, purgantem, & emeticam, virtutem exſerunt; quapropter tribus hoc *Caput* conſtat articulis. Inter purgantes potiones remedium quoddam, ab empirico inventum, & *Arabicum* dictum, recenſetur, quod ex Antimonio crudo, croco Martis aperiente, Scammonio, Syrupoque Limonum, componitur. Inter emeticas radicis Ipecacuanhæ, & tanquam antidoti radicis Simaroubæ, mentio injicitur. *Cap. IV Juſcula* deſcribit, ut medicamenta liquida ex carne ſola, aut cum ſimplicibus variis decocta, parata; cancri fluviatiles contra epilepſiam, viperarumque decoctum contra exanthemata, carnis vitulinæ in hydrope, laudatur. *Cap. V Emulſiones* tractat, quæ ſunt lac, ex ſeminibus paratum, & differunt a *Cap. VI* declaratis *Cremoribus*, qui gelatinæ inſtar coctione ex ſeminibus conficiuntur, ad quos Sagou, ex America allatum, refertur.

Digitized by Google

fertur. *Cap. VII Ptiſanam* perpendit, medicamentum liquidum, decoctione, aut infuſione, paratum cum aqua communi ad potum ordinarium. *Regia* illa vocatur, quæ ex Senna, Citreo, Roſis, & Glyzyrrhiza, fit, cum aqua frigida infuſis, ad *nephritidem* valere dicitur, quæ ex calcitrapa & parietaria conficitur. *Cap. VIII Syrupi* adducuntur, qui ſunt medicamentum liquidum, ex ſucco, decocto, aut infuſo herbarum, cum ſaccharo ad certam conſiſtentiam coctum: ſuntque vel officinales, vel magiſtrales, quos Medici præſcribunt. *Cap. IX* ad *Lactis, ſerique ejus*, conſiderationem accedit, cujus utendi modus indicatur, virtutesque accurate exponuntur. Aſininum præſtat vaccino, hoc vero ovillo, omnibus utilius humanum. *Cap. X de aquis mineralibus* inſcribitur. Sunt illæ vel thermales, vel acidulæ. Præter brevem nominum aquarum mineralium, quæ circa has regiones obſervantur, recenſionem, Bellillucanæ inprimis in confirmando ventriculo extolluntur. *Cap. XI Hydromelitem* & *Looch* exponit. Hydromel aquam mulſam, Looch, ſeu eclegma medicamentum liquidum, Syrupum imitans, faucium & pulmonum affectibus conveniens, deſignat. *Cap. XII* comprehendit uſum *Kinakinæ* & *Caſcarillæ*. Prioris virtus in profligandis febribus admodum nota eſt; hinc originem, uſum, & cautelas, in intermittentibus & acutis febribus adducit Autor, nec non ab Editore, in gangræna vim ejusdem eſſe, commemoratur. Caſcarilla, ab aliis Kinakina aromatica dicta, in febribus curandi eandem vim poſſidet. *Cap. XIII* de *præparatione & uſu Caffee, Chocolatæ, Thee, & Salviæ*, diſquirit, cujus præcipue cognitio neminem fere noſtris temporibus fugit. *Cap. XIV Opiata* explicat: quo ſub nomine medicamenta complectitur, ex ſiccioribus, cum ſyrupis conſervisque miſtis, parata, antiquitus nomen ab opio, quod ſemper admiſcebatur, repetentia. Variis cum indicationibus hæc ſatisfaciant, diverſæ eorum formulæ proponuntur. *Cap. XV* ad *Bolos*, cum prioribus, niſi quod firmiores ſint, convenientes, progreditur, & in purgantes, alterantes, & roborantes, diſtinguit. *Cap. XVI Pillulas* tractat, quæ ad dura pertinent remedia,

inter

inter quas Francofurtenſium quoque compoſitio docetur. *Cap. XVII* de *Tabellis*, medicamentis ſolidis, planis, ex pulveribus & & ſaccharo præparatis, agit, & ultimo tandem *Caput XVIII* de pulveribus diſſerit, qui ſunt medicamentum ſiccum, ex vegetabilibus, animalibus, foſſilibusque, comminutis, nunc ſolis, nunc mixtis, compoſitum. His peractis, eadem ratione liquida, mollia, ſiccaque, remedia externa in *Libro ſecundo* conſiderantur, inter quæ primum occupat locum *Cap. I Balneum.* Illud autem vel integrum eſt, vel ſemicupium, atque pro varia admiſſorum indole variis opitulatur morbis. Capiti prodeſt irrigatio, *Duchia* dicta. Ex parte ejus vices ſuſcipit *Cap. II* deſcriptus *fotus*, & *Cap. III epithema*, quod tamen ex ea, quæ hic affertur, definitione a fotu non differt, niſi quod hoc cordi & jecori, illum vero imo ventri, applicari jubeat Autor. *Cap. IV Collyria* proponit, medicamenta oculis dicata, vel ſicca & *Sief* nominata, vel humida, & hæc quidem vel mollia, linimenti, aut unguenti, forma, vel liquida. Ex linimentis ea, quæ pilos abſumunt, *pſilothra* vocantur, *Cap. V* deſcripta. *Cap. VI ſuffitum* recenſet, ſiccum, vel humidum, medicamentum, cujus partes tenuiſſimæ, caloris vi disjunctæ, ſub nubeculæ forma elevatæ, pluribus affectibus ſuccurrunt, & voluptatis æque ac ſanitatis cauſa parantur. Sequuntur *Cap. VII* medicamenta topica, quæ *Cataplaſmata*, vel pultes, nominantur; atque hæc *Cap. VIII Pomata* excipiunt, unguenti conſiſtentiam æmulantia, ex oleoſis potiſſimum ad inungendum formata. Unguento craſſius eſt duriusque medicamentum. *Cap. IX Emplaſtrum*, vel *Ceratum*, caloris ope extenſibile, quod cuti, cui tenacius adhæret, applicatur ad varias indicationes adimplendas. *Caput X Unguentis & Linimentis*, quæ conſiſtentia diſcrepant, a majori, vel minori, olei quantitate pendente, explicandis inſervit. Inter unguenta aliquod recenſetur, quo *ad deambulandum ſupra ignem*, *ignitaque corpora*, muniri membra poſſunt, & occaſione deſcriptionis unguenti Neapolitani, inungendi hydrargyrum methodus exponitur. Sub *Sinapiſmi & Phœnigmi Cap. XI* nomine

medicamenta intelliguntur topica, mollia, quæ alimentum ad partem languidam trahant, & ſpiritus, in iis ſopitos, excitent. Comprehendunt autem *Dropacem*, qui ad paralyticas & atrophicas partes adhibentur, *Cataplaſmata*, ſeu pulveres odoratos, odoris cauſa capillis, vel veſtibus, inſperſos, *Empasmata*, ſeu pulveres ad ſiſtendos ſudores, tandemque *Diapaſmata*, ad ſuavem odorem cuti conciliandum uſurpata, quibus partim hodie non utimur, partim etiam data ab Autore definitio non competit. *Cap. XII Sacculi* & *Cucupha* deſcribuntur, qui, dum fronti applicantur, *frontalium*, vel *epicarpiorum*, nomen habent, ſimulque de applicatione animalium, recens mactatorum, pauca annotantur. *Cap. XIII Cauteria* conſiderat & *trochiſcos cauterizantes*, quibus fonticuli accenſentur, & *Thymelea*, *radix*, cujus pars, lobis aurium immiſſa, curandis ophthalmiis gravioribus inſervit, ut *Cap. XIV* exponitur. Omnibus hiſce *pulverum externorum Cap. XV* additur conſideratio, quorum varia eſt utilitas. Remedia media, quæ *tertio* continentur *Libro*, ad pauca reducuntur *Capita*. *Clyſterum Cap. I* nomine veniunt medicamenta liquida, per anum in inteſtina craſſa effuſa, in quibus deſcribendis longior eſt Cl. Autor. *Gargariſmata Cap. II* ad faucium medicamenta pertinent. *Aqua vulneraria* & *injectiones Cap. III* declarantur, quæ vulnerum ulcerumque detergendorum cauſa parantur, parandi vero modus a decoctis non diſcrepat. *Cap. IV* de *Errhinis* agit, quæ maſticatoria & apophlegmatiſmos ſimul complectuntur. *Cap. V Suppoſitoria* & *Peſſaria* perpendit. Dedimus eo, qui Autori placuit, ordine medicamentorum recenſionem. Forte varia mutanda forent, quæ vel ad definitionem remediorum ſpectant, vel eorum actiones determinant. Ipſa etiam operis inſcriptio, plura hic quærenda eſſe, potuiſſet ſuſpicionem movere, cum ſit maximam partem deſcriptio tantum formarum, quibus indui medicamenta ſolent, additis variis compoſitionum exemplis, quæ practicis illuſtrantur cautelis.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTIANI FRIDERICI BOERNERI, S. Theol. Doct. & Prof. Prim. Diſſertationes ſacræ, quibus illuſtria oracula divina, ſanctiorisque doctrinæ capita, explicantur, & a depravationibus vindicantur.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtian. Langenhemium, 1752, 4. Alph. 2 plag. 2.

Venerabilis Senex, & Lipſienſis Academiæ, atque Ordinis theologici, nobile decus, Celeberrimus *Bœrnerus*, cujus nomini omnes aſſurgunt viri docti, pii, boni, poſt editas haud ita pridem *Symbolicas Inſtitutiones*, ad aliam, eamque non minus, quam illa altera, utilem ac ſalutarem, ſe accinxit operam, hanc *Diſſertationum* Syllogen in lucem publicam emittens. Sunt illæ maxima ex parte Commentationes, ex muneris publici ratione a multis inde annis, ſeptimo ſcilicet ac decimo hujus Seculi, conſcriptæ, recognitæ, emendatæ, acceſſionibus quamplurimis adauctæ, & ad communem utilitatem, delectu tamen habito, propoſitæ. Ad illuſtria hic ſemper S. Rev. Autor ſacrarum literarum reſpexit teſtimonia, cum magnis Chriſtianorum diebus feſtis convenientia, atque de Jeſu Chriſti, Domini noſtri, æterna deitate, incarnatione, nativitate, reſurrectione, ut & de Spiritus Sancti cum Patre & Filio ὁμουσίᾳ, ejusque beneficiis, agentia, ubi explanatio docta, atque, pro re nata, defenſio ſtringens atque accurata, caput dicendorum conficit. His Commentationibus doctis ad calcem operis tres additæ ſunt Diſputationes Autoris noſtri, olim data occaſione publice ventilatæ, & hic primum typis repetitæ. Reliqua ſcripta Academica Cel. *Bœrneri* vel ex parte jam ſunt recuſa, vel in poſterum lucem adſpicient publicam: quæ cauſa eſt, cur fruſtra quærantur. Jam vero, ut, quæ ſint opuſcula hac Sylloga concluſa, plenius cognoſcat Lector,

Digitized by Google

breviſſimis hæc ipſa verbis, ex ſerie eorum, indicabimus. *Primo* loco exſtat protevangelium *Geneſ. III, 15*, explanatum, & a depravationibus Werthemi-
Pag. 2. enſis ſpeciatim interpretis vindicatum. *Prior Sectio* literalem ſenſum textus Hebraici accurate exponit, enar-
8. ratis Autoribus, Evangelicæ, Reformatæ, & Pontificiæ, Eccleſiæ aſſeclis, recte de Meſſia ſemen mulieris accipi-
10. entibus. Adduntur vero etiam deinde omnes hujus doctrinæ purioris adverſarii, inter quos Judæi, inprimis
12. recentiores, ut & Sociniani, & Socinizantes, *Clericus*, & ante eum *Grotius*, aliique, inprimis vero Werthemienſis
17. interpres novus Bibliorum, recenſeri debent. Poſtremi hujus, in *Sectione ſecunda*, peculiari ratione examinatur
24. ſententia, &, ex more *Bœrneri*, acute, ſolide, & graviter, profligatur, atque ad oculum demonſtra-
28. tur, impium Autorem illum aniles Judæorum fabulas, & perverſas quasdam alias opiniones, pro fundamento ſuæ interpretationis, non vero doctrinam veram, habuiſſe.
32. *Tertia Sectio* hujus Diſſertationis de neceſſitate agit, pio atque docto Scripturæ S. interpreti impoſita, non vagas verborum ideas, ſed Spiritus S. & Scripturæ ſacræ ductum, ſequendi, contra quæ, ut & alia hujus
45. generis, certiſſima veritatis principia ille famoſus Autor libere & data opera impegerat. *Diſſertatio ſecunda* ad vindicatam æternam filii Dei generationem ſecundum *Pſ.*
50. *II, 7*, pertinet. Directa eſt hæc Commentatio inprimis adverſus Halenſem adverſarium hujus ſanctioris teſtimonii, *Stiebrizium* ſcilicet, de Chriſto, ſecundum humanam na-
53. turam, a Spiritu Sancto genito, hæc verba exponentem. Examinat S. Rev. Autor vanas hujus expoſitionis recentioris cauſas, &, quam parum habeant ponderis, oſtendit,
61. ad Halenſis ſimul interpretis objectiones docte reſpondens. Novum hic additamentum peculiare etiam deprehendimus, ubi *Stiebriziana* contra Autorem Venerabilem,
66. non modeſtæ omnino, proferuntur reſponſiones. Diſſentiens

Digitized by Google

tiens præcipuum ſuum argumentum, in diſputationem tra- Pag. 68.
ctum, circa vocabulum היום, *hodie*, urget, de quo vehemen-
ter contendit, id notionem, ab orthodoxis Theologis receptam,
non tueri; quod vero falſum eſſe aſſertum, ex re ipſa, & loquen-
di apud Hebræos ratione, demonſtrat Noſter, & novæ inter- 70.
pretationis reliquas exponit partes. Denique Venerabilis
Autor oſtendit, quamplurima abſona ex diſſentientis ſe-
qui opinione, ubi ſtatuerat, Chriſtum Spiritus Sancti 75.
filium appellari poſſe. Tale eſt, duos in S. S. Trinita-
te hoc modo conſtitui Patres, & Deum, hominem fa-
ctum, duos habere Patres, unum divinitatis, alterum hu-
manitatis. Sed quis hoc dicere audebit? Ita cum *Alcuino*
Bærnerus noſter reſpondet, atque verum vocabuli *ab-
ſoni*, ex *Livii* autoritate, probat uſum. In *Diſſertatio-
ne tertia Pſalmi II comm.* 7, & allegationis ejus *Act.* 80.
XIII, 33, conſenſus declaratur, veraque ejus ratio exponitur,
ubi multum inter ſe diſſentiunt interpretes. Docte hic 84.
ediſſeritur, *Paulum* ad promiſſionem de futuro Meſſia,
patribus factam, reſpicere, & hoc modo de exhibitione
potius, quam de reſuſcitatione ex mortuis, unigeniti Dei
filii & Salvatoris noſtri, loqui, licet etiam, ſi de reſurre-
ctione Chriſti allegatio Apoſtolica acciperetur, ſenſui *Da-
vidicus* de æterna ejus generatione non everteretur. *Quar-
to* loco longa & erudita ſequitur enarratio dicti *Paulini
1 Tim. III, 15, 16*, de filio Dei, in carne manifeſtato, in 88.
Spiritu juſtificato, &c. Purioris doctrinæ ubique legit
veſtigia Cel. Autor, uti v. g. juſtificatio in Spiritu de eo 115.
accipitur, ubi Servator operibus ſuis, inprimis vero &
præcipue revocatione ſua in vitam, quo Apoſtolus inpri-
mis reſpicere videtur, demonſtravit, verum ſe eſſe Θεάν-
θρωπον, quod ex aliis *Paulinis* enuntiatis non minus li-
quide apparet. *Quinta Commentatio Guilielmi Whiſtoni* 131.
errorem Ariano-Apollinariſticum de humana Chriſti na-
tura confutat. Statuit ille nimirum, Jeſum Chriſtum non
pro Filio Dei, Patri ὁμουσίῳ & συναϊδίῳ, ſed pro filio

 Dei,

Pag. 132. Dei, a Patre creato, eſſe habendum, qui quidem corpus cum anima ſenſitiva, non autem rationalem animam, aſſumſerit, quod illius loco ipſe fuerit λόγος, ſeu divina Chriſti natura. Hæc eſt erroris novi facies, quem Noſter hic refellit. *Sexta Commentatio* de animæ Chriſti, ante incarnationem filii Dei, præexiſtentia in cœlo agit, & commentum *Petri Roquii*, in ſingulari libello propoſi-
151. tum, dat exploſum. Conjungenda eſt cum hac deinceps
138 *ſeptima Diſſertatio*, dictum claſſicum *Paulinum Phil. II,*
153. *6 ſeq.* exponens, ab eodem Autore in contraria abreptum atque detortum, ut hypotheſi ſuæ de exiſtentia animæ Chriſti ſatisfaceret. Lectu digna ſi quis ſcire aveat hac ſuper re, Noſtrum adeat, docte hoc argumentum ſolideque explicantem.
166. *Diſſertatio octava* ita inſcribitur: Jeſus Chriſtus naſciturus, κέρατος σωτηρίας & ἀνατολῆς ἐξ ὕψυς nominibus in
167. hymno *Zachariæ Luc. I, 69, 78,* deſignatus. In *duas Sectiones* dividitur hæc Commentatio. Prioris nominis ratio-
168. nem *prior*; poſterioris vero *poſterior*, deſignat. In priori ad Veteris Teſtamenti Biblicam formam reſpiciendum eſſe, Noſter dicit, ubi potentia, gloria, eminens & regia poteſtas, regnum, & reliqua, ſub vocabulo *cornu* more Hebraico indigitantur, ex quo etiam conficitur, *Zachariam* in laudatione ſua divina ad oracula quædam divina V. T.
172. reſpectum habuiſſe. Pari modo in *poſteriori Sectione* poſterioris nominis declaratio ex Prophetis exhibetur. *Nona*
177. *Diſſertatio* vaticinii *Jeſaiani Cap. VII, 14,* allegationem *Matth. I, 23,* de nativitate Chriſti, inprimis contra inſultus
189. temerarios *Wetſtenii* defendit. Sequens *decima* de ſimplicitatis infantum imitatione, neceſſario Chriſtianorum officio,
193. agit, & diſtincte curateque de fidei ſimplicitate, quin etiam de vitæ morumque ſimplici ratione, doctrinas Chri-
196. ſtianas exponit, uti in *ſequenti* Diſſertatione ſumma Jeſu
198. Chriſti divinitas per reſurrectionem ipſius declaratur, ſecun-
203. dum teſtimonium *Pauli Rom. I, 4.* Connectitur cum hac *duodecima* Commentatio, de typis & prædictionibus reſurrectio-

rectionis Jeſu Chriſti agens. Inter perſonales atque inna- Pag. 204.
tos referendi ſunt *Jonas* Propheta, & *Iſaacus*, *Abrahami*
filius, non vero *Simſon*, aliique, de quibus ſingulis clare
atque nervoſe Venerabilis Autor diſputat; quod etiam ſit
deinde, ubi oraculum Chriſti *Jo. II, 19*, de templi cor- 212.
poris ſui deſtructione pariter, atque inſtauratione, expo-
nitur. *Decima quarta Diſſertatio* exponit locum *Matth.* 219.
XXVII, 52, 53, ubi de ſanctis demortuis, reſurgente a mor-
tuis Chriſto, reſuſcitatis, agitur. Nobile huic Diſſertatio- 226.
ni additur argumentum de Chriſto, ἀπαρχῇ τῶν κεκοι-
μημένων, ad *1 Cor. XV, 20*, in *decima quinta* Diſſertatione.
Ad primitiarum manipulum hic reſpiciendum eſſe, do- 232.
cens, Venerabilis ſtatuit Autor, Chriſtum ita nominatum
ideo, quia non ſolum caput atque princeps illorum,
qui ad æternam beatitudinem reſuſcitantur, ſed etiam hu- 233.
jus eorundem reſurrectionis autor ſit atque cauſa, quo-
cum conveniat teſtimonium *Coloſſ. I, 18*, & *Apocal. I, 5.* Col- 235.
ligit inde Noſter, impios non virtute meriti Chriſti, ſed
vi juſtitiæ punitivæ, eſſe reſurrecturos. *Decima ſexta* 237.
Diſſertatio exponit dictum *Apocal. I, 17, 18*, de vera Chriſti
divinitate, atque reſurrectione ejus, agens. *Decima ſepti-* 238.
ma, de Spiritu ſancto, *Geneſ. I, 2*, a *Moſe* deſignato, 241.
veritatem divinam eloquitur, atque ſpeciatim expendit,
quæ de ſpiritu Dei, aquis incubante, a *Moſe* enarrantur.
Conjungenda eſt cum hac *ſequens*, de Spiritu Sancto, 247.
ejusque beneficiis, ſub aquæ ſymbolo in ſacris literis re-
præſentatis. De nomine χρίσμα, quo Spiritus ſanctus 251.
1 Jo. II, 20, 27, appellatur, in *decima nona*, & in *viceſima*
de eo Spiritus Sancti nomine, agitur, quo παράκλητος 256.
apud *Joannem XIV, XV, XVI*, dicitur, ita tamen, ut in
poſteriori argumento Mohammedanorum depravationes
enarrentur atque refellantur. *Viceſima prima* Commentatio 265.
ſummam, Antitrinitariorum nugis impugnatam, Spi-
ritus ſancti divinitatem vindicatam exhibet. Inprimis 272.
contra *Whiſtonum* acriter & feliciter hic diſputatur. De 276.
vero-

Digitized by Google

Pag. 278. verorum & falſorum Eccleſiæ doctorum characteribus, 1 Cor. II, 17, deſcriptis, *ſecundo & viceſimo* agitur loco. Τὸ καπηλεύειν hic, ſecundum veritatis leges, ad omnes illos transfertur, qui, turpis lucri captandi cauſa, fucum faciunt, &, propolarum cauponumque more, optima quævis corrumpentes atque adulterantes, artibus ſuis atque technis aliis imponunt, eosque, parum intelligentes, quid diſtent æra lupinis, adulterinas ſuas extrudendo merces, decipiunt atque fallunt. Applicatio hinc facile erit con-
284. ficienda. *Sequens* Commentatio agit de modeſtia, qua Theologum præditum eſſe oportet, ad *Rom. XII, 13*, quam alia ſequitur de tenaci orthodoxæ doctrinæ ſtudio, neceſ-
296. ſario Eccleſiæ doctorum requiſito. *Viceſimum quintum* & *ſextum* locum occupant duæ inſigniores Diſputationes Academicæ, ab Autore Venerabili quondam propoſitæ, quarum
303. altera de fide *Jacobi* in utero ex *Hoſ. XII, 14*, agit; altera vero, de παρρησία fidelium in die judicii, doctrinam *Joanneam Epiſtolæ prioris II, 28, & IV, 17*, præclare
321. exponit. His duabus *tertia* ſuccedit, de *Joanne* Proto-Baptiſta illuſtriora quædam loca illuſtrans, & *viceſimo ſepti-*
350. *mo* loco propoſita. Apprime huic argumento ſatisfaciens Autor, demonſtrat, baptiſmum quendam initiationis ante
359. *Joannem* in gente Hebræa non fuiſſe; & deinde oſtendit, baptiſmum *Joannis* cum baptiſmo Chriſti eandem
368. habuiſſe rationem, vanasque objectiones eſſe adverſariorum, ſecus hac de re ſentientium. Jam nobis ſpem fecit Celeberrimus Autor edendarum Commentationum, ad eccleſiaſticam, ſacrorum inprimis inſtrumentorum, hiſtoriam pertinentium, quam hoc impatientius exſpectamus, quo certius eſt, nihil ad hunc diem ſive argumento tritum, ſive tractatione ipſa mediocre, a Muſa *Bærneriana*, elegantiſſima illa & prorſus amabili, elaboratum, nec elaborari deinde poſſe, ſed ob res partim graviſſimas, partim ob ſermonis ſuavitatem, quæcunque incomparabilis hujus Theologi nomen præ ſe ferunt, plauſu eſſe publico digniſſima. Faxit Deus, ut Academia noſtra magnis multisque illis commodis, quæ ex fama & doctrina Venerandi hujus Senis ad ipſam redundant, diu fruatur!

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLII.

Pars II.

ARMAMENTARIUM CATHOLICUM PERANTIquæ rariſſimæ ac pretioſiſſimæ Bibliothecæ, quæ aſſervatur Argentorati in celeberrima Commenda eminentiſſimi Ordinis Melitenſis S. Joannis Hieroſolymitani, nuper in bonum publicum, ex amore veritatis ſalutiferæ, reſeratum, notis hiſtorico-theologicis, Latino-Germanicis, hinc inde interſperſis, illuſtratum ex ejusmodi libris, qui ab A. C. MCCCCLXIII ordine chronologico prodierunt usque ad A. MDXXII, ſtudio & opera JOANNIS NICOLAI WEISLINGER, Definitoris Venerabilis Capit. Rur. Otterſwirani, & Parochi Capellis infra Rodeon. Diœceſ. Argentorat.

Argentinæ, typis Jo. Franciſci le Roux, 1749, fol.
Alph. 12 plag. 6.

Nemo mortalium hac noſtra cultiori ætate adeo ferus, atrox, atque barbarus, erit, qui non toto animo doleat, cum innocentes & probos homines nefandis videat conviciis proſciſſos. Ea enim humanæ rationis ſumma lex eſt, ut homo hominem diligat, atque colat, & ut quisque teneat hoc: Quod tibi non vis fieri, alteri

Digitized by Google

ne feceris Hæc vero cultioris rationis, atque moralis doctrinæ, ſepimenta jam dudum famoſiſſimus ille, & omnium contemtu digniſſimus, *Weiſlingerus* eſt transgreſſus, religionis ſuæ munimenta conviciis, in Evangelicos doctores eructatis verius, quam effuſis, firmare infeliciter laborans. Sed hæc horret mens ſana. Hæc dolet humanitas, & averſatur, atque execratur. Ipſa ſacri Romano-Germanici imperii ſcita, ſanctiſſime ſervanda, contumelioſos atque infames hujusmodi libros proſcribunt, atque ad ignem condemnant, ubi Lutherana religio, intra Germanos fines fundata atque ſtabilita, religio ardelionum, (*eine Spitzbuben-Religion,*) & quæ ſunt alia hujus generis turpiſſima nomina, ſalutatur; quaſi proceres imperii tam improbi eſſent homines, ut peſſimas & furca digniſſimas congregationes & ſocietates tolerarent. Sed divino judicio hæc relinquimus, non conceſſuro, ut ferocitas & inſania de veritatis purioris amatoribus & defenſoribus turpiſſimos triumphos agant. Dabimus jam Lectoribus triplicem ſpiſſi voluminis faciem conſpiciendam. *Primo* occurrit *armamentarium catholicum*, ſeu liber, in quo *Weiſlingerus* ex libris vetuſtioribus, in Bibliotheca, quam titulus nominat, Argentinenſi obviis, demonſtrare conatur, falſum eſſe id, quod tempore *Lutheri* pro vero fuerit aſſumtum, in Papatu nempe veram de Chriſto doctrinam, ſecundum Scripturæ ſacræ verba, incognitam fuiſſe; verbum Dei in Papatu contumelioſe tractatum, neglectum, atque vix Theologis notum, fuiſſe. Hæc ſunt, quæ *Weiſlingerus* ex notitia librorum ſuorum contra Proteſtantes evincere conatur. Sed omnia veneno contumelioſo conſpurcavit, & veteribus æque ac recentioribus piis doctisque viris obtrectare non erubuit, ita, ut homo ſanus vix eloqui atque recitare audeat, quæ ille in librum ſuum infamem magno numero congeſſit. Pudeat horum omnium hominem nihil minus quam humanum! *Secundo* loco ſequitur *Catalogus* librorum impreſſorum, in Bibliotheca modo dicta exſtantium, ordine alphabetico ſine artis atque doctrinæ elegantioris ſpecie confectus. *Tertio* adeſt Catalogus Codicum MStorum, in eadem Bibliotheca aſſervatorum, a *Joanne Jacobo Wittero*, Profeſſore Philoſophiæ, & Canonico Thomano,

mano, adornatus. Non dubitamus, quin iis, qui hujus generis dapibus literariis paſcuntur, hoc gratior poſtrema hæc opera ſit futura, quo certius intelligitur, varia hic inveniri, unde, ſi his uti aliquis velit, ad omne literarum genus plurimum redire utilitatis poſſit.

ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ ΔΗΜΟΣΘΕΝΗΣ ΚΑΙ ΚΙΚΕΡΩΝ. *PLUTARCHI VITÆ DEMOSTHENIS ET CICERONIS parallelæ, nunc primum ſeparatim editæ. Græca recenſuit, Latine reddidit, Notis illuſtravit, PHILIPPUS BARTON, A. B. Coll. Nov. Socius.*

Oxonii, e typographeo Clarendoniano, 1744, 8 maj.
Alph. 1 plag. 6.

Bonæ frugis librum, multaque elegantia politum, tibi, Lector, tradimus, quem, ominamur, & Autori ſuo laudi, & doctrinæ ſolidæ amantibus commodo, utique futurum. Nam, præter chartæ typorumque nitorem, qui lectores facile trahit, certe huic parti Παραλλήλων Hiſtorici Græci tantum acceſſit dignitatis, ut & Præfatione, & contextu Græco, & interpretatione, denique notis, nova hæc editio non minimum a ceteris ſe diſtinguere videatur. Ipſa Præfatio, in qua munditiem ſtili, rerum delectum, judiciique maturitatem, haud deſideres, præfultis quibusdam de laudibus *Demoſthenis* ac *Ciceronis*, mox ſeſe vertit Editor ad ipſum *Plutarchum*, vitæ utriusque commentatorem. Hoc quidem neminem ad vitam moresque formandos aptiorem eſſe, nemini acrius judicium aut a natura datum, aut omni literarum genere felicius elimatum, cunctis eſſe fatendum, *Bartonus* affirmat. Neque eo ſecius, in eodem ſcriptore non pauca, intelligit, poſſe requiri, ut ἀκριβείας & accurationis laudem, quod tamen in homine Græco & Philoſopho, Latini ſermonis haud perfecte gnaro, peregrinarum inſtituta gen-

tium explicante, æquius ferendum, Noſter arbitratur, cum præſertim talis accurata rerum enarratio potius Hiſtorici, quam Vitarum ſit ſcriptoris. Purgat quoque *Plutarchum* a quorundam criminationibus, qui huic exprobrent, quod multa præclare facta aut omnino prætereat, aut certe feſtinanter admodum attingat, plurima contra ſupervacanea operi ſuo intexat. Has idem *Philippus* criminationes diluit, expoſito *Plutarchi* conſilio, quem, oſtendit, voluiſſe perpetuam hiſtoriam, ſibi ab antiquioribus jam præceptam, iterare, ſed hiſtoriam ad quotidianos uſus, fructumque vitæ, traducere. Itaque, cum hiſtorias non ſcribat, ſed vitas, magis ei curæ fuiſſe perſonas, quam acta, probat. Occurrit etiam illis, qui, Græcos Principes *Plutarchum* Romanis æquare, indigne ferant. De ſtilo hujus Hiſtorici ita ſentit, eum veneres orationis atque elegantias contemſiſſe potius, quam neſciviſſe, ejusque ſermonem, ſeculi vitio, non hominis, a munditie veterum abeſſe longius, nec valde in numeroſa elaboraſſe oratione. Verborum collocationem eſſe interdum præpoſteram, ſtructuram ſententiarum ſubobſcuram, verba magis ſignificantia, quam Attica, aliquando etiam poetica. Hæc Noſter ille de Chæronenſi, excellenter ſane, & nervoſa concinnitate. Quibus poſitis, jam, in editione nova quid præſtitum ſit, demonſtrat. Græcæ orationis contextus ad normam editionis Francofurtenſis A. 1599, quam in omnibus ſecuta eſt Pariſienſis A. 1624, fideliter expreſſus, nec unquam ab ea diſceſſum, niſi ejus rei cauſa atque ratio in notulis fuerit indicata, & vel editionis alicujus, vel MSti Bodlejani, quod collatum a Cl. Autore eſt, vel denique variarum e duobus Codd. lectionum, autoritate munita. Interpretationem novam Noſter etiam addidit. Si quæras, cur, ipſum audito. *Interpretatio*, inquit, *de novo adjecta eſt, quod feci magis morem receptum ſecutus, quam ex conſilio meo, qui ſemper exiſtimavi, Græcis literis multo melius conſultum iri, ſi omnes hujuscemodi verſiones in proximum mare projicerentur.* Sapienter dictum, & non minus dignum homine liberaliter inſtituto, quam doctiſſimorum judicio virorum comprobatum

diu.

diu. Quod idem ſibi propoſuiſſe, intelligimus, celeberrimum Bataviæ Criticum, de Græciſque literis infinitis modis promeritum, *Joannem Alberti*, emiſſo ante aliquod tempus, cunctis, qui literatæ Græciæ, minitanti ruinam, ſuccurrere parant, vehementer ea re ad meliorem ſpem erectis, *Heſychiano* Gloſſario, ſine ulla interpretatione Latina. Sed Cl. *Bartonus*, ut ad hunc redeamus, inſeruit editioni ſuæ marmoreas imagines *Demoſthenis* ac *Ciceronis*, ambas ex *Richardi Mead*, Medici atque Critici inſignis, cujus Noſter recte laudat doctrinam & humanitatem, archetypis expreſſas, una cum luculenta earum deſcriptione. Cum *Demoſthenes* in marmore ΕΠΙΒΩΜΙΟΣ ſalutetur, commoda affertur explicatio, reſpici ad mortem Oratoris Græci, quippe qui, e templo, quo ſe fugiens abdiderat, ſumto veneno, egreſſurus, ne ſuo fanum cadavere pollueret, inter eundum, aram præteriens, collapſus, inſtar victimæ ante aram conciderit. In *Ciceronis* autem effigie id pro antiquitatis indicio, cenſet, habendum, quod cicer naſo non inſideat. Hujus enim imagines, cicere notatas, omnes ætate *Plutarchi* eſſe recentiores, ab ejusque verbis, perperam intellectis, duxiſſe originem, merito exiſtimari, docet. Notas denique, ait, ab adoleſcente proficiſci, atque ita de eis loquitur, ut, modeſtiam eum atque humanitatem cum literarum ſtudiis, raro utique exemplo, conjunxiſſe, luculenter appareat. Habes ſententiam Præfationis. Jam, contextus Græcus qualis ſit, non eſt opus, pluribus verbis exponere, cum de hoc optime doceat Præfatio. Illud fatemur, Græca multa cura emendateque hic exhiberi, niſi quod accentus nonnunquam, ut fit, paulo ponantur negligentius, ut in *ἑυδαῖμονι pag. 2 verſ. 4, ὀικειῶν pag. 4 verſ. 6 ſeq. τῦτῳ pag. 6 verſ. 3, τούτο pag. 22 verſ. 12, τεθνήκοτα pag. 132 verſ. ult.* pro εὐδαίμονι, οἰκέιων, τύτῳ, τοῦτο, τεθνηκότα Hæc typothetarum oſcitationi relinquamus. At vero nova interpretatio elegantiſſime docti *Bartoni* nos ad ſe vocat, vocatos tenet, retentos non minimum oblectat. Habet enim, neſcio quid, ſuave & jucundum; quod lectoris attentionem haud mediocriter acuit, & Græcas voces

ſententiasque facile, apte, perſpicue, reddit, adhibito Latinitatis lepore nativo, ut hæc quidem converſio multo prioribus ſit anteferenda. Quod *Plutarchus pag. 26 verſ. 6* dicit, adeo illuſtrem eloquentia fuiſſe *Demoſthenem*, ut obſervaretur etiam ὑπὸ τῦ μεγάλυ βασιλέως. bene *Bartonus*, haud ignorans, Regem Perſidis voce Βασιλεὺς, abſolute poſita, crebro deſignari, *ab ipſo magno rege Perſarum*, dixit Latine, quod a priore neglectum interprete. Alio loco, *pag. 32 verſ. 14*, ubi oſtenditur a *Plutarcho*, quem ad modum idem Orator Athenienſes incenderit ἐπὶ τὸν ἄνθρωπον, vetus interpres omittit ille quidem Græca verba, ſed novus noſter, ſimul ad ſenſum attendens, *contra Philippum* recte interpretatur. Neque eo ſecius nos, Græca cum Latinis ſolicite conferentes, intelleximus, non ſolum ſingulas voces, ſed integras etiam locutiones, abeſſe nonnunquam in *Bartoniana* interpretatione, quanquam in contextu Græco appareant. Ubi enim, quæſumus, in converſione illa reperias, ὥς φησιν ὁ Δημήτριος, *pag. 28, 19*, ubi vocabulum ἀτεχνῶς, *pag. 30, 20*, ubi γενομένης αὐτῷ σιωπῆς, *pag. 110, 3 ſeq.* & deinde, alio loco, *pag. 114, 18*, ἐν Ῥώμῃ. Hæc, fruſtra ſis, ſi quæras in eadem interpretatione. Quodſi legas, *Bartonum* τὰ τῶν προγόνων καλὰ, *pag. 28. 23*, ore Romano *mores antiquos* efferre, tam ſcienter ſarciendi rationem deficientis vocabuli ἔθη merito probes, at ſimul, otiari, nolles, adjectivum καλὰ, *bonos*. Verba *Plutarchi*, εἶθ' ἑξῆς τὸν Κέθηγον, καὶ ὕτω τῶν ἄλλων ἕκαςον καταγαγὼν ἀπέκτηνεν, *pag. 106, 21*, non optime transferuntur: *Deinde Cethegum, atque adeo ceteros omnes, deductos* (Cicero) *interimi curavit.* Illud enim ὕτω, quod *Bartonus* convertit *adeo*, melius, opinamur, idque ipſo ſuadente nexu orationis, *deinde, poſtea*, reddas, qualem quidem conſequentiam huic dari particulæ, apud *Xenophontem*, *Polybium*, aliosque probatiſſimos Autores, imo etiam in Novo divinæ Pacis Inſtrumento, *Act. Apoſt. XX, 11, XXVII. 17, XXVIII, 14, 1 Corinth. XI, 28*, non rariſſime ſolet, ut eruditi haud ignorant. Hac ferme imitatione Latini, maxime *Livius*, voculam *ita*, pro *tunc*, liben-

libenter ſumunt, quod, prætermiſſum in Lexicis, recte fuit a *Frid. Ottone Menckenio* noſtro in libro *Obſervationum Latinæ linguæ* notatum. Nec verendum, ne, cum εἶτα mox præceſſerit, durior forte, vocis ejusdem repetitione, efficiatur conſtructio. Etenim, cum ne ipſum quidem *Ciceronem* ſcribere puduerit, *primo — deinde — deinde — deinde —*, idem certe dicendi genus abhorrere a *Plutarchi* elegantia ſcribendi, minime putandum eſt. Ergo καὶ τοῦτο hoc in loco vim habet eandem, quam *atque ita* in his *Lactantii* verbis: *ut litigatores prius ſacrificarent*, atque ita *cauſas ſuas dicerent*, de Mortib. Perſec. Cap. 15. Alius locus *Plutarchi*, *pag. 120, 11*: Ἐπεὶ δὲ Φαῦστος ὁ Σύλλα τοῦ μοναρχήσαντος ἐν Ῥώμῃ. *Bartonus* Latine, *cum Fauſtus Sylla, filius ejus, qui dictator Romæ fuerat*. At Φαῦστος ὁ Σύλλα non eſt nomen unius, ſed duum, dictum ἐλλειπτικῶς, pro Φαῦστος, ὁ τοῦ Σύλλα παῖς, ut idem Chæronenſis alibi plenius, in *Pompejo, pag. 641, 644*, in *Cæſare, pag. 714*, in *M. Bruto, pag. 987*. Itaque ad hunc modum verba hæc converte: *Cum Fauſtus, Syllæ filius, qui* (Sulla) *Dictator Romæ fuerat*. Ut jam Σύλλα non ſit nominativus, ſed genitivus, quod & ſubſequens τοῦ μοναρχήσαντος ſatis firmat. Mittimus cetera, ut cum γενομένης τῆς κατὰ Φάρσαλον μάχης Noſter, *prælio ad Pharſaliam commiſſo*, transfert: nam veteres *ad Pharſalum* dixiſſent; & alia generis ejusdem, quæ a tot eleganter in *Bartoniana* expreſſis interpretatione utique ſuperantur. Venitur extremo loco ad Notas, quas, bono omnino conſilio, Autor eruditus non ſingulis paginis ſubjecit, ſed in fine libri adjunxit. Quæ a *du Soul, Bryano, Hieronymo Wolfio, Guil. Xylandro, H. Stephano, Dacerio, Rualdo*, ad geminum hunc libellum fuerant breviter annotata, ea, noluit Noſter, hic abeſſe, horumque obſervationes, ſuo quamque loco, poſuit, expreſſis ſingulorum nominibus, quos ipſe nunc reprehendit, nunc eis accedit, probatioresque eorum reddit explicationes. Ipſe enim hic *Bartonus* Notas ſuas interpoſuit, quæ inprimis Geographiæ, Chronologiæ, notitiæ clarorum virorum, commemoratorum a *Plutarcho*, inſer-

ſerviunt, neque magis nervoſa brevitate, quam delectu, ſe commendant. Hiſce animadverſionibus multum commendationis addit Bodlejani, atque aliorum duum, Codicum MSS. diligens collatio, e quibus & varietates lectionis notantur, & pluribus locis male ſanis medela affertur. Præterea ex *Demoſthene* ac *Cicerone*, crebro in ſubſidium hic vocatis, ſæpe *Plutarchum* Noſter corrigit, quem, probat, modo memoria lapſum, modo negligentius in adducendis verbis ſcriptorum ſe geſſiſſe, modo perſonas confudiſſe, & ex una feciſſe duas. Fuiſſe eum etiam in temporum rationibus non ſatis diligentem, idem ſubmonet. Nec tacet, ubi, *Photii Bibliothecam* narrationes *Plutarchi* deſerere, animadvertit. Nonnunquam trita in medium affert, ut de Theſmophoriis ſacris, & de Prytaneo. In Adagio *Ionis*, Philoſophi Chii, *κάκεῖ γὰρ δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία*, *pag. 179*, magis probat lectionem *Hugonis Grotii*, *κεῖται γὰρ*, quam *Soulii*, *κακὴ γὰρ ἡ δελφῖνος*. Aſſentitur etiam *Xylandro*, quod *καλοὶ καὶ*
Pag. 180. *ἀγαθοὶ*, quorum in numerum patrem *Demoſthenis* refert *Plutarchus*, non tam *vitæ*, quam *ordinis* in republica, ratione dicantur, illudque duobus aliis ejusdem Hiſtorici locis, ubi *καλοὶ καὶ ἀγαθοὶ* opponuntur *τῷ δήμῳ*, reddit
215. robuſtius. *Bryanum*, negat, audiendum, quod pro *λόγον μέγιςον*, quo modo longiſſimam *Demoſthenis* orationem *Plutarchus* appellat, ſcribendum cenſeat *μήκιςον*, Oſtendit enim *Bartonus*, eadem fere ratione *Plinium* optimam *Tullii* orationem dixiſſe *maximam*, cum longiſſimam intellexerit.
216. Jocum *Ciceronis*, qui *Octavio* cuidam, natione Afro, *οὖς οὐκ ἄτρυπτον*, *aurem non imperfoſſam*, objecerat, judicat, a *Dacerio*, ingenioſe, magis, quam vere, ad *ſervitutem* hujus hominis referri, cujus indicium dederit apud priſcos Hebræos, quos aliæ ſint imitatæ gentes, *aurium perforatio*. Potius voluiſſe *Tullium*, credit *Bartonus*, tacite ſugillare *Octavium*, ut *peregrinum* hominem atque *barbarum*, propterea, quod Afris, aliisque externis nationibus, ſecus quam Græcis & Romanis, aures pertundendi mos placuerit. Paſſim etiam reperias in his Animadverſionibus, quæ ad eruendam vim cujusdam Græci voca-

Digitized by Google

vocabuli adjuvent, qualia ſunt, quæ afferuntur de voce ἄϱγας *pag. 181*, ſeu ἀϱγῆς, *ſerpens*, de voce μονόλυκος *pag. 198*, quam Noſter explicat de genere luporum ſæviſſimo, & immanſueto, qui non, ut ceteri, turmatim, ſed ſenſim, prædam venentur. Bene etiam, in ὁ Δημοσθενικὸς intelligi λόγος debere, idem ſubmonet, miraturque, Editorem Londinenſem Δημοσθένης maluiſſe, quo poſito, ſenſum plane perire, Noſter arbitratur. Poſſet tamen, ut Μωσῆς & Πϱοφῆται, *Luc. XVI, 29*, ſcripta *Moſis* Prophetarumque, ſic ὁ Δημοσθένης Orationes ejusdem haud inepte forſan indicare, ſi quidem libri veteres addicerent. Sed illud verius omnino. Interim fatendum eſt, Cl. *Bartonum*, licet Criticæ ſanioris regulas, tanquam ducem, ſequi videatur, nonnunquam tamen paulo liberius veterem *Plutarchi* lectionem ſolicitare, ubi forte non opus ſit. Locus eſt in Vita *Demoſthenis*, ubi idem Orator Græciæ *Plutarcho* dicitur ἐγυμνασάμενος κατὰ τὸν Θουκυδίδην ταῖς μελέταις. Noſtro hæc videntur ab omnibus interpretibus, non ſatis bene, ſic intelligi, ac ſi eſſet φϱάσις ex ipſo ſumta *Thucydide*, apud quem nihil hujusce appareat. Suſpicatur ipſe, legendum ταῖς εἰς Θουκυδίδην, quod aptiſſime, putat, convenire cum teſtimoniis vetuſtatis, cum dicatur *Demoſthenes* octies manu ſua deſcripſiſſe *Thucydidem*. Sed ſine cauſa. Eccur enim retineri nequeat vetus illa lectio, ad hunc explicata modum, ut *Demoſthenes* dicatur incubuiſſe ad dicendi exercitationes, *inſtinctus incitatusque* lectione *Thucydidis*? Ita enim quam commodiſſime reddi illud κατὰ Θουκυδίδην poſſe videtur, perinde ac κατὰ Θεὸν, teſte *Guil. Budæo*, τῷ ἑλληνικωτάτῳ, eſt *inſtinctu divino*. Referatur eodem alius *Plutarchi* locus, in Vita *Ciceronis*: Αὕτη γὰρ ἦν κατηγορία, καὶ ἐπὶ τοῦθ᾽ ὁ Κικέρων ἐκαλεῖτο. Sic hodie legitur. At noſtro Critico vox extrema usque eo improbatur, ut, adhibita litura, loco ejus vocabulum ἐγκαλεῖτο, quod in Codice quodam MSto reperit, tanquam veram lectionem, in contextum ipſum recipiat. Sed enim hujus correctionis firmitas valde nobis in dubium venit, ut molliſſime dicamus. Namque ἐγκαλεῖσθαι

Pag. 183. 220.

Digitized by Google

περὶ τινὸς, apud bonos ſcriptores, ut *Act. XXVI*, 7, & apud ipſum *Plutarchum Vit. Cicer. pag.* 134 *verſ.* 20 edit. *Barton.* reperiri, nos haud fugit, at, ἐγκαλεῖσθαι ἐπὶ τι, quis Grajorum dixerit, nec ipſi novimus, nec nos docuit Cl. *Bartonus.* Quid autem mali, quæſumus, in veteri lectione, cum ἐπὶ τοῦτο καλεῖσθαι nihil aliud ſit, quam, quod *Demoſthenes* dixit, καλεῖσθαι εἰς δικαστήριον, *propter hanc cauſam in jus vocari.* Neque enim plene ſemper ita ſunt veteres locuti, ſed interdum breviter, in eandem tamen ſententiam, καλεῖν & καλεῖσθαι dixerunt, ut *H. Stephano* obſervatum. Sed ſatis de his. Non enim id agimus, ut Cl. Autoris nomini atque laudi detrahamus, quin potius haud vana ſpe aſſequimur, politiſſimos ejus labores, ſi ita pergat, multo magnoque literis, Græcis potiſſimum, quod optamus vehementer, emolumento futuros.

THE EXPEDITION OF CYRUS, TRANSLATED from Xenophon, etc.

id eſt,

CYRI EXPEDITIO, E GRÆCO XENOPHONTIS Latina facta, & Notis criticis atque hiſtoricis illuſtrata, ab EDUARDO SPELMANO, Equite.

Volumina II.

Londini, apud Rich. Wellington, 1742, 8 maj. Vol. I plag. 19, Vol. II plag. 22.

Laudabile majorum noſtrorum decimo ſexto Seculo inſtitutum, Græcos & Latinos Autores in linguam Germanicam transferendi, obſoletum & oblivioni datum, Galli, labente ſuperiore Seculo, reſumebant. Qua in re imitatores merito ſuo Germanos noſtros & Anglos invenerunt. Et certe tales ſunt Scriptores utriusque ſermonis veteres, ut, cum alii multi ſint inepti, & argutarum ineptiarum pleni, qui alio loqui ore nolunt, neque poſſunt, hi ſermoni & ætati omni congruant, doctis indoctisque pariter. Inſtruunt enim mores humanos

manos, & docent cuique vitæ generi utilia. Præſertim *Xenophon*, facetus & amabilis ſapientiæ magiſter, omni ætati literatæ merito ſuo in pretio fuit; & laudem eo meretur nobiliſſimus hic Eques Anglus, quod egregium hoc vitæ civilis exemplar ſuis civibus, qui Græca conſulere neſciunt, familiarius facere ſtuduit. Quod etiam tanta cum laude fuit executus, ut eum doctum, fidum, preſſum, perſpicuum, elegantem, ſermonis Græci & argumenti ſui peritum, interpretem appellare audeamus. Diſtribuit in *duo Volumina* ſuum opus, quorum *prius quatuor* primos *Libros*, *alterum totidem* poſteriores, una cum Diſſertatione geographica, exhibet.

In Præfatione monſtrat, quam arduum ſit, veterem Autorem, ut decet, interpretari, id eſt, accurate ſimul & eleganter. Quorum hoc ſatis aſſecutum eſſe docet in Gallica ſua hujus libri verſione *D'Ablancourt*, illud neutiquam, ut qui locis in obſcuris & difficilibus ſibi viſis pro arbitrio graſſatus fuerit. Cenſet quoque de ceteris interpretibus; præſertim de Anglicano quodam, *Joanne Bingham*; ſed quem ſibi parum profuiſſe aſſeverat. Quod facile credimus. Ne vero lectores Hiſtoriæ *Xenophonteæ* hæſitarent ignorantia rerum & perſonarum, de quibus agitur, tanquam in alium orbem delati, præmiſit brevem recenſionem eorum, quæ iſtam narrationem præceſſerunt, tanquam prologum dramaticum, & deſcribit præcipuos hujus ſcenæ actores. Ipſa tum ſequitur verſio libri Anglicana, quam modo laudavimus merito ſuo. Miramur certe, ab homine non tam critico, quam civili potius, (ut monſtravit in notis,) venationi, & aliis nobilium vitæque ruſticæ exercitiis, dedito, & qui magis animi, quam literarum, cauſa Franciam & alias peragravit provincias, Græcos quoque alios Autores præter *Homerum* parum legiſſe videtur; ab eo, inquam, mirandum eſt, potuiſſe tam præſtantem verſionem procudi.

Librum certe *primum* & *ſecundum* cum Græcis contulimus, & ubique fere fuimus eum admirati. Plurima reddit optime, multa melius, quam priores interpretes. Pauca ſunt,

 in

in quibus indigere correctione videtur, & quæ hic loci, præfati veniam, amice modeſteque volumus excutere. Nam, ſpecimen ipſius verſionis dare, putamus ſupervacuum, præcipue cum liber extra Angliam paucorum teri manibus credendus ſit. His autem noſtris notulis delectari & adjuvari forſan Critici poterunt. Obſervamus itaque, *pag. 5 lin. pen.* non ſatis apte reddita eſſe verba, τῶν παρὰ βασιλέως, *any perſons belonging to the Court.* Sunt enim *aliqui a rege cum mandatis miſſi.* Latini ſequiores *mandatores* appellant. *Pag. 6* ſic vertit hæc Græca: ὅτε οὖν ἐποιεῖτο τὴν συλλογὴν ὁπόσους εἶχε φύλακας ἐν ταῖς πόλεσι, παρήγγειλε τοῖς φρουράρχοις ἑκάστοις &c. *Whenever he recruited the Garriſons, that were diſperſ'd in the ſeveral Cities under his Command, he order'd each of their Officers,* &c. Συλλογὴν ποιεῖσθαι non putemus eſſe idem, quod Anglicum *to recruit.* Putamus potius, dicere voluiſſe *Xenophontem*: *Quoties Cyrus præſidiorum, quæ paſſim habebat, duces in prætorio ſuo penes ſe congregatos habebat*, aut *congregabat.* Φύλακες ſunt præſidia. Τούτων τοῖς φρουράρχοις παρήγγειλε. Nam debebant quotannis, aut ſæpius, omnes convenire duces vel ἐς Καστωλοῦ πεδίον, vel alio, ubi ſedes exarchatus, (ut ita dicamus.) vel prætorium, erat. Locus difficilis eſt *pag. 251, D, 3,* edit. *Leunclav.* Poſt hunc alius ſurgebat, qui partim ejus monſtrabat ſtoliditatem, qui, poſcendas eſſe naves, dixerat, ὥσπερ πάλιν στόλον Κύρου μὴ ποιουμένου, quem ſic vertit: *As if Cyrus would not reſume his expedition.* Secutus *Leunclavium.* Nobis autem non ſatisfacit. Et certe ſenſus ille *Xenophontis* eſſe nequit. Quid enim Græci abiturientes curabant, novamne inſtituturus ſit *Cyrus*, hac irrita facta, expeditionem, nec ne; dummodo ipſi abirent? Nobis videtur πάλιν στόλον eſſe idem atque στόλον εἰς τοὐπίσω, *retroitum receptum.* Monſtrabat, eum ſtolide præcepiſſe Græcis, ut a *Cyro* naves peterent, quandoquidem *Cyrus* nunquam retrogreſſurus, & propoſitum ſuum omiſſurus, ſit. Judicent alii. *Pag. 35 ult.* τῶν ξένων reddit *the foreign Troops*, niſi male, certe obſcure. Debuerat *Græcarum copiarum.* Egregius locus eſt *pag. 253, E, 1,* quem, quia tam veteribus Græcis interpretibus, quam hodi-

hodiernis, fuit offendiculo, & Noſtro quoque, integrum apponemus,& clara luce donabimus. Ἐπιςάσθωσαν, ait *Cyrus*, ὅτι ὔτε ἀποδεδράκασιν, (οἶδα γὰρ ὅπῃ οἴχονται) ὔτε ἀποπεφεύγασιν. *They are not gone away ſo as to be conceal'd, (for i know whither they are going) neither are they eſcap'd.* Satis clare & judicioſe. Sed non ita in nota ad h. l. in qua primum merito *Ammonii* commiſſum in hoc loco exponendo ſtuporem caſtigat; deinde addit, optare ſe, ut *Xenophon*, niſi ad ſenſus, ſaltem ad interpretis commodum, dixerit ἀποδεδράκασι μὲν, ὐκ ἀποπεφεύγασι δέ. Verum hoc non tantum alienum a mente *Xenophontis* eſt, ſed etiam cum ſana ratione nequit conſtare. Quod Nobiliſſimus Anglus nobis haud difficulter concedet, ſi velit vim & ſignificationem verbi ἀποδιδράσκειν paululum ſecum expendere. Servus fugitivus, qui ab hero ita aufugit, ut herus neſciat, ubi locorum degat, & eum nequeat aſſequi, ille δραπέτης dicitur, & ἀποδεδρακέναι. Jam, quisquis ἀποδέδρακε, (aufugit, & eſt extra heri notitiam & apprehenſionem,) ille quoque ἀποπέφευγε (eſt extra periculum). *Cyrus* autem dicit, illos Græcos, *Xeniam* & *Paſionem*, neque ἀποδεδρακέναι, ad ignota ſibi loca aufugiſſe: nam ſe ſcire, ubi ſint, & quo fugerint: neque ἀποπεφευγέναι, evaſiſſe extra teli jactum, ἐκτὸς ἐφικτῦ. Nam ſe poſſe illos, quandocunque velit, ex fuga retrahere. *Xenophon* itaque non tantum decore debitoque modo ſuam mentem enuntiavit, ſed etiam tam aptis verbis, ut ad eum ſenſum exprimendum aliis verbis, & alia verborum ſtructura, uti nequiret. In loco *pag. 258, B, 8,* ὅτι αὐτῦ ὀλίγυ δεήσαντος καταλευσθῆναι πρᾴως λέγοι τὸ αὐτῦ πάθος, non ſatisfecit Anglus, ſic vertens *pag. 62: He took it very ill, that, having narrowly eſcap'd being ſton'd to death, the other ſhould ſpeak tamely of his grievance.* Græcum enim non eſt λέγειν τινὸς πάθος πρᾴως, pro *alteri factam injuriam & afflictionem modicam & facile ferendam dicere.* Nihil aliud in hac poſitione poteſt ea phraſis notare, quam *placidis moribus & vultu atque ſermone ad modeſtiam & manſuetudinem compoſito alterius infortunium enarrare.* Quæ notio huc non quadrat.

drat. Nihil aliud exputamus huc congruum, quam ut legatur (inſerto κατὰ) πράως λέγοι κατὰ τὸ αὐτῦ πάθος. Quod *Proxenus* pro indole & charactere ſui animi placide & modeſte peroret. Poſſet quoque legi πράως λέγοι φέρειν τὸ αὐτῦ πάθος, (quo loco λέγοι foret pro κελεύοι accipiendum,) *tranquille ſuum caſum juberet ferre*, quod iſto meliorem ſenſum fundit. *Pag.* 64 ſic vertit Græca hæc, in hunc modum in editione *Leunclav.* diſtincta: ἐπιβυλεύει Κύρῳ, καὶ πρόσθεν πολεμήσας καταλλαγεὶς δὲ ὗτος Κύρῳ εἶπεν. *This Man form'd a deſign to betray Cyrus, with whom he had before been at war; but, beeng now reconcil'd, he told Cyrus, that* &c. Verum, ſi ſic diſtinxiſſet, καὶ πρόσθεν πολεμήσας, καταλλαγεὶς δὲ ὗτος Κύρῳ εἶπεν, emerſiſſet ſenſus paulo pulchrior, *qui jam ipſe olim bellum adverſus Cyrum geſſerat, deinceps tamen ipſi reconciliatus fuerat. Hic Cyro exponebat. Pag.* 67 *lin.* 1 verba, ἐπεὶ δὲ ταχθεὶς, ὡς ἔφη αὐτὸς, ὑπὸ τῦ ἐμῦ ἀδελφῦ ὗτος ἐπολέμησεν ἐμοὶ, ſic vertit: *afterwards, by the Command, as he ſays, of my Brother, he made war upon me.* Primum non perſpexit ſtructuram periodi; & primum ejus membrum ad verba καὶ δεξιὰν ἔλαβον (excluſive) extendi; & cetera, καὶ δεξιὰν ἔλαβον καὶ ἔδωκα, membrum alterum, ſeu apodoſin, eſſe. Et ideo in nota ait, ſe ἐπεὶ δὲ ita reddidiſſe, ac ſi *Xenophon* ἔπειτα δὲ ſcripſiſſet. Quod laudari nequit. Deinde ταχθεὶς non notat hic *by the command*, (id ſi voluiſſet, dixiſſet potius προσταχθεὶς,) ſed notat *miſſus*, ut aſſeveret, a fratre meo, jam poſt patris mortem avtocratore, in provinciam, Aſiam minorem, regio nomine præfectus, ea mente, ut ex illa provincia, quam ſub patre adminiſtraveram, decedere me juberet, & ipſe regimen ejus capeſſeret. Ea *Xenophontis* vera mens eſt. Ad verbum: *Quia vero conſtitutus, ut ajebat, a fratre meo hic, mihi bellum faciebat — & ego armis oppoſitis eam ipſi mentem injeci, ut boni conſuleret, bello adverſus me finem facere:* (propterea) *&* *accepi dextram manum, & dedi meam. Pag.* 69 *penult*, Græca: μετὰ ταῦτα κελεύοντος Κύρυ ἐλάβοντο τῆς ζώνης τὸν Ὀρόντην ἐπὶ θανάτῳ ἅπαντες ἀναςάντες καὶ οἱ συγγονεῖς, ſic vertit: *After this they all roſe up, and, together with his*

rela

Digitized by Google

relations, by Cyrus order, took hold of Orantas's Girdle. Non mirum, quod non omnia debita cura hic verterit Anglus, cum Græca corrupta ſint. Potuiſſet tamen paulo attentiorem corruptelæ & emendationis admonere conſideratio phraſeos λαβέσθαι τινὰ τῆς ζώνης, quæ Græca non eſt. Græci enim dicunt λαβέσθαι τινές τῆς ζώνης. Legendum itaque & diſtinguendum ſic: — ἐλάβοντο τῆς ζώνης, τὸν Ὀρόντην ἐπὶ θανάτῳ ἀνιςάντες, οἱ συγγενεῖς. *Orontæ conſanguinei eum apprehendebant de zona, ſurgere jubentes, quo viam iret, fatalem & irremeabilem.* Delevimus καὶ ante οἱ συγγενεῖς, quod natum eſt ex Sigma præcedente in ἀνιςάντες (ſic enim legendum, non ἀνασάντες). Soli conſanguinei hoc faciebant, non item alii. *Pag. 90, 2,* verba Græca: καὶ πάντες δὲ οἱ τῶν Βαρβάρων ἄρχοντες μέσον ἔχοντες τὸ αὐτῶν ἡγοῦντο, ſic vertit: *for in all Barbarian armies the Generals ever place themſelves in the Center.* Aut *Xenophon* hic male habet, aut, ſi iſte bene, ſiniſtre accepit Anglus, id eſt, aut ἡγοῦνται legendum erit in *Xenophonte*, aut, ſi recte ibi ſcriptum eſt, & a *Xenophonte* profectum ἡγοῦντο, non poteſt hoc de omnibus barbarorum omnium aciebus accipi, ſed tantum de illa *Cyri*, de qua *Xenophonti* præſens ſermo eſt. *Pag. 96* legitur: *So that any Perſon, whether Greek, or Barbarian, might travel whitherſoever he pleas'd, and with whatſoever he pleas'd.* Hæc reſpondent Græcis ἀδεῶς πορεύεσθαι ὅποι τις ἤθελεν, ἔχοντι ὅτι προχωρείη. Nimis laxe, præter morem ſuum, ſic Anglus, at callide. Sic enim evitabat difficultates verbi προχωρείη. Quod hic certe locum habere nequit, ſed debet in προχειροίη (*avec toute ſorte de trafiqu, & de manoeuvre*). *Pag. 99* fine: *Where Forage was very ſcarce, and he, by the number and care of his ſervants, had an opportunity of being ſupplied with it, &c.* Imo vero *à cauſe du grand nombre de ſes gens, & des bonnes meſures qu'il prit* (ipſe nempe *Cyrus*). *Xenophon* hæc ſatis luculenter diſtinxit διὰ τὸ πολλοὺς ἔχειν καὶ διὰ τὴν ἐπιμέλειαν. Si voluiſſet id, quod Anglus dedit, ſcripſiſſet καὶ ἐπιμελητὰς (vel ἐπιμελετικοὺς). *Pag. 100:* ὥςε ἔγωγε ἐξ ὧν ἀκούω, οὐδένα κρίνω ὑπὸ πλειόνων πεφιλῆσθαι, *ſo that by all I have*

have heard, no Man — was ever more belov'd. Sed Græca aliud inſinuant. Certe, ſi id vellent dicere, quod Anglus exhibet, deberet pro *ἐξ ὧν ἀκούω* ſcriptum eſſe *ὧν ἤκουσα*. Sed verus ſenſus eſt: *In quantum intelligo, autant que je peus juger par ce que je viens de dire de ſes bonnes qualités.* Ἀκούω idem eſt, quod *μανθάνω, ἔγνωκα*. *Pag. 101:* *παρὰ μὲν Κύρου δούλου ὄντος οὐδεὶς ἀπῄει πρὸς Βασιλέα, no one ever deſerted from Cyrus, though a ſubject, to the King.* Fideliter quidem ſic, at nihilo minus prave, & contra mentem atque ſcriptionem *Xenophontis.* Ille pro *δούλου* profecto *φίλου* ſcripſerat; & ſenſus eſt: *Eorum, quibus Cyrus ſemel amicus conciliatus erat, nemo deſciſcebat ab eo ad regem. Pag. 105, 1,* induxit eum in errorem mala librorum vulgarium lectio, *ὡς ταύτῃ προσιόντες καὶ δεξόμενοι* (*pag. 270, C, 7,* ed. Francof.) ut verteret *put themſelves in a poſture to march that way, and receive him.* Sequentia monſtrant, legendum eſſe *προσιέντος δεξόμενοι*, *cum ſuſtenturi & exſpectaturi, ſi ibi tentaret aggreſſionem.* Et, hoc admiſſo, poterit Angli huc allita nota in ſpongiam incumbere. Tantum ex *primo Libro.*

Luſtremus etiam breviter *ſecundum. Pag. 118, 4,* male vertit, *even for thoſe you are in poſſeſſion of,* ſecutus marginale *ὑμετέρων.* Atqui ſic ſenſus evadit abſurdus. Græci non pugnabant pro bonis Perſarum, neque volebant ea defendere. *Pag. 125, 14,* rectene verterit, an ſecus, *mix'd together in the hollow of a Shield,* non liquet. Putemus, *Xenophontem,* id ſi voluiſſet, *εἰς ἀσπίδα μίαν* fuiſſe ſcripturum. Sed relinquimus in ambiguo. *Pag. 128 ult.* quare maluerit in verbis *ὃς ἂν τὸν ἀφιέντα τὸν ὄνον εἰς τὰ ὅπλα καταμηνύσῃ,* retinere ineptam vulgatam, & vertere, *whoever gave Information of the Perſon, who had turn'd the Aſs into the Quarter of the heavy-arm'd Men,* quam emendationem doctorum hominum ſequi, (quod alias tamen parum ſcrupuloſus facit,) ne quidem ex addita nota apologetica intelligimus. Verum quidem eſt, illos viros doctos, quando pro *ὄνον* ſubſtituunt *φόβον*, veram & genuinam *Xenophontis* vocem, quæ eſt *κλόνον*, non vidiſſe, Viderunt tamen ſenſum. De voce *κλόνος*, & quod idem notet

tet, ac vox σάλος, æſtum, fluctuationem animorum, timore incerto & ſpe in ancipitia diſtractorum, nunc diſputare animus non eſt. *Pag.* 134 non recte vertit *theſe dates*, ſecutus vulgatam lectionem ἄυται δὲ αἱ βάλανοι. Legendum enim ἀυταὶ δὲ &c. Antea dixerat de præparatis dactylorum, ut vino, aceto. Jam de ipſis dactylis differit. Quod autem eadem *pag. lin.* 12 ἡ δὲ ὄψις ἠλέκτρου οὐδὲν διέφερε vertat *they had in all reſpects the appearence of the amber*, non capimus. Ambra an Anglis ſit idem, atque ſuccinum, dubitamus. Ambram quoque nigram vidimus, & gryſeam: ſed ſuccineam ignoramus.

Verum videmus, nimis in amplum excreſcere noſtram disputationem; quare, miſſa Nobiliſſimi *Spelmani* verſione, laude certe digniſſima, paululum Notas ejus contemplemur. In iis aut caſtigat *d' Ablancourti* verſionem, aut exponit antiquitates Græcas, absque quarum intellectu *Xenophon* obſcurus eſt, ut numorum, ponderum, itinerariorum, menſurarum, quales ſunt ſtathmi & paraſangæ, rationem; explicat dictiones aut obſcuras, aut in quibus recte capiendis aberraverant interpretes, ut *pag.* 58. ἀγοράζειν adſtruit quoque *emtionem* notare, non venditionem tantum. *Pag.* 61 θέσθαι τὰ ὅπλα, pro *make his Soldiers ſtand to their arms*; *pag.* 63, quod differat κατὰ χώραν & ἐν χώρᾳ; item quid ſit τίβος. Ut vides, Grammaticum agit. Sed potuerat multa ludimagiſtris permittere, quæ tam ſplendidam editionem parum decent, ut *pag.* 7 obſervationem de ἄγαμαι, *pag.* 10 de differentia τοῦ συμβουλεύειν & συμβουλεύεσθαι; *pag.* 38 ὁρμεῖν & ὁρμίζειν; *pag.* 43 de μιᾶ & ἰόντων, pro *eunto*; *pag.* 73 de ellipſi in ὅπως &c. Caſtigat quoque *Xenophontem* interdum, ut *pag.* 78, quod dixerit, canales, quibus Babylonia interſecta eſt, e Tigride derivatos eſſe, cum Tigridis ripa ſit illa Euphratis inferior, & canales ex Euphrate derivati ſint, *Strabone* & *Arriano* teſtantibus. Verum tamen *Abulfeda*, ſcriptor recentior, & Euphratis tantum non accola, *Xenophonti* patrocinatur. *Pag.* 124 taxat ſuum Autorem, quod, inde a campo, in quo *Cyrus* occubuit, usque ad Babylonem, ſcripſerit, eſſe ſtadia 3600.

 Quod

Digitized by Google

Quod amplius perſequitur Autor Diſſertationis geographicæ, *ſecundo* Voluminí, ex inſtituto bibliopolæ, & approbante *Spelmano*, præmiſſæ.

Autor hujus Diſſertationis intelligitur ex ejus fine *pag.* *79* (tot enim paginas illa implet) *R. Forſter.* Eſt ea lectu digna. Primum caſtigat *Ptolemæum*, licet ſummum Geographum, quod non ſemper accuratus ſit in deſignandis locorum gradibus. Sic, Byzantium duobus gradibus inferius eſſe, quam indicarat *Ptolemæus*, demonſtrat. Deinde *Xenophontis* iter in Babyloniam, & inde per Curdos & litus Sinopenſe reditum perſequitur; comparans veterem Geographiam, quantum pote, cum hodierna. *Pag. 16* obſervat, Thapſacum in S. Codice *1 Reg. IV, 5*, commemorari; & ſimul punctationem Judæorum explodit, quæ effecerit, ut fere non fuerit ibi agnitus iſte locus. *Strabonis* notabilem locum ventilat *pag. 18*, e quo fere, imperitum eum Geographiæ fuiſſe, conjicias. *Pag.* *25* defendit *Xenophontem* contra *Spelmanum*, in re canalium, cum Euphrate & Tigride communicantium. *Pag. 57* Paradiſum in Armenia collocat, &, ejus quatuor fluvios, aſſerit, fuiſſe Phaſin (Piſchun), Araxen, Euphraten, & Tigridem. *Pag.* *68* inquirit in ſpatium temporis, cujus res geſtas his octo Libris *Xenophon* expoſuit. Calculus ejus fert 25 menſes. Tandem de *Xenophontis* ætate diſputat, quam agebat tum, cum huic expeditioni intereſſet: quam ſtatuit, & evincit argumentis maxime probabilibus, annorum fuiſſe propemodum 25. Cum autem *Xenophon* poſt hanc expeditionem quadraginta fere annos vivendo exegerit; efficitur ex hoc ſuppoſito, ipſum anno ætatis 65 obiiſſe, non 91, ut vult *Lucianus*, aut 105, ut *Diogenes Laertius.* Rationes, cur ita decernat, apud Autorem, *Forſterum*, videri & expendi poſſunt, quo cupidos, ſciendi ablegamus.

CORPORUM LAPIDEFACTORUM AGRI VERONENſis Catalogus, quæ apud JOANNEM JACOBUM SPADAM, Gretianæ Archipresbyterum, aſſervantur.

Editio

Editio altera, multo auctior, cui accedunt Annotationes, & Marmorum, quæ in eodem agro reperiuntur, Elenchus.

Veronæ, typis Dionyſii Ramanzinii, 1744, 4 maj.
Plag. 10, Tabb. æn. 10.

Ea eſt hujus opuſculi dignitas, ut, ejus potiora momenta, ſcientiam lapidum illuſtrantia, propriis Autoris verbis exponenda eſſe, arbitremur, ſicque *Actis* noſtris ſingulare daturi ornamentum, legentium autem conſulturi videamur utilitati Rebus, quæ petrificatæ vulgo vocantur, vel ineſt duntaxat lapidea cruſta ſuperinducta, vel eæ interius exteriusque lapidis naturam aſſumſerunt. Interdum interius replentur materia quadam lapidea, quæ in conchis ſæpe viſitur, vel etiam ſæpiſſime animalium teſtæ, aut exuviæ, pereunt, ita ut ſuperſit ſolum interior quaſi nucleus. Satis conſtat, plurimos contendere, res omnes, in lapidem verſas, meros eſſe naturæ luſus; horum tamen pace dici poteſt, aut ipſi nunquam eas obſervarunt, aut temere ſaltem loquuntur, quod, niſi a doctiſſimis viris demonſtratum fuiſſet, evidentiſſimis argumentis comprobari poſſet. Etenim qua ratione oſſa cervi, quæ ex duro ſaxo extrahenda curavit Autor, ab eo, qui illa obſervaverit, & ſua ratione utatur, naturæ luſus dici poſſunt? Horum ad integrum ſceleton formandum ne unum quidem deficit; ſingula vero, quod maxime advertendum eſt, nedum quantum ad externam figuram attinet, ſed ad internam etiam, veris cervi oſſibus tam ſimilia ſunt, ut ovum ovo tam ſimile vix eſſe poſſit; eorum proceſſus, additamenta, ſubſtantia rara, vel laxa, medulla ipſa, tam diſtincte apparent, tamque pulchre, ut nihil amplius deſiderari poſſit.

Quid dicendum de piſcibus, qui veros piſces ita referunt, ut, qui eos viderit, ſtatim eos agnoſcat? Horum plurimos habet Autor, quorum ſpina e ſaxo exſtat, ita ut una cum commixta carne facile ſeparari poſſit: ſpinæ, vertebræ, adeo integræ ſunt, ut non niſi veræ piſcis vertebræ dici poſſint. Uno verbo, omnia, quæ in hiſce obſervantur, veros fuiſſe piſces, ma-

niféſto oſtendunt. Quid de plantis herbaceis, quarum folia e ſaxo exſtant, & tota facie, vel circumſcriptione, fibrisque, ſuam ſpeciem referunt, & manifeſte oſtendunt? Quid de Dendrolithis, ſeu lignis, in lapidem converſis? Num exiſtimemus, lapides ea forma creatos eſſe, vel ex arborum truncis originem habere? Omnino vetat truncus ille, qui ab Autore repertus fuit in loco *Bolca* dicto; cujus pars lignea fuit, & cultro ſecari potuit, pars vero omnino lapidea. Utinam eorum oculis, qui, res omnes, in lapidem converſas, meros eſſe naturæ luſus, contendunt, cuncta hujusce generis, quæ apud Autorem aſſervantur, ſubjici poſſent; ipſos profecto puderet contra tam manifeſtam veritatem pugnare.

Nunc vero aliquid de lapidum generatione dicit Autor, & breviter ſimul, quomodo corpora lapideſcant, explicat. Adverſatur profecto obſervationibus eorum opinio, qui arbitrantur, omnia lapidea corpora ab initio creata fuiſſe. Utcunque enim rupes fuerint quaſi oſſa terræ formata cum terra, utcunque etiam alii lapides (ſcilicet ita exigente recentis mundi perfectione) conditi ſimul fuerint; nam certe conſtat, plurimos quolibet tempore lapides generatos fuiſſe, ac etiam nunc compingi ac generari. Ad hanc doctrinam confirmandam, infinita atque validiſſima argumenta apud Philoſophos paſſim reperiuntur; doctiſſimus tamen Autor pauca tantum affert ex iis ſane plurimis, quæ ager Veronenſis ſuppeditat. Prius tamen, modum exponere, optimum eſſe ducit, quo lapides generentur.

Ingenti conſenſu tradunt omnes, aquas, vel ſupra, vel infra, terræ ſuperficiem, maxime vero intra montium rimas ac cavitates, defluentes, varias hinc inde arenæ, vel metallorum, particulas abradere, & ſecum deferre, atque cum ipſis omnino commiſceri. Hinc, pro variis particularum generibus, aquis commixtis, fluida diverſi generis formantur, ex quibus lapides, metalla, chryſtalli, ſalia, imo & omnia pæne foſſilia, ſuam ducunt originem, videlicet, ſive quod hæc fluida corpuſcula minori, quam antea, velocitate ferantur, vel aliquo in loco quieſcant, ſive quod a quibusdam terris, veluti a totidem

totidem colis, percolentur, particulas ſuas relinquere coguntur, quæ aliæ aliis ſuperimpoſitæ, vel mirabili prorſus ordine diſpoſitæ, & inter ſe arcte compactæ, (quod an ipſis ſalibus, an aeri, an particularum figuræ, an aliis denique cauſis, tribuendum ſit, hujus loci non eſt diſputare,) foſſilia effingunt: aliquando etiam hæ particulæ cum quibusdam terris commiſcentur, & ex hac commixtione foſſilia generantur.

Jam argumenta, quibus demonſtratur, lapides generari, & eo quidem modo, quo paulo ante explicavit, exponere aggreditur Autor. Et inprimis plurimi lapides, ut ex Catalogo præſente conſtat, diverſas res, nempe foſſilia, vegetabilia, animalia, heterogenea corpora, continent, vel iis circumveſtiuntur, & concava ſuperficie corporis, vel animalis, cui incubuerunt, faciem perbelle referunt. Contra vero alii lapides, quorum plurimos Autor habet, plerumque in intimis durorum corporum receſſibus, nucleorum inſtar, circumſepti & tunicati reperiuntur. In quibusdam agri Veronenſis torrentibus paſſim magnæ moles, glarea & fluviatilibus ſaxis compactæ, obſervantur ipſis ſaxis duriſſimis, quibus interdum adhærent, non minus duræ. Marmor illud, quod vulgo *della Bernice* vocatur, totum ferme ex minutiſſimis conchulis conſtat. Nigrum & album marmor, quod e lapicidina *Pomarol* cæditur, nihil aliud eſt, niſi mixtio quædam *Bucarditarum* minorum & argillæ. Illud, quod vulgo *Marmoraſſe* appellant, plura Ammonis cornua, nonnulla haud exiguæ ſane molis, continet. Quod *Biancone* vocant, ſæpe Terebratulas, Belemnitas, piſcium dentes, complectitur. Obſervavit etiam Autor marmora quaſi ſemper eosdem colores referre, quibus terra ſuperimminens inficitur. Plurimæ aquæ in agro Veronenſi reperiuntur, quæ cruſta lapidea herbas, arborum radices, ſaxa, aliaque corpora, obducunt. Hæc argumenta ad oſtendendum, lapides in dies generari, & eo quidem modo, quo ſupra explicaverat, tam valida eſſe Autori videntur, ut, alia afferre, ſuperfluum eſſe, judicet: niſi vero res ita ſe habeat, ipſe doceri cupit, qui alio modo ea omnia evenire potuerint.

Denique perpendant, quicunque annotationes legent, Ca-

talogo huic inſertas, corpora marina lapideſacta, non confuſa & commixta reperiri, ſed pro variis eorum generibus a ſe invicem diſtincta, ita ut in uno monte piſces, in alio cornua Ammonis, inveniantur; hoc enim ſolum eorum opinionem evertere videtur, qui, corpora marina lapideſacta diluvianas reliquias eſſe, contendunt. Eſto enim, quod mare perturbatum ac nimis agitatum conchas univalves e ſaxis, quibus tempeſtatum tempore tam firmiter adhærent, divellere potuerit; eſto, quod teſtacea quælibet, vel etiam cornua Ammonis maxima, e fundo maris ſupra montes translata fuerint; hoc tamen quomodo abſque marinorum corporum confuſione fieri potuerit, non facile eſt intelligere; neque dicere juvat, corpora marina ultro ad montes,aqua tunc coopertos, ſeſe tranſtuliſſe. Nam, præterquam quod Corallia, aliaque graviſſima corpora, ſeſe transferre non potuerint, quis credat, duodecim menſium & decem dierum ſpatio, ea e propriis finibus exiluiſſe, ſtabilemque in montibus manſionem elegiſſe, ibique ſuam quamque ſpeciem tam copioſe multiplicaſſe?

Univalvium Intortorum & Turbinatorum

Genus primum,

Nautilitæ.

Nautilitæ & Ammonis cornua his notis inter ſe differunt. Illi extrinſecus unico tantum orbe donantur, extus ſquamato, intus concameratis ampliſque cellulis, in meditullio perviis, formato. Hæc autem extrinſecus in multiplices orbes ſeſe circumvolvunt, & vertebris, intus incurvatis & terebratis, anguſtas valde cellulas exprimunt. Nihilo tamen minus forma fere conveniunt. Nautilitæ dicuntur, quod in ſe piſcem ex polyporum genere contineant.

Genus ſecundum,

Cochlitæ.

Cochlitæ, generatim ſumti, intortarum concharum genus referunt. Horum flexus a centro ſurſum tendunt; variis gyris, pluſve minuſve exſtantibus, extuberant, indeque varia ſortiuntur nomina.

Cor-

Digitized by Google

Corporum lapidefactorum

Claſſis prima,

Univalvia.

Univalvium intortorum, & ſerpentum inſtar in ſe convolutorum,

Genus primum.

Ammonis Cornua.

Ammonis cornu, ab *Ulyſſe Aldrovandio* Ophicides dictum, vulgo ſerpens lapideus, planum eſt, intortum, vel involutum, ſerpentis inſtar in orbem collectum. Ammonis cornu appellatur, quod arietis cornibus, quibus *Jovis Ammonis* caput inſignitur, ſimile ſit. Teſtacea, horum formam exprimentia, minima tamen, in Ariminenſium littore ad mare ſuperum copioſe inveniuntur; de quibus Cl. Vir, *Jo. Plancus*, in libro *de Conchis minus notis* docte nuper diſſeruit, unde conjici poteſt, in remotiſſimis maribus majora reperiri, quæ forſan noſtrorum magnitudinem attingunt. Varia ſunt magnitudine & forma Ammonis cornua, pluribus minoribusve ſpiris diſtincta, nempe ſtriata, nodoſa, levia, & foliacea; magnitudine autem parva ſunt, media, majora, & maxima. Foliacea dicuntur, quia folia referunt varia, leviter in ſuperficie ſignata, nempe Sabinæ, Quercus, & Abſinthii; horum foliorum diſſimilitudo a varia vertebrarum compagine, ex quibus omnia Ammonis cornua formantur, repetenda eſt. Multi ſunt Veronenſis agri montes exigui, & ſubliniores, qui in lapicidinis marmoris albi, cinerei, rubri, croceique coloris, atque etiam in cinereis ferrugineisque tophis, Ammonis cornua continent, quorum, ut videre eſt, in ſequenti Catalogo fit mentio.

Genus ſecundum,

Neritita.

Marinarum Concharum ſpecies quasdam ita a Nereo vocatas, referunt. Eximiæ ſunt pulchritudinis, intorti, majoribus & peramplis anfractibus donati, ore plano, vel hiatu non roſtrato: umbilicus paucis ſpiris conſtat, & vixdum attollitur.

Genus

Genus tertium,
Trochitæ.

Cochlitæ turbinati, quos *Rondeletius* ob ſimilitudinem turbinis, quo pueri ludere ſolent, Trochitas appellat, forma conum referunt, baſi planum, & mucrone acuminatum.

Genus quartum,
Buccinitæ.

Turbinitarum genus quoddam ſunt, iique in medio latiores, inſtar turbinis, in margine vero ita producti, ut os bifidum ovatum repræſentent, quod intus leve & omnino album eſt. Alii Buccinitarum nomine cochlitas turbinatos intortos intelligunt, quorum hiatus incurvatur, aut canaliculis ſignatur. Verum Buccinitæ in lapidem degenerarunt, dum Veronenſes hanc faciem, ſi tamen unquam illa donati ſint, omnino amiſerunt.

Genus quintum,
Turbinitæ.

Sub hoc nomine quodcunque teſtaceorum genus torcularium, cochleæ inſtar configuratum, & in longum mucronem deſinens, intelligimus. Turbinites tortuoſus eſſe debet, & in mucronem acuminatum longioremque deſinere, ore ſit plano atque rotundo, ſpiræ tenuiter & paulatim deficiant, venter, vel craſſities, in baſi nulla ſit, eaque in ceteris ſpiris eadem ſervata proportione appareat.

Genus ſextum,
Purpuritæ.

Ex Cochlea, oſtrum fundente, quo antiquitus lanæ inficiebantur, Purpuritarum nomen ductum eſt. Hetruria copiam harum habet, nec tamen lanæ fuco claruit, ut ſcripſit *Mercatus*; unde haud temere judicandum, hanc, de qua agimus, verum *Rondeletii* Purpuritem non eſſe, ſed Porphyroidem, ut idem *Mercatus* aſſerit. Nihilo tamen minus Purpuritis nomine inſignitur, ne a vulgari opinione recedamus.

Igitur Purpurites Turbinitarum genus eſt, ſinubus ornatum, & multiplicibus cuſpidibus, pulchre diſpoſitis, armatum, roſtrum habet longum, in quo canaliculus eſt, unde cibum depromit.

Uni-

Univalvium, Helice carentium,
Genus primum,
Echinitæ.

Turbinitis, jam recenſitis, Echinitæ nunc deſcribuntur, qui ſunt ex genere Turbinitarum, globumque repræſentant; ſed ſpiræ & anfractus in ipſis deſiderantur. In Veronenſibus montibus evulſi, aut in eorum lapicidinis, reperiuntur. Nihil omnino forma diſſimiles marinis, niſi ſpinis, ſeu radiolis, qui facillime a marinis etiam Echinitis decidunt. Echinitæ in rotundos, ovatos, & angulares, dividuntur. Qui rotundi ſunt, forma interdum cor humanum referunt. Multæ Echinitarum ſpecies inveniuntur in montibus, vulgo *di Quinto, Coſta grande, Grezzana, Prun, le Stelle*, & *Poggiano*, dictis; alii ad orientem, alii ad meridiem, alii etiam ad occidentem, nonnulli in agris evulſi, alii vero in ſaxo calcario, & in argillis tophisque.

Echinitarum radioli in longitudinem extenſi, punctati, leves, ſublutei, & nigricantes, majores, minores, & minimi, ſunt. In montibus, vulgo *di Poggiano, delle Scaluccie, di Mont' Urſi, di Grezzana*, exſtant. In agris evulſi inveniuntur. Alii ejusdem figuræ plani, angulis dentatis, ſubcinerei, majores, minores, & minimi. In iisdem montibus exſtant. Echinitarum fragmenta ad ſimilitudinem ovi anguini *Plinii* accedunt. In monte, vulgo *Urſi di Grezzana* dicto, ad meridiem colliguntur.

Genus ſecundum,
Belemnitæ.

Belemnitæ, qui parvum ſpiculum forma repræſentant, & lapideis fibris, ut ita dicamus, ſeu radiis, conſtant, ab Echinitarum radiolis forſan haud ſeparandi ſunt. Autores nonnulli eorum originem ab aquarum ſtillicidiis repetunt; alii a liquore lapideſcente, & in tubulis marinis concreto, Belemnitarum figuram deducunt. A quibusdam Lyncurii appellantur, eo quod, a lyncis urina produci, putant; quidam, cœlo una cum fulminibus delabi, inſulſe credunt. Eorum origo adhuc latet; itaque de Veronenſium tantum enumeratione in præſentia ſollicitus eſt Autor.

Corporum lapideſactorum
Claſſis ſecunda,
Bivalvia.

Genus primum,
Conchitæ.

Abſoluta Turbinitarum univalvium enumeratione, ad cetera pergit Autor. Conchitæ ab ipſis conchis, quas figura ſua referunt, nomen deſumſere. Nullis gyris, ſicut Turbinitæ, donantur, ſed duabus valvis, cardine conjunctis, conſtant. Dividuntur in longos, rotundos, lunatos, æquilateros, & inæquilateros. Alii leves ſunt, rugoſi, extuberantes, ſtriati, alii imbricati, aut dentati; quidam vero ſpinoſi, nonnulli etiam ſtrumoſi, prout ex ſequenti Catalogo patebit.

Genus ſecundum,
Chamitæ.

Chamitæ dicuntur, quod Chamæ nigræ *Rondeletii* faciem repræſentent. Chamitæ omnes, ab Autore deſcripti, utramque teſtam habent, intus vero duro ſaxo cinereo referti ſunt.

Genus tertium,
Muſculitæ.

Ita dicti, quia muſculis, in rivis Veronenſibus degentibus, ſimiles ſunt. Muſculitæ minores, nigricantes, vel cinerei, leviter rugoſi. Eorum copia in valle, quæ vocatur *Anguilla*, ad meridiem, in ſaxo nigro, aliquantulum friabili, atque in cinereo ſcopulo.

Genus quintum,
Bucarditæ.

Bucardites dicitur, quia bovis cordi comparatur.

Genus quintum,
Pectinitæ.

Pectinites appellatur, quia Pectinem *Rondeletii* repræſentat: eaque concha pectinum dentes, quibus crines pectere ſolemus, ſtriis ſuis quodammodo exprimit.

Genus ſextum,
Oſtreitæ.

Oſtrei-

Oſtreites Latine dictus ab oſtreæ teſta, in lapidem converſa. Oſtracitis nomen ab Autoribus, qui de Hiſtoria naturali ſcripſere, accipit. Num vero Oſtreites *Dioſcoridis* idem ſit, ac recentiorum, non ſatis liquet. Ex verbis *Plinii* manifeſte apparet, Oſtracitem, quem memorat, gemmam quandam eſſe, achatæ ſimilem. Oſtracias, inquit *Lib. XXXVII Cap. 10*, ſeu Oſtracites, eſt teſtacea durior: altera achatæ ſimilis, niſi quod achates politura pingueſcit: duriori tanta ineſt vis, ut aliæ gemmæ ſcalpantur fragmentis ejus. Oſtraciti oſtrea nomen, & ſimilitudinem, dedere. Quæ deſcriptio cum recentiorum ſententia haudquaquam congruere videtur, qui, Oſtracitem lapideam oſtream eſſe, volunt. Rectius enim in *Mercati* Metallotheca Oſtreites dicitur, cui & Autor aſſentitur.

Genus ſeptimum,

Conchitæ Anomii.

Sub hoc nomine Conchas illas intelligimus, quæ teſtæ magnitudine, vel forma, a ceteris, jam recenſitis, omnino diſſimiles ſunt.

Genus octavum,

Conchitæ Anomii, Gryphitæ dicti.

Gryphitæ vocantur, quia unguibus aduncis Gryphorum ſimiles ſunt.

Genus nonum,

Conchitæ Anomii, Terebratulæ dicti.

Sunt & hi inæqualiter bivalves, quorum pars una parvo roſtro, tenuiter terebrato, prominet ſuper aliam, & ita producitur, ut ejus verticem ſupertegat. Ob talem itaque formam Terebratulæ roſtro prominulo, veluti pertuſo, appellati ſunt.

Corporum lapidefactorum

Claſſis tertia,

Tubulata.

Genus unicum,

Tubulitæ.

Sub hoc nomine intelligi debent, quæcunque teſtacea ob-

 longa,

Digitized by Google

longa, atque cava, inſtar canalis, & omnino a Turbinitis, & ab Echinitis, duriſque Conchis, diverſa. Tubulitæ vel cylindracei ſunt, aut quaſi vermen curvati, atque intorti, vel tandem canum dentes repræſentant, variiſque ductibus extrinſecus ſignantur.

Quoniam monſtruoſorum lapidum denominatio curioſum lectorem de vera eorum forma monitum facere haud potis eſt; operæ pretium duxit Autor ad clariorem intelligentiam, illa corpora, quæ apud ipſum reperiuntur, utpote melius cuſtodita, exhibere delineata in tabulis. Equidem hujusmodi lapides, quos neminem huc uſque ſignaſſe putat Autor, ingentem ſane difficultatem, ut ad ſpecies ſuas revocentur, afferunt, cum in maritimis aquis hujusmodi animalia non deprehendantur, fortaſſe quia in profundis aquarum cavitatibus inexplorata exiſtant, ſive alia de cauſa, nempe quod inter mutationes, quæ in terraqueo mundo evenerunt, eorum generatio deperierit. Nihilo minus quamcunque Autor adhibuit ſolertiam, ut congruenti nomine hoſce lapides inſigniret.

Corporum lapidefactorum
Claſſis quarta,
Animalia integra, eorumque partes.

Cancri, ſeu Paguri, lapidei, majores & minores, tam concinne cancrorum formam referunt, ut nullus ſit dubitandi locus, veros cancros fuiſſe, in lapidem converſos. Facies anterior dorſum exhibet ſcabrum, quod veteri teſta, thoracis inſtar parvis aculeis ſemicincta, conſtat, tum bina oculorum cava in extrema ora apparent: poſterior vero facies chelas, octoque pedes recurvos & complicatos, oſtendit. Reperiuntur in argilla cinerea ad caſtrum S. *Felicis* Veronæ, orientem, meridiem, atque occaſum verſus, ſed admodum fragiles. In valle dicta *Val Donega*, ad radices montis D. *Leonardi*, orientem verſus, pæne marmorei ſunt, & in loco, quem dicunt *la Caſa del Chiaſarin di Corna*, ad occidentem fere ſimiles inveniuntur.

Piſcium Dentes.

Gloſſo-

Gloſſopetræ, ſeu Odontopetræ majores, minores, & minimi, nihil aliud ſunt, niſi Carchariarum piſcium dentes, ut a rerum naturalium ſcriptoribus vulgo traditur, exploſa plurimorum ſententia, qui, ſerpentum linguas lapideas eſſe, ſibi perſua ferunt. Varia illis eſt figura: plerumque triangularis, longa, in mucronem definens, aliquando teres, margine lævi, vel dentato. In altis montibus e propriis ſedibus avulſi, & duris lapidibus incluſi, reperiuntur.

Oſſa.

In montibus *di Valmenara di Grezzana* ad meridiem, in ſcopulo terrei coloris, partimque cinerei, parvo antro ſupereminente, confuſa, & in unum conglobata, cervi cujusdam oſſa tegebantur. Dum ipſa effoſſa ſunt, quod admodum difficile fuit præ ſilicis duritia, quamvis omnis diligentia adhiberetur, non niſi fruſtatim excerpta ſunt. Omne tamen ſceleton, cunctaque membra, diſtincte cerni poſſunt, ſcilicet cornua, calvarium, maxillæ, dentes, ſcapulæ, vertebræ, femora, crura, & pedes.

Piſces.

In confinibus agri Veronenſis & Vicentini locus eſt, *Bolca* cognominatus, cui lapicidina ſubjacet, ſciſſilibus lapidibus conſtans, in quorum interſtitiis marinorum piſcium cadavera, tanquam eſſent bitumine, vel piſſaſphalto, condita, continentur. Lapides ſcinduntur, & in utroque eorum latere, vertebræ, ſpinæ, pinnæ, ſquamæ, ipſa caro perbelle impreſſa, vel eis adhærens, cernitur, magisque præ lapidum colore albeſcente apparet. Scorpenæ, Paſſeres, Sauri, Scombri, & Rhombi, abunde hinc eruuntur, magnusque penes Autorem eorum numerus eſt.

Vertebræ Piſcium.

Plerique Autores, quibus aſſentitur Noſter, in ea fuerunt ſententia, lapides, Entrochos vocatos, & ſtellas referentes, eſſe vertebras piſcium, in lapidem converſas, ob quam cauſam hic hoſce lapides recenſuit Autor.

Vegetabilia,

Corallia.

Corallia, ut vulgo notum eſt, gignuntur in ſcopulis marinis, aquis ſubmerſis, non adeo tamen profundis. Eorum materies ſaxea eſt, ſuoque ſemine vegetat, ſi *Marſilio* credimus, quod tamen a recentioribus Phyſicis improbatur.

Semina.

Quidam rerum naturalium Scriptores autumarunt, numularios, & frumentaceos lapides, leguminum, peponumve, ſemina fuiſſe, in lapidem verſa. Alii ſibi finxerunt, folia eſſe plura, ſimul coacervata, in quorum centro granum involutum eſt, utque varia ſunt folia, rotunda, longa, aut ovata, magna, media, aut parva, ita varia ſemina eſſe. Nonnulli dixerunt, marinorum teſtaceorum inſecta eſſe in unum congeſta, quæ, dum in lapidem convertuntur, ita ſe colligunt, ut cartilaginoſa efficiantur. Plurimi putavere, ſemina eſſe fortuito a ventorum vi congregata, & in terreis acervis depoſita, aut ſimul & inordinate ab aquis vecta, & cum terra & aquarum ſedimento commixta, indeque in lapidem converſa. Porro falluntur omnes, Autoris quidem judicio, cum nihil aliud ſint numularii ac frumentacei lapides, niſi quædam maritimæ conchæ, in quarum centro animal degit, tenuiſſimis cartilaginibus, inſtar oſtreæ, conſtans. Sphærica figura donantur exterius, biniſque valvis conſtant, intus vero canaliculus, in ſe pluribus gyris contortus, parvi animalis cochleam repræſentat. In eam ſententiam adducitur Autor, ejusmodi conchas nunquam aperiri eo modo, quo bivalves conchæ ſolent, ſed ſicut univalves, quas Aures dicunt, quæque ſaxis adhærent, maritimas aquas quibusdam foraminibus accipientes, alvumque exonerantes. Sive numulariorum, ſive frumentaceorum, ſive alio quocunque nomine, conchas haſce donare velis, majores, minoresque, unius ſpeciei ſunt; & ſphærica figura, magis, vel minus, utrinque connexa, donantur. Hinc evenit, ut pro vario conchæ ſitu lato, vel transverſo, modo nummum, modo folia, modo ſemina, Autores, qui de eis ſcripſere, ſibi videre viſi ſint. In plerisque humilioribus montibus, ubi marina corpora lapidea reperiuntur, numularii & frumentarii inſpiciuntur lapides, quorum ſpecies ſequentes ſunt.

Oolithi.

Oolithi.

Oolithus lapis nomen accepit ab ovis, quibus aſſimilatur.

Dendrolithi,

ſeu materies & cortices arborum.

Arborum cortices, truncos, & nudos ſtipites, cortice, vel alburno, ſuperinductos, in lapidem converſos fuiſſe, nemo eſt ſanæ mentis, qui neget, cum ea fruſta, quæ in montibus reperiuntur,adeo arborum truncis ſimilia ſint, ut ovum ovo vix ſit magis ſimile. Sæpiſſime, dum imas valles peragraret Autor, in hujuſcemodi veteris ævi reliquias incidit, quarum magnam copiam ipſe domi ſervat. In montibus, qui vulgo dicuntur *di Bolca*, laricis truncum olim vidit, partim terra cinerea obductum, partim e ſolo exſtantem, quem ubi primum e terra eduxit, omnino corruptum eſſe comperit, ſed gravem: nam ab interiori parte minutiſſimis & rubris arenis refertum erat in fibrarum interſtitiis; ex quo facile intellexit, truncum illum poſt ſui ipſius corruptionem ſenſim lapideſcere, & priſcam formam mutare.

Plantæ herbaceæ,

Arborumque frondes, ſaxis nigricantibus, & cinereis, impreſſæ.

Duriſſimi ſciſſileſque lapides, illis ſimiles, qui piſces continent, cinerei, & plumbei coloris, ex loco, quem *Bolca* dicunt, eruuntur, plantas, folia, flores, fructuſque, tam bene exprimentes, ut in ipſis omnes ductus ſigillatim diſtincti videantur, ex quibus folia componuntur. Quemadmodum piſces omnes maritimi ſunt; ita etiam fere plantæ omnes, quarum multæ apud Autorem aſſervantur, penitus ignotæ, ideoque omiſſæ. E primis ſtratibus, piſcibus ſuperimpoſitis, eruuntur.

Fructus.

Aliquando nuces, pyra, Armeniaca mala, amygdala, aliique lapidei fructus, in noſtris montibus reperiuntur, quorum aliquos naturæ luſui adſcribit Autor, nec inter veros fructus lapides hoſce refert.

Fungi-

Digitized by Google

Fungitæ,
Dendrophori.

Genus tertium,
Stellati lapidis,
Qui Madreporæ ſpecies videntur.

Stellati lapides, qui in hiſce regionibus inveniuntur, non adeo duri ſunt, ut lævigari poſſint. Color eſt illis cinereus, albicans, aut ſubflavus, iique multiplicibus canaliculis tenuiſſimis conſtant. Stellæ radiatæ apparent in quibusdam, aliquando radiatæ & tortuoſæ. Si fruſtatim lapides ſecentur, in quolibet ſegmento ſtellæ ipſæ, ductusque tortuoſi & radiati, inſpiciuntur. Alii ſtellati, aut undulati, in ſola ſuperficie reperiuntur, intus læves, & nullis ductibus diſtincti. Utrique tam ab antiquis, quam a recentioribus, Aſteriæ, aut Aſtroitæ, appellantur.

Appendix.
Corpora chryſtallina,
Pellucidiora.

Chryſtallus alia eſt alba, alia ſublutea, alia nigra, forma pentagona utplurimum, aliquando hexagona, & interdum triangulari, vel quadrangulari. In altiſſimis montibus naſcitur, & a glacie concreta, cujus colorem repræſentat, nomen habet.

Lapides chryſtallini,
Selenitæ & Botrytæ dicti.

Selenites eſt lapis, chryſtallo inferior, ſubluteo colore infectus, quo nitor ejus aliquantulum obumbratur; facile frangitur, & in multa ſtriata ſpicula dividitur, in triangularem, vel quadrangularem, cuſpidem deſinentia.

Stalactitæ, Stalagmitæ, & Fungi
Glaphyri.

Aqua, quæ guttatim in ſpecubus, & aliis terræ cavitatibus, deſluit, & ſecum lapidum ramenta vehit, paulatim concreſcens, in longos ſcabrosque tubulos effingitur, concretionemque

tionemque lapideam, Stalactitem dictam, exprimit; varioque fluendi modo, vel ſitu, diverſas figuras obtinet. Ejusdem generis eſt fungus, qui Glaphyrus dicitur, nomenque habet ab antro Glaphyro, circa Pheneum, Arcadiæ oppidum, hujusmodi concretionibus nobile. Huc etiam Stalagmitem refert Autor, qui lapis eſt ſubrotundus, ejusdem originis, bellaria fere referens, & qui in iisdem locis gignitur.

Ætitæ & Geodæ.

Sub hoc nomine lapides intelligimus, interius excavatos & fornicatos, quorum nonnulli arenam, aut glaream, continent, qui agitati reſonant, & Ætitæ, aut Aquilini lapides, appellantur. Alii induratam terram continent, & Geodæ dicuntur.

Draconitæ.

Lapides cinerei, vel lutei, ſtriati, & læves, quos Draconites vocamus, & genere ſiliceorum ſunt, & varia figura donantur, ovata, vel ſphærica, ſtriisque ſuis varias quoque imagines effingunt. In monte prope vicum Roſar, in torrentibus Gretianæ, & in valle *della Maſon* aliquando occurrunt.

Catalogus.
Marmorum agri Veronenſis, una cum nominibus locorum, in quibus reperiuntur.

1) Lapicidina marmoris, rubeo colore donati, & maculis rubeis palleſcentibus; 2) Lapicidina marmoris, vulgo Biancone dicti; 3) Marmor rubrum, pulchre maculatum; 4) Marmor rubrum pulchrum, mixtum; 5) Marmor maculatum, pulcherrimum; 6) Marmor flavi coloris; 7) Marmor, obſcure maculatum, album & flavum; 8) Marmor rubrum, maculis palleſcentibus variegatum; 9) Marmor rubrum, vulgo *di Nembro*; 10) Lapicidina marmoris *Biacone bello*; 11) Marmor rubei ſubflavique coloris; 12) Lapicidina duplex pulchri marmoris rubri; 11) Lapicidina marmoris, quod vocant *Biancone belliſſimo*; 14) Lapicidina marmoris *di Nembro* maculati, alteriusque pulcherrimi; 15) Marmor roſeum, cum flavo permixtum; 16) Marmor violaceum, flavumque, pulcherrimum; 17) Lapicidina marmoris

 macu-

Digitized by Google

maculati, vulgo *Pernice*; 18) Marmor roſeum, cum flavo permixtum; 19) Marmor rubrum, cum albo palleſcente permixtum; 20) Marmor carnei coloris, interdum mixti cum flavo; 21) Marmor flavum; 22) Marmor rubrum cum pulchris maculis; 23) Lapicidina Marmoris, vulgo *di Mandolato belliſſimo* dicti; 24) Marmor rubrum, flavumque, pulcherrimum; 25) Lapicidina marmoris, vulgo *di Mandolato roſſo giallo belliſſimo* dicti; 26) Marmor flavum, *di Nembro* dictum; 27) Marmor rubrum maculatum; 28) Lapicidina marmoris, *di Biancone* dicti; 29) Marmor varium; 30) Marmor ruberrimum; 31) Marmor flavum pulcherrimum; 32) Lapicidina marmoris varii, vulgo *Miſchio*, elegantibus pulchrisque ornati coloribus; 33) Lapicidina elegantiſſimi marmoris varii coloris, ab Italis *Breccia* dicti; 34) Marmor pulcherrimum, rubrum, & album, nuper inventum; 35) Marmor ſubcroceum, nuper inventum, vulgo *Mandolato belliſſimo* dictum.

Johann David Köhlers, P. P. im Jahre MDCCXLVI wöchentlich herausgegebener hiſtoriſcher Münzbeluſtigung achtzehnter Theil.

id eſt,

JO. DAV. KOELERI, P. P. DELICIARUM NUMISmatico-hiſtoricarum, A. 1746 per hebdomadum ſeriem editarum, Pars XVIII.

Norimbergæ, apud Chriſtophori Weigelii, ſenioris Chalcographi, viduam, 1746, 4.

Alph. 2 plag. 7 ½.

Præfatio exhibet Syllogen Thalerorum continuatam. In hac Sylloga exponitur de Thaleris Civitatum liberarum imperialium Germaniæ, nominatim Aquisgrani, Auguſtæ Vindelicorum, Veſontionis, Bremæ, Coloniæ Agrippinæ, Colmariæ intra Alſatiam ad annum usque 1670, Conſtantiæ ad annum usque 1654, Donawertæ ad anno inde 1532, 15 Maji, usque ad funeſtam proſcriptionem. Libet nunc ad

ad ipſas numorum delicias progredi, & his jucunde frui. Januarius offert nobis rariorem *Renatæ*, Ducis Lotharingicæ, uncialem ad annum 1525, quam ipſa percutiendam curavit, 6 Maji a marito *Antonio*, bellum ruſticorum pro- Pag. 4.
fligaturo, faſces Ducatus nacta; Thalerum ſymbolicum *Chriſtiani Ludovici*, Comitis Waldeccenſis, ad A. 1695, patris 25 9.
ex duabus uxoribus liberorum; Thalerum ſepulcralem *Wilhelmi Ludovici*, Ducis Würtembergici, ad annum 1677, quo ille 17.
23 Jun. Hirſaugiæ rebus humanis exemtus eſt. Februarius ſcenam aperit prolato rariſſimo Thalero Moldavico, quem 33.
inſulſus Moldaviæ Princeps, *Joannes Heraclides Deſpota*, A. 1562 ex argento, e templis abrepto, feriri juſſit. Decerpere juvat ex viridario *Kœleriano* nonnihil, huic *Deſpotæ* propius conſiderando accommodatum. *Jacobus Baſilicus Heraclides*, Græcus, aut in Samo, aut Creta, natus A. 1532, venit in 35.
Germaniam, Roſtochii literis operam navavit, meruit ſub *Carolo V* ſtipendia, ac obſidioni Terruanenſi interfuit. Incubuit in id peritia ſex, vel ſeptem, linguarum, ac ſubdolo ingenio ad maxima quævis audenda. Appellavit ſe eo fine Sami Despotam & Pari Marchionem, & hæredem ſanguinis *Comnenorum*, *Cantacuzenorum*, & *Palæologorum*. Edidit ipſe Cronſtadii in Transſilvania ſtemma genealogicum, idque *Carolo V* ita approbavit, ut hic illud autoritate ſua imperiali corroboraret. Fuerat vero *Deſpotæ* in Samo pediſſequus. Ad tempus, per aulas vagatus Principum, egit paraſitum. Venit ad *Alexandrum*, Moldaviæ Deſpotam, ſuis inviſum. Occaſione in rem ſuam uſurus *Joannes*, in *Alexandrum* clanculum incendit incolas, huic ſubjectos. Cum *Alexander* de eo gravius ſtatuere vellet, elapſus eſt in Transſilvaniam ex Wallachia. *Ferdinando I* perſuaſit, ſe illi Moldaviam e Turcorum poteſtate traditurum. Copiis inſtructus, & bis 37.
prælio victor, ſe pro Principe geſſit, ac expilavit e templis argentum, ut numus inde conflari poſſet. Victo paulo poſt caput abſciſſum, ac Conſtantinopolin miſſum. Redimus ad Numos reliquos. Februarius exhibet ſpectatori metallionem 41.

 præſtan-

præſtantiſſimum *Borſii*, primi Mutinenſium Ducis, ad an-
Pag. 49. num 1460; rarum Ducatum Bohemicum Imperatoris *Caroli IV* ad A. 1355; Numisma in primum Florentiæ Ducem, *Alexandrum Medices*, ad A. 1534. Martius offert numisma, quod
65. refricat memoriam parricidæ, qui illum *Alexandrum* conſanguineum A. 1537 interemit; rariſſimum Florenum aureum
71. Burggravii Noribergenſis, *Friderici V*, inter A. 1372 & 1398 percuſſum; rariſſimum Epiſcopi Wormatienſis, *Georgii de Schœnenburg*, ad A. 1588 Thalerum; Thalerum mnemonicum *Georgii Wilhelmi*, Marchionis Brandenburgo-Culmbacenſis, ad
97. A. 1712; nec non numiſma, quo tres Patavini illuſtres repræſentantur, *Marcus Mantua Bonavidus*, JCtus, *Alexander Baſſianus*, Antiquarius, & *Joannes Gavineus*, formarum numariarum ſculptor. Quid nobis aperiat Aprilis, nunc indicandum. Præbent ſeſe ibi conſpiciendos & colluſtratos, quorum mentionem ſubjiciemus, numi. Conſpicuus eſt argen-
105. teus, ſeu *Zucka-Sicca*, Regis Perſarum *Schach Nadir*, ſeu *Thamæ Kuli-Chan*, ad A. 1736, quo *Natir* Regem Indiæ Orientalis, *Abam III*, ſolio deturbaverat. Inſeruit hic Cel. *Kœlerus Cavinianorum* numiſmatum deſignationem. Tum vero exhi-
113. buit rarius numisma, quo *Wilhelmus* Lib. Baro *de Rogendorf*, Auſtriacus Conſiliarius intimus, & dux bellicus, ad annum 1536 exhibetur. Succedit rarius numisma *Iſabellæ*
121. *Seſſæ*, Venetæ, *Joanni Michieli* nuptæ, & ſicilimentum ad numismata, quibus Conſules Hamburgenſes delineati ſunt. Provocat attentionem noſtram numus, quem *Oſellam* vo-
129. cant. Hunc commendat & raritas, & *Maurocenæ* protome, Duci *Marino Grimani* nuptæ, ad annum 1597. Cum Majo jam nobis res eſt. Aheneus numus, qui *Belam IV* & *Stephanum V*, patrem filiumque, inter 1262 & 1270 Hungariæ Re-
137. ges, exhibet, raritate eſt inſigni. Numi 19,-24 ſunt ſextuplices Lubecenſium Thaleri, quos *Bræmſenthaler* appellant. Annectitur catalogus rariſſimorum Thalerorum, quos Ven. *Lilienthalius* in edito *Uncialeo* haud memoravit, venalium
174. Berolini apud mercatorem *Paul. Gottlieb. Hoffmannum*. Succedit appendix ad Lilienthalenſe Uncialeum. Excipit tantam Tha-

Digitized by Google

Thalerorum ſeriem rarius numiſma, memoria Lubecenſis re- Pag. 193.
formationis ad A. 1531 inſigne. Numus aureus *Friderici*, Ba-
ronis *de Limpurg*, pincernæ hæreditarii S. R. I. ad annum 1596, 201.
raritate eſt commendabilis. *Auguſti*, Ducis Brunſuico-Lune-
burgenſis, Epiſcopi Ratzeburgici, duplex Thalerus ad A. 1610 209.
maxime eſt rarus. Luxemburgicus groſſus Marchionis *Jodo-*
ci Moravienſis, qui obiit A. 1411 Rex Romanorum electus, 217.
dignus eſt ſpectari. Pulcherrimus Ducatus *Friderici Ale-*
xandri, Comitis Wiedenſis, ad A. 1744 cuſus, oculos paſcit.
Numiſma Judaicum, *Carolum IV* Imperatorem, ejusque ſym- 233.
bolum, lyncem, exhibens, rarius eſt. Lyncei illi oculi magis
ad Bohemiam amplificandam, quam imperium Germanicum,
fuerunt intenti. Numiſmata duo priora, quibus *Hedingerus* 241.
ſerie 56 numiſmatum imagines Regum Sueciæ expreſſit, huc
ſunt translata. Acceſſit eis ornamenti loco notitia de religio-
ne Chriſtiana, per *Ansgarium* in Sueciam traducta. Succe-
dit ei multo rariſſimus Archiepiſcopi Bremenſis, Epiſcopi Ver-
denſis, *Chriſtophori*, Thalerus ad A. 1522. Inſpexiſſe juvat 249.
ectypon Ducati, quem *Antonius Pignatelli*, Princeps Belmon-
tis in regno Neapolitano, feriri juſſit A. 1733. D. *Phil. Jaco-* 257.
bum Spenerum illuſtrat numiſma, quod *pag. 265* exhibetur.
Adjicitur ei vitæ, quam *Spenerus* transegit, compendium.
Coronatum duplicem Regis Danorum *Chriſtiani V*, A. 1675 273.
percuſſum, Cel. Autor lectiſſimo commentario illuſtrat. Du-
catum *Friderici Caroli*, Epiſcopi Bambergenſis ac Wirceburgenſis, A. 1729 cuſum, ita illuminat, ut nihil ſupra. Thale- 281.
rum *Mariæ Thereſiæ*, Imperatricis auguſtiſſimæ, A. 1746
percuſſum, comitatur Autoris annotatio ad numos Romanos
rariores, quibus conjuges, vel filiæ, Imperatorum expreſſæ
ſunt. De Imperatricibus, regni conſortibus, ac Officiatis hære- 293.
ditariis earum, non tralatitia ſubjungit idem Autor. Rem mo-
netalem Ruſſicam, A. 1731 emendatam, deſignat numiſma Im- 297.
peratricis *Annæ*, eodem anno percuſſum. Singularis eſt Tha-
lerus Ducis Megalopotani Suerinenſis, *Chriſtiani Ludovici*. 305.
Raritate eniteſcit Ducatus Ruſſicus, A. 1683 cuſus, referens
imagines *Ivani & Petri Alexiadarum*, ipſorumque ſororis, 313.

Pag. 321. *Sophiæ.* Memoriam Ducatus Boruſſiæ, a Poloniæ vinculo liberati, ſignificat numus, A. 1690 cuſus, quo *Fridericus*, Elector Brandeburgicus, Regiomonti ſacramentum fidelitatis Boruſſos ſibi nuncupare juſſit. Numiſma eſt perpulcrum, A. 1746 cuſum, quod *Angelum Mariam Quirinium*, Purpuratum & Vaticanæ præfectum, Epiſcopumque Brixienſem, refert; idque a nobis in *Tabula*, huic *Menſi* adjecta, repetitum vides. Idem Purpuratus innoteſcit ex numiſmate, quod ædem
TAB. V.
345. cathedralem, Brixiæ ab eo exſtructam, ab oblivione defendit. Rarus eſt Thalerus Electoris Brandeburgici, *Joannis Sigismundi*, A. 1611 cuſus. Victoriam Comitis Naſſovici, *Mauritii*, A.
353. 1597 ad Turnhutum in Belgio reportatam, deſignat numisma, quod ſuccedit, mnemonicum. Non omittendus eſt
361. Thalerus *Chriſtiani*, Marchionis Brandenburgo-Culmbacenſis, qui Franconicam progeniem inſtituit. *Leonem IV*, Pontificem Romanum, recentior ætas numiſmate decoravit. Ad-
377. didit Autor brevem recenſionem Numismatum Pontificiorum, a *Martino V* exorſus, ad *Innocentium VIII* usque. Numismati jubilario aureo *Sixti IV*, A. 1475 percuſſo, illuſtrato rite, ſubjicit ſeriem Numiſmatum Pontificiorum ad *Clementem VII* uſque. Quem catalogum ex *Venuto* perſequitur ad numum aureum *Pii II*, *Alexandri VI*, *Julii II*, *Sixti V*, & *Joannis Georgii*, Electoris Brandeburgici, Thalerum. Non eſt noſtrum, plura addere, præter votum pro Autoris Cel. & indefeſſi valetudine inoffenſa.

SYMBOLÆ LITERARIÆ, OPUSCULA VARIA philologica, ſcientifica, antiquaria, ſigna, lapides, numiſmata, gemmas, & monumenta medii ævi, nunc primum edita, complectentes.

Volumen II.

Florentiæ, 1748. 8 maj.

Plag. 16, cum Tabb. æn. 3.

Ex quo tempore antiquitatis domeſticæ monumenta, quæ vetuſtate diu ſepulta videbantur, luci ſuæ reſtituere, honori ſibi duxit Italia, habuit ſane, cur de viris in hoc ſtudiorum genere

genere ſummis ſuperbiret, & adhuc, cur in deliciis ferat Vi-

TAB. V ad Nov. Act.



[illegible] videmus in eo, ut oſtenderet, quam arcta intercedat linguæ Etruſcæ cum Græcorum antiqua lingua affinitas; ambas autem cum unius matris filias eſſe docuit, multa, demonſtrat, ex ipſis Græcæ linguæ fontibus poſſe hauriri, quæ præclare facerent ad intelligenda hæc Etruſcorum monumenta, quæ ut explicentur, fieri poſſe, multi, a *Gorio*

&

Pag. 221 *Sophiæ* Memoriam Ducatus Boruſſiæ, a Poloniæ vinculo

Volumen II.

Florentiæ, 1748. 8 maj.
Plag. 16, cum Tabb. æn. 3.

Ex quo tempore antiquitatis domeſticæ monumenta, quæ vetuſtate diu ſepulta videbantur, luci ſuæ reſtituere, honori ſibi duxit Italia, habuit ſane, cur de viris in hoc ſtudiorum genere

genere ſummis ſuperbiret, & adhuc, cur in deliciis ferat Vi-
rum Celeb. *Ant. Franc. Gorium*, habet. Hic enim cum
ſuis hominibus gloriam, tum exteris voluptatem, affert
Symbolis iſtis *literariis*, quarum jam *ſecundum Volumen* hic
laudari, operæ eſſe pretium videtur. Quanta autem ſint, quæ
contineantur hoc *Volumine*, tunc apparebit, cum ordine ſuo, quo
ſe invicem contingunt, ea recenſuerimus. Agmen ducit.
*De Nummis Etruſcis Pæſtanorum Diſſertatio Joan. Baptiſtæ
Paſſerii, Piſaurenſis, Protonotarii Apoſtolici, & regiæ Societ.
Londin. membri.* Anſam præbuit egregiæ huic Commen-
tationi Celeb. *Gorius*, qui trium nummorum, quorum hic
lineas in ære eleganter ductas deprehendimus, *Paſſerio* co-
piam fecerat, ut, quid de illis ſentiret, perſcriberet. Quod
quidem præclare fecit hoc modo, ut, poſtquam §. 1 non-
nulla præfatus eſt, ad argumentum, quod in manibus erat,
pertinentia, §. 2 nummos illos cum alio ex Muſeo Cl. *Jani* Pag. 10.
Planci conferat, &, Pæſtanis recte tribui, Piſtorienſibus vero non
item, oſtendat; §. 3 nonnulla afferat, quæ ad horum non 17.
modo, ſed aliorum quoque, numorum inſcriptiones probe
intelligendas faciunt; §. 4 inſignia horum numorum ex- 21.
plicet, & de urbis Pæſtanæ nomine, neque minus §. 5 de 25.
ejusdem origine, erudite diſputet; tandem §. 6 notas, in hiſce 27.
nummis expreſſas, illuſtret; denique §. 8 peculiarem operam 31.
in explicando primo nummo, qui altera facie juvenile caput,
paſſis ex omni parte & fluentibus capillis, altera autem parum
eleganter expreſſum animal, refert, collocet, eumque etiam
ad Pæſtanos pertinere evincat.

Excipit libellum hunc alius, qui eundem Virum Cel.
Autorem agnoſcit, *de Helleniſmo Etruſcorum, ad V. C. Go- 35.
rium.* Nullam neque induſtriam, neque eruditionem, male
collocatam videmus in eo, ut oſtenderet, quam arcta in-
tercedat linguæ Etruſcæ cum Græcorum antiqua lingua affini-
tas; ambas autem cum unius matris filias eſſe docuit, mul-
ta, demonſtrat, ex ipſis Græcæ linguæ fontibus poſſe hauri-
ri, quæ præclare facerent ad intelligenda hæc Etruſcorum
monumenta, quæ ut explicentur, fieri poſſe, multi, a *Gorio*
&

Pag. 74. & *Paſſerio* diſſidentes, negarunt. His quædam adjecit Cel. *Gorius monumenta antiqua Etruſca*, quæ tamen indicat magis, quam explicat: explicaturum autem ſe eſſe opportuniore in loco, promittit. Mox ſequitur ipſius Vener. *Gorii Deſignatio*
77. *novi operis, nempe Gemmarum antiquarum theſauri.* Cujus divitias ita deſcriptas vult Vir excellentiſſimus, ut *Volumine I* & *II* Gemmas antiquas aſtriferas; *III* autem & *IV* eas exhibeat, quas e ſuo ipſius Muſeo, & ex ſchedis ampliſſimi *Phil. Buonarotti*, delectas illuſtravit; *V* tandem gemmas complectatur *torquatas*, ita a torque appellatas, qua earum effigies ad extremam oram ornatur; *VI* denique, *VII*, & *VIII*, non ſolum gemmas omnes antiquas, verum etiam picturas, ſigna, urnas, pateras, & numiſmata, contineat. Sequitur jam *Diſſertatio critica in Virgilium.* Conſcribendæ hujus occaſionem dedit Autor nonnemo Gallus, qui *Virgilium* imprudentiæ vitio perſtrinxerat, quaſi multa ille commiſiſſet in *Ænea* pingendo a perſona herois aliena, cum cecinerit:

Extemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra;
Ingemit, &, duplices tendens ad ſidera palmas,
Talia voce refert: o terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Trojæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere, &c.

Diſerte autem perorat *Virgilii* cauſam doctiſſimus Autor anonymus, crimenque cum ex aliis, tum ex eo, diluere ſtudet, quod ipſe *Homerus*, ad cujus exemplum potiſſimum ſe formaſſet *Virgilius*, *Ulyſſem* ſuum in ejusmodi tempeſtate timentem fingat & ingemiſcentem:

Καὶ τοτ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα, καὶ φίλον ἦτορ,
Ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν,
Ὤμοι ἐγὼ δειλός.

90. Ordine ſuo his ſuccedunt *Monumenta medii ævi, nunc primum edita, ex tabulariis Aquilejenſibus depromta:* alterum
95. *Ludovici II Imperatoris præceptum pro monaſterio ſancti Michaelis in Diliano A. 852 ex autographo Aquilejenſi*, quod annotionibus deinde illuſtratur; alterum *Bulla Eugenii Papæ IV.* Exci-

Excipit hæc *Dominici Georgii, a Bibliotheca Eminentiſſ. Cardinalis Imperialis, mox Benedicti XIV, Pontificis Maximi, ab intimo ſacello, explanatio antiquæ inſcriptionis, in qua de locatoribus Scenicorum diſceptatur.* Quo in libello cum magnam veteris memoriæ cognitionem & eruditionem Autor lectoribus probet, de antiquitate inveſtiganda ingenue ſollicitis; multa hic poſſent tranſcribi ſatis jucunda, niſi recenſionis termini carptim ea vellent & preſſius attingi. *Capite I,* Pag. 125.
oſſuarium detectum ad portam Capienam, Autor narrat, in quo, præter alias, hæc potiſſimum inſcriptio digna ipſi viſa eſt, quæ in lucem proferretur:

Q. GAVIVS. ARMONIVS
LOC. SCAENICORVM
VIXIT ANNIS XXIIII. M. VI

Hanc *Cap. II* interpretatur, &, *locare* ac *locator* quid ſit, eru- 127.
dite oſtendit, ad ſuam quoque confirmandam ſententiam, *Ciceronis* non modo, ſed legum etiam, autoritatem interponit. Neque fruſtra monumentum hoc cum alio, quod Mediolani poſitum eſt duobus ſcenicis artificibus, curante *Calopodio Locatore*, quod etiam extat in *Gruteriano Theſauro pag. MXXIV, 5*, contendit. *Capite III* docet Clariſſ. Autor, quæ 132.
fuerint merces & præmia Scenicorum. *Cap. IV* de pecunia 134.
differit, in ludos erogata, dicta *lucar*, quam ei traditam fuiſſe, qui *Theatrona* vocabatur, *Cap. V* docet. Neque illud 135.
præterit *Cap. VI*, ſtipendiis hiſtrionum modum fuiſſe impoſi- 136.
tum. His erudite enarratis, *Capite VII* pergit ad Scenicos, 137.
& honoribus affectos, & (*Cap. VIII*) infames; ipſumque 138.
nomen *Scenicorum*, quod in hac inſcriptione occurrit, *Cap. IX* explicat, & in ejus cum duplici vocali (*ae*) ſcriptionem *Cap. X* penitius inquirit. Jam vero, multis & profanorum & 139.
Chriſtianorum teſtium præſidiis inſtructus, *Cap. XI* de infa- 140.
mia & impudicitia theatri diſputat, adeoque *Cap. XII* ſancti- 143.
ones Conciliorum in Scenicos, & *Cap. XIII* Imperatorum de 144.

Pag. 145. iisdem leges percenſet. Tandem *Cap. XIV* opinionem *Fa-*
147. *bretti* de *Porta Capena* confirmat; neque *Cap. XV* antiquitatis ſtudioſos de reliquis inſcriptionibus, in oſſuario repertis, indoctos abire patitur.

149. Opuſculo huic ſane egregio proximum adſtat V. Cl. *Ant. Franciſci Gorii, Præpoſ. Baſil. Baptiſt. Florent. in patrio Lyceo Hiſtor. Profeſſ. Auctuarium ad disceptationem de Locatoribus Scenicorum, editam a Dominico Georgio.* Meretur egregium hocce *Goriana* elegantiæ documentum, ut
155. in penitiorem ejus recenſionem deſcendamus. *Capite II* de præſtantia eruditæ antiquitatis, tam ſacræ, quam profanæ, deque uſu marmorum vetuſtorum & numiſmatum, diſerte agitur.
156. *Cap. II* perſtringitur vana multorum ſtudioſorum juvenum de retegendis ſuo ſtudio & acumine vetuſtis monumentis arro-
158. gantia. *Cap. III*, plurima, eaque maximi momenti, in antiquis inſcriptis lapidibus & nummis ſupereſſe, quibus lucem majorem affundi operæ potium foret, oſtenditur. Quam immenſæ ſint omnis eruditionis divitiæ, quæ ejusmodi monumentis contineantur, in aprico eſſe. Columbaria veterum
160. quænam fuerint, exponitur. *Cap. IV* laudatur diſceptatio Cel. *Domin. Georgii de Locatore Scenicorum.* Scriptum eſſe in lapide, quem hic illuſtrandum ſibi ſumſit, LOCator, non autem JOCator, evincitur. *Calopodius* ille, nominatus in ara *Gruteriana*, *Locator* potius *funeris*, quam *Scenicorum*, fuiſſe putatur. Ludi ſcenici in funeribus. Quodnam munus fuerit Locatoris Scenicorum, neque minus Procuratoris Scenicorum, diſputatur.

Tandem Archimimi, Scenici Graeci & ſtupidi, adhibiti in ludis Caſtrenſibus, ex Florentinis marmoribus indicantur.
166. *Cap. V* fuſius inquiritur in lectionem JOCatoris Scenicorum.
168. *Cap. VI Locatoris* & *Redemtoris Scenicorum* munus diver-
169. ſum cenſetur. *Cap. VII* idem ſepulcralis titulus *Q. Gavii Armonii, Locatoris Scenicorum*, quem Cel. *Georgius* illuſtravit, emendatior iterum producitur, &, quo tempore effoſſus ſit, demonſtratur. Simul *Rogatoris a Scena* & *Deſignatoris* mu-
172. nus exponitur. *Cap. VIII* ara *Gruteriana* accuratius dijudicatur,

Digitized by Google

catur, & carptim illuſtratur. IONA & TROADAS, quæ in lateribus aræ ſcripta ſunt, haud eſſe hiſtrionum nomina, ſed inſcriptiones tragœdiarum *Euripidis*, quas *Theocritus Pylades*, Pantomimus, aut geſticulationibus, aut ſaltibus, exhibuit, defenditur. Diſcrimen inter Tragœdos, Comœdos, Mimos, & Pantomimos, definitur, &, qui Paraſiti ſint, oſtenditur. Error doctorum virorum reprehenditur, qui, eandem aram *Gruterianam* Florentiæ exſtare, prodiderunt. *Cap. VIII Euripidis* Tragœdiæ ſummo in pretio fuiſſe, earumque tituli in marmoribus ſcribi ſoliti, traduntur. Marmora & Hermæ *Homeri* & *Euripidis*, monumenta Muſeorum antiquorum, perluſtrantur. Deletur mendum, quod in allato marmore eſt apud Cel. *Muratorium* in *Nouo Inſcript. antiquar. Theſauro*. *Euripidis* Tragœdiæ cum Romæ, tum in principibus Italiæ civitatibus, recitatæ fuiſſe perhibentnr. *Cap. X* exhibentur ea, quæ viri magni, *Joſ. Scaliger* & *Claudius Salmaſius*, ad illuſtrandam aram eandem Mediolanenſem contulerunt. Clariſſ. *Georgii* ſententia, quod eadem ara duobus Pantomimis dedicata ſit, iterum impugnatur. *Cap. XI* multa præclare diſputantur, quæ pertinent ad illuſtrandos Pantomimorum primatus, honorificas Scenicorum appellationes, præmia, munera, dignitates, decurionalia ornamenta, decreta, ſtatuas, coronas, elogia, plauſus, & divitias, affuſiſſima liberalitate iisdem dono datas. Pantomimi aheneum ſignum elegantiſſimum, nunquam antea editum, jam æri faberrime inciſum, in medium profertur, & nonnullis obſervationibus majori luci exponitur. *Cap. XII*, fœminas Mimas, Archimimas, pares fere honores adeptas fuiſſe, vincitur. *Cap. XIII* obſervantur paucula, ad corpora Scenicorum, eorumque Allectos, ſpectantia. Expendendum proponitur, utrum ſcenicæ artifices collegium Romæ habuerint; cum, Scabillarias ad Scenam collegium habuiſſe, conſtet. *Cap. XIV* & ultimo nonnulla annotantur de inſcriptionibus, in fine allatis a Clariſſ. *Georgio*. Quibus adjieitur inſcriptio *Julii Valeriani*, quam erudite illuſtravit Cel. *Gorius P. III Inſcriptionum antiquarum Etruriæ urbium pag. 99 n. 99*. Succedit

Pag. 174. — 177. — 186. — 187. — 191.

dit operi extra dubium excellenti *Sylloge I Epiſtolarum clarorum Gallorum ad V. C. Ant. Mariam Salvinium.* Prima epiſtola autorem habet *Joan. Mabillonium*; ceteræ novem
Pag. 208. *Bernardum Montefalconium*; quibus annexum eſt *Specimen annotationum & emendationum C. V. Ant. Mar. Salvinii ad*
209. *Cap. XVIII Diarii Italici D. Bern. de Montfaucon.* Agmen claudit *Muſei Bonamiciani Pratenſis brevis deſcriptio.* Verſatur inprimis Eruditiſſ. Autor, qui eſt *Innocentius Bonamicus*, Baſilicæ Pratenſis Canonicus, Theologus & Pœnitentiarius, in explicando Pantheo ſigno Fortunæ argenteo, quod eidem Deæ veluti donarium forſan dedicatum fuiſſe, Venerandus *Gorius* exiſtimat.

Joh. Friedr. Chriſten, Profeſſoris bey der Univerſität zu Leipzig, Anzeige und Auslegung der Monogrammatum, &c.

id eſt,

JO. FRID. CHRISTII, P. P. IN ACAD. LIPS. indicatio & explicatio Monogrammatum, aut ſingularum, vel inflexarum in ſeſe, literarum initialium, nominum, & aliorum ductuum ac ſignorum, quibus celebriores pictores, ſcalptores, atque alii hujusmodi artifices, in operibus ſuis occultari voluerunt. Ex optimis omnia fundamentis, atque primis ipſis operibus, depromta.

Lipſiæ, impenſis viduæ Caſp. Fritſchii, 1747, 8.
Alph. 1 plag. 3.

Utile hoc eſt ſcriptum, & exoptatum omnibus rariorum & ſelectiorum operum amatoribus: index quippe, ſecundum ordi-

ordinem literarum haud nomina modo, tempora, loca, ſed etiam ipſorum Monogrammatum explicationes, indicans diligentiſſime, ceteras autem, alienas ab inſtituto, excurſiones ſedulo cavens. Uberiores nimirum explanationes, artificialium operum indices, introductionem in hiſtoriam picturæ ſecundum nationes ac ſcholas, eruditionem, quo modo recte colligi queant artificum opera, & hujusmodi plura, ad aliud tempus differt, & quodammodo nobis polliceri videtur, Celeberrimus eruditiſſimusque Autor. Adjuverunt ipſum locupletiſſimæ, apud Dresdenſes inprimis ac Lipſienſes, collectiones. Nos autem maxime delectamur obſervationibus generalibus, utile ſane dulci miſcentibus. Comparantur ibi e. g. Pag. 5.
Pictura, Cantus, Muſica, Poeſis, non modo ad voluptates, ſed & ad virtute præditam lætitiam animi humani, & ad ejusdem in afflictionibus tranquillitatem, ſalutares. Exiſtimat igitur præſtantiſſimus Autor, alacritatem indolis juvenilis fructuoſam illarum artium amore probari, quemadmodum Arithmeticæ, Aſtronomiæ, Geometriæ, rectitudinem & acumen; doctrinæ morum, Politicæ, Hiſtoriæ, conſtantiam; ſupervacuam tandem ac fanaticam evagationem in exundantis Grammaticæ, Dialecticæ, Metaphyſicæ, voraginibus inveniri, putat. Mox redit ad linearem ſuam picturam, & ad inſtitutum ſuum, ubi aliquatenus, at in pauciſſimis tantum, anteceſſores habuit *Sandrartum*, *Marollium*, *Malvaſiam*, atque alios, qui pictorum vitas conſignarunt. Eodem pertinent *Florentis Comitis* Gallicus liber: *Cabinet des Singularitez d'Architecture, Peinture, Sculpture, & Graveure*, Pariſ. 1699, 1700, 1712, & Bruxellis 1702, 12, *Tomis III*; alius Germanicus, *der geöffnete Ritterplaz*, Hamburgi, 1706, 12; Italicus demum *L'Abecedario pittorico, dall' Autore riſtampato, corretto, & accreſciuto*, Florentiæ, 1719, 1731, 4, Neapoli 1733, cujus Autor eſſe dicitur Carmelit. Monachus, *Franc. Pellegrin. Ant. Orlandi*, & quem librum in Anglicanam linguam vertiſſe dicitur Anonymus ſub titulo: *Repertorium ſculptile typicum, or a complete collection and explanation of the ſeveral Marks and Cyphers*,

Mox redit ad linearem (margin references: 7. 20. 23. 24. 26.)

Pag. 27. *phers*, Londini, 1730, 8. Conf. *C. A. Ramſey Tacheographia*, Lipſ. 1743, 8. His omnibus de libris judicia conjunguntur, operis *Chriſtiani* pretium evehentia. Quemadmodum haudquaquam eadem ſunt inutilia; ſic vel magis pro-
50. ſunt de tabulis æneis & hujusmodi regulæ. Commendantur, quibus annus eſt additus ac dedicatio quædam, ut alia ta-
57. ceamus. De nominibus docetur, quod, in lavacro ſacro inditum, primarium ſit; accedat modo cognomen: unde majoribus illud, hoc minoribus, literis ſcribatur. In ipſa tractatione, quemadmodum in Præfatione, ſtilus a vulgari recedens, & auxiliaria e. g. verba fini ſubtrahens, defenditur, obſervationes etiam grammaticæ quædam, eæque doctiſſimæ, ſubin-
395. de miſcentur. Sic *h*, noſtræ linguæ ſyllabas producens, defenditur, neque veterum Germanorum in lingua differentiam inter *d* & *th*, qualem in Græca Latinaque, reperiri putatur; cum potius majores Æolicam literam *h* uſurparint, ad duritiem conſonantis infringendam & emolliendam, vocales autem tanquam accentu inflexo producendas. Alia præterimus, totum librum, multa ſcitu jucunda, & plurima ex parte utilia, continentem, Lectoribus noſtris commendatiſſimum cupientes.

DEGLI AFFETTI UMANI, &c.

id eſt,

DE AFFECTIBUS HUMANIS DIALOGI TROJANI SPINELLI, Ducis Aquerienſis, (Duca di Aquaro,) ad Plur. Rev. Patrem ANNIBALEM MARCHESE, Sacerdotem Oratorii,

Neapoli, 1741, 8.
Plag. 13.

Interlocutoribus *Ariſtao*, *Sigismundo*, *Philoſtrato*, *primus* Dialogus, præmiſſa eleganti Scenæ deſcriptione, *de natura affectuum humanorum* tractat. Sumit autem cum *Lockio*

chio Autor, ideas noſtras alias ſimplices eſſe, alias compoſitas, denique affectus definit *ideas, vel notiones, variis animi inclinationibus junctas, & extraordinaria ſanguinis agitatione productas, conſervatas, atque auctas.* Eſt ea definitio *Carteſii de Paſſ. an. Art.* 27. Dialogus *ſecundus de bono & pulchro* agit. Id vero agitur, ut oſtendatur, nullas qualitates rebus ipſis ineſſe, quæ bonas, aut pulchras, illas efficiunt, & voluptatem noſtram gaudiumque, quod ex rebus percipimus, in cauſa eſſe, ut hæc nomina illis tribuamus, cum rebus ipſis plane indifferentibus Deus omnipotens voluptatem in animo noſtro vel præſentem jungit, vel futuram promittit. Id præcipue inde probat, quia, quod nobis pulchrum eſt, aliis deforme judicatur. Ita, qui color noſtras fœminas ornat, Africanas dedecet, quarum nigredo nauſeam nobis movet; *Caribes* vero Americani, rubro colore tincti, egregie ſe ornatos exiſtimant. *Tertium* Colloquium originem affectuum exponit. Agnoſcit vero Autor tres affectuum humanorum fontes: 1) *immediatam ſapientiſſimi creatoris voluntatem*, unde nati eſſent illi ipſi affectus, qui in ſtatu innocentiæ exſtitiſſent; 2) *defectus ejus omnis, quod & ipſi deſiderabant, & nos deſideramus*; 3) *vera, aut falſa, judicia, de mediis, voluntati noſtræ ſatisfaciendi, formata.* His vero præmittitur longa Diſſertatio de conditione hominum in innocentiæ ſtatu, ubi præcipue ſexus protoplaſtorum diverſus fuiſſe, patrum autoritate & Scripturæ teſtimoniis oſtenditur; deinde ex dicto Paulino *de alia lege in membris, legi mentis repugnante*, ad *Rom. VII*, 23, quod ad originalis peccati effectus ſpectat, deducitur *Paſcalii* ſententia, *abſque originali peccato hominem multo magis incomprehenſibilem eſſe ſibi ipſi, quam myſterium illud homini ſit.* Quæritur tandem, quomodo Deus his affectibus, corporeis rebus immerſis, majorem vim dederit ea, quam primo habebant, ut rationem ſæpius vincant, &, quæ ad divina pertinent, obſcurent, atque ex innocentibus pul-

chris-

chrisque culpabiles & turpes evaſerint. Hujus mutationis duo modi traduntur. Alii credunt, retraxiſſe Deum ab homine magna ex parte ſanctificantem ſuam gratiam, amoris erga divina productricem, unde, ſublata inter ſenſum & intellectum unione primitiva, non poterat non ſpirituale regnum peſſum dari. Alii, Deum, credunt, relictis in homine omnibus aliis, ut erant antea, ut puniret graviſſimum hominis delictum, inclinationes ad res ſenſibiles & motus ſanguinis, iis reſpondentes, auxiſſe, ut homo ſemper de materialibus objectis cogitet, divina vero & ſpiritualia in ejus animo fere obliterata ſint. Ultimum ſyſtema pulchrius & magis veriſimile Autori judicatur, creditque, in ſtatu innocentiæ affectuum non majorem futuram fuiſſe vim, quam ut ad ea nos adegiſſent, quæ individuum ſpeciemque conſervant.

Quartum Colloquium dividit affectus, &, recenſita antiqua partitione in iraſcibiles & concupiſcibiles, optimam *in generales* atque *particulares* pronuntiat; item *ſimplices* alios, alios *compoſitos*, appellat, *naturales* etiam & *acquiſitos* diſtinguit; item *primitivos* & *derivatos*. De *naturalibus* vero affectibus, ita naturæ humanæ conjunctis, ut regi poſſint, non omnino exſtingui, judicat, erraſſe eos, qui de his exſtirpandis cogitarunt, dum ne quidem conſiſtere natura humana ſine illis poſſit, nedum felix eſſe.

Quintum Colloquium generales affectus recenſet, amorem, odium, gaudium, dolorem, qui ſimplices vocantur, *ſextum* primitivos naturales exponit, *ſeptimum* derivatos. In his omnibus Autor *Carteſium* & *de la Chambre* potiſſimum ſequitur, ſententias vero Patrum potiſſimum iis, quæ profert, confirmandis addit, Scripturæ etiam teſtimoniis ſubinde nixus. Ceterum novi quid dicere voluiſſe non videtur. Ex quo illud conſequitur, non ſpernendum eſſe ſtudium Autoris, inprimis cum pium, ut videtur, duxerit, nihil a veſtigiis majorum deflectere; at fieri nullo modo poſſe, ut tales ei, quales, qui aut augendis, aut ornandis, ſcientiis ſolent operam navare, merentur, laudes tribuantur.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno MDCCLII.

DE USURIS LICITIS ET ILLICITIS, VULgo nunc compenſatoriis & lucratoriis, ſecundum Jus Naturale, divinum Veteris atque Novi Teſtamenti, Eccleſiaſticum, & Civile, ac juxta doctrinam ſanctorum veterumque Patrum, Theologorum, ac Juris tum Canonici, tum Civilis, peritorum, nec non uſum omnium ſeculorum & plurimarum regionum, Libri XII, in quibus omnia ordine chronologico pertractantur, & ſigillatim cauſa dicitur pro uſu emporiorum in æſtimando pecuniarum interuſurio, illisque ad tempus collocandis, adverſus recentiores aliquot doctores ac ſcriptiones. Autore NICOLAO BROEDERSEN, Paſtore Romano Catholico Delphis, &c.

Sine loci indicio, 1743, fol.

Alph. 9 plag. 17.

Leo Magnus, Epiſcopus Romanus, in *Epiſtola*, ad Epiſcopos Siciliæ aliosque A. 443 ſcripta, quæ eſt *tertia* in editione *Queſnelliana*, hæc habet *Cap.* 4: *Nec hoc prætereundum duximus, quosdam, lucri turpis cupiditate captos, uſurariam exercere pecuniam, & fœnore velle diteſcere. Quod nos, non dicam in eos, qui ſunt in clericali officio conſtituti, ſed in laicos, cadere, qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus. Quod vindicari acrius in iis, qui fuerint confutati, decernimus, ut omnis peccandi opportunitas adimatur.*

Id ipſum repetiit *Gratianus* in *Decreto. Alexander III* in Concilio Lateranenſi III putavit, uſuras *utriusque Teſtamenti tabulam deteſtari.* Clericos fœneratores præterea inſectantur Concilia, Arelatenſe I, Nicænum I, Laodicenum, Carthaginenſe I, Aquisgranenſe, & Pariſienſe. *Gelaſius I* A. 494, apud *Labbeum Tom. V Concil. col. 315*, in *Ep. Cap. 15*, decrevit, Clericos, negotiationibus inhoneſtis & lucris turpibus imminentes, eſſe munere ſuo exuendos. *Auguſtinus Epiſt. 153*, alias *154*, in laicos acerbe invehitur hoc maxime modo: *Quid dicam de uſuris, quas etiam ipſæ leges & judices reddi jubent? An crudelior eſt, qui ſubtrahit aliquid, vel eripit, diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore?* His potiſſime argumentis pugnant illi, qui, uſuras quascunque eſſe injuſtas, arbitrantur. Diſtinguunt alii tempora, modum, perſonas, ut, uſuras per ſeſe legibus divinis humanisque repugnare, negent. In horum numerum referendus eſt Autor, *Nicolaus Brœderſen*, Canonicus & Archidiaconus Eccleſiæ Romano-Catholicæ. Lugduni Batavorum *Franciſcus Meganck*, librorum cenſor, teſtatus fuit publice, in hoc juſtæ molis volumine a ſe nihil legi, *quod aut fidei catholicæ, aut bonis moribus, adverſetur;* docens, in Belgio fœderato uſuras eſſe uſitatas, licet de eis ibi nuper exorta fuerit controverſia. Eas in ſacro Codice haud eſſe prohibitas, nec eſſe illas, quas merito execretur Eccleſia, idem adjungit. Sine pecuniarum collocationibus in uſuras commode non poſſe exerceri mercaturam, teſtantur Belgæ, & qui hujusmodi rerum periti ſunt. Contractus de uſuris ſolvendis paſſim Doctores condemnarunt nomine uſurarii criminis. Inde variæ perturbationes fuerunt enatæ Ratisbonæ, Lugduni, Breſſiæ, alibi. Autor in Præfatione docuit hæc & alia. Solent, inquit, in his regionibus homines mercatoribus ſummas pecuniæ magnas, aliisque non indigentibus, quibus ex caritate mutuo ſuccurri non debet lege ulla, ad negotiationem, aut emtionem domuum, agrorum, rerumque ſimilium, ita tradere, ut illæ aliquando reddendæ ſint, & interea, donec illas non reddunt, aliquid ſine diminutione ſortis, per formulam reditus utrinque *redimibilis*, aut ſtipulationis *intereſſe*,

Digitized by Google

eſſe, aut ſocietatis, præſtent, attamen non plus, quam, perpenſis circumſtantiis, ex lege, aut judicio peritorum, æquum fuerit, & aliis rationibus, quæ hic frequentiſſimæ ſunt, acquirere potuiſſent ii, qui pecunias ſuas dictis rationibus collocant. Ejusmodi, addit idem, pecuniarum collocationes liberrimo contrahentium conſenſu, ſine ulla mali ſuſpicione, a quibuscunque hominibus, etiam ipſis reipublicæ moderatoribus, frequentantur pro more, qui omnium hominum memoria hic antiquior eſt. Probantur illæ legibus, conſuetudinibus, generatim receptis; & omnium conſiliorum ſententiis confirmantur.' Hæc ille. Controverſiam de uſura Belgicam, & occaſionem componendi hoc Opus, cui *Librum XIII* eſſe ſeparatim acceſſurum promittit, in Præfatione exponit. Octoginta jam ante annis illæ pecuniarum collocationes inter Belgas, Romanæ Religioni addictos, nonnullis viſæ fuerunt ſuſpectæ. Gubernacula Capituli (Ultrajectini, ni fallimur,) tunc tenebat *Joannes Neercaſſelius*, abhorrens ab uſurario crimine, non vero ab uſurarum contractibus. Conſtituerat ille de hoc argumento jam A. 1676 ſcribere. At obiit A. 1686, 6 Jun. immortuus deſtinatis. Erupit, ſede vacante, novus errorum ſurculus. *Theodorus de Cock*, tunc Romæ agens negotia & mandata Capituli illius, quæſivit a Purpuratis, quid de obligationibus ſuorum eſſet ſentiendum, agendum, prædicandum. Reſpondit illi Eminentiſſimus *Cazanette: Suaderem, hanc quæſtionem non proponere in Congregatione, quia nullum recipies reſponſum.* Cur reſponſum haud fuiſſet exſpectandum, ſi uſura omnis complectitur crimen? Conquierunt ſuſpiciones illæ ad annum usque 1727. Tunc præcipue doctores exteri damnarunt omnes denuo uſuras criminis nomine, easque putarunt Juri naturali ac divino obſtare. Inferendas curarunt iidem ſententias ſuas Nuntiis publicis eccleſiaſticis, quos appellant *Nouvelles eccleſiaſtiques*, A. 1728. Colluſerunt cum Belgis aliqui Pariſienſes Doctores Theologi, inflantes tibiam eandem. Acceſſerunt eorum opinionibus nonnulli alii, qui per conſilia, literas, inſtigationes, atrox bellum contractibus uſurariis, eorumque defenſo-

ribus, intulerunt. Qui faſces horum ſententiis haud ſubmittebant, a ſacris ordinibus, & animarum cura, cœperunt repelli. Si qui argumenta opponerent, ii vituperiis, criminationibus, condemnationibus, diriſſime excepti. Nec aberat multum, quin hi publice ex Eccleſia Romano-Catholica projicerentur. Reluctati fuerunt nihilo minus multi proceres cœtus ejusdem conatibus tam moleſtis, exhibuerunt rationes, recenſuerunt incommoda, ex crimine commentitio enata, provocarunt ad conſenſum Illuſtr. Præſulum ſuorum, *Neercaſſelii* & *Coddæi.* Urgebat pars adverſa conatus porro, & exciebat quemcunque ad reſpondendum ſcriptis ſuis, credens, ſe certe ex reliquis triumphaturam. Provocarunt adverſarii Autorem, initio tergiverſantem, diſtentum quippe curis muneris paſtoralis. Tandem, hortantibus præcipuis e Clero viris, calamum arripuit. Edidit primo quidem A. 1729, 4, brevius ſcriptum, cui eſt index: *Tractatus brevis de reditibus utrinque redimibilibus - - præmiſſus majori de eadem materia Operi, in quo omnia, iſtuc ſpectantia, latius diſcutientur.* Solvuntur ibi ſingulæ adverſariorum objectiones. *Libro* illi *quinque* ſunt *Partes. Quinta pag. 132-156* oſtenduntur origo ac ſeries quorundam circa uſuram errorum, atque docetur, eos præſertim ex ſubtilitatibus *Ariſtotelis*, ejusque diſcipulorum, nec non aliquot Scholaſticorum, exortos fuiſſe. Tandem in Epilogo *p. 156-166* moderatio S. *Antonini* in hoc ipſo argumento proponitur adverſariis in exemplum ac imitationem. Sic Noſter. A. 1730 D. *Godefridus Valkenburg*, Canonicus Ultrajectinus, eandem cauſam dixit in libro, cui eſt titulus: *Diſcuſſio reſponſionis.* Eodem anno ac fine evulgavit *Antonius Cinck*, Præſes Collegii, quod Lovanii eſt, & *Craendonk* vocatur, librum, ſumto Theologi Brabantini nomine, ſub titulo: *Examen pacificum.* Adverſarii A. 1730 magnifici tituli librum publicarunt. En inſcriptionem ejus: *Dogma Eccleſiæ circa uſuram expoſitum & vindicatum.* Autores liber nactus fuit plures, ac paſſim contraria ſentientes. Ipſi notionem *mutui* a *Paulo* JCto adoptarunt, ſacro Codice melius uſuri; notionem *uſuræ*, Scholaſticis tritam, urſerunt; ad jus naturæ,

Digitized by Google

turæ, ad Biblia, ad teſtimonia Patrum ac Theologorum, ad Jus Canonicum & Civile, immo ad ipſum *Ariſtotelem*, confugerunt. Autorem noſtrum eodem anno defendit *Franciſcus Vivien*, Canonicus S. *Petri* Lovanii, edito ſcripto, cui titulus: *Theologi & Jurisperiti Brabantini judicium circa reditus utrinque redimibiles, prout in provinciis fœderati Belgii uſu inoleverunt.* In contrarium cucurrerunt *quatuor Epiſtolæ* Gallicæ ſatis copioſæ, quas A. 1731, 4, edidit *Nicolaus Petitpied*, Doctor Sorbonicus, ad *Joannem Chriſtianum Erkelium*, tunc Capituli Ultrajectini Decanum. Idem fere ſenſit Autor, ac Autores, qui *Dogma Eccleſiæ* ediderant. Primam iſtarum Epiſtolarum, A. 1750 datam, eodem anno confutavit *Franciſcus Meganck*, Capituli ejusdem Canonicus, in ſcripto: *Defenſe des contrats de rentes rachetables des deux cotez.* Eandem *primam Epiſtolam* refellit *Antonius Cinck*, edito ad annum 1731 ſcripto: *Obſervationes pacificæ in Epiſtolam Doctoris Sorbonnici.* Reſpondit A. 1731 *Meganck* ad ſecundam & tertiam hujus Epiſtolam per ſcriptum: *Suite de la Defenſe des contrats de rentes rachetables des deux cotez.* Hisce Vindiciis non repugnant nonnulla ſcripta, quæ in ipſa Gallia fuerunt circa id temporis edita. Eminet inter plura, eo fine compoſita a Doctoribus Sorbonnicis, volumina illud *Traité des prêts de commerce*, 1738, 4. Præfixa eſt huic libro inſtar Præfationis *Conſultatio*, Gallice ſcripta, cujus avtographum A. 1735 a pluribus Sorbonnicis Doctoribus fuit ſubſignationibus confirmatum. In illa, reditus Batavorum haud eſſe criminis uſurarii condemnandos, ſtrictim ſolideque aſſeritur, quemadmodum judicat Noſter. Noſtra haud refert, ſingula, in utramque partem evulgata, ſcripta percenſere. Uſuram per ſeſe injuſtam haud eſſe, Autor in *Tractatu brevi* comprobavit ex *Matth. XXV*, *27*, & *Luc. XIX*, *23*. *Euthymius* ad priorem locum: *Uſuram vocavit ſimpliciter omne lucrum, more communi utens.* In opuſculo *de Uſuris*, quod inter opera *Thomæ Aquinatis* legitur, *Cap.* 4 luculente hæc habentur: *Ex prædictis liquet, quare quædam uſuræ in S. Scriptura Sacra, & etiam legibus humanis, conceſſæ ſunt tanquam licitæ, quia,*

quandocunque uſura poteſt accipi ut ſua res aliquo juſto titulo, erit ſine ſcrupulo inculpabilis acceptio. In Jure Civili vocabulum *uſuræ*, Galli vocant *intereſſe*, ſemper poteſtate gaudet bona, teſte *Cujacio*, *Domato*, & D. *Jacobo Gaitte*, Doctore Theol. Sorbonnico in libro *de Uſura et fœnore pag. 610.* Theologi & Canoniſtæ dividunt uſuras in lucratorias & compenſatorias. Illas damnant; his uſum & licentiam juſtam patere, docent. Ita *Bez. Arroy*, Decanus theologici Ordinis Pariſienſis, in libro Gallico *de Uſuris* æque docuit, inprimis in Epiſtola præmiſſa, eaque Conſulibus Lugdunenſibus inſcripta. Fuſius hæc in hoc volumine diſcutiuntur. Confirmantur primum in illo præcipuæ veritates, quibus cetera fere innituntur, omni argumentorum genere, deinde refelluntur graviora, quæ illis vulgo objiciuntur ex adverſo. Ea vero, quæ ad perſonas, vel facta ſingularia, ſpectant, primoribus paſſim delibantur labris, plerumque tamen reſervantur *Libro* operis *ultimo*, ne Lectoribus tædia creentur.

Exhibenda nobis eſt *Librorum XII* ſumma. *Primus* conſtat *Partibus tribus*. *Prima* offeruntur Lectori caſus diſceptandi, ſuis momentis circumſtantibus concluſi, nec non meditationes ad leges patriæ, & conſuetudines, generatim acceptas. *Parte ſecunda* oſtenditur tum ex etymologiis nominum *mutui* & *uſuræ*, tum ex eorundem notionibus, in ſacro Codice obviis, & in Patrum doctrina tritis, pro mutuo habendam eſſe donationem uſus rei, illius etiam, quæ uſu neutiquam conſumitur, & pro uſura eſſe reputandum id, quod *ſortem* excedit. Diverſæ igitur ſunt notiones hoc loco, ſacris literis probatæ, a notione mutui, quam *Paulus* JCtus adhibuit. *Tertia Parte* Autor ſtatum diſceptationis exhibuit compendioſe, poſtquam docuerat, Scholaſticos aliquot notionem illam *Pauli* cum notione, Sacro Codice trita, confudiſſe. *Libro ſecundo* diſſeruit de Jure naturali, aſſeruitque in *prima* illius *Parte* tum ajentibus, tum negantibus, argumentis, caſus, in diſceptationem vocatos, haud vetari Jure naturali. *Secunda* ejus *Libri Parte* refelluntur præcipua argumenta, quæ obmoveri ſolent. Sunt, qui ad pronuntiata aliquot

quot Veteris Teſtamenti confugiunt, ut uſuras e republica proſcribant, haud idem ſentientes. Alii putant, uſuras initio vetitas eſſe, quæ a pauperibus ſumuntur, poſtea vero uſuras omnes, præſertim per Prophetas, fuiſſe vetitas. Alii ſibi perſuadent, univerſas atque ſingulas a Deo ſtatim fuiſſe vetitas. It Autor per locos Codicis ſacri ſingulos, quos obmoliuntur adverſarii, puta *Pſ. LIV, 10, LXXI, 14, Luc. VI, 35*. Primis duobus locis *David* reprobavit uſuras, cum dolis ac injuſtitia conjunctas. Loco tertio Chriſtus voluit ita donari res ac rerum uſus pauperibus atque indigis, ut ab illis nulla ſuperabundantia, ſeu retributio, ſperetur, multo minus exigatur. *Libro III*, omnibus ſatisfacturus, Autor ex ſenſu literali, & Patrum aliorumque ſententiis, deſumit Autor, quibus, adverſarios fruſtra ad enuntiata Novi Teſtamenti provocare, oſtendit, argumenta. Inprimis ad locum *Luc. VI, 35*, diſſerit univerſo *Libro quarto. Libro V* reſpondet ad ſententias, e Patribus, Scholaſticis, ac Theologis, decerptas, monens, dicta generatim pro contextus & ſcopi lege eſſe exponenda. *Libro VI* progreditur ad argumenta, ex Jure Canonico, tam veteri, quam novo, afferri ſolita, & inde rationes, ſibi potius faventes, depromit. Refellit *Libro VII*, quæ ex Jure Civili fuerant ab adverſariis hauſta. Recenſet *Libro VIII* titulos, quibus caſus percipiendi uſuras poſſunt eſſe liciti. *Libro IX* docet, caſus demonſtratos in toto fere terrarum orbe, & uſu illorum, qui primas tenent ex Doctorum ſententia, nec non communi proborum hominum, ratos haberi. *Libro X* progreditur Autor ad ſententias hominum, a religione Chriſtiana averſorum, quas adverſariis haud patrocinari, docet. Quæ ſparſim & obiter hic illic tractavit, ea ediſſerit plenius Diſſertationibus aliquot, *Libro XI* comprehenſis. De Adverſariorum erratis ex profeſſo commentatur *Libro XII*, ratus, ea ex fontibus turbidis Scholaſticorum & Canoniſtarum, qui inde a Seculo XIII floruerunt, profluxiſſe. Non omittit aberrationes, quibus Autores inde ab 80 fere nunc annis recentiſſimis doctrinas ſuas macularunt. Hæc eſt libri ſumma, voluminis ſat diffuſi, & ob diſſolvenda Adverſariorum argu-

menta

menta tantopere excreſcentis. Preſſius poſtea tramitem eundem inſtitit Illuſtris *Scipio Maſſejus*. Lites hinc enatæ fuerunt intra Veronenſem Diœceſin per Catechiſmum, contraria docentem, & juſſu ſummi Romanæ Eccleſiæ Pontificis illico ſuppreſſum. Tum vero in *Maſſejum* Scriptores Itali inſurrexerunt, ac ipſius opus *dell' Impiego del Danaro*, Veronæ A. 1744 publicatum, & a nobis dudum commemoratum, refellere aggreſſi ſunt. Prodiit Bononiæ A. 1745, 4, liber eo fine, indicem nactus: *La dottrina della Chieſa Cattolica circa l' uſura dichiarata e dimoſtrata contro le preteſe della novella opera intitolata dell' Impiego del Danaro Libri tre, Verona*, 1744, 4. Liber ille *la Dottrina* recuſus fuit Bononiæ A. 1747, 4, cum ſuperiorum licentia, multis monumentis ac documentis eccleſiaſticis in Appendice ornatus. Evulgati ſunt ibidem A. 1747, 4, *de Jure divino & naturali circa uſuram Libri ſex, in quibus adverſus hæreticos, uſurarum patronos, cum recentes, tum antiquiores, catholicum præſertim dogma fuſe defenditur. Præmittitur Præfatio cum hiſtoria de origine, autoribus, & varietate, hæreſis impugnandæ, unde contra iſtam magnum vel ex novitate præjudicium exſurget. Tomus* hic *primus*, ſuperiorum permiſſu editus, fœcundus mox fuit alio fœtu. Ibidem enim A. 1747, 4, prodiit in lucem *Tomus ſecundus*, cui eſt titulus: *Vindiciæ Juris divini ac naturalis circa uſuram, quæ veluti Liber ſeptimus haberi poſſunt, adverſus opus, noviſſime editum, de Uſuris licitis & illicitis* Nicolai Brœderſen. His Vindiciis *Capite ultimo* inſeritur peculiaris Diſſertatio de Concilio Viennenſi ſub *Clemente V*, ejusque decretis. Subjunxit hiſce Autor *Appendicem trium Opuſculorum in materia Uſurarum:* 1) De Montibus Pietatis, quatenus licite pecuniam ſub pignore commodent, exigendo aliquid ſupra ſortem, de modis, providendi publicis & privatis pecuniæ neceſſitatibus cum lucro annuo licito citra uſuram: ubi de legitimis titulis, nec non de contractionibus emtionis venditionis cum pacto de retrovendendo, & cenſus, cum realis, tum perſonalis, non pauca diſſeruntur; 2) de pecunia in negotiationem tradenda, ac de licito, vel illicito: ubi ex eodem lucro, trium contractuum

pra-

pravitas demonſtratur, & ſuggeruntur modi liciti, providendi negotiationi & commercio citra uſuram; ac præſertim de cambiis realibus; 3) de inani contractuum implicitorum ſyſtemate, quo omnes fere contractus re ipſa fœneratitios ab uſura nonnulli Theologi contendunt. Verba Autoris repetimus. Non eſt prætermittendus liber F. *Danielis Concinæ*, Ordinis Prædicatorum, Romæ A. 1746, 4, editus, & ita inſcriptus: *Uſura contractus trini, Diſſertationibus hiſtorico-theologicis demonſtrata, adverſus mollioris Ethices Caſuiſtas &* Nicolaum Brœderſen. *Accedunt Appendices duæ ad Commentarium Autoris adverſus uſuram.* Eſt, qui rationes ſuas ita ſubducit, ratus, primos Chriſtianos, ſiquidem plerique eorum erant egeni, merito haud faviſſe uſuris invicem, ne pauperculi periclitarentur, ne uſurarum exſpectatio homines eccleſiæ adſcriptos ab exiliis tolerandis, eleemoſynis, ac martyriis, abſterreret. Addit idem, XII tribus fuiſſe inſtar unius familiæ & ſocietatis fraternæ conformatas, unique provinciæ affixas; orbem Chriſtianum cum illa *Iſraelitica* ſocietate haud poſſe æquari. Subdit ille, cavendum eſſe, ne, ubi rem ipſam concedimus certis conditionibus eſſe licitam, de nomine litigemus. In montibus pietatis, ac contractibus emtionis venditionis cum pacto retrovenditionis, nihil eſt obvium, niſi id, quod in contractu collationis pecuniæ cum pacto uſurarum annuarum occurrit, ſi rem ipſam ſpectes. Undenam igitur tot de nudo vocabulo lites? Sic ille. Viderit, quo ſe lare tueatur. Noſtrum non eſt, quidquam ferre judicii. Decerpemus modo ex volumine *Brœderſeniano* unum atque alterum momentum. De vi ac pondere argumenti negativi ſic pronuntiat: *Si in negativis argumentis aliqua propoſitio affirmativa ſubintelligatur, certa etiam erit conſequentia. Si vero ea, quæ ſubintelligitur, propoſitio non omnino certa, ſed veriſimilis tantum, ſit; nec omnina certa, ſed veriſimilis tantum, erit concluſio. Licet interdum affirmativa, quæ in argumento negativo ſubintelligitur, propoſitio non ſit phyſice, aut metaphyſice, certa; poteſt tamen adeo moraliter eſſe certa, ut plane ſit abſurdum,* negare *conſequentiam ejusmodi argumenti negativi, in quo dicta propoſitio affirmativa moraliter certa*

ſubintelligitur. Copioſius de hoc argumento diſſeruit *Joannes Launojus* in ſcripto: *Diſſertatio, in qua probatur, negativum argumentum in quaeſtionibus, ex facto, uſu, & traditione, pendentibus, multum habere roboris.* Mirandum, Logicae ſcriptores hoc argumentum dimittere intactum. Magis mirum eſt, aliquos contendere, in mutuo transferri dominium, &
Pag. 184. ideo eſſe iniquum, uſuras exigere. Nam omne mutuum proprie eſt gratuitum; pactum vero, ſeu contractus, de uſuris non ad mutuum proprie dictum ſpectat, nec ad lucrum ex mutuo, licet *Paulus* JCtus eo propendere videatur *Lib. XII Digeſt.* qui tamen peccavit in enumeratione partium & notionibus. Quae ad benignitatem in pauperes, vel fratres, refe-
313. renda ſunt in enuntiatis Sacri Codicis, incommode ad commercia ditiorum trahuntur, viventium extra Iſraelitarum nationem. His enim Ebraei juſte numos dabant in uſuras,
348. *Devt. XXIII, 19, 20.* Conſentit *Ambroſius* in libro *de Tobia Cap. 14, 15.* Conſentiunt porro *Bruno* Aſtenſis, defunctus A. 1123,
350. *Toſtatus* in *Matth. XXV Quaeſt 171, Jacobus Bonfrerius* in *Devt. XXIII, 20,* ubi *Vulgata* idem indicat. Nihil vero, juri
354. naturae adverſum, licuit unquam Judaeis, autore *Covarruvia Lib. III Variar. Reſolut. Cap. I n. 7.* Plane ad Ebraeos *Moſes Devt. XXVIII, 12: Foenerabis gentibus multis.* Et paulo poſt *v.* 44 ad eosdem, futuros immorigeros: *Ipſe advena foenerabit tibi.* Priorem locum de uſuris accepit *Ambroſius* in *Pſ. XXXVI, 26.* Nec aliter legitur utrumque comma in Bibliis
361. Belgicis, Delphis A. 1477, Lovanii A. 1553, Coloniae A. 1566 praeeunte Theologorum Lovanienſium ob juſſum Imperatoris examine, Lovanii A. 1717 interprete *Aegydio de Witte,* ibi Theologo, editis. Quis, *foenerandi* actionem, perſuadebit ſibi, eſſe dationem in proprie mutuum? An Ebraei Ebraeis igitur nihil mutuari debebant? Id foret *Moſi* e diametro adverſum. At ſunt, qui tradunt, Prophetas vetuiſſe, ne quis numos ditioribus, ne alienigenis quidem, in uſuras elocet. Provocant ipſi ad *Pſ. XIV, 5, Ezech. XVIII, 8,* ubi ex argumenti natura & tractatione intelligitur, ſermonem eſſe de Ebraeis, Ebraeae genti haud foeneraturis, nec ei damna infer-

inferre debentibus. Poſterius & prius confirmat *Toſtatus* Pag. 380.
Quaeſt. 171 in *Matthaeum XXV.* Reſpondet haud minus Autor ad argumenta, ex *Pſ. LIV, 11, 12, LXXI, 12, 13, 14, XXXVI,*
22, 27, CVIII, 11, CXI, 5, Prov. XIX, 17, XXII, 7, XXVIII, 8, 395.
Am. VIII, 4, 5, 6, Jeſ. LVIII, 5, 6, 7, Jer. XV, 10, Ez. XVIII, 1-13, XVIII, 2, 2 Eſdr. V, 3, deſumi ſolita. In *Pſ. LIV, 12,* legitur non *neſchech*, nec *tarbit*, id eſt, uſura pecuniae, uſura frugum, ſed *toch.* Vocabulum hoc *Hieronymus* recte interpretatus fuit *damnum*, Pagninus *fraudem.* Damni per frau- 387.
dem machinatio per id vocabuli deſignatur, ſeu fraus ipſa. In reliquis pronuntiatis Biblicis Autor id haud deprehendit, quod adverſarii vidiſſe volunt. *Amos* certe de eis diſſerit, 400.
qui ſunt pauperes, & conteruntur per ditiores, qui uſuras tamen ſingulis Calendis extorquere non conſueverant. De his uſuris argumentum haud fuit ſuſceptum, nec eas approbat *Braederſenius.* In Novo Teſtamento nihil de contractibus & commerciis fuit praeſcriptum, ſiquidem regnum Jeſu haud eſt principatus politicus, nec is leges promulgavit politicas. Vid.
Jo. XVIII, 36, Luc. XII, 14, Matth. XXII, 21, Tit. III, 1. Prin- 440.
cipum poteſtati relicta fuit facultas, conſtituendi, quae ſubditis ſibi ſunt ad vitam civilem ſecure tranſigendam ſalubria. Id ipſum docet *Thomas Aquinas* in *I, 2, Qu. 108, Artic. 1, Dominicus Soto de Juſtit. & Jure Lib. VI Qu. I Art. 1 Concl. 1* ita: *Nulla illic* (Luc. VI, 35,) *edicitur probibitio injuſtitiae uſurarum, ſed commendatio fit miſericordiae mutui, quae propter ſolum Deum eſt erga proximos declaranda.* Eadem ſententia ſedit etiam aliis Doctoribus. Ea, quae *Matth. V,* 445.
42, & *Luc, VI. 35,* de mutuo traduntur, copioſae patent tractationi, quae docet, Patres ac Doctores dicta Jeſu illa expoſuiſſe de indigis, quibus per dona & mutua ſit ſuccurrendum. 466.
Idem ſenſerunt Viri doctiſſimi, qui inde a Seculo XIII floruerunt. Horum teſtimonia lance ſatura exhibuit Autor. Sunt tamen, qui, utroque in loco uſuram omnem fuiſſe proſcriptam, tradiderunt. Hos aeque recenſuit, ac eorum argu- 476.
menta ſtuduit exſolvere. Ad *Matth. XXV, 27,* & *Luc. XIX,* 495.
23, copioſus eſt, ubi referuntur parabolae, quibus docetur, ac-

 ce-

Digitized by Google

ceptam divinitus gratiam diligentia boniſque operibus excolendam eſſe & augendam. Ibi trapezitæ vita, & collocatio numi ad uſuram, inſervit illi officio decore ornateque exhibendo. Conſuetudo trapezitica ibi haud vituperatur, nec in vitio po-
Pag. 498. nitur. *Euthymius*, ibi *τόκον*, *uſuram*, in bonam partem ſumi, monuit. Uſuram Patres definierunt *acceſſionem ad ſortem*. Qui ſecus ſentiunt, definitionem ibi ſubſtituunt aliam, tradentes, uſu-
512. ram eſſe *lucrum ex mutuo vi mutui, præcipue intentum*. Patres plerumque diſſerunt laxe & generatim de uſuris. Tum vero ex ſcopo & contextu eorum eſt colligendum, quam voluerint acceſſionem ad ſortem damnari. Adverſarii ita ratiocinari ſolent, ut putent, Patres haud docuiſſe unquam, ullas uſuras eſſe licitas. Ergo, pergunt iidem, Patribus viſum fuit damnare uſuras in univerſum. Ipſi ignorarunt diſtinctionem inter uſuras licitas, illicitasque. Ipſi damnarunt omnem acceſſionem ad ſortem. Ipſi ſæpius uſuram vocant iniquam, ideoque ſingulas ejus ſpecies damnarunt. Ipſi ſæpius in omnes uſuras ſunt invecti, & negant, fas eſſe, a divitibus exigere uſuras. Tum vero Autor ſingula Patrum loca repetit & exponit, ac tandem objectiones diſpellit. *Caſſiodorius* in *Pſ. LXXI, 14*, uſuras per *creditæ pecuniæ augmentum* interpre-
681. tatus fuit. Non vacat nobis peragrare per ſingula Patrum & Doctorum enuntiata uſque ad Seculum XIII. Caſus, quos Autor in licitis numerat, atque a crimine uſurario exiſtimat remotos eſſe, cœperunt Seculo XIII damnari, initio ducto a
754. B. *Ivettæ* facto, per aliquot Scholaſticos ac Canoniſtas. Hi ſunt variæ claſſis. Sunt inter eos, qui uſuras univerſe futilia ob argumenta damnant. Sunt, qui eas videntur damnare, more *Ariſtotelico* locuti, alibi ſuo pede incedentes, aliis titulis eoſdem caſus cenſent eſſe licitos. Sunt, qui definitos caſus a crimine uſurario liberant, immo pro licitis reputant, præſertim inde ab anno fere 470, a tempore *Gabrielis Biel*, uſque ad annum 1650 & ultra. Tum vero lis exarſit, & in caſus definitos, quos Autor exiſtimat eſſe licitos, graviter incubuit, licet uſus publicus, leges civiles, & opiniones, reipu-
blicæ

Digitized by Google

blicæ amplificandæ inſervientes, teneant contrarium. Scilicet Theologia Scholaſtica in Oriente per *Joannem Damaſcenum*, in Occidente per *Anſelmum*, ſub Seculi XI finem ſeſe prodens, ſubinde aliquid in dogmatibus mutavit, certe ſubtilitatibus moleſtis implicavit. Autor addit hoc: *Pluribus eorum id evenit, quod contingere ſolet iis, qui novas vias ingrediuntur, ſcilicet in varios labi errores.* Peragravimus loca eorum, ab Autore adducta, atque in eis nec diſtinctas plenasque notiones, nec peritiam interpretandi Biblia, nec ſtudium, Patribus recte legendis dicatum, deprehendimus. Illuſtriores ſunt ſcriptores, anno 1470 juniores, quos laudavit, ac ſerie longa exhibuit Autor, haud neglectis decretis ordinis theologici Colonienſis & Cleri Gallicani; qui A. 1694 uſuras dedit eis, a quibus collatam acceperat ſummam 2700000 librarum Gallicarum in uſus Regis. Cuique ſcriptori Autor addidit brevem biographiam, eis omnino inſervituram, qui viros doctos Eccleſiæ Pontificiæ haud admodum habeat compertos. Qui induſtriam Autoris carpunt, qui perſpicaciam & acumen ejus vituperant, qui aſſiduitatem lectionis multijugæ in eo haud venerantur, ii, quid grati animi officium requirat, nondum videntur didiciſſe. Dabimus alias etiam compendiorum aliquid ex libris, *Brœderſenio* reluctatis. Pag. 889.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE &c.

hoc eſt,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM & elegantiorum literarum, quæ Berolini floret. Annus 1749.

Berolini, 1751, 4.

Alph. 2 plag. 19.

Solis Academicorum ſcriptis *Tomus* hic abſolvitur. In *phyſica* Claſſe *Ellerus*, director, cauſas fertilitatis telluris generatim inveſtigat. Terrarum genera, ex quibus fœcunda pars ſuperficiei globi noſtri conſtat, quatuor recenſet: 1)

arenam; 2) terram pinguem flaveſcentem; 3) argillam; 4) terram peregrinam, *adoptivam* illi vocatam. Alcalicæ terræ, ut marga, cineres vegetabilium, &c. arte hominum his admiſcentur, ut humidum ex aere attrahant. Singulæ terræ quid, examini chymico ſubjectæ, monſtraverint, recenſet, hincque omnium mixturam ſapientiſſimo inſtituto in ſuperficie telluris reperiri infert, cum una alterave ſola nutriendis plantis idonea non eſſet. *Marggravius* deinde argentum acido ſalis communis depurare, hoc eſt, lunam cornuam nullo argenti detrimento reducere, docet. *Gleditſchius* de geneſi mucorum experimenta notatu digna recenſet. *Ludolfus* ſcalam barometris addere docet, quæ veram aeris preſſionem exacte indicet, erroresque, a volumine mercurii, caloris vi mutato, ortos, corrigat. Si æſtate mercurii volumen majus eſt, quam hieme, patet, atmoſphæra utroque anni tempore ejusdem ponderis exiſtente, aliam tamen mercurii in barometro altitudinem fore. Igitur in barometris vulgaribus, ſcalas habentibus, calculo opus eſt, qui ex data altitudine mercurii obſervata, & dato volumine mercurii pro calore aeris, quem thermometrum indicat, veram altitudinem colligat. Eo calculo ſuperſedere poſſunt, qui ſcala *Ludolfi* utuntur. *Marggravius* de oleo & acido formicarum agit. Exprimitur ex formicis ſuccus, omnes olei conditiones habens. Obiter notat *Marggravius*, inſectum illud, quod polygoni cocciferi radicibus adhæret, *Breynio* deſcriptum, pinguedinem continere, quæ in cauſa ſit, cur non bene ſucceſſerint illorum tentamina, qui eodem ad lanam tingendam uti voluere; poteſt vero hæc pinguedo debita arte adhibita ſeparari. *Gleditſchius* memorabile phænomenon deſcribit examinis formicarum, cui ſimile fatemur vix alibi obſervatum eſſe. *Marggravius* lapides varios enumerat, qui, cum carbonibus ſtratificati & calcinati, eam vim acquirunt, ut, ſolari lumini per aliquod tempus expoſiti, in tenebris deinde luceant. Pertinent eo lapis calcarius, & ſpatha plurima, ut jam quidem Bononienſes phoſphoros in patria noſtra effodiamus. *Beguelinus* ova aperta debito calore fovere docet, ut pulli prodeant; quod artificium in-

ſignis

Digitized by Google

ſignis eſt momenti ad formationem pullorum diſtinctius perſpiciendam. *Meckelius* nodum, ſeu ganglion, ſecundi rami quinti paris nervorum cerebri, recenter detectum, deſcribit, uſusque nodorum in nervis, examen phyſiologicum inſtituit. Eſt ille, ut augeatur nervorum numerus fibris, ſeu canaliculis nervoſis ſeparatis, quæ a ganglio involucra nova accipiunt. Sed & alii uſus eſſe videntur, quos recenſet Autor. *Gleditſchius* inſigne experimentum palmæ dactyliferæ folio flabelliformi, fœminæ, a floribus maſculis impraegnatæ, enarrat. Eſt arbor illa fœmina 80 annorum in horto Academico, nunquam vero fructus maturos tulit, donec floribus, Lipſia ex horto *Boſiano* allatis, fœcundaretur. Idem *Gleditſchius* novum plantarum ſyſtema, ſitu & nexu ſtaminum nixum, proponit. Eſt illi plantarum effloreſcentia

Thalamoſtemonis ſtaminibus ovario adnatis *Malpigh. An. Plant. pag. 64 Tab. XXIX f. 174, A, B, C.*

Petaloſtemonis ſtaminibus corollæ junctis *Malp. pag. 62 Tab. XXIX f. 173, A, B, C.*

Calycoſtemonis ſtaminibus calyci inſertis *ib. pag. 63 Tab. XXX f. 175, A, & 176, A, B, C, 177, A, B.*

Styloſtemonis ſtaminibus piſtilleo adhærentibus *ib. pag. 62 Tab. 29 f. 177, A, C, D.*

Primæ & ſecundæ claſſis plurima exempla reperiuntur, quartæ pauciſſima. Claſſes in ordines & ſectiones dividit, generaque, ſub illis contenta, enumerat.

Mathematicæ Claſſis agmen ducit *Eulerus*, agitatam olim inter *Leibnitium Bernoulliumque*, de negativorum & imaginariorum numerorum logarithmis, controverſiam componens. *Bernoullius* negativorum numerorum logarithmos veros, et illis oppoſitarum quantitatum logarithmis æquales, pronuntiavit, ut ſit $l-2=-l+2$. *Leibnitius*, $l\text{-}2$, & ſimiles, imaginarios eſſe, defendit. Uterque argumentis uſus, quæ demonſtrationes videntur. *Eulerus Leibnitio* accedit, omniaque inde explicat, quod unius numeri infiniti ſint logarithmi unius ejusdemque ſyſtematis, puta hyperbolici, unus quidem realis, alii omnes imaginarii, unde & quæſtio hæc egregie illuſtratur, & plura, ad loga-

logarithmorum doctrinam ſpectantia, eruuntur. Poſthæc *Kænigius*, cur *Cardani* regula in æquationum cubicarum caſu irreductibili fallat, in aliis uſui ſit, inquirit. Monſtrat, in analyſi, qua *Cardani* formulæ eruuntur, ſupponi, quæ in caſu irreductibili locum non habent. Deinde aliqua, ad chordas multiplorum arcuum ſpectantia, addit. *Kieſius*, Aſtronomus regius, obſervationes aliquot cœleſtes enarrat, hisque varia theoretica, præcipue ad parallaxium calculum pertinentia, interſerit, quæ non minus Geometram profundum, quam obſervatorem peritum, oſtendunt. *Eulerus* de *Hoſpitalii* puncto regreſſus ſecundæ ſpeciei agit; poſtea de radicibus imaginariis æquationum nova plurima affert; denique in præceſſionem æquinoctiorum, & axis terreſtris mutationem, inquirit. *Kieſius*, qui planetarum ſitus irregularitatibus illorum definiendis aptiſſimus ſit, definit, & poſtea, quem uſum habeant occultationes fixarum luna mediante, monſtrat. *Caſſinus de Thury* vero inquirit, ſitne ad longitudines determinandas exactitudo major ſperanda a fixis, luna mediante occultatis, aut diſtantiis lunæ a fixis, quam ab eclipſibus lunæ. Obeſt alteri illi methodo difficultas, calculos, ad lunam ſpectantes, perficiendi, quorum ipſorum theoria nondum ſatis exacta eſt. Obſunt alia plurima, quæ removeri debent, antequam eclipſium obſervationi ſubſtituatur. Poſthæc inſtrumentum deſcribitur, in obſervatorio Berolinenſi reperiundum. Simile eſt ei, quod *Hadlejus* nuper in *Transactionibus* deſcripſit, ſpeculis duobus ad ſtellarum diſtantias menſurandas aptatum, ſed & altitudines eo capi poſſunt. Fuit vero jam plus quam 50 annos in obſervatorio Berolinenſi. Colophonem claſſi mathematicæ imponit excerptum ex *d' Alembertii* ad Illuſtrem *Maupertuiſium* Epiſtola, de theoremate analytico, falſo ſibi tributo.

Philoſophicam Claſſem Diſſertatio de legum condendarum, vel abolendarum, rationibus auſpicatur. Legitur illa jam extra Commentarios Academiæ, & vernacula quoque noſtra; nec plura hic de illa dicemus, cum antiquitatis cognitionem præ ſe ferat, ac veræ Politicæ plena ſit, legique tota debeat. Neque

Digitized by Google

que rectius de prudentia legislatoria ſcribere poterat quispiam eo, cujus majeſtatem reveremur & ſuſpicimus, elogio *Juſtiniani* Imperatoris dignam, armis nempe decoratam, & legibus armatam. *Formejus* deinde Juris Naturæ de uſuris dictata exponit, quas ob uſum pecuniæ mutuo datæ in debitorem redundantem æquas pronuntiat, anatociſmus etiam quando licitus ſit, definit, &, quibus limitibus hæc a fœnore & uſuris mordentibus diſtinguantur, exponit, ſolidam, qua celebris eſt, Philoſophiæ ſcientiam erudita morum legumque cognitione illuſtrans. Poſt *Meriani* duæ Diſſertationes, ſubtiliorem Metaphyſicam ſpectantes, de propriæ exiſtentiæ conſcientia, & de apperceptione ad ideas relata, ſeu idearum in nobis exiſtentia, leguntur. Celebri illi *Carteſiano* enthymemati plura opponit, debiliusque eſſe, quam ut Scepticum convincat, oſtendit, neque eo fine ab Autore prolatum. In altera Diſſertatione monet, *ideæ* vocem obſcurius *repræſentationis* vocabulo explicari, repræſentationes vero, quarum apperceptionem nullam habeamus, in anima exiſtere, negat, quod, quid illæ ſint, aut quomodo ideæ claræ ex illis oriantur, explicari non poſſit. Sed omnia hæc profundiora & intricatiora ſunt, quam ut excerpere hic quædam valeamus, quæ, ab ipſo corpore divulſa, difficilius intelligerentur, apud ipſum vero Autorem, qui de illis non ſolum perſpicue, ſed & ornate, diſſerit, cum voluptate leguntur. Poſt illum *Kaſtnerus* noſtras pro *Carteſio* contra *Wolfium* diſputat, voluptatem omnem ex propriæ perfectionis apperceptione, non alienæ, præcipue naſci, idque exemplis quamplurimis, in quibus geneſin voluptatis diſtincte perſpicimus, confirmat, ut hinc liceat idem de aliis caſibus ſumere, in quibus fatendum eſt, quæ noſtri perfectio nobis ſentiatur, non ſatis explicari poſſe, ſed iisdem in caſibus, quæ rerum, quæ nos delectant, perfectio nos feriat, non magis intelligitur.

Ad *elegantiores literas* ſpectat *Pelloutierii* ad *Julii Cæſaris* locum *de B. G. Lib. VI Cap. 21* Commentarius. Eſt ille locus, qui ſequitur: *Qui diutiſſime impuberes manſerunt, maximam inter ſuos ferunt laudem, hoc ali ſtaturam, ali hoc vires nervosque,*

que, confirmari putant. Intra annum vero viceſimum fœminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus, cujus rei nulla eſt occultatio, quod & promiſcue in fluminibus perluuntur, & pellibus, aut parvis rhenonum tegumentis, utuntur, magna parte corporis nuda. Torſit Criticos, quomodo *nulla occultatio* eſſe potuerit *notitiæ fœminarum* habitæ; ſed voces illæ ad has: *qui diutiſſime impuberes manſerunt*, referuntur; ut crediderint Germani, juvenem non amplius creſcere, poſtquam pili prorumpunt, eosque, quibus hoc ſerius accidit, vegetiores fortioresque evadere. Nam & Americani populi fere omnes pilis carent, non quod alia hominum ſpecies ſint, ut *Labontanus* temere ſibi perſuaſit, ſed quod illos evellant, atque abradant. Hæc igitur animadverſio inſignis eſt momenti ad defendendam ſacram de origine hominum hiſtoriam, quam eo argumento impugnari poſſe, credidit *Labontanus*. Probat enim contra, Americanos, quibus in tam arbitraria, imo tam incommoda, conſuetudine cum Celtis convenit, eandem originem cum illis habuiſſe. Ultima eſt Dom. *de Francheville* Diſſertatio *de Pruſſorum origine. Tribus Partibus* abſolvi debet. *Prima* jam exhibetur, & characteres exponit, quibus Pruſſia in antiquis ſcriptoribus ab aliis regionibus diſtingui poteſt. Spectat eo præcipue electrum, de quo erudite agitur. Quæcunque, ad electrum pertinentia, antiqui habent vera, & inter ſe conſpirantia, nulli alii, quam Pruſſiæ, convenire, oſtendit Autor; ipſum Eridanum, cujus ad ripas ſororum *Phaetontis* lachrymas in electrum verſas finxerunt Poetæ, in fluvio, prope Gedanum labente, *die Rodaune*, reperit. Sed hæc ſufficiant, ut guſtum aliquem demus egregiæ collectionis, rerum varietate ac præſtantia nulli, quæ ab aliis Scientiarum Academiis magno numero iam publicantur, cedentis. Neque alia exſpectari poterant ab Academia, quam digna Protectoris, quem veneratur, gloria, digna Illuſtriſſimi *Maupertuiſii* præſidio.

PAULI ERNESTI JABLONSKI PANtheon

theon Aegyptiorum, ſive de Diis eorum Commentarius. Cum Prolegomenis de Religione & Theologia Aegyptiorum, & Indice.

Pars II & III.

Francofurti ad Viadrum, ſumtibus Joan. Chriſt. Kleyb, 1752, 8 maj.

Alph. 1 plag. 2.

Ea jam eruditorum animis ſedet opinio, ut, ſi quid ex præclara incomporabilis *Jablonski* officina novum prodeat in lucem, novum inde exiſtiment & animis ſuis pabulum, & decus literis nobilioribus, paratum. Quam opinionem, tantum abeſt, ut altera hæc Panthei Ægyptiaci pars minuat, ut mirum in modum augeat, multumque faciat ad veræ gloriæ, quam præſtantiſſimis ſcriptis Celeberrimus Autor dudum acquiſivit, egregium incrementum. Quicunque enim hunc de Diis Aegyptiorum Commentarium attento, ut par eſt, magis, quam curioſo, legent oculo, illi omnino acumen doctiſſimi Viri magnum, & miram quandam vim ingenii, & doctrinam excellentem, agnoſcent, nec agnoſcent tantum, verum etiam juſtis laudibus concelebrabunt. Pauca hunc in finem delibabimus, cupientes maxime, ut Lectores noſtri ipſi ſedeant judices, aut certe meritorum Cel. Autoris nobiſcum admiratores ſe profiteantur. *Liber III & IV Partem ſecundam* cum ſuperiori *prima* ita nectunt, ut *Libro III, VI Capitibus* diſtincto, de *Luna*, iisque Numinibus, quæ ad *Lunam* referuntur, agat. Et *Capite* quidem *primo* doctam legimus de *Iſide*, magna Ægyptiorum Dea, id eſt, *Luna*, commentationem. Docet hoc Pag. 2.
loco, *Iſidem*, *Oſiridis* & ſororem & uxorem & matrem, Ægyptiis Numen omnium fuiſſe maximum, ſanctiſſimumque, & religioſiſſime cultum. Nomen quidem *Iſidis* non cum ipſa Ægyptiorum idololatria, aut cum impio *Lunæ* cultu, natum, ſed *Lunam* primo ſub nomine *Lunæ* cultam fuiſſe oſtendit. Procedente vero tempore *Lunam* ſacerdotes adorandam ſub nomine *Iſidis* propoſuerunt. Appellant vero eam Ægyptii 4.

 ver-

vernaculo ſermone *Iob*, quo etiam ſub nomine, ſcilicet *Io*, 'Ιὼ, primitus ab Archivis, qui conſenſu omnium originis
Pag. 7. Ægyptiacæ fuerunt, culta fuit. Huic vero nomini *Io* ſucceſſit in Ægypto aliud ſymbolicum *Iſis*, eandem rem deſignans. Cum autem ſatis conſtet, veteres in univerſum exiſtimaſſe, *Lunam* ad generationem, conſervationem, & incrementa, corporum terreſtrium omnium concurrere; ratio inde
8. patet, ob quam *Iſidem* reliquis Diis antepoſuerint Ægyptii.
10. Quod etiam hac confirmatur ratione, quod incrementa Nili, quibus fertilitatem ſuam omnem debet Ægyptus, ab
13. illius numine, ceu cauſa prima, derivarent. Veras autem cauſas mirabilis incrementi Nili, continuas ſcilicet & plerumque valde vehementes pluvias, in Æthiopia cadentes, ſacerdotes Ægyptios minime latuiſſe, confirmat. Quemadmodum vero *Oſiris*, maritus *Iſidis*, in Ægypto non modo colebatur cœleſtis, ſol videlicet, verum & terreſtris, ſive Nilus,
17. ita iidem præter *Iſidem* cœleſtem, quæ *Luna* eſt, religioſe quoque colebant terreſtrem, ipſam ſcilicet Terram, quæ pro-
20. inde *Iſidis* nomine quoque deſignabatur. Verum enim vero *Iſis* non terram ſolum, ejusque ubertatem, quæ a Luna in terram derivaretur, ſignificat, ſed etiam, & quidem præcipue, *Ægyptum*, cui, ceu uxori, *Oſiris* terreſtris, vel Nilus, ſe jungeret, quamque congreſſu ſuo fertilem redderet. Verum ne hic quidem ſubſtitit Ægyptiorum ſuperſtitio. Nam
21. *Iſidis* numen ad univerſam rerum ſublunarium omnium naturam tranſtulerunt. Qui vero *Iſidem* confundebant cum *Neitha*, & Philoſophi recentiores, eam etiam pro na-
23. tura rerum univerſa habebant. Hæc de *Iſidis* cultu. Fabularum autem de *Iſide* ſacrarum explicationem omittit Cel.
26. Autor. Quæ vero explicationes nominis *Iſidis* ex Græco, Hebraico, & Arabico, ſermone petitæ ſunt, aut quæ ex lingua Ægyptiaca derivatæ eſſe falſo jactantur, eas plane rejicit, ſuamque de ſignificatione nominis *Iſis* ſententiam ita dicit, ut, hoc nomine cauſam abundantiæ, terram totam permeantis, & commoventis, indicatam, arbitretur.

34. *Capite II* de *Sothi. ſive Iſide oriente in ſidere Canicula*, agitur,

Digitized by Google

tur, & ſumma dictorum hæc eſt. *Sothis* ſecundum quosdam videtur & *Iſin*, & caniculæ ſidus, deſignare. Sed proprie & vere ſignificat ſidus caniculæ, illud vero *Iſidi* conſecrarunt Ægyptii, 1) quia omnia hujusmodi ſidera alicui ex Diis majoribus attribuebantur; 2) quia *Iſis*, cui ſacra erat *Sothis*, vel canicula, re ipſa videtur fuiſſe *Neitha*. Et ad hanc ſidus caniculæ commodiſſime referebatur; 3) quia ſidus caniculæ etiam ad *Iſidem*, proprie ſic dictam, id eſt, Lunam, relationem habet ſingularem; 4) quia etiam principium periodi *Sothiacæ* Lunæ peculiari ratione ſacrum fuit. Nunc, poſt adductas adhuc alias rationes probantes, disquirit Cel. Autor, quid *Sothis* Ægyptiorum ſermone avito proprie ſignificaverit, quid non. Non canem, ut quidam credidere, neque gravidam, quæ *Plutarchi* conjectura eſt, ſed *initium*, aut etiam *initium temporis*; cui interpretationi alia ingenioſa ſatis additur.
Pag. 35.
36.
37.
40.
42.
46.
48.
50.

Caput III de Bubaſti, Ægyptiorum Numine, quod Græci Dianam, ſive Lucinam, interpretantur, agit. Quemadmodum ſol, nomine *Oſiridis* apud Ægyptios inſignis, ita Luna, ſive *Iſis*, pro diverſa ad terram relatione diverſa nomina accipiebat. Luna enim, quando nova apparebat, dicebatur *Bubaſtis*, aut, quod idem eſt, ſacra, *Bubaſti* fieri ſolita, referebantur ad lunam novam. Hujus *Bubaſteos*, ut Numinis Ægyptiorum ſacroſancti, veterum complures mentionem faciunt. Græci eam interpretantur *Dianam*, quia nempe *Bubaſtis* & virgo habebatur, & *Luna*, & inſuper *Lucina*. Erat autem *Bubaſtis* aliquod Lunæ ſymbolum, ideoque certo ſenſu eadem, quæ *Iſis*, etſi hujus perhiberetur filia. Eaque de cauſa felis ipſi, ceu viva quædam ejus imago, conſecrata erat. Ipſa vero eadem erat, quæ Ægyptiorum Ἐιλῃθύια, ſive *Lucina*, pluribus in locis culta, de cujus ſacris in Ægypto antiquiſſimis & cruentis quædam obſervantur, quæ Ægyptios a crimine abominandi mactandorum hominum moris liberare poſſint. Præerat autem *Lucina*, ſive *Bubaſtis* Ægyptia, mulieribus parturientibus, & nativitati infantum, & ex ſententia ſacerdotum Aegyptiorum ſymbolum erat lunæ novæ, ratione
55.
56.
58.
61.
64.
66.
68.
72.
77.
81.

 vero

Digitized by Google

vero nominis ſignificabat *varià multiplicique facie con-*
ſpicuam.

Pag. 84. *Caput IV de Buto, vel Butone, Ægyptiorum Numine an-*
tiquiſſimo, quod Græci Latonam interpretantur, differit. *La-*
tonæ huic ſacra inſtituta erant ſolennia, valdeque celebrata in
urbe Buto, inferioris Ægypti. De ipſa hac Dea, *Butone,*
87. vel *Latone,* traditiones quædam e monumentis veterum red-
dit, & cum Theologia Græcorum phyſica de *Latona* confert, in
93. qua per *Latonam Nox,* &, ut recentiores quidam volunt,
100. *Chaos primigenium,* deſignatum fuit. Re ipſa *Latona Bu-*
tica referebatur ad *Iſin,* vel *Lunam,* eratque hujus aliquod
ſymbolum, idque ex eo colligitur, quod *Latona* illa perhibita
fuerit Buti *Horum* & *Bubaſtin,* & inprimis paludibus Buti-
cis, nutrire. Nam aqua fontana credebatur Luna nutriri, &
103. tum res alias vivificare & roborare. Obſervandum vero et-
iam eſt, quod veteres, Lunam, crediderint, roris matrem eſſe,
idque videntur etiam in *Latona Butica* ſignificare & colere
voluiſſe Ægyptii. Ita Cel. Autor concludit, *Latonam Buti-*
cam ſymbolum fuiſſe *Plenilunii,* & interpretationem nomi-
nis Ægyptiaci *Butas,* vel *Buto,* lectoribus offert.

117. *Cap. V* de quibusdam *Iſidis* cognominibus commentatur.
Sunt ea *Muth,* quod *matrem,* vel *matrem mundi,* ſignificat;
Athyri, quod *Mundum, Hori* domum, deſignat, & *Methuer,*
virtutis effectricis plenam. His jungitur aliud cognomen,
Bubaſis, quod *vultum,* aut *faciem, vaccæ* ſignificat, cum *Bu-*
baſti vero non debet confundi.

126. *Cap. VI* de *Planetis* quædam breviter ſubnectit. Ægy-
ptii eos olim ſolenniter coluerunt, ſed is cultus poſtea in de-
ſuetudinem abiit. Quanquam verò *Planetarum* antiqua no-
mina Ægyptiaca utplurimum ignorantur; id tamen ſcitur,
ſingulos *Planetas* alicui ex Diis majoribus attributos fuiſſe.
Propterea disquiritur, cuinam ex Diis Ægyptiorum apud ipſos
Planeta Veneris attributus fuerit; exiſtimatque Cel. Autor,
Mendeti, ſive *Pani,* dedicatum fuiſſe hunc Planetam. Tria
vero apud Ægyptios Planetis indita erant nomina, unum
Numinis, cui erant attributi, ſecundum poteſtatis, qua inpri-
mis

mis valere exiſtimarentur, tertium coloris, qui obſervari in eis poterat. Ab hac coloris diverſitate diverſa quoque ipſis nomina impoſuere.

Liber IV diſtinctus eſt *IV Capitibus*, & de *Nilo* flumine, Ægyptiorum Deo, & ſymbolicis Numinibus, ad Nilum relatis, diſſerit. Pag. 139.

Cap. I de Nilo flumine, ab Ægyptiis inter Deos ſuos culto, commentatur, & ſtatim ejus cultus cauſa indicatur. Primum Nilo in Ægypto nomen fuit *Jeor*, vel *Jaro*, idque fluvium deſignat. Fluvius idem poſtea ab Æthiopibus *Siris*, ab Ægypto vero incolis *Nilus*, cognominatus fuit. *Siris* vero Æthiopum, & *Schichor* Hebræorum, idem nomen non ſunt, ſed ea inter ſe differunt. Sic & *Siris* & *Oſiris* unum idemque minime ſignificabant. Nomen ipſum *Siris* ex vetuſta Ægyptiorum lingua explicatur, ita ut illa duce *Sari* dicendum, & *junceus* vertendum, ſit. Proprium avitumque fluminis Ægyptii nomen eſt *Nilus*; neque vero ex Hebræorum lingua in voce *Nachal*, neque ex alio ſermone, ſed ex literis Copticis, origo nominis derivanda eſt. In his enim ſonat *Nei ale i, certo & determinato tempore adſcendens.* Eſt vero & aliud *Nili* nomen, a *deſcenſu* deſumtum, videlicet *Phrūron.* Origines *Nili* ne nunc quidem ſatis cognitas & perſpectas eſſe, exiſtimat Cel. Autor. Veras autem incrementi Niliaci cauſas ſacerdotibus Ægyptiis minime obſcuras fuiſſe, ex certis colligit rationibus. Aqua vero *Nilotica* a dulcedine & ſalubritate ſemper non parum commendari conſuevit, ejusdemque mirificam fœcunditatem celebrarunt veteres, miranturque recentiores. Et his de cauſis *Nilum* Ægyptii inter Deos ſuos numerarunt, eique ſummos honores detulerunt. Paſſim igitur per Ægyptum fluvio huic templa fuerant erecta, ſacerdotesque conſecrati, in illius quoque honorem feſta ſolennia celebrabantur in Ægypto, & quædam imagines fingebantur, verbi cauſa, pueri ſexdecim, totidem incrementi *Niliaci* cubitos indicantes.

Cap. II de *Apide, Tauro Memphitico ſacro, ſymbolo incrementi Niliaci*, exponit, cujus magnam cum apud Ægy- 177.

ptios,

ptios, tum apud alias gentes, celebritatem, per totam vero Ægyptum ſacroſanctum fuiſſe cultum, affirmat. Neque tamen *Apis* inter Deos Ægyptiorum primores, quales erant Spiritus Mundi, Sol, & Luna, locum habebat, verum aliis Diis, puta Soli & Lunæ, ſingulari modo ſacratus. Non enim ignorabant, bovem hunc ſuum ſacrum e vacca inſtar vitulorum aliorum quorumcunque in lucem edi, & poſt vitam aliquot annorum rurſus interire. Miraculum vero accedebat. Credebatur enim *Apis* contactu ignis cœleſtis, e luna in vaccam aliquam illapſi, concipi, atque adeo certis quibusdam ſignis ac notis, ipſi propriis, abaliis ſortis communis bobus diſtingui. Hæ notæ, & omnes ritus, qui ſpectant ad inaugurationem *Apidis*, deductionem Memphim, & vitam, quam ibi degebat, luculenter deſcribuntur. Multi ad ipſum viſendum, & ſuper rebus futuris conſulendum, accedebant. Non vero niſi nutibus & ſignis quibusdam futura prædicebat. His de cauſis *Apidem* Ægyptii ſolenni cultu, diebus feſtis, in ejus honorem inſtitutis, ac præcipue natali, celebrarunt, & ſacrificiis quoque placarunt. Vitæ illius certus conſtitutus erat terminus, quem ſuperare nefas habebatur. Poſtquam vero hunc terminum vivendo compleviſſet, profundo ſacri ſacerdotum fontis clam mergebatur, per quem in locum ſecretum cadaver bovis demitti poterat. Sunt tamen etiam ſcriptores, qui de *Apidis* ſepultura publica & ſolenni loquuntur, & locum, in quo corpus ejus ſepeliendum reponeretur, ſine ambagibus indicant. Videtur hoc pugnare cum tauri illius & cæde & ſepultura clandeſtina; ſed Doctiſſ. Autor ita hæc inter ſe conciliat, ut doceat, ſacerdotes *Apidem*, qui terminum vitæ ſuæ ſtatum attigiſſet, & ad novam ἀποκατάστασιν Solis atque Lunæ perveniſſet, violenta morte clam e medio ſuſtuliſſe, & clandeſtina etiam ſepultura donaſſe. Quodſi vero ante illud tempus morte naturali, aut caſu quopiam, abſumtus fuiſſet, manebat eum ſepultura ſolennis & honorifica. De *Apide* vero defuncto luctus inſtituebatur publicus, novusque ſolicite quærebatur. *Apis* autem non erat ſymbolum memoriale *Joſephi*, Patriarchæ, quod res ipſa docet, & ratio-

rationes temporum ſtabiliunt & evincunt. Vitulus quidem aureus, ab Iſraelitis in deſerto cultus, objici poſſet; ſed is proprie non fuit *Apis*. Hic vero Ægyptiorum *Apis* ſymbolum fuit Nili, ſicut boves etiam aliorum fluviorum, *Apidis*que natalis, eo celebrabantur tempore, quo Nili fluvii incrementa conſpicua fiebant. Tandem Cel. Autor, nomen *Apidis*, cujus ſymbolum *Nilometrium* eſt in *Tabula Bembina*, *menſuram*, vel *Deum menſuræ, Nili* ſignificare, arbitratur.

Cap. III de *Serapi terreſtri, vel Nilotico, antiquiſſimo Ægyptiorum Deo*, refert. *Serapis* hic terreſtris, qui a cœleſti diſcernitur, Memphi templum habebat oppido vetuſtum, in quo ſepeliebatur *Apis*. Cujus templi ſitus & locus excutitur. *Serapis* hic ad Nilum referebatur, eumque adumbrabat. Ipſi vero ſingulari modo ſacrum, atque in ejus tutela, erat *Nilometrium*, ſive *menſura Nili* adſcendentis, uti & ulna cubitusque Nili, quorum luculenta datur deſcriptio, & ex veterum teſtimoniis explicatio. Nominis vero interpretatio, quam Autor mirabiliter acutus profert, docet atque confirmat, vocem *Serapis* non melius exponi vertique poſſe, quam *columnam, in qua gradus Nili adſcendentis numerantur*. Tandem docetur, quo modo ex uno duo evaſerint *Serapides, cœleſtis* alter, alter *Niloticus*, qui poſtremus tamen priorem tempore anteceſſerit. Pag. 231.

Cap. IV de *Mnevide, Tauro ſacro Heliopolitano, & Onuphi, Tauro ſacro Hermunthite*, inſcriptum eſt. Hic primo loco de origine cultus, quem Ægyptii bobus vaccisque ſacris exhibuerunt, diſſeritur. Inter Tauros ſacros poſt *Apidem* præcipuos honores adeptus eſt *Mnevis*, etſi cultus ejus paulatim negligeretur, & evileſceret. Singulari is ratione ſacer erat *Soli*, & peculiaribus notis a bobus gregarie diſtinguebatur. Cultus ejus valde antiquus fuit, ipſiusque *Apidis* cultu antiquior. Vi nominis *Mnevis* ſignificat Taurum *Onienſem*, vel *Heliopolitanum*, aut, ſi magis placet, *Taurum Soli dedicatum & conſecratum*. 259.

Inter Tauros Ægyptiorum ſacros tertius eſt *Onuphis*, Hermunthi cultus, cujus nomen ex lingua Ægyptiorum exponitur.

Digitized by Google

Tertia Pars Librum quintum complectitur, qui totam re-
liquorum Deorum Ægyptiorum turbam ſiſtit. *Caput I Anu-
bidem* profert, *quem Græci Mercurium, & nonnunquam Sa-
Pag. 3. *turnum, interpretari ſolent. Anubis* magnum ſanctumque
fuit Ægyptiorum numen, & inter animalia ſacra dedicatus ei
erat canis, tanquam viva illius imago. In honorem hujus
Dei canini urbes erant conſtructæ, templaque dedicata, isque
per totam Ægyptum colebatur ab omnibus. Et apud Græ-
cos culti hujus Numinis veſtigia deprehenduntur. Cauſa ve-
ro, ob quam Deus hic ſpecie canina ab Ægyptiis fingeretur,
videtur fuiſſe, quod perpetuus *Iſidis Oſiridis*que comes, cu-
ſtos, & pediſſequus, crederetur. Græci eum nonnunquam
interpretantur *Saturnum*, plerumque vero *Mercurium*. Si-
gnificat vero *Anubis*, ex ſententia Cel. Autoris, *aureum*, non
quaſi Ægyptiis *Planetam Mercurii*, ſed *Horizontem*, *ſive or-
tum & occaſum ſolis*, ſymbolice deſignaverit. Et ex ea ex-
plicatione, quæ multis fulta eſt argumentis, ratio ſuppedita-
tur facilis & egregia, cur *Anubidem* Ægyptii dixerint *aureum*,
eidemque formam *canis* aſſignaverint. Mirandum inde et-
iam non eſt, Ægyptios idololatras Horizontem cœleſtem di-
vinis affeciſſe honoribus.

39. *Cap. II* de *Typhone*, *malo Ægyptiorum Genio*, *ſive Dæmo-
ne*, *ejusque cognominibus*, *Apopi*, *Baby*, *Seth*, *Smy*, exponit. Hoc
Numen Ægyptiorum fuit pervetuſtum, ſed maleficum. Græ-
corum de *Typhone* ſuo traditiones fabuloſæ ſunt. *Typhon*
vero Ægyptiorum non ut monſtrum in eorum fabulis repræ-
ſentabatur, ſed ut homo unus ex multis, qui regnum Ægypti
affectaverit. In fabulis ſacerdotum perhibebatur *Rheæ* filius,
*Oſiridis*que & *Iſidis* frater, qui in Ægypto ortus fuit, vixit,
ſemperque manſit. Græci has fabulas corruperunt, ſuasque
aſſuerunt. Sic enim pura Græcorum, non Ægyptiorum, fa-
bula eſt. Deos metu *Typhonis* in Ægyptum fugiſſe, ibique
varias animalium figuras induiſſe. Ut vero ab adulterinis
genuina diſcerni poſſint, fabulæ ſacerdotalis Ægyptiacæ de
geſtis & patratis, itemque interitu & ſepulcro, *Typhonis*
brevis ſumma exponitur. Inde apparet, *Typhoni* huic, Genio
male-

maleſico, quem omnes deteſtati ſunt, adeoque diem ejus natalem infauſtum duxerunt, animalia dedicata fuiſſe impura, inviſa, & contemta. Placabant quidem eum, ut maleficia ejus averterent, nonnunquam ſacrificiis; quando vero precibus ipſorum eventus non reſponderet, tunc contumeliis eum afficiebant. Utiliſſima hoc loco obſervatio eſt Cel. Autoris, Ægyptios res *Typhonis* cum rebus Judæorum, ſibi vehementer inviſorum, nonnunquam ſtudio confudiſſe. Significavit vero *Typhon* primum *Spiritum malum*, *Principio bono* oppoſitum, & poſtea, cum *Typhon* ad res ſenſibiles & materiales transferretur, a quibusdam ſymbolum habitus fuit hyemis, ab aliis maris. Alii vero non incongrue *Typhonis* nomine intelligebant vim ardoris & ſiccitatis nimis invaleſcentem. Proprie autem Theologi Ægyptiorum deſignaſſe videntur ventum urentem, exſiccantem, & noxium; & ex eo ratio peti poteſt, quare ſedes *Typhoni* in Ægypto inferiori aſſignata fuerit. *Typhon* etiam, vox Ægyptiaca, ſignificat ventum corruptorem, ab Ægyptiis vero cognominabatur *Apopis*, quod proprie *Gigantem* deſignat, & *Babys*, quod ventum ſubterraneum vehementem, e cavernis ſubterraneis erumpentem, ſignificat, itemque *Seth*, & *Smy*, quorum ſignificationes acute indagantur.

Cap. III de *Nephthy*, *Typhonis uxore*, *&* *Thueri*, *pellice ejusdem*, diſſerit. Hanc *Nephthyn*, *Typhonis* uxorem, quidam olim interpretabantur *Venerem*, quod vero cum cautione capiendum eſt. Re ipſa per *Nephthyn* Ægyptiorum Theologi illam intelligebant terræ Ægypti partem, quam mare rubrum alluit, infelicem & ſterilem; quam explicationem confirmat vocis ſignificatio, qua, quod vento expoſitum eſt, deſignatur. *Typhoni* vero etiam in fabulis Ægyptiorum additur pellex, nomine *Thueris*. Id vero *Auſtrum* ſignificat. *Aſo*, quæ in fabulis ſacerdotum regina perhibebatur Æthiopiæ, *Typhonis*que adjutrix, eſt *Thueris* ipſa, ſive ventus meridionalis, de qua explicatur imago quædam Tabulæ *Bembinæ*. Pag, 112.

Cap. IV de *Canobo*, *&* *Menuthi*, *illius uxore*, agit. *Canobus* 131.

bus Menelai perhibetur nauclerus, eo loco ſepultus, ubi po-ſtea urbs cognominis in Ægypto ædificata eſt. Non autem videtur is unquam in Deorum ordinem ab Ægyptiis recep-tus eſſe, neque etiam Scriptores ethnici id affirmant. Tem-pla quidem *Herculis* & *Serapidis Canobitica* celebrantur a veteribus; ſed *Canobi* nullum. Et ne a *Canobo* quidem, *Menelai* gubernatore nautico, urbs ea in Ægypto, ut vide-tur, nomen accepit. Ægyptii enim nomen illius urbis longe aliter interpretabantur. Quæ vero *Epiphanius* & *Ruffinus* de divinitate *Canobi* referunt, ea hoc loco examinantur, & for-ma ejus ſimulacri *Canobici* deſcribitur, ita tamen, ut inde probetur, illud, certe a temporibus *Ptolemaeorum*, ſimula-crum fuiſſe *Serapidis Canobici*; cui cur forma hydriæ affícta fuerit, inquiritur, & tandem de *Menuthi*, quæ uxor perhibe-tur *Canobi*, agitur.

Pag. 155. *Caput. V* de *Thoth Hermete*, ſeu *Mercurio Ægyptiorum*, ex-ponit. De ejus nomine & patria diverſa referuntur. Se-cundum plurimos fuit rex Ægypti. Ægyptii autem perhibe-bant, *Thoth* ſuum fuiſſe virum divinum, ſumma ſapientiæ laude inclytum, qui ex conſenſu omnium literas & ſcientias fere omnes inveniſſe traditur. Eam ob cauſam viri quidam egregii cenſuerunt, *Thoth* non eſſe nomen viri, ſed mere fabuloſum, aut myſticum. Et re ipſa erat Numen ſymboli-cum, cui adſcribebatur, quicquid ſacerdotes ac Philoſophi inveniſſent. Proprie Numen illud erat *Phthas*, ſive *Vulca-nus*, a quo ſacerdotes ſe jactabant impelli atque inſpirari. Antiquiſſimis temporibus, quicquid a Philoſophis inveniretur, columnis inſcribi ſolebat. Hæ columnæ referebantur ad *Thoth*, & per hunc ſuum *Thoth* ſacerdotes myſtice intellige-bant columnas illas, easque religioſo proſecuti ſunt cultu, dum *Vulcanum* ſuum, ſive *Phthan*, quem ex eo cognomina-runt *Thoth*, illis præficerent. Veteres vero tres, aut ſaltem duos, Ægyptiorum commemorant *Mercurios*, ſive *Thoth*, al-terum literarum reſtitutorem, alterum reſtitutorem, quod conciliatur, & in ætatem, qua duo *Mercurii* vixerunt, ſcri-ptaque *Hermetica*, inquiritur.

Cap.

Digitized by Google

Cap. VI de *Æſculapio Ægyptiorum* diſſerit. Antiquitus ille Memphi præcipue cultus eſt. Græci numen Ægyptiorum antiquiſſimum, *Eſmunum*, interpretantur *Æſculapium*. *Manetho* regem quendam Memphiticum, *Thoſortbrum*, ita vocat. Et nonnunquam *Æſculapius* cum *Pane*, aut *Vulcano*, Ægyptiorum videtur conſueviſſe confundi. Plerumque tamen *Æſculapii* Ægyptii nomine intelligitur *Serapis*. Pag. 191.

Cap. VII, quod ultimum eſt, de *Beſa*, *Paamyle*, *Palmyte*, *& Sochari*, *Ægyptiorum Diis*, quæ lectu digniora reſtabant, ſubjungit. 200.

Beſa, Deus Abydi in ſuperiori Ægypto cultus, Numen eſt obſcurum. *Paamyles* a nonnullis Deus, ab aliis ſacrorum in Ægypto miniſter, fuiſſe traditur. Re ipſa nomen erat feſti, quotannis in honorem *Oſiridis* celebrati. Vox hæc Ægyptiaca ſubinnuit annuntiationem rei dulcis & lætæ. *Palmytes* videtur fuiſſe cognomen *Oſiridis*, vel Solis, ipſi ex eo inditum, quod fructus ad maturitatem perduceret. *Socharis* cognomen forte erat *Iſidis*, ſignificans, eam generationi hominum & animantium præſidere.

Hæc ſunt, quæ ex ingenti optimarum dapum apparatu Lectoribus apponere voluimus, fercula. Quæ vero ſaltem ultimis attigimus digitis, ea Autor Cel. luculente docteque probat, in medium adductis, multoque ſtudio congeſtis, exemplis, rationibus, veterumque ſcriptorum documentis. Supereſt adhuc, ut in ſolidioris doctrinæ, quam in S. Ven. Autore admirati ſumus, laudem dicamus, omnia, quæ ad pleniorem ſapientiæ religionis, & theologiæ, Ægyptiorum cognitionem facere poſſint, in unum quaſi collecta inveniri in Prolegomenis. Additæ præterea ſunt Cogitationes de origine cultus taurorum, complexæ rationes quasdam probabiles, ex quibus perſpici queat, quanam de cauſa non Ægyptii modo, aliæque gentes, verum ipſi quoque Iſraelitæ, cultu vitulorum infinitum Numen offendere ſuſtinuerint. Cel. Autor non ſolum *Lib. IV Cap. IV §. 1 Panthei*, ſed etiam aliquanto poſt, præſente Matrona perilluſtri, ingenue faſſus erat, veram originem cultus animalium, ac ſigillatim bovis,

 in

in Ægypto, ſibi huc uſque nondum exploratam ſatis atque perſpectam eſſe. Illa vero ſingulari veriſimilitudinis ſpecie reſpondit, &, quæ paucis coram edifferuerat, illa ſcripto poſtea uberiori explicavit, quod integrum, Latino cultu indutum, Cel. Autor hic cum Lectoribus communicavit. Et hæ ſunt illæ cogitationes.

Diplomatiſcher Beweiß, daß dem Hauſe Hohenlohe die Landes-Hoheit ſchon lange vor dem ſo genannten großen Interregno zugeſtanden, &c.

id eſt,

DEMONSTRATIO DIPLOMATICA, DOCENS, Domui Hohenlohicæ jus eminens territorialis juriſdictionis una cum copulatis illi juribus, diu ante famoſum imperii Interregnum fuiſſe in uſu quieto. Adjecta eſt tractatio de hujus Domus origine & progenie usque ad interregni, vulgo ſic dicti, tempora, ex monumentis tabulariorum avthenticis, ac Scriptoribus fide dignis, collecta, Autore CHRISTIANO ERNESTO HANSSELMANNO, Conſiliario Aulico ac Archivario Principum Comitumque Hohenlohicorum.

Noribergæ, apud Adami Jonathanis Felſſeckeri hæredes, 1751, fol.

Alph. 7 plag. 15, cum Tabb. Gen & Dipl. 5.

Diplomata & chartas hic deprehendis, Lector, 171, maximam partem ineditas adhuc, necdum publice lectas. Tractationem Illuſtris Autor inſcripſit Sereniſſimo Celſiſſimoque Hohenlohico Principi, Domino *Philippo Erneſto*, Seniori Domus Hohenlohicæ, ac infeudationum Adminiſtratori, Comiti Waldenburgico, Domino Langenburgenſi, nec non Illuſtriſſimo Comiti, Domino *Carolo Ludovico*, Comiti Hohen-

henlohico ac Gleichenſi, Domino Langenburgi ac Cranichfeldæ, Neuenſteinenſis progeniei Seniori, ac Infeudationum Adminiſtratori. Celebrat, juſtiſſimisque laudibus merito effert, Autor merita Domus Hohenlohicæ. In Præfatione tradit, jam ante *Friderici II* Imperatoris mortem jura territorialia, quæ noſtri appellant *Landes-Hoheit*, Comitibus Hohenlohicis fuiſſe tritiſſima, ac uſu conſtanti recepta, & propagata. Docet, vel contendit, præterea, Hohenlohicæ Domui ante ſacrorum in Germania reformationem jam fuiſſe in ſacrorum adminiſtrationem ac exercitium omnino jus quoddam proprium. Promittit ipſe editionem Hiſtoriæ diplomaticæ Hohenlohicæ, a ſeſe conſcriptæ intra viginti illos annos, quibus Archivo Hohenlohicæ Domus interfuit, ſuamque operam addixit. An in aliorum Comitum uſu jura tot & tanta regalia ante *Rudolphi* Habspurgici dignitatem imperatoriam viguerint, dicere nondum habemus. Promulſidem Hiſtoriæ Hohenlohicæ ſecundum capita potiora Autor Præfationi inſeruit. Faxit modo Numen præpotens, ut Viro Illuſtri integrum ſit per vires & ſuperiorum arbitrium, eandem in lucem mox emittere publicam. Hiſtoria enim imperii noſtri, ſive civilis, ſive eccleſiaſtica, ex particularibus procerum Imperii hiſtoriis eſt coagmentanda, ut debitis nervis artubusque inſtruatur. Paucula adhuc ſunt, e quibus hiſtoria imperii paſſim apparet exſtructa. Ut norit Lector, quid in hoc volumine fuerit expoſitum, transſcribemus huc conſpectum totius Operis, ab Autore elaboratum affabre, ac Volumini huic præmiſſum. Erunt, qui ad hoſce modulos reſpicient in juris publici ſingularis procerum imperii delineatione, in poſterum magis magisque circumſpicienda & elaboranda. Jura domus Hohenlohicæ, ante famoſum Interregnum jam vigentia, duplicis perhibentur fuiſſe ſpeciei. Alia enim ei propria fuerunt, tanquam proceribus Imperii; alia ei tribuuntur, quatenus plena jurisdictione in ſuum territorium ipſa fuit gaviſa. Illa adhibita, et in uſum traducta, ſunt vel in negotiis publicis, vel in negotiis privatis ac domeſticis, cum quadam eminentia conjunctis. In negotiis publicis ſe prodidit

jus

jus comparendi ac ſuffragii ferendi in comitiis, jus eligendi Imperatorem, jus inveſtituram petendi ac recipiendi coram throno Imperatorio, nec non jus fori immediati. In negotiis privatis eminuerunt jus auſtregarum conventionalium, jus pangendi pacta ſucceſſioni propria, jus capeſſendi regiminis intra annos legitimæ ætatis, jus introducendæ ſucceſſionis, a ſolo primum genito adeundæ, jus conſtituendi apanagii liberis poſt genitis, & jus conſtituendi liberis impuberibus tutores ac curatores. Jura alterius ſpeciei, ſeu eminentis jurisdictionis territorialis, ſpectarunt vel ad imperium in perſonas, vel ad dominium in res, vel ad regimen univerſi. Ad imperium in perſonas refer cauſas non eccleſiaſticas, ſeu ſeculares, atque eccleſiaſticas. Ad illas ſpectant jus condendarum legum, jus conſtituendi magiſtratus majores & minores, jus condendi placita provincialia, jus ſigillandi, jus utendi ſermone in Actis publicis pro arbitratu, jus Archivi, jus inſtituendi *Cancellariam*, poteſtas gladii, poteſtas jus dicendi in cauſis civilibus, jus recipiendi ac inveſtiendi vaſallos, jus curiarum feudalium, jus dicendi ſententiam eminentem inter nobiles inferiores, vaſallos, miniſteriales, ac milites, idque in cauſis non modo feudalibus & militaribus, ſed etiam in civilibus & criminalibus, porro jus ſanciendi conſtitutiones politicas, jus numi feriundi, jus conſtituendi aſyli, jus recipiendi Judæos, jus legibus derogandi, jus faciendi gratiam delictis, & tuendi artifices ahenorum, eorumque tractum. Ad cauſas eccleſiaſticas refer jurisdictionem in res & perſonas eccleſiaſticas, jus advocatiæ, jus conſtituendi ſubadvocatos, jus eccleſiis dandi advocatos primarios, jus patronatus regium, jus a Clericis jusjurandum fidelitatis exigendi, jus confirmandi ſtatuta eccleſiaſtica, jus ſenatus eccleſiaſtici, jus exigendi preces publicas, e ſuggeſtu pro Principibus & Patronis fundendas, jus fundandi monaſteria, & ex eccleſiis minoribus majores faciendi, jus fundandi collegia illuſtria & ſcholas, jus dandi monaſteriis privilegia, & jus exigendi angarias, ac conſimilia, a monaſteriorum prædiis, bonis, ac colonis. Ad dominium in res refer jus venandi, atque fructus quoscunque ex ſil-

ſilvis percipiendi, jus viarum publicarum, jus conducendi, ſeu impertiendi liberum commeatum, jus vectigalium, jus ſalinarum, jus fodiendi metalli, jus molendinorum, jus imponendi tributa & exactiones, jus decimarum, jus exuviarum, jus fiſci. Ad regimen univerſi refer jus exigendi homagium, jus tegendi eos, qui ſunt in territorio, jus civitates condendi, jus nundinarum, jus hoſpitii, qua civitates eum, qui miſſus erat juſtitiæ adminiſtrandæ cauſa, gratis ſuisque ſumtibus excipere debebant, jus belli atque armorum, jus habendi *baneriam*, jus metationum, hoſpitationum, luſtrationum militarium, delectuum, & ſequelæ, jus muniendi, ac munimenta exſtruendi, jus aperturæ, jus fœderum, jus mittendi legatos. Contendit Illuſtris Autor, hæc jura domus Hohenlohicæ jam ante annum 1254 viguiſſe. *J. P. de Ludewig* putat, ſuperioritatem territorialem procerum Germaniæ originem cepiſſe Carolingidis in Germania exſtinctis. Ivit in omnia alia *N. H. Gundlingius*, ſiquidem Seculo demum XI ſenſim proceribus acceſſerit hæreditaria ſucceſſio. *Schwartzius*, Profeſſor olim Altorfinus, in *Præfatione* ad *Otia Lochneri* mediam inter eos ſententiam delegit. *Langgutius* credidit, Duces, Principes, Comitesque, antiquos plenitudinem ſuperioritatis territorialis, qua jam gaudent, ab interregni, quod Perill. *Gebauerus* in *Vita Richardi* deſtruxit, demum tempore paulatim obtinuiſſe, poſtquam deſierint Comites Palatini. *Hanſſelmannus*, avtographis tabularii innixus, unius atque alterius Hohenlohici, altius aſſurgit, ac in Seculo XI atque XII jam jura illa, quibus illa eminens jurisdictio in territorium inſiſtit Hohenlohicum, cujus terminos priſcos definit, deprehendit ſatis comperta. Fuerunt olim Comitibus Hohenlohicis extra illud territorium, quod poſtea in limites coiit anguſtiores, regiunculæ, inter Bambergenſe, Birutinum, & Palatinatus ſuperioris, territorium ſitæ, nec non ad Mœnum inferiorem & Rhenum. *Fridericus II* Imperator eis in Italia donavit Comitatus Romaniæ, Moleſiæ, & Blandratæ, cum infinita pæne poteſtate & imperio Autor Illuſtris originem Comitum Hohenlohicorum defigit in *Hermanno*, marito *Adelheidæ* altero, Pag. 4.

Digitized by Google

Pag. 6. ac vitrico *Conradi III*, Regis Germaniæ. *Hermanno* illi ob-
tigit pater *Conradus tertius*, filius *Ottonis*, Franconiæ Comitis,
nepos *Conradi Sapientis*. *Hermannus* ineunte Seculo XI te-
nuit territorium ad Taberum, Jagſt, & Kocherum, Franciæ
orientalis fluvios. Ipſi in territorium ſuum libera fuit pote-
ſtas, prouti ex Diplomate *Gebhardi*, Epiſcopi Ratisbo-
8. nenſis, ad A. 1037 *pag. 364* intelligitur. Urbs *Uffen-
heim* A. 1128 perſtitit adhuc in *Ulrici*, Comitis Hohenlohici,
ditione. At A. 1198 tenuerunt eam Comites *de Trubendin-
gen*, qui eam A. 1280 Burggraviis Noribergicis vendiderunt.
Comiti *Hermanno* Hohenlohico fuerunt prædia in pago
Murrergowe, ſeu *Murratgau*, qui Franconiam a Suevis diſter-
minavit. Præfectura Beringsweiler, & civitas Steinheim, ad
fluvium Murram, a Comitibus Hohenlohicis ad Duces Wirten-
bergicos tranſierunt. *Hermanni*, circa A. 1037 defuncti, tres
filii, *Gebhardus*, *Sigfridus*, ac *Eberhardus*, patrimonium hære-
ditarium inter ſeſe diviſerunt, quod poſtea ſolis *Sigfridi* po-
ſteris ceſſit. Ohringa, patrimonii pars potior, adjacente cum
tractu A. 1060 *Sigfrido* accrevit, ejusque poſterorum in di-
tione hodieque perſiſtit. Caſtrum *Hohenloch* A. 1128, cum
Bernheim ac Uffenheim, fuit in ditione *Ulrici*, Co-
mitis Hohenlohici intra Franconiam mediam, imo in
10. poteſtate poſterorum ejus A. 1230. Progenies quædam
Hohenlohica, de *Wiccardesheim* dicta, jam A. 1154 ur-
bem & regionem *Weikersheim* obtinuit. Poſſedit eam, il-
la progenie exſtincta, *Conradus* Comes *de Hohenlohe* A. 1230.
Dominati ſunt iidem Comites Hohenlohici in Langenber-
gam & Jagſtbergam ante famoſum Interregnum. Jagſtber-
gam *Joannes* Comes *de Hohenlohe*, poſtremus progeniei *Speck-
feldicæ*, Epiſcopo Wirciburgenſi A. 1406 ceſſit. Non arbitran-
dum eſt, ubique per Germaniam Comites ſubfuiſſe Ducibus,
14. licet multi juris publici doctores ſic ſenſerint. *Hermannum*
Comitem certe fuiſſe ex proceribus imperii immediatis, Au-
tor eis comprobat argumentis, quibus vis eſt & pondus.
Poſteris *Hermanni* placuit a caſtris, inter ſeſe diviſis, appel-
lationem ducere *Dominorum de Wiccardesheim*, *Hohenloch*,
Bru-

Digitized by Google

Brunck, *Uffenheim*, *Speckfeld*, &c. licet ſæpius poſthæc in Actis publicis vocentur *Comites de Hohenloch*, donec inde ab anno 1450 uſi fuerunt perpetuo appellatione *Comitum*. Ad Pag. 17.
medium uſque Seculum XIII nobilitatis primariæ principibus & dynaſtis addita ſæpius fuit denominatio *liber*, *liberæ conditionis*, &c. ut dignoſcerentur ipſi a miniſterialibus, qui nondum *Viri nobiles* ea ætate dicebantur, ſed ab hiſce feuda fuerant nacti. De utrisque copioſe diſſeruit Autor. Illos autem dynaſtias jure prorſus libero poſſediſſe, oſtendit. *Fridericus II* & *Conradus IV* Comites Hohenlohicos, fratres *Gotbofredum* & *Conradum*, ſummi fecerunt, ac vectigalibus 22.
portoriisque auguſtalibus donarunt, nec non Comitatu Romaniæ, Comitatu Blandratæ in terris Mediolanenſibus, Comitatu Moliſæ in regno Neapolitano, Neſſelbachio, aliisque prædiis in Rengau, nec non oppido Rotenburg, ac villa Gebſattel. Jus gladii & baneriæ, ſeu *ſigilli equeſtris*, ſymbola ſuperiorita- 24.
tis territorialis, Comitibus Hohenlohicis indubiis argumentis vindicantur. Sigillum ejusmodi vocatum fuit *majeſtatis*. Dedit horum non unum ex Hohenlohicis Autor. Placita provinci- 30.
alia Hohenlohica egregie idem comprobat & illuſtrat, eaque Interregno vetuſtiora. Mutata ſunt ea tandem in judicia aulica, ordinibus provincialibus jus dicentia. Sermo Germanicus circa annos ineuntis Seculi XIV in legibus ac edictis ſanciendis frequentari cœpit. Clerici ex dicaſteriis politicis excluſi fuerunt per decretum, in Comitiis Moguntinis A. 1441 35.
conſtitutum. Jus ſigillandi fuit primariæ nobilitatis proprium ante *Rudolphi Habſpurgici* imperium. Poſtea nobiles in- 40.
ferioris claſſis, antequam cingulum militare obtinuiſſent, quo ad annum ætatis primum & vigeſimum potiri poterant, ſigillo proprio adhuc abſtinuerunt. Reges Germaniæ primi ac Imperatores cera alba fuerunt in ſigillis ſuis uſi æque ac primi Comites Hohenlohici. *Fridericus I* Imperator cœpit ceram adhibere ru- 43.
bram. Eadem utitur Domus Celſiſſima Hohenlohica inde ab anno 1558 per privilegium *Ferdinandi III*. *Hermannum* exer- 47.
cuiſſe Halis Suevorum jus cudendi numi, Autori viſum fuit, ni certum, certe probabiliſſimum. Paulo poſt numi ab ejus

Pag. 49. poſteris percuſſi fuerunt Ohringæ. *Halleri* nummi jam ineun-
te Seculo XI Halis Suevorum fuere cuſi. Priſci aliud ſi-
53. gnum præferunt, ac recentiores, quos Halæ feriundos cura-
runt, jam imperio ſine interventu obnoxiæ. De pretio eo-
rum variante conſulendus eſt Illuſtris Autor. Olim libra Ha-
lerorum æquavit noſtros tres florenos imperiales, & Halerus
æquabat noſtros tres Penningos. At eviluit pretium poſt-
hæc magis magisque. Singulare id eſt omnino, Comitibus
64. jam A. 1253 tritum fuiſſe jus recipiendi Judæos. Illorum
poſteri hoſce poſtea expulerunt. Nobilitatis ſecundariæ viri,
per territorium Hohenlohicorum Comitum diffuſi, Comiti-
bus ſubfuerunt Seculis XIV, XV, XVI. *Henricus IV*, Rex
Galliæ, A. 1583 miſit legatum ad *Wolfgangum*, Comitem
140. Hohenlohicum. Omittimus alias illuſtriores legationes. Jus
auſtregarium conventionale a Comitibus Hohenlohicis ante
annum 1254 fuiſſe jam exercitum, non amplius eſt dubitan-
151. dum. De *Obmanno*, ſeu judice compromiſſario, attulit Au-
tor ſolidiora eis, quæ vulgo leguntur. Idem deinceps Dy-
160. naſtarum de *Weinſperg*, A. 1515 intermortuorum, ac Comitum
de Dürne, defunctorum A. 1323, quorum bona ob pactum cum
Hohenlohicis ſucceſſorium his accreverunt, genus illuſtravit.
Comites Hohenlohicos tutelam exiiſſe anno ætatis 14 & 12
162. ac 18 exacto, demonſtrat. Vidua Comitis fuit minorennium
liberorum ſemper tutrix, a nuptiis mariti novi abſtinens.
174. *Ammiani Marcellini* locum *XVIII*, 2, Autor egregie expoſuit.
De *precaria*, ſeu *ſtura*, collecta, ſeu tributo, potiora attigit.
198. Juriſdictionem in res & perſonas eccleſiaſticas, a Comitibus
209. olim poſt annum 1122 exercitam, capitulatim ediſſeruit. *Sa-
lamannos* fuiſſe advocatos Cœnobiorum, per quorum manus
tradita bona fuerunt recepta, docet. Et quis ſingula jura,
eorumque illuſtrationes per exempla, compendiaria ratione
exequetur? Hiſtoricorum deſideriis convenit tractatio Auto-
269. ris *de Origine Domus Hohenlohicæ, addita deſcriptione hiſto-
rica & genealogica majorum ipſius, uſque ad annum 1254.
Gebhardus III*, Epiſcopus Ratisbonenſis, fuit omnino *Conra-
di II*, Germaniæ Regis, ex matre *Adelheida* frater, teſte *Her-
man-*

Digitized by Google

manno Contracto ad A. 1036 *Tom. III Lection. antiqu. Caniſii. Adelheidam* hanc fuiſſe Comitum Alſatiæ, *Gerhardi* & *Adelberti*, ſororem, nuptam iterum *Hermanno Illuſtri*, Comiti, filio *Cunonis* Comitis, progenitori Comitum Hohenlohicorum, nunc demum novimus certo. Declaravit ac comprobavit pronuntiata ſua Illuſtris Autor per mantiſſam Diplomatum & chartarum numeri inſignis. Addimus noſtrum Plaudite.

DAVIDIS RUHNKENII EPISTOLA CRItica II, in Callimachum & Apollonium Rhodium, ad Virum Clariſſimum, JO AUGUSTUM ERNESTI.

Lugduni Bat. apud Cornel. de Becker, 1751, 8 maj. Plag. 6.

Ea erat Epiſtolæ criticæ prioris, a *Ruhnkenio*, V. C. ante hos duos annos editæ, & a nobis tum in his *Novis Actis* laudatæ, elegantia atque præſtantia, e Græcarum literarum egregia doctrina, & judicandi ſubtilitate, ut alterius editio ſummo deſiderio a doctis hominibus exſpectaretur: eam autem inde Vir Doctiſſimus autoritatem ſuæ ſcientiæ apud intelligentes harum literarum conſtituerat, ut egregie de ſecuturis omnibus ejus laboribus ſperare, ſive potius confidere, poſſent. Ecce jam, prolata altera Epiſtola, ſpes doctorum exſpectatioque non ſolum ſuſtentata eſt, ſed longe multumque ſuperata. Scripta ea eſt ſuper difficilioribus locis *Callimachi*, & *Apollonii Rhodii*, ad *Jo. Auguſtum Erneſtum*, Virum Celeberrimum. Neque poterat ſane judicium de conjecturis & emendationibus in *Callimachum* & *Apollonium* deferri ad elegantiorem intelligentioremque arbitrum, qui ſumma Græcarum literarum eruditione, & interpretandi judicandique ſubtilitate, inſtructus eſſet, ac præſertim cummaxime in edendis *Callimachi* Hymnis ac reliquiis omnibus verſaretur. Neque *Erneſto* poterat contingere alius elegantior quaſi labo-

ris *Callimachii* ſocius & comes *Ruhnkenio*, qui, quantum ingenio atque arte valeret, jam ſuperiori Epiſtola oſtendiſſet. Sed, quid in hac Epiſtola a Viro doctiſſimo actum ſit, pro inſtituti noſtri ratione, age, videamus.

Eandem ſecutus eſt viam, quam in priori tenuiſſe oſtendimus, ut tam depravata, & corrupta, vel ſcriptorum librorum ope, vel ingenii felicitate, ſed hoc tamen maxime, reſtitueret, atque integritati redderet ſuæ, quam de ſpuriis atque ὑποβολιμαίοις, ſagacitate quadam erudita judicaret: quod utrumque Critici munus quam bene, quantaque cum laude, ſuſtinuerit, jam, ſpeciminibus in eam rem afferendis, docebimus. In *Callimacho* emendando uſus eſt duobus Codicibus ſcriptis. Alter *Iſaaci Voſſii* quondam fuit, nunc autem in Bibliotheca Leidenſi aſſervatur, cujus collationem ipſi *Petrus Burmannus* junior, V. C. ſuppeditavit; alter autem eſt Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi, cujus copia ipſi facta eſt a *Claudio Sallierio*, atque *Jo. Capperonerio*, Viris Celeberrimis. Ex his Codicibus etſi non pauca *Callimachi* loca conſtitui poſſunt, tamen pauca tantum hic delibavit: cetera editioni *Callimachi*, quæ a Cel. *Erneſto* paratur, reſervantur.

Antequam autem ad *Callimachum* conſtituendum aggreditur, coniecturas aliquot, in Epiſtola priori prolatas, vel retractat, vel confirmat. E quibus unum decerpemus exemplum.
Pag. 5. In *Hymn. in Apoll. v. 35.* pro vulg. Ἄλλος δ' ὄτις σεῖο πόθ' ἅψεται ὐδέ σε λιτσει conjecerat ὐδέ σ' ἀτύσει: nunc autem levi mutatione putat reſcribendum ὐδέ σε τίσει, propterea, quod iſta emendatione non omnis difficultas tolli videbatur: in quo, gaudemus, noſtram ſententiam Viro doctiſſimo non diſplicuiſſe. Jam ad emendationes *Callimachi* progredimur.

Hymn. in Jov. v. 38, 39, 40, vulgo legitur:

- - - τὸ μὲν πυλὺ κατ' αὐτὸ
Καυκώνων πτολίεθρον, ὃ λέπριον πεφάτισαι,
Συμφέρεται Νηρῆι - - -

Sed, cum illud αὐτὸ frigeat in *v. 38,* legendum conjicit αὐτὺ:

αὐτοῦ: pro *λέπριον* autem *λέπρειον* reponit cum *Waſſio* ad *Thucyd.* Recte hoc: ſed in illo, etſi elegantiæ laudem habet, non aſſentimur, quod *αὐτὸ* ſic urbium nominibus jungitur:

Hymn. in Jov. 79, 80, legitur: Pag. 12.

Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων
Θειότερον· τῷ καί σφι τεὴν ἐκρίναο λᾶξιν.

Sed, cum Διὸς ἄνακτες ſint *reges, in Jovem imperium exercentes*, quod alienum hoc loco eſt, reponendum ipſi viſum eſt Διὸς οὐδὲν ἄνακτος: quomodo etiam poſtea intellexit *Turnebo Adverſ. XXIX*, 29, hunc verſum laudari. Sed ignoſcet Vir Clariſſ. ſi hac in re ab ipſo diſſenſerimus. Atque illud quidem lubenter concedimus, paulo inſolentius eſſe, Διὸς ἄνακτες poni pro *regibus a Jove datis*, neque etiam nobis ſimile exemplum ſuccurrit: ſed hoc tamen affirmamus, hanc ſententiam verſui neceſſariam eſſe. *Callimachus* enim, cum dixiſſet, reges proprie a Jove in tutelam receptos, ejus rationem reddere voluit haud dubie hanc, quod *nihil divinius* in his terris ipſis regibus reperiatur, nihilque adeo dignius, quod tutelæ *Jovis* commendari ſingulari poſſit. Ea ratio latere debet in verbis ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων θειότερον: docet id etiam hoc, quod *Callimachus* ſubjicit, τῷ καὶ σφι τεὴν ἐκρίναο λᾶξιν. Sententia totius loci videtur hæc eſſe: *A Jove ſunt reges: nihil enim regibus eſt divinius: eaque de cauſa Jupiter ipſe ſuam ſortem illis tradidit.* Ceterum, Διὸς ἄνακτες recte ſic dici pro regibus, qui ſint Jovis in tutela, non dubitamus.

Conjectura capitalis eſt, qua Vir Clariſſ. *H. in Apoll. v.* 51, 52, 53, conſtituit. Scribitur vulgo ita:

Ῥεῖά κε βουβόσιον τελέθοι πλέον, οὐδέ κεν αἶγες
Δεύοιντο βρεφέων ἐπιμηλάδες, ᾗσιν Ἀπόλλων
Βοσκομένῃς ὀφθαλμὸν ἐπήγαγεν - - - -

Ipſi placet reponere: οὐδέ κεν αἶγες δεύοιντο βρεφέων ἐπὶ μηκάδες, ita, ut ἐπὶ cum δεύοιντο jungendum ſit, tmeſi uſitatiſſima.

Digitized by Google

tiſſima. Idque etiam nobis admodum placet. Μηκάδες αἶγες, quaſi proprio elogio, dicuntur apud Poetas: idque Vir Cl. exemplis confirmat. Contra opinionem Viri Cl. videtur facere gloſſa *Heſychii*: Ἐμμηλάδας αἶγας. τὰς μετὰ προβάτων γενομένας. Sed, cum plura ejus generis vocabula e corruptis veterum locis in illud Gloſſarium irrepſerint, ex hac Gloſſa nihil efficitur, niſi ut de corruptelæ vetuſtate conſtet.

Pag 22. *H. in Apoll.* 72, quod in editis libris reperitur, Σπάρτη τοι Καρνεῖε τόδε πρώτιστον ἔδεθλον, in eo non ſane ſatis placet V. C. vocula τόδε, quam, poſſeſſione injuſta depulſam, jubet locum vacuum facere lectioni huic: Καρνεῖ ἔπελε πρ. Idem verbum πέλειν reſtitui cupit *Hymn. in J. v. 100*, pro Κρόνιοι δ' ὧδε λέγοντι νέμοι, Cod. *Voſſiani* autoritate, Κρόνιοι δ' ὧδε πέλοντι νέμοι. In neutro aſſentiri Viro Clariſſ. poſſumus. Primum in illo loco τόδε non videtur eſſe tam inane, ut abjiciendum ſit: aut, ſi non placeat, malimus reſcribere τό γε: deinde conjectura nimis a literarum veſtigiis recedit. In altero autem loco, etſi πέλοντι e Cod. *Voſſ.* ductum eſt, tamen ei alterum λέγοντι præferendum judicamus, tum propterea, quod evitatur repetitio ejusdem vocabuli in duobus verſibus, tum quod λέγοντι, hoc eſt, *jubent*, verbum ſatis convenientius eſt.

Hic noſter diſſenſus, in tam levi re, parum abeſt, quin nobis opportunus accidat, quo gratior eſſe jucundiorque conſenſus, in graviori, poſſit. Nam, quæ ſequitur, emendatio *H.*
23. *in D.* 13, 14, nobis tam elegans, & commoda, viſa eſt, ut aſſenſum nobis extorſerit. In editis libris ſic habet:

Δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορήτιδας Ὠκεανίνας
Πάσας εἰνέτεας πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους.

Si vero ſatis probatum eſt, non puellas novem annorum, ſed viro maturas, zona cingi conſueviſſe, nulla ratio eſt, quare *Diana*, novem annorum puellas expetens, ſollicite caveat, omnes fore ἀμίτρους. Itaque recte, facilique, eoque probabiliori, conjectura, V. C. legit πάσας οἰέτεας. Ὀιέτεας autem

autem pro ὁμοστεῖς Dorice poni, multis exemplis Autor doctiſſimus demonſtrat.

H. in D. 26, 27, 28, Callimachi editiones habent: Pag. 14.

Ὡς ἡ παῖς εἰποῦσα, γενειάδος ἤθελε πατρὸς
Ἅψασθαι, πολλὰς δὲ μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας,
Μέχρις ἵνα ψαύσειε - - -

In quibus vocabulum πολλὰς cum aliis jam viris eruditis, tum inprimis Autori doctiſſimo, dubitationem injecit. Iis autem, qui πολλὰς pro πολλάκις accipere maluerunt, aſſenſum, negat, tribui poſſe. Quid igitur? Reſcribit Ἅψασθαι, ἁπαλὰς δὲ μάτην - - - nobis quidem diſſentientibus. Sententia deſiderat vocabulum aliquod, quo *ſæpe* exprimatur. *Callimachus* enim ſcribit, voluiſſe *Dianam* tangere mentum patris; ſæpe quidem fruſtra tetendiſſe manus, ſed tetendiſſe tamen eo uſque, donec attingeret. Ceterum πολλὰς ſignificare h. l. *ſæpe* πολλὰ, nos quidem eo minus negandum eſſe cenſemus, quod etiam Latinis Poetis *multus* ita ſubſtantivis adjicitur, ut *ſæpe* exprimat.

H. D. 67-69:

Μήτηρ μὲν Κύκλωπας ἐῇ ἐπὶ παιδὶ καλιστρεῖ
Ἄργην ἢ Στερόπην, ὁ δὲ δώματος ἐκ μυχάτοιο
Ἔρχεται Ἑρμείης σποδιῇ κεχρημένος αἰθῇ.

In qua ῥήσει V. C. negat cohærere hæc: *Matrem vocare Argen, aut Steropen: prodire Mercurium*, ac, ſatis inepte ſcenam, ait, e terra transferri in cœlum. Igitur contendit, corrigendum ſic:

Ἔρχεται Ἑρξείης σποδιῇ κεχρημένος αἰθῇ,

Ἑρξείης, *coercitor, caſtigator*, eſt apud *Herodot. VI, 98.* Ingenioſa conjectura quidem, ſed non neceſſaria: nobis enim primo videtur res in ipſo cœlo agi; quod facit, ut dubitatio V. C. concidat: tum, Dea matre vocante Cyclopas in cœlum, ſane ipſe *Arges*, aut *Steropes*, ad vocatum occurrere non poteſt: ſed *Mercurius*, eam in rem aſſimulans Cyclopem aliquem, terrendis Dearum puellis adhibetur commode. Vix denique Ἑρξείης, *coercitor*, locum habeat.

H. in Del. 13, 14, in verbis:

- - - ὁ δ' ἀμφὶ ἑ πουλὺς ἑλίσσων
Ἰκαρίου πολλὴν ἀπομάσσεται ὕδατος ἄχνην,

eleganter conjicit - - - πολιὴν ἀπομ. υ. α. Vocabulum πολιὸς de aqua dici, notum eſt.

Pag. 28. Non minus eleganti conjectura ſanat locum *H. in Del.* 41, 42:

Πολλάκις ἐκ Τροιζῆνος ἀπὸ Ξάνθειο πολίχνης
Ἐρχόμενοι Ἐφύρηνδε, Σαρωνικοῦ ἔνθοδι κόλπου
Ναῦται ἐπισκέψαντο - - -

Nam haud dubie corruptela inſedit. Ita autem emendat:

Πολλάκι σ' ἐκ Τροιζῆνος ἁλιξάντοιο πολίχνης

κ. τ. λ. ita ut Troezen eleganter dicatur ἁλίξαντος, quod urbs maritima erat, & cujus ſolum fluctibus maris alluebatur. Vocabulum eſt apud *Suidam*, & *Anthol. VI, 3, pag. 550.*

Ejusdem elegantiæ eſt conjectura in eodem *H. 124, 125:*

- - - εἶδα καὶ ἄλλας
Λουσαμένας ἀπ' ἐμεῖο λεχωΐδας. ἀλλά μοι Ἥρη
Δαψιλὲς ἠπείλησεν - - -

Verbum δαψιλὲς in eo poſitu vix reperiatur. Itaque legit: δασπλῆς - - - Ἥρη, hoc eſt, *atrox Juno*, cujus vocabuli uſum exemplis abunde firmat.

In eodem *H. 204* verbis:

Ἔννεπες· ἡ δ' ἄῤῥητον ἄλης ἀπεπαύσατο λυγρῆς,

hanc medicinam facit, ut vocabulo ἄῤῥητον, quod ſane vix ferendum, ſubſtituat ἄρα δή ποτ', hoc eſt, *tandem aliquando. Verſu* autem *249 eodem H.* in verbis κύκνοι δὲ θεοῦ μέλποντες ἀοιδοὶ, cum μέλποντες ἀοιδοὶ frigeant, reponit μέλποντες ὀπηδοὶ. Cygnos autem Dei ὀπηδοὺς, θεράποντας, & id genus alia, dici, docet. Non ſane intelligimus, quid contra dici poſſit. Niſi quis malit μέλποντες referre ad ἐκυκλώσαντο.

Satis

Satis videamur jam exemplorum e *Callimacho* attuliſſe, unde Viri Clariſſ. doctrina & ingenium ſatis probentur. Sed operæ pretium eſt, duas adhuc emendationes primarias commemorare: quarum altera pertinet ad ejusdem *H. in Del. 297, 298*, ducta e Codice Regio: Pag. 35.

- - - ἥλικα χαίτην
Παρθενικαῖς, παῖδες δὲ θέρος τὸ πρῶτον ἰούλων
Ἄρσενες ἠϊθέοισιν ἀπαρχόμενοι φορέουσιν,

unde εὐστοχία *H. Stephani* intelligitur, qui ita jam conjecerat. Altera debetur ingenio V. C. & pertinet ad *H. in L. S. 93, 94.* In quo libri editi hæc habent, haud dubie prave:

Ἁ μὲν ἐπ' ἀμφοτέραισι φίλον περὶ παῖδα λαβοῖσα
Μάτηρ, μὲν γοερῶν οἶτον ἀηδονίδων
Ἄγε, βαρὺ κλαίοισα - - -

Reponit autem V. C.:

Ἁ μὲν ἐπ' ἀμφοτέραισ σιφλὸν περὶ παῖδα λαβοῖσα
Μᾶτηρ, αἰνογόων οἶτον ἀηδονίδων
Ἆγε, βαρὺ κλαίοισα - - -

In quibus quanquam, σιφλὸν pro φίλον poni, haud neceſſarium arbitramur, cum φίλος ſæpe ita dicatur de liberis; tamen alterum αἰνογόων ita ſeſe nobis probat, ut propemodum veritatis ei laudem ac vim tribuamus.

Vellemus, loci anguſtiæ permitterent, ut etiam eas conjecturas & emendationes delibare poſſemus, quibus fragmenta *Callimachi* feliciter videtur reſtituiſſe. Sed Lectoribus noſtris licet præjudicium facere ex iis, quas in *Hymnos* protulit. Nos autem ad alteram hujus libelli partem potius accedemus, ubi *Apollonio Rhodio*, nondum curis ingenioque doctorum Virorum, prout merebatur, perpolito atque illuſtrato, reddere ſanitatem haud paucis in locis inſtituit. *Lib. I v. 246 Apollonii* hæc lectio eſt: Ἀλλ' οὐ φυκτὰ κέλευθα, πόνος δ' ἄπρηκτος ἰοῦσιν. Schol. πόνον ἄπρηκτον exponit δύσπρακτον, δυσεργῆ, δυσκατόρθωτον. Verum ne ſic quidem Viro Doctiſſ. ſanus videtur locus, ſed ita legendus: πόνος δ' αὖ ῥητὸς ἰοῦσιν, hac vi, ut, qui juventutis florem patria decedere viderent, admi-

 ratio-

rationem & indignationem cohibeant ſuam; quod ſcilicet, urgente neceſſitate, & regis juſſu iter vitari non poſſit, & ingens ille *labor definitus certus*que ſit.

I, 972, hæc leguntur:

Ἶσον' πȣ κἀκείνῳ ἐπισαχύεσκον ἴȣλοι.

Schol. autem ἶσον explicat νεωστὶ: qua interpretatione ſatis declarari videtur Viro doctiſſimo, Νεῖον ipſum legiſſe in libro ſuo: cum præſertim addat, in aliis exemplis inveniri:

Ἁρμοῖ πȣ κἀκείνῳ ὑποσαχύεσκον ἴȣλοι.

Nam ἁρμοῖ eſt νέον, νεωστὶ, ἀρτίως. Unde exiſtimat V. C. *Apollonium* in prima editione ſcripſiſſe ἁρμοῖ, ſed in altera repoſuiſſe νεῖον, ne quid *Callimachus* ſibi ereptum queri poſſet, qui *Fragm. XLIV* ſcripſiſſet:

Ἁρμοῖ πȣ κἀκείνῳ ἐπέτρεχε λεπτὸς ἴȣλος.

I, 1250-1255 ita editur hodie:

Pag. 54. Αἶψα δ' ἐρυσσάμενος μέγα φάσγανον ὦρτο νέεσθαι

— — — — — — —

— — — — — —

Ἔνθ' αὐτῷ ξυμβλῆτο κατὰ στίβον Ἡρακλῆϊ,
Γυμνὸν ἐπαΐσσων παλάμῃ ξίφος. - -

In quibus νέεσθαι mutat in δίεσθαι, & ἐπαΐσσων in ἐπισπέων, cum primum verſum & *Suidas*, quamvis diſſimulato Autore, laudans, habeat δίεσθαι, alter autem e *IV, 1055,* confirmetur, ubi dicit *Apollonius*:

Σεῖον δ' ἐγχείας εὐήκεας ἐν παλάμῃσι,
Φάσγανά τ' ἐκ κολεῶν.

II, 119, 120, vulgo ſcribitur:

Αἶψα μέλαν τεταγὼν πέλεκυν μέγαν, ἠδὲ κελαινὸν
Ἄρκτȣ προσχόμενος σκαιῇ δέρος, ἔνθορε μέσσῳ.

Quæ cum nullam idoneam ſententiam habeant, V. C. egregia conjectura refingit:

Αἶψα μάλ' ἀμπεπαλὼν πέλεκυν μέγαν, κ. τ. λ.

confirmatque aliis locis.

II, 145, ita eſt in vulgatis:

56. Φράζεσθ' ὅ, ττι κεν ἦσιν ἀναλκείῃσιν ἔρεξαι.

Ex

Ex iis autem, quæ præcedunt, quæque ſequuntur, Vir Doctiſſ. ponit:

φράζεσθ' ὅ, τίκεν ἥσιν ἀτασθαλίῃσιν ἔρεξαν.

III, 76, vulgata habet:

Ὡς ηὔδα· Κύπριν δὲ νεοςασίη λάβε μύθων.

Sed V. C. placet, legendum Κύπριν δ' ἀνεοςασίη λ. μ. *Heſychius* ἀνεςασίη explicat *θάμβος*: vel etiam, ne litera quidem mutata, legit,

Κύπριν δ' ἐνεοςασίη λ. μ.

Sed capitalis emendatio V. C. in *Lib. IV, 348, 349, 350,* non eſt prætereunda. Vulgo editur: Pag. 67.

Εἴτε μιν εἰς πατρὸς χρειὼ δόμον αὖτις ἱκάνειν

Εἴτε μετ' ἀφνειᾶ θείᾶ πόλιν ἐρχομένοιο

Εἴτε μεθ' Ἑλλάδα γαῖαν ἀριςήεσσιν ἕπεσθαι.

Sed recte & eleganter V. C. pro *μετ' ἀφνειᾶ, θείᾶ* corrigit: *μετὰ φθίην, θείᾶ κ. τ. λ.* Sic enim & *II, 190, εἴτε κατὰ φθίην, θείᾶ πόλιν ἐρχομένοιο* dixit *Apollonius.*

Non minus ſeſe commendat conjectura in *IV, 392,* ubi pro vulgato:

ὡς φάτ' ἀνιάζεσα βαρὺν χόλον. - - -

legit *ὡς φάτ' ἀναζείεσα βαρὺν χόλον.*

Conjecturis in hunc *Argonauticorum* ſcriptorem addidit etiam in alterum Argonauticorum Autorem, *Orphea,* quasdam elegantiſſimas conjecturas: quas ut ſaltem delibemus, hæc habeant Lectores ſpeciminis loco:

Orpheus Arg. 1336, 1337, vulgari ſcriptura habet:

Καὶ τότε παρθενίης νοςφίζετο κύριον ἄνθος.

Αἰνόγαμος Μήδεια δυσαινήτοις ὑμεναίοις.

Sed Vir Cl. loco *δυσαινήτοις* conjicit: *δυσαντήτοις*, facili & apta emendatione. *Δυσάντητα* omnia *infauſta* dicuntur.

Argon. 1353 - 1356:

- - - *παιὰν δ' ἄρ' ἐκηβόλος ἀγχόθεν αἰὲν*

Δήλε ἀπὸ κραναῆς ἧκεν βέλος, ἐκ δ' ἀνέφηνε

Μεσσατίων Σποράδων· κραναὴν δέ ἑ πάντες ὀπίσσω

Νῆστιν ἐπικλήσκουσι περικτίονες ἄνθρωποι,

pro ἀγχόθεν αἰὲν corrigit ἀγχόθι νηὸς: pro κραναὴν autem Ἀνάφην: quæ eſt emendatio, noſtro judicio, certiſſima. Satis patet ex adjecta nominis notatione, ἐκ δ' ἀνέφηνε. Inde enim dictam eſſe Ἀνάφην, veteres volunt.

Sed ſatis ſpeciminum eſto, quæ de emendandi artificio Viri Cl. teſtentur. Quomodo enim omnes egregias emendationes cum horum ipſorum, quos propoſuit de induſtria ſibi corrigendos, tum etiam aliorum Autorum, quos obiter ſanat, exequi vacet? Inprimis eximie emendandis pluribus affectis locis de *Heſychio* meritus eſt *pag. 14-22*, item *pag. 64, 65*, neque tacenda eſt egregia opera, quam poſuit cum ſumma laude in depellendis corruptelis, quæ *Hermeſianactis* fragmentum apud *Athenæum Lib. XIII pag. 597* inſederant, *pag. 73-78*.

Reſtat, ut ejus etiam ſolertiæ ac ſagacitatis ſpecimina commemoremus, qua Vir Cl. ſpuria, atque ſuppoſita, animadvertere ſolet.

Pag. 37. *Callimachi H. in Cerer. v. 12* occupavit in editis libris:

Οὐ πίες οὔτ' ἄρ' ἔδες τῆνον χρόνον, οὐδ' ἐλοέσσω.

Hunc ſpurium recte judicat Vir Cl., illatum e gloſſa, margini adſcripta ad interpretandum *v. 17*:

Αὐσταλέα, ἀποτός τε καὶ οὐ φάγες, οὐδ' ἐλοέσσω.

H. in Cer. verſum 72, non dubium eſt, quin recte Vir. Cl. ejici, tamquam peregrinum e civitate, cenſeat. Nam manifeſtis indiciis ſe prodidit: non eſt concinnus. Neque magis dubitamus de cenſura & animadverſione Viri Cl., qua *H. in L. S. 73, 74*, quaſi alienos, advenas, expungit. In *Apollonio* vero miro acumine vidit eos verſus, qui eſſent e priori editione, de qua etiam veteres *Apollonii Rhodii* interpretes ad *Lib. I* variis in locis mentionem faciunt, in alteram temere illati; in quem cenſum recte referre videtur *I, 1226, 1227, III, 374*.

Ex his utriusque generis ſpeciminibus, ſperamus, fore, ut, quod ipſi de hac Epiſtola judicavimus, idem & Lectores noſtri judicent. Neque enim, his lectis, fieri poteſt, ut doctrinam egre-

egregiam, literarumque Græcarum ſcientiam, hic demonſtratam, non intelligant, planeque videant, etſi forte ſeveriores retinendæ veteris lectionis quaſi cuſtodes, interdum paulo plus audaciæ Virum Cl. ſibi ſumſiſſe in attentandis locis veterum, reprehenſuri ſint. Ceterum optamus, ut, quod parat, *Harmenopuli Promtuarium*, Viri Cl. ingenio doctrinaque politum, brevi prodeat. Quo quidem, non dubium eſt, quin Romani Juris prudentiam magno ſit beneficio obſtricturus.

JO. LAMII, PUBLICI IN ACADEMIA FLORENTINA Hiſtoriæ ſacræ & eccleſ. Profeſſoris, & Bibl. Riccardianæ præfecti, in antiquam Tabulam aheneam, Decurionum nomina & deſcriptionem continentem, & in privato Ampliſſ. Dynaſtæ Senat. Equitis Vincent. MAR. RICCARDII, Patricii Florentini, Muſeo aſſervatam, obſervationes.

Florentiæ, typis regiæ Celſitudinis, 1747, fol.
Plag. 5½, cum duplice Tabula majore, æri inciſa, & monumentum illud exhibente.

Tabulam aheneam, Autor arbitratur, decurionum forte Canuſinorum nomina deſcripta continere: quod *Henr. Noriſius*, in *Epiſtola* ſua *conſulari*, Canuſinorum in agro Tabulam illam eſſe repertam, teſtetur. Ætas ejus incidit in annum U. 976, Chriſti 223, quo *Maximus* & *Ælianus* Conſules fuere; quod, præter *Noriſium*, *Ant. Pagii* teſtimonio *Lamius* confirmat. Ipſe vero tabulam, ad primaria nomina deſcendens, ſingulatim illuſtravit, nec raro alias inſcriptiones antiquas conjunxit. Dum præ ceteris *L. Marii Maximi II* fit mentio, de *Maria* gente plura noſſe cupientes ablegantur ad *Fulv. Urſinum*, *Car. Patinum*, & Theſaurum *Morellianum*, Romanorum familias ex inſtituto percenſentes. Noſter tamen etiam non pauca, in utramque partem, de eodem diſputat; unde vero, dum vel nihil tanquam exploratum recipit, vel aliorum modo ſententias allegat, parum eſt, quod excerpi poſſit. Sic & inſcriptiones quædam, ad *L. Roſcium Ælianum*, ab aliis *Ælianis*, antea Conſulibus, ſejunctum, pertinentes, ex *Muratorio* repetuntur. Qua quidem occaſione *Muratorius*, *Noriſio*, *Dominico*que *Manſio*, præeuntibus, emendatur. Inquiritur etiam, ſed non definitur, num *L. Roſcius Ælianus Paculi* quoque nomen habuerit inter ſua, quo potiſſimum

Pag. 6. 10.

ex

ex *Gruteri pag. 18* inſcriptio refertur, quam emendatiorem legimus
in *Epiſtola conſulari Noriſiana*. Majoris ſunt momenti, quæ de
Pag. 13. magiſtratibus municipiorum & coloniarum narrantur. Ibi prin-
ceps duumviratus erat, quamvis aliter aliæ coloniæ nonnun-
quam appellarent, ut Ædiles, Dictatores, Conſules, Prætores, &,
quales Conſules Romæ, tales Duumviri in coloniis. Erat etiam an-
nuus duumviratus ab *Auguſti* ætate, cum, antea temporis incerti
fuiſſe, & quinquemeſtrem, & ſemeſtrem, & annuum quoque, *Nori-
ſius* edoceat. Duumviri de potioribus decurionibus legebantur, &
duobus faſcibus alternatim, progreſſu temporis, utebantur, ut pote-
ſtatem eorum *poteſtatem faſcium* appellat *Honorius* in *leg. Duum-
14. virum 53 Cod. de Magiſtr. municipal.* Differebant ab illis duumvi-
ris quinquennales, ita dicti, quod judicandi munere interdum quin-
quennio fungebantur; ſicut a Quatuorviris juri dicundo Quatuor-
15. viri quinquennales diverſi fuere. Duoviros autem quinquennales
Chimentellius atque *Pitiſcus* Cenſoribus quibusdam ſimiles exiſtima-
runt. Nam cenſura Romæ primo quinquennalis fuit: quæ quidem
dignitas erat ſumma; quare non abſurde *Plutarchus* illam omni-
um honorum apicem appellavit in *Catone majore*. Sic in coloniis
& municipiis quinquennalitatis honor ſummus & præcipuus haberi
potuit, ut libentius gereretur, quam ſimplex duumviratus. Decu-
rionibus accenſebantur, quibus centum mille numorum, ſive duo-
rum millium & quingentorum ſcutatorum, facultates erant, vel qui
ultra viginti quinque jugera poſſidebant. Cum in ordinem recipe-
rentur, binos denarios, vel hujusmodi ſummam, collegis ſingulis di-
ſtribuebant, &, quoties aliqua ſtatua ædiculave dedicaretur, aliquid
eo nomine recipiebant. Ut Romæ Cenſores ſenatum ſenatoresque
legebant; ita Duumviri quinquennales decuriones. Hic loci deſcri-
pta tabula fuiſſe videtur, in qua, peracto luſtro, decurionum nomi-
16. na relata fuerunt, a duumviris quinquennalibus. Sunt autem illo-
rum CLXIV, unde patet, etſi verum ſit, quod *Noriſius* aliique do-
cent, initio C tantum conſtitutos in coloniis eſſe, tamen alios poſtea
non ſecus, ac in ſenatu Romano, allectos. Inter eosdem primi oc-
currunt patroni, qui forte cauſam publicam agebant, & erant tan-
18. quam rei publicæ defenſores. Pedani erant ii decuriones, qui pe-
dariis Romæ ſenatoribus haud diſſimiles cenſebantur. Vid. *Gellius
III, 18*. Prætextati fuere non modo magiſtratus, ſed etiam collegio-
rum ac vicorum magiſtri. Vid. *Livius XXXIV, 7*. Ordo demum in
Tabula noſtra, characterem antiquum repræſentante, ſequens eſt:
Patroni C. C. V. V. Patroni E. E. Q. Q. R. R. Quinquennalitii,
allecti inter Quinquennal. IIviralitii, Ædilitii, Quæſto-
ritii, Pedani, Prætextati.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCLII.

CASSII DIONIS COCCEJANI HISTORIÆ Romanæ quæ ſuperſunt; Volumen ſecundum, quod complectitur Libros DIONIS LV - LX, paſſim mutilos & breviatos, cum Annotationibus FABRICII, & nonnullis aliorum; Libros item DIONIS LXI - LXXX, ex compendio JO. XIPHILINI, cum Annotationibus HERMANNI SAMUELIS REIMARI, qui & ubivis Fragmenta reperta ſuis locis inſeruit, varias Lectiones, & Annotationes, adjecit, Verſionem caſtigavit, apparatum Annotationum & Emendationum, cum Indice Græco & Latino, adjunxit.

Hamburgi, ex officina Chriſtiani Heroldi, 1752, fol. maj. Alph. 10 plag. 7, cum duabus Tabulis ære expreſſis.

Satis jam de præſtantia *Dionis Caſſii*, a Clariſſimo *Reimaro* adornati & perpoliti, conſtat inter homines doctos; Lectores autem noſtros meminiſſe adhuc putamus eorum, quæ de *primo Volumine*, atque adeo de univerſo opere, ſatis, pro inſtituti noſtri ratione, copioſe diximus in his *Novis Actis Erud. Anni 1750 Menſe Febr. pag. 49 ſeq.* Nihil igitur nunc ſupereſt, niſi ut Viro doctiſſimo,

& de literis optime merito, patriæque noſtræ, confe-ctum immortale opus gratulemur; quod ipſum, ut, ſive chartæ typique ſplendorem, ſive curam doctrinamque, ab Editore adhibitam, ſpectes, omne vincit, quicquid hujus generis unquam in Germania prodiit, ita perennem gloriam & Autori, & toti nationi, ſpondet.

Eorum, quæ præſens *Volumen ſecundum*, idque poſtremum, continet, præcipua titulus ipſe nominat, reliquias nempe *Librorum Dionis* poſtremorum a *quinto & quinquageſimo* usque ad *ſexageſimum*, qui ad nos integri perveniſſe dicuntur, manum tamen nihilo minus breviatoris ſubinde lacunasque produnt, & *Xiphilini* Compendium, & Apparatum ad *Dionem*. Notæ *Fabricii* hiſtoricæ usque ad finem *Dionis* excurrunt, *Xiphilinum* non attingunt; abunde tamen *Reimarus* defectum hunc compenſavit ubere ſuo doctoque commentario, in quo narratio *Xiphilini* cum aliis vetuſtis Romanæ Hiſtoriæ Autoribus comparatur, ritus antiqui exponuntur, de erroribus, quibus aut *Dio*, aut *Xiphilinus*, aut alii, ſeſe implicuerunt, monetur, loca, in quibus *Xiphilinus* non recto cepiſſe ſuum Autorem videtur, indicantur, chronologicæ rationes rerum geſtarum maxime memorabilium extricantur, verbo affertur omne, quod intelligendo Autori facit. Verba Græca *Dionis* ex iisdem membranis ſubſidiisque hoc *ſecundo Volumine* conſtituuntur & emendantur, quibus in primo fuerunt; *Xiphilinus* autem e Codicis *Coislinani* lectionibus, a *Montfauconio* in *Bibliotheca Coisliniana Catalogo* publicatis, & e Codice Breslavienſi, quo ipſe uſus fuit *Reimarus*, aliisque adminiculis, melior factus, novisque acceſſionibus auctus fuit. Fragmenta enim *Dionis*, quotquot in Excerptis Legationum *Urſinianis*, in Excerptis item *Valeſianis*, aut apud *Suidam*, alibive, reperiri potuerunt, ſuis quæque locis tam apte inſerta ſunt, ut eleganter teſſulatum tibi videaris opus intueri. Uncis incluſa fuerunt, quæ nova acceſſerunt ad *Xiphilinum*, quo ſtatim vetera a novis diſtingui queant. Melior profecto utiliorque eſt ea inſtitutio, quam Autorum

We-

Wechelianæ editionis, qui non tantum Librorum *Dionis*, quos integriores habemus, confectum a *Xiphilino* Compendium non omiſerunt, ſed etiam Fragmenta ſeorſim juſſerunt excudi: quo factum, ut multa, cum tædio lectoris, & diſpendio chartæ, bis legerentur. Lacunarum quoque reliquiæ, quas in ultimis *Dionis* Libris *Nicol. Carminius Falco* Romæ A. 1724, ex antiquiſſimis membranis Vaticanis, ſed mutilis, & cultello bibliopegi valde truncatis, edidit, hic quoque conſpiciuntur, ſed abſque Latina interpretatione. Ecquis enim vocum, ne quidem integrarum, e nexu divulſarum, & nullum cohærentem ſenſum fundentium, inutilem farraginem interpretetur? Ne autem columnæ nimis tenues ibi locorum fierent, ubi tales lacunæ occurrunt, & chartæ vacuæ ingentia ſpatia oculos offenderent, curavit Celeb. Editor eas geminari, ſic, ut, decurſa deorſum una ſerie, aut columna, rurſus ad eandem altitudinem adſcenderet oculus, parique modo rurſus deſcenderet, non autem oppoſita continuo filo perſequeretur. In ea vero paginarum parte, quam occupare alias Latina interpretatio ſolet, collocata eſt expoſitio illorum fragmentulorum *Falconiana*. Cum nempe in illis antiquiſſimis Fragmentis voces omnes continua ſerie, nullo interpoſito diſcrimine, decurrerent, exhibuerat eas *Falco* ea facie, qua ſe in membranis monſtrabant; in notis autem colliquata & cohærentia diſtinxerat, & interdum quoque voces dimidias & mutilatas ex ingenio integraverat. Non ſatisfacit quidem *Falconis* labor *Reimaro* per omnia; putavit tamen ipſe, eum in ſua editione totum reddendum eſſe, ne quid ei ad perfectionem deeſſe judicaretur. Quoniam hæc ignaris ſatis perſpicue tradi abſque exemplo, quod rem præſentem oculis ſubjiciat, nequeunt; juvat, breve aliquod ſpecimen & fragmentulorum, & reſtitutionis, a *Falcone* tentatæ, & ordinis, in quem typothetæ hæc ambo in hac editione digeſſerunt, huc apponere. Decerpemus id e *pag.* 1343, & adſcribemus verſibus numeros, ad indicandum, quo ſe ordine verſus excipiant:

1 δικαιωνπο	8 απολȣμεν	δικαίων πο . . .	ἀπολȣ́μενον
2 αλλατανεμ	9 δυνηθηαυ	ἀλλα τὰ νεμ . . .	ἠδυνήθη αὐ . .
3 αναλωματα	10 παιςωςαυ	ἀναλώματα	παῖς ὡς αὐ . .
4 καιτομενσ	11 τεφεαυτω	καὶ τὸ μὲν σ . . .	τ' ἐφ' ἑαυτῷ
5 τεδημοσιε	12 εαυτονεπ	τε δημοσιευθῆναι	ἑαυτὸν ἐπ . . .
6 ϛρατιωτικ	13 καιοτικαιυ	ϛρατιωτικ	καὶ ὅτι καὶ ὑ
7 μενονκαισ		μενον καὶ σ . . .	

Hæc in columna, Græcis deſtinata, conſpiciuntur. Hæc in columna, Latinis tributa, exhibentur.

Dabimus nunc aliud ſpecimen, in quo *Falco* multo plus ſibi indulſit, e *pag. 1351*;

βανων αυταπ	λεκαιταμε	προλαμβάνων αὐτὰ	λε. καὶ τὰ μὲν . .
θηναιοι των	ριος κηνσο	πρὶν ψηφιωθῆναι τῷ	Μάριος Κηνσωρῖνος
ματιȣτωιτ	προϛασιαν	δὲ δὴ ὀνόματι, ȣ̓ τῷ	προϛασίαν . . .
αλλατιωτȣ	ανελεξατο	λουιίτȣ, ἀλλὰ τῷ τȣ̃	ἀνεδέξατο . . .
εχρησατοο	μακρινȣς	Ἀντωνίȣ ἐχρήσατο, ο . .	ὑπὸ τȣ̃ Μακρίνȣ σ . .
ησενκαιαν	αυτοσωσο	ησεν καὶ ἀν	αὐτὸς ὡς ὁ . . .
τα των ϛρατιω	δια της εαυτ	τὰ τῶν ϛρατιωτῶν.	διὰ τῆς ἑαυτȣ̃

Libris porro, in minora *Capita* diviſis, præfixa ſunt argumenta Latina tantum, Conſulesque, & quavis pagina in extremo margine indicati anni U. C.; quod utiliſſimum eſt inſtitutum, cum *Xiphilinus* plerumque res geſtas absque temporis indicio tradat. In apparatum relatum fuit, quicquid ad *Dionem Xiphilinum*ve in editionibus prioribus ab *Henrico Roberto*ve *Stephanis*, a *Xylandro*, *Sylburgio*, *Leunclavio*, *Palmerio* in *Exercitationibus*, ex profeſſo, aut ab aliis obiter, ut *Lamb. Boſio* in *Obſerv. ad Script. Græcos*, annotatum & collatum fuit præclaræ opis. Acceſſerunt ad hæc opuſcula duo, antea haud edita, unum, Epiſtola Celeberrimi *Weſſelingii* ad *Reimarum*, in qua ſelecta quædam *Dionis* loca, ad *primum Volumen* pertinentia, partim emendantur, partim illuſtrantur; alterum, *Jo. Jac. Reiskii* uberiores ad *Dionis* Libros ſuperſtites animadverſiones, in quibus ſe pulchrum delectum bonæ frugis inveniſſe, teſtatur

Edi-

Digitized by Google

Editor. Cum hæc duo opuſcula miſſa ipſi tum demum eſſent, cum *ſecundum* hoc *Volumen* ſub prelo jam ſudaret; ea integra quidem adjunxit aliorum doctorum hominum antiquioribus ad *Dionem* commentariis, ne tamen morem ſuum deſereret, ex iis quæ probaret, in addenda rejecit, in quibus & mantiſſam dat illarum brevium criticarum obſervationum, quæ emendationi Græci textus tantum faciunt, illique proxime ſuppoſitæ ſunt; & alia addit, demit, mutat, olim ſcripta, prout maturior meditatio & diuturnior uſus ſuaſit. Cum porro in *Reiskianis*, præter multa *Reimaro* probata, ſint plura, quibus aſſenſum ipſe præbere ſe potuiſſe negat, horum quoque ſpecimen peculiari admonitione exhibuit, quæ totius operis finem facit, additis ubique diſſentiendi rationibus. Quod ea modeſtia, humanitate, & digno literatis viris candore, facit, ut ubique ſtudium veritatis, & amorem ejus, quem oppugnat, prodat, exemplo, quod alii, controverſias eruditas exercentes, imitentur.

Inſunt quoque Apparatui, quem diximus, præter modo commemorata, *duæ Epiſtolæ*, una Eminentiſſ. Cardinalis *Quirini* ad *Reimarum*, altera Illuſtr. Marchionis *Maffæi* ad P. *Hieronymum Lagomarſinum*, ambæ ad novum *Dionem* a *Falcone* reſtituendum, aut reſtitutum, pertinentes. Promiſerat nempe, ut inter omnes conſtat, *Falco* ante plures annos Libros *Dionis*, dudum perditos, a ſe reſtituendos, eaque pollicitatione magnam de ſe ſpem moverat; donec tandem, edito iſto informi & ridiculo fœtu A. 1748, conſtitit, machinam illam inventam fuiſſe ductitando orbi literato. Epiſtola *Quiriniana* potiſſimum in ſpecimine *Dionis Falconiano*, Romæ A. 1724 edito, verſatur, &, quid in eo poſt *Fulvium Urſinum Falco* præſtiterit, disquirit, magnum quidem judicio *Falconis*, *Quirinii* vero perparum. Scripſit hanc Cardinalis Eminent. epiſtolam A. 1746, & in fine ſignificat, a *Falcone* nuntiatum ſibi per literas eſſe, editionem ſuam Librorum *Dionis* perditorum eo jam profeciſſe, ut Prolegomenorum ad *ſextum Librum* jam viginti folia excuſa ſint: *Gia ſiamo dopo venti fogli di Prolegomene al ſeſto Libro di Dione.* Quam con-

ſtent hæc cum veritate, monſtravit eventus. Libros ſingulos *Dionis*, a *Falcone* editi, prolegomena ſingularia non antecedunt, & præterea tam macri & contracti illi ſunt, ut nullus eorum viginti folia impleat, nedum unius Prolegomena. Undecunque conſtat, Præſulem illum & amicis, & orbi literato, verba dare voluiſſe. Epiſtola porro *Quirini* ſpecimen Codicis antiquiſſimi Vaticani, a *Falcone* tam ambitioſe jactati, dat, ære expreſſum. Sequitur eam Latinam Italica *Maffei*, Veronæ ſcripta, & edita A. 1748, in qua *primum Volumen Dionis Falconiani*, recens tum editum, ſano cum judicio cenſet, & pro meritis vanitatem iſtius inſtituti exagitat, prætextusque omnes excutit, quibus Præſul ille intempeſtivos ſuos cœptus colorare voluit.

Denique legitur in Apparatu Commentarius de vita & ſcriptis *Dionis Caſſii*, *Reimaro* debitus, & collectio locorum, in quibus ſui rerumque ſuarum mentionem *Dio* facit; item ſpicilegium Fragmentorum *Dionis*, & locorum, apud veteres exſtantium, ubi *Dio*, aut dicta ejus, laudantur. In Græco Indice peramplo, & multa cum cura confecto, vocabula, in *H. Stephani Theſauro* omiſſa, præfixa cruce deſignantur. In univerſum cura doctrinaque Editoris eadem, idemque nitor chartæ typorumque, *Volumen* hoc ornant, quæ priori jam dudum publicos plauſus conciliarunt. Supereſt igitur id unum, ut, poſt exhibitum totius Operis conſpectum, etiam ex Annotationibus Clariſſ. *Reimari* hiſtoricis ad *Xiphilinum* ſpecimina quædam proferamus. Delectum quidem difficilem facit lectiſſimarum rerum, ibi profuſarum, ingens copia; decerpemus tamen ex illis quædam, quæ aut caſus nobis, *Volumen* volventibus, obtulit, aut nos maxime venuſtate ſua feriebant, & brevi quoque verborum ambitu referri poterunt. *Pagina* ergo *984*, *lin. 1*, pulchre vidit doctiſſimus Editor, in voce δορυφόρῳ latere nomen proprium, ideoque recte majore litera excudi curavit, monſtratque in notis, *Dorypbori* nomen in ſervis & libertis frequens apud Romanos fuiſſe. Olim incongrue ibi loci reddebatur *militi prætoriano*. *Pag. 996* docetur, ἡβητήρια fuiſſe gymnaſia exercendo corpori, cum adjunctis balneis. *Pag. 998* de teſſeris miſſilibus, quæ

in

in populum ſpargebantur, quæritur, cum rotundæ perhibeantur fuiſſe, globine, an diſci plani, inſtar conformatæ fuerint. *Reimarus* prius rectius cenſet, cum a *Dione* σφαιρία appellentur. *Pag. 999* exponitur, quid ſit φωνὴ μέλαινα. Eſt nempe vox obſcura, & velut in faucibus exſtincta. *Pag. 1000* de more populi Romani, concuſſis tunicis applaudendi, diſſeritur. *Pag. 1001* reprehenditur *Dio*, quod ludos, a *Nerone* ſtatim poſt peremtam matrem pro ſalute & integritate imperii inſtitutos, cum quinquennalibus *Neroniis* confuderit, cum illi A. U. 812, hæc proximo poſt, celebrati fuerint. *Pag. 1004* elegans proponitur conjectura ſuper dictione ὑπὲρ τῶν νεκρῶν τελεῖν: fuiſſe nempe Britannos a Romanis coactos pro iis tributa dare, quorum nomina in codicillis cenſuum, quotannis renovandis, ſemel deſcripta fuerint, etiamſi ante exactionem vita defuncti fuiſſent. *Pag. 1015* refutatur error communis, quo creditur, *Neronis* juſſu Romam fuiſſe accenſam. *Neronem* enim, dum illa flagraret, apud Antium fuiſſe, neque ceciniſſe illum inter ignes, aut ſaltaſſe Trojæ direptionem, ut abſentem, neque permiſſurum fuiſſe, ut ædes ſua ſe præſente deflagraret; atqui ipſum ejus quoque palatium tum abſumtum fuiſſe. *Pag. 1012* eleganter emendatur *Dionis* locus *lin. 86*, monſtraturque, αὐτῆς pro ἑαυτῆς legendum eſſe, & ἥψατο, cum ſequentibus tertiis perſonis, non ad *Paulinam* referendum eſſe, quod adhuc factum fuit ab interpretibus, ſed ad *Senecam*. Præclara lux hoc modo reddita loco fuit. Recte quoque reſtitutus, & a perverſa priorum interpretatione vindicatus, fuit alter locus, illi proximus, καίπερ τὴν τε συνουσίαν τὴν πρὸς αὐτὸν, ὡς καὶ ἀσθενῶν, προϊέμενος: id enim voluiſſe Clariſſ. Editorem, non προϊέμενος, quod typothetæ dederunt, ſuadet ſequens κεχαρισμένος. Loco poſtremæ vocis exhibebant ſuperiores editiones προφερόμενος, adverſo ſenſu. Vult enim *Dio* dicere: *Senecam, quamvis conſuetudine cum Nerone, obtentu adverſæ valetudinis, jam dudum abſtinuiſſet, quamvis quoque* πᾶσαν αὐτῷ τὴν οὐσίαν ἐπὶ τῇ τῶν οἰκοδομουμένων προφάσει κεχαρισμένος, *omnes ſuas facultates Neroni eo titulo legaſſet, ut eas reſtituendæ Romæ, ab*

igni-

ignibus devaſtata, impenderet; nihilo minus tamen mori coa-ctum fuiſſe. *Pag.* 1027 reſtituit Vir Clariſſ. locum *Dionis* tam certa & perſpicua emendatione, ut modeſtia eum non debuiſſet ab illa in textum recipienda retinere. Verba ſic jacent: ὁ Νέρων ἐν τοῖς κιθαρῳδοῖς ἠγωνίσατο καὶ νικητήρια αὐτῷ μὲν ἐκράτει, τοῦ τῆς κιθαρῳδίας διδασκάλου ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ ποιήσαντος, ἡνιόχησε. Voces μὲν ἐκράτει in unam contrahendas, & Μενεκράτους reponendum eſſe, *Reimarus* acute vidit, recteque ſic interpretatus eſt: *Nero certavit inter citharœdos, cumque magiſter* (quo uſus fuerat) *artis citharœdicæ Menecrates triumphum ei in Circo feciſſet, currus agitavit.* De voce *triumphum,* qua vox νικητήρια redditur, liceat id unum admonere, eam ampliſſimi ambitus eſſe, ideoque recte ſe habere hanc interpretationem, ſi eo ſenſu accipiatur, quo etiam Vir Clariſſ. acceptam voluiſſe videtur, ut ſignificet *ludos, ob Neronis in ludis muſicis victoriam inſtitutos.* *Pag.* 1039 explicatur, quid ſit χιτὼν ὀρθοστάδιος, qui plerumque in ſcriptis & imaginibus cantoribus & citharœdis tribuitur. Eſt nempe tunica, cingulo ad corpus non adſtricta, ſed recta deorſum propendens. *Pag.* 1056 trium Pſeudo-Neronum memoria recolitur. *Pag.* 1094, 2, conjectura *Caſauboni* παρ' αὐτοῦ τούτου pro veteri lectione παρὰ τοῦ Τίτου in textum immiſſa fuit. Alia vero ejusdem conjectura paulo poſt damnatur eodem jure, quo illa ſuperior probata fuit, id eſt, optimo. Legitur nempe *Titus pag.* 1097 ludos inſtituiſſe, in quibus γέρανοί τε ἀλλήλοις ἐμαχήσαντο καὶ ἐλέφαντες τέσσαρες. Mira *Caſaubono* acciderat pugna gruum; proptereaque, inſerta una litera, e gruibus γεράνοις Germanos effecerat. In quo procul dubio ratio eum fugiebat. *Pag.* 1104 conjecturam proponit Clariſſ. *Reimarus* perquam ſpecioſam. Ait ibi *Dio,* ad veteres quatuor factiones, albam, ruſſam, venetam, & praſinam, adhuc duas *Domitianum* addidiſſe, τὸ χρυσοῦν χρῶμα καὶ τὸ ἀργυροῦν. Poſſet quidem Imperator luxuriæ deditus colorem argenteum aureo opponere voluiſſe videri, ideoque vulgata defendenda eſſe lectio; cum tamen non liqueat, qui potuerit argentea factio ab alba diſtingui in coloris ſimili-

militudine, non poſſumus conjecturæ, *πορφυρȣ̃ν* legendum eſſe pro *ἀργυρȣ̃ν*, calculum noſtrum non addere. Sagaciter quoque idem Vir Doctiſſ. *pag. 1105* deprehendit lapſum *Xiphilini*, qui obiter a ſe inſpectum *Dionem*, maleque acceptum, male reddidit: Ἐν τῇ Μυσίᾳ Λύγιοι Σȣήβοις τισὶ πολεμηθέντες πρέσβεις ἔπεμψαν — Atqui *Dio* ſcripſerat Σȣήβοι οἱ ὑπὲρ τῆς Μυσίας Λυγίοις τισι πολεμωθέντες, &c. Liceat præterea vitium indicare, quod nobis quidem adhuc locum nunc occupare videtur. Scilicet credibile eſt, *Dionem* non ἀγανακτήσαντες, quod hodie exſtat, ſed ἀγαπήσαντες, ſcripſiſſe. Eadem *pag.* proponitur conjectura examine digna de origine vocabuli *Decebalus*, quod, cum ſæpius in hiſtoria regum Dacicorum occurrat, videtur nomen regibus Dacicis omnibus commune fuiſſe, quale eſt *Auguſtus*, *Cæſar*, putatque Vir Doctiſſ. compoſitum id eſſe a *Dacis* & Hebraico בעל, *dominus*, ut *dominum Dacarum* ſignificet. *Pag. 1106* emendat idem locum *Suidæ* ſic: ȣ̓χ ὑπέμενεν ἑτέρων αὐτȣ̃ γενέσθαι κατὰ τὸ Καπιτώλιον ἀνδριάντων στάσιν ἢ ἐκ χρυσȣ̃ τε καὶ ἀργύρȣ πεποιημένων. *Non permittebat, ſuas imagines in Capitolio, niſi aureas argenteasve, dedicari.* Succurrit hac occaſione memoria loci apud *Suidam*, quem Clariſſ. *Reimarus* pariter in his notis ad *Xiphilinum* tractavit, & optime ſanavit. In *Cornuto* ait *Suidas* in vulgatis editonibus: γεγονὼς ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Νέρωνος, καὶ πρὸ αὐτȣ̃ ἀναιρεθεὶς —; ſed legendum eſſe πρὸς αὐτȣ̃, demonſtrat V. C. Quæ autem reliqua idem ad *Suidæ* illum de *Cornuto* articulum affert, non poſſumus non mirari, dictuque facile non eſt, quid effecerit, ut verba *Suidæ* planiſſima & perſpicua ſiniſtre acciperet & confunderet. *Cave credas*, ait, Suidam *in* Κορνȣ́τος Cornutum *Hiſtoricum*, Livii *æqualem, cum hoc, qui a* Nerone *in exilium pulſus eſt, perinde confudiſſe. Multa ejusmodi* Suidæ *perperam aſſignantur, quod librarii ex duobus membris unum ſæpe conflarunt. De novo incipiendus erat (omiſſo* ȣ̃τος*)* Κορνȣ́τος λεπτίτης, *&c. Vides, hunc ſatis a priori diſtingui; primum patria, alter Romanus, alter Leptites Africanus: deinde profeſſione & ſcriptis, alter Philoſophus & Rhetor, alter Hiſto-*

 ricus;

ricus; denique tempore, alter Livii *æqualis, alter* Neronis. Quomodocunque verſemus *Suidæ* locum, non poſſumus ex eo duos *Cornutos*, aliumve ſenſum, extundere, quam hunc, fuiſſe duos rerum Romanarum ſcriptores, *Livium* unum, alterum *Cornutum*, quos æquales ubi dicat *Suidas*, non reperimus. Sed humanum eſt, properabundos, & multis ſimul rebus intentos, objecta falſa ſpecie deludi & confundi, diſcimusque ſic Nemeſin venerari. Sed pergamus. *Pag. 1114* refutat *Fabrettum*, qui, a *Claudio* ad *Commodum* ſingulares tantummodo præfectos prætorio fuiſſe, aſſeverabat. *Pag. 1120* emendat locum *Aurelii Victoris*, a *Grotio* fruſtra tentatum, *XII, 8*, pro *redemto magnis ſumtibus* reponens *redemti m. ſ. a Caſperio. Pag. 1122* obſervat ritum, in nummis Senatum imagine ſenis laureati ſedentis, & dextra globum, aut ſceptrum, gerentis, exprimendi. *Pag. 1128* demonſtrat, *Dionem Trajani* pontem, Danubio inſtratum, nimiis laudibus extuliſſe, opusque illud, utut magnificum ſit atque ſpectabile, ad jactationes *Dionis* tamen non aſſurgere. *Pag. 1156* obſervat, apud veteres nemini licuiſſe, inconſulto Senatu de vita ſua diſponere, ſed eos, qui de medio ſe tollere decreviſſent, ni ſepulturæ honoribus ſe fraudare vellent, coactos fuiſſe de conſilio ſuo ad magiſtratum referre, graves ejus & probabiles cauſas exponere, & ante impetratam veniam ab inferendis ſibi manibus abſtinere. *Pag. 1160* explicat e Theologia Ægyptiorum ſymbolica, quare *Antinous* in navicula ſtans olim pictus & ſculptus fuerit. Id non ideo factum, quia in Nili undis perierit; gratis enim id in vulgum fuiſſe ſparſum, fuco faciendo, ſed quod ab *Hadriano* in Deos relatus fuerit, quos Ægyptii non in ſtabili ſolo, ſed ſuper undis, in lembis, aut navigiis, pingebant. *Pag. 1177* notat, *Sexti Chæronenſis* imaginem pro illa *Empirici* in editione *Diogenis Meibomiana* referri ex *Sponio*. Ibidem reprehendit *Eutropium*, perhibentem, *M. Antoninum* Philoſophum a *Sexto ad ſcientiam Græcarum literarum fuiſſe inſtitutum.* Nam in Græco ſermone diſcendo magiſtro ipſum alio fuiſſe uſum. Verum potuit *Eutropius* voce *literarum* non tam linguæ rudimenta, quam ſcien-

ſcientias, quibus Græci maxime cluebant, id eſt, Philoſophiam omnem, deſignaſſe. *Pag. 1179 verſu 68* emendationem *Weſſelingii* Βίνδικα τὸν Μακρῖνον in textum recepit. Pro ultima voce olim in vulgatis legebatur Μάρκον. *Pag. 1184 §. 48* recte conjicit, legionis fulmineæ, τῆς κεραυνοφόρου, a fulmine, quod pro inſigni in ſcutis gerebat, ſic dictæ, nomen a miraculorum & fabularum nimis ſtudioſis detortum fuiſſe in κεραυνοβόλου, *fulminatricis*, quæ nulla unquam fuerit. *Pag. 1194 §. 115* elegantem habet obſervationem, quam ipſis ejus verbis referemus. Ad verba nempe: τῷ δὲ Μάρκῳ καὶ τῇ Φαυστίνῃ ἐψηφίσατο ἡ βουλὴ ἔν τε τῷ Ἀφροδισίῳ τῷ Ῥωμαίῳ εἰκόνας ἀργυρᾶς ἀνατεθῆναι, hæc notat: *Loci hujus corruptionem non animadverterant, neque veram ſententiam aſſecuti erant, interpretes, vertentes* Romæ in templo Veneris. *Frigide ſane adderetur templo Veneris:* τῷ Ῥωμαίῳ, *quod Romæ eſt. Poteratne enim Senatui in mentem venire, ut, ſi ſtatuas in templo Veneris ponendas cenſeret, aliquod alterius urbis eligeret? Et, ſi quid addendum erat, num ſic ſatis deſignatum erat? Nonne quamplurima Romæ erant Veneris templa? Equidem non errabo, ſi dixero,* τὸ Ῥωμαῖον *eſſe templum Romæ Deæ, ut* Εἰρηναῖον *templum Pacis,* Νυμφαῖον *templum Nympharum,* Διδυμαῖον *templum Apollinis Didymæi, & ſexcenta alia. Atqui Romæ in urbe Roma templum cum Veneris templo conjunctum,* τῆς Ἀφροδίτης τῆς τε Ῥώμης ναὸν, *ſeu, quod idem eſt,* Ἀφροδίσιον *&* Ῥωμαῖον, *paulo ante primus exſtruxerat.* Hadrianus, *ut ipſe* Dio pag. 1153, 10, *narrat. Quare in his* Marco *&* Fauſtinæ *ſtatuas, & ante hæc unam communem aram poſitam fuiſſe, non dubitandum. Erant enim conjuncta velut* συννάων καὶ συμβώμων θεῶν. Prudentius Dioni *lucem præbet debetque, canens* Lib. I contra Symmach. verſ. 221:

— Urbis Venerisque pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur thura Deabus.

Scripſerat igitur Dio ἔν τε τῷ Ἀφροδισίῳ τῷ τε Ῥωμαίῳ, *ubi ineptuli librarii de alia vocis* Ῥωμαίῳ *ſignificatione, quam ad-*

 jecti-

Digitized by Google

jectiva, non cogitantes, particulam τε *velut inconninnam & ſuperfluam reſecarunt, aut trajecerunt, eoque & ſenſum hujus loci, & rem ipſam, obſcurarunt. Nemo enim veterum, præter* Dionem, *ne* Zonaras *quidem, rei meminit, quæ ipſa adeo obſcurata fugit recentiores, qui, de templis Romæ & Veneris agentes, locum hunc* Dionis, *& cultum Dearum memorabilem, honoremque* Marco *&* Fauſtinæ *a ſponſis habitum, ſicco pede præterierunt. Pag. 1231 verſ. 99* eleganter ὄγκῳ pro ἔρκῳ vulgato conjicit Doctiſſ. Editor, & debuiſſet in textum recipere. *Pag. 1245 §. 32* bene exponit, quid ſit τρίβολος in illa dictione πυρὰ πυργοειδὴς τρίβολος, monſtratque, vocem illam idem notare, atque τρίστεγος, τριώροφος, *rogus triplicatus, trium contignationum*; & τρίβολον idem eſſe atque *triplum*, ut δίβολον idem ſit atque διπλοῦν, *duplum. Pag. 1271* παντὶ τῷ σιτοδοτουμένῳ ex emendatione *Hæſchelii* reſtituit in textu, vertitque *univerſæ plebi, quæ frumentum de publico accipiebat*. Vulgo legebatur σιτοδουμένῳ. *Pag. 1301, 10,* certam *Fabricii* emendationem refert Clariſſ. Editor. Citatur ibi verſus, quem *Caracallæ*, animas, profligendæ inſaniæ cauſa, qua laborabat, evocanti, fertur *Commodus* apparens dixiſſe:

Βαῖνε δίκης ἆσσον θεοῦ δίκης αἰτοῦσι Σεβήρῳ.

Fabricius adſcripſerat margini ſui Codicis θεοὶ ἤν αἰτοῦσι. Cui unum minutum ſi adhuc addas, nempe σε poſt ἤν (θεοὶ ἤν σ' αἰτοῦσι), integrum & ſanum habebis verſum, cujus ſenſus eſt: *accede propius ad dandam* Severo *ſatisfactionem, quam Dii a te poſtulant. Reimarus* ita Latine vertit:

Perge ad ſupplicium, Dii te cum patre Severo
Ad pœnam expoſcunt.

Pag. 1321, 99, obſcurum & affectum locum illuſtrat, & felici certaque conjectura ſanat. Vulgo ſic legitur: καίτοι μὴ θελήσας δεύτερον δὴ τῷ εἰπόντι ἔτι ὑπατεύειν δόξαι, ὅτι τῶν ὑπατευκότων τιμὰς ἐσχήκει. Poſt allatam, & modeſte expenſam, *Maffei* de hoc loco ſententiam, in Epiſtola ſupra laudata ad *Lagomarſinum* propoſitam, negat, quidquam *propius rei*

&

& verbis corruptis occurrere, quam pro εἰπόντι ἔτι ſcriptum fuiſſe a Dione τῷ ἐπιόντι ἔτει Ideoque vertit: *quanquam ipſe anno poſt, quam ornamenta conſularia adeptus fuiſſet, iterum Conſul videri noluerat.* Opinionem hanc argumentis adſtruit his. Macrinus *nempe*, ait, *homo novus, ut invaſit imperium A. U. C.* 970, *ſtatim a Senatu allectus eſt in Patricios, & proconſulare imperium accepit, teſte* Capitolino Cap. 7, *ſimul vero, ut e* Dione *diſcimus, honoribus conſularibus ornatus eſt. Eo anno tamen nihil ultra videtur aſſecutus, nec vere Conſul eſſe factus. At τῷ ἐπιόντι ἔτει anno ſequenti 971 Coſ. cum* Advento *factus eſt. Ibi tum ex more & inſtituto* Severi COS. II *ſcribi debebat, perinde ut* Adventus, *quem pariter inter Conſulares anno ſuperiore relatum eſſe, inde colligimus, quod tum Præfecturam urbanam, quæ Conſularium dignitas erat, accepit, ut refert* Dio Cap. 14. *Noluit autem* Macrinus *hoc in ſe, aut* Advento, *fieri, nempe quo modeſtior videretur, quod tamen nihil impedit, quo minus, recuſanti licet, Senatus geminati honoris titulum tribueret. Nam numi utique* COS. II *ſcribunt; nec* Dio Severi *morem deſiiſſe ait; & ſunt alia ab aliis recuſatæ appellationes, v. g. patris patriæ, quæ nihilo minus in numis reperiuntur. Pag. 1339 verſ. 49* in textu e conjectura reſtituit Ἀουεῖτον, *Avitum*, pro veteri vulgari lectione Λοῦπον, *Lupum.*

Sed, finem ut faciamus exemplorum, inſtituti hujus ratio monet. Ecquis denique tantam copiam bonarum rerum exhauriat? Tranſimus ergo ad locos quosdam *Dionis*, inſignibus maculis adhuc obſitos, & in hac ipſa nitidiſſima editione nondum perpurgatos, confiſi, Virum humaniſſimum, pro veritatis, quem ſpirat, amore, noſtras admonitiones eadem æquitate laturum eſſe, qua Cl. *Reiskius* & alii boni omnes ipſum recte monentem ferunt. Hominem non novit, & in hac palæſtra exercitatus non fuit, quisquis putat, ab uno viro in tanta mole rerum, ad quas oculus & animus attendendus eſt, animadverti poſſe, aut debere, omnia, etiam minuta quæque; qui veniam errori, aut omiſſioni uni alterive, tam vaſtum in opus, & tot præclare vereque obſervatis conſpicuum, irrepenti, negat.

negat. Debemus in commune laborare, & ad literarias has quaſi epulas ſymbolam quisque ſuam, quam valet, aut vult, absque faſtu & invidia & obtrectatione conferre, & in medio ponere, guſtu cuilibet explorandam. Legitur itaque *pag. 984, 46*, πολλῷ δὲ δῆλον, de quo diverſa ſentiunt Viri docti, ut ex variantibus lectionibus conſtare poteſt. Videtur omnino τυφλῷ δὲ δῆλον legendum eſſe, *vel cæcus videt*, Græcis uſitato proverbio, de quo vid. Scholiaſtes *Ariſtophanis* ad *Plutum verſ. 48. Pag. 989* narrat *Dio*, *Neronem* de nocte inſolentem per vias urbis ſe geſſiſſe, & adortum obvios indignis modis excepiſſe. Itaque *Montanum*, injuria, uxori ſuæ ab ipſo facta, accenſum, dato in *Neronem* impetu multas ei plagas inflixiſſe, ita ut per plures dies *Nero*, ob lividas in vultu maculas, in conſpectum Senatorum non venerit. *Hæc res*, ait *Dio*, *per ſe Montano non nocuiſſet*, ὁ γὰρ Νέρων ἐκ συντυχίας ἄλλως ὑβρίσθαι νομίσας οὐδεμίαν ὀργὴν ἐποιεῖτο. *Nero enim, fortuito caſu ſe a neſcio quo non dedita opera male mulcatum exiſtimans, æquo animo tuliſſet, niſi Montanus ipſe veniam per literas petiiſſet.* ὡς γὰρ ἀναγνοὺς ὁ Νέρων τὰ γράμματα ἔφη, οὐκοῦν ἤδη, Νέρωνα τύπτων, ἑαυτὸν κατεχρήσατο. Sic jacent hæc verba, & redduntur Latine ſic: *Quibus literis lectis, Nero ita reſpondit: Nonne ergo, qui verberavit Neronem, ſe ipſum vita ſpoliavit?* Non urgebimus, ἄγνως pro ἄλλως legi debere, *non agnitus*. Controverſiæ obnoxium hoc in medio relinquemus, non ignorantes vim particulæ ἄλλως, certiorem autem medicinam adhibebimus vocibus οὐκοῦν ἤδη. Pulchre animadverterunt Viri docti ὡς γὰρ ἀναγνοὺς ἔφη non habere apodoſin, quod vitii in ἤδη latentis admonere poterat. Deinde quoque incommodum id eſt, quid de *Montano* factum, conjecturæ lectoris permitti. *Dio* ſic non ſolet. Præterea, ſi illud dicere voluiſſet *Dio*, quod Latina interpretatio ipſi tribuit, debuiſſet ἤδη omittere, & τύψας in aoriſto efferre, ut de re præterita, non τύπτων in præſenti. Scripſit ergo *Dio* procul dubio οὐκοῦν ᾔδει, & verba οὐκοῦν ᾔδει Νέρωνα τύπτων ſunt *Neronis*, cetera Hiſtorici. *Nero* aliud nihil, quam hoc,

hoc, reſpondebat: *Ergone ſciebat, ſe Neronem tundere, cum id faceret?* Et *Dio* rem ſic narrat: *Nam, cum, lectis literis, Nero dixiſſet: Ergòne ſciebat, ſe Neronem tundere? Montanus vita ſe exuebat. Pag. 1046, 24*, pro μέχρι ἡμέρας legendum videtur μέχρι ἑσπέρας; *pag. 1058, 78*, πρὶν δηρὸν σιγήσας *poſt longum ſilentium*; & *pag. 1060, 9*, αἰωρεῖται, *ſuſpenſi oſcillant, fluctuant.* Sed præcipue attentionem meretur locus *pag. 1074, 78*, ſeu primo *paginæ.* Narrat *Dio*, *Vitellium*, a *Veſpaſiani* militibus ad ſupplicium requiſitum, in caveam canum ſeſe abdidiſſe. Verum illum ἀναζητήσαντες οἱ ϛρατιῶται καὶ ἐξευρόντες — συνέλαβον ΥΦΑΝΤΟΥ καὶ αἵματος ἀναπεπλησμένον. Satis, quod ad ſenſum, bene redduntur hæc Latine: *Sed inveſtigatus inventusque a militibus, — ſordibus & ſanguine perfuſus, (quod eum canes laſerant,) deprehenditur.* Non latuit, neque poterat, vitium, voci ὑφαντοῦ adſperſum, ſed emendatio adhuc deſideratur. Nobis, locum illum legentibus, incidebat alius *Æliani Var. Hiſt. XIII, 1*, eodem morbo laborans, eademque medicina ſanandus. Legitur ibi de Centauris: ἐπὶ τὴν παῖδα ἔσπευδον κακοὶ μνηϛῆρες σὺν ὕβρει καὶ ΑΝΤΡΩι τὰ ἕδνα τῶν γάμων προεκτελοῦντες. Ut hic loci apud *Ælianum* legendum eſt καὶ ΛΥΘΡΩι, ita quoque apud *Dionem* in loco præſenti ΛΥΘΡΟΥ. Scilicet primus librarius ſcripſerat per errorem ΑΝΤΟΥ, vel ΑΝΤΡΟΥ. Alius doctus poſſeſſor ſuper literas ΝΤ literas ΥΘ ſcribebat, ut emendationem, alius denique, has partem vocis eſſe credens, inde efficiebat ΥΦΑΝΤΟΥ. Hæc eſt genealogia hujus vitii. Græcis frequens eſt dictio αἵματος καὶ λύθρου ἀναπεπλησμένος, *ſanguine & tabo ſordidus. Lucianus* in *Tyranno pag.* edit. *Wetſten.* αἵματος καὶ λύθρου ἀναπεπλησμένον habet. *Pag. 1091, 69*, legitur διαίτῃ ὁμοίᾳ νοσῶν, & redditur: *quod morbo correptus nihil de quotidiana victus ratione remitteret.* Diſſimulant Latina vitium, Græca nihilo minus laborant, ſic reſtituenda: ὁμοίᾳ ἀνόσων, id eſt, διαίτῃ ὁμοίᾳ τῇ τῶν ἀνόσων διαίτῃ, *quod eodem victu uteretur, atque morbis liberi. Pag. 1092, 100*, aptius videtur κρατοῦντος, quam κράτους. Locum *pag.*

1105,

Digitized by Google

1105, 52, ſupra jam conſtituimus. Sed, miſſis his, aliisque multis minoris momenti, duo tantum adhuc alios, aliquanto difficiliores, locos ſub incudem vocemus, quorum primus exſtat *pag. 1235, 46.* Narrat ibi *Dio*, *Julianum*, rapto, poſt *Pertinacis* cædem, imperio, e caſtris Romam *veſpere veniſſe*, quod bene tenendum: πρὸς ἑσπέραν ἔς τε τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ βȣλευτήριον ἠπείχθη, ait *pag. 1234, 27.* Se igitur, *Dionem*, ceterosque Senatores, quamvis tyrannidem ejus & patratum facinus deteſtarentur, non potuiſſe tamen metu armorum ipſi obviam non procedere. *Ergo*, ait, προήλθομεν, ȣ̓χ᾽ ὅτι δεδȣλωμένοι, ἀλλὰ καὶ δεδειπνηκότες, καὶ ὠσάμενοι διὰ τῶν στρατιωτῶν ἐς τὸ βȣλευτήριον ἐσήλθομεν. Verſa hæc ſunt in hunc modum: *Tamen, quod tutum non videbatur domi remanere — procedimus, non quidem quaſi in ſervitutem redacti, ſed ante cœnati, & per milites medios perrumpentes, introivimus in Senatum.* Vel non monitus orationem probam *Dione*que dignam in his nemo non deſideret, Quid enim ſervituti cum cœna commune; quæ manifeſte opponuntur, ȣ̓χ ὅτι (id eſt, ȣ̓ μόνον) δεδȣλωμένοι, ἀλλὰ καὶ δεδειπνηκότες. Si recogitamus, ea, quæ *Dio* narrat, ſub veſperam contigiſſe, & Romanos conſueviſſe ſub veſperam, una hora ante cœnam, ſe lavare, non difficile eſt, in id, quod *Dio* reliquit, & ſignificavit, devenire. Dedit nempe ȣ̓χ᾽ ὅτι λελȣμένοι, *Procedebamus non tantum loti, ſed etiam jam cœnati.* Tam ſero erat. Conf. *Charito Afrod. pag. 24, 23,* ubi quoque δέδοκτο pro λέλȣτο ſcriptum eſt vitioſe, Alter, & ultimus locorum, quos hic voluimus examini eruditorum ulteriori proponere, habetur *pag. 1329, 22:* ὁ Φλάκκος τὴν τῶν τροφῶν διάδοσιν, ἣν ὁ Μανίλιος πρότερον ἔσχε, τῆς κατ᾽ αὐτȣ̃ συκοφαντίας γέρας εἰλήφει, ἐπετράπη καὶ αὐτήν. Non poſſumus Doctiſſ. *Reimari* emendationem εἰληφὼς, ejusque interpretationem, non laudare. Eſt autem hæc: *Flaccus, qui diſtributionem annonæ, quam Manilius ante curabat, ob hunc delatum, muneris loco* (nempe in promiſſis) *acceperat, eidem muneri a Macrino fuit præfectus.* At, ſequentium interpretationem ſuam, viderit, multisne appro-

bare

Digitized by Google

bare queat. Locus hic eſt: *καὶ μετὰ τȣ̃το τό τε διαδίδοσθαι τινα ἐν ταῖς τῶν ϛρατηγȣ́ντων πάνυ θέαις, πλὴν τῶν τῇ Φλώρᾳ τελȣμένων, δικαιονόμοι οἱ τὴν Ιταλίαν διοικȣ̃ντες ἐπαύσαντο, ὑπὲρ τὰ νομιοθέντα δικάζοντες.* *At poſtea morem illum diſtribuendi quædam in ludis illis majoribus, quos Prætores curant (exceptis, qui Floræ fiunt,) Juridici, Italiam adminiſtrantes, aboleverunt, præter ſtatuta a* Marco, *jus dicentes.* Poſtrema obſcura nobis accidunt. Docta quidem de Juridicis Italiæ attulit, & probabile facit ex inſcriptione quadam apud *Gruterum pag. MXCIII, 3,* ad eos quoque frumenti diſtribuendi curam ſpectaſſe, cui favet, quod *διοικȣ̃ντες τὴν Ἰταλίαν, proviſores Italiæ, diſpenſatores ejus,* appellantur, negat tamen, recte ex hoc loco *Caſaubonum,* & eum ſecutos, confeciſſe, Juridicos, a *Marco* inſtitutos, ſub *Macrino* deſiiſſe. Deſiiſſe quidem illos omnino, ſed de tempore, quo id contigerit, non conſtare. Impoſuiſſe id viris doctis, quod *ἐπαύσαντο* ſeorſim ſumſerint, cum debuiſſent id cum vocabulo *δικάζοντες* copulare, & cum eo conſtruere, eamque dictionem, *ἐπαύσαντο δικάζοντες,* aliud nihil Græce ſignificare, quam Juridicos deſiiſſe præter *Marci* præſcripta jus dicere, ſeu deſiiſſe in jure dicundo normam legum *Marci* excedere. Quantum videmus, non congruunt hæc Latinæ interpretationi. Et ſunt aliæ quoque præterea difficultates, hunc locum prementes. Primum enim, etiamſi eum feras dictioni *πάνυ θέαις* patrocinantem, & exponentem *majoribus ludis,* item *maximis & ſanctiſſimis ludis,* ideo quod *αἱ πάνυ γυναῖκες illuſtriſſimæ fæminæ, οἱ πάνυ ſummi viri, Dioni* ſint, tamen ſaltem *ταῖς* debebat ante *πάνυ* repeti. Sed videtur librarius aut voluiſſe vocem *πανηγύρεσι* ſcribere, deinde, animadverſo errore, omiſiſſe, relictis tamen ejus veſtigiis; aut debuiſſe *πάσαις* ſcribere *in omnibus ludis.* Secundo loco *ἐπαύσαντο* eſt *deſierunt,* ut recte in nota exponitur, *aboleverunt* autem, quod verſio ſuggerit, Græci per *ἔπαυσαν* efferunt. Tertio pendet *τε verſu 11* ante *διαδίδοσθαι,* neque habet ſecundum *τε,* aut *καὶ,* ſequens, quod abeſſe tamen nequit. Ulteriores itaque ambages evitaturi, locum rurſus adſcribemus, ut nobis

quidem conſtituendus videtur, judicio integro eruditis relicto: *καὶ μετὰ τοῦτο τό τε διαδίδοσθαί τινα ἐν ταῖς τῶν στρατηγούντων πάσαις* (aut ſaltem abſque *πάνυ.*) *θέαις, πλὴν τῶν τῇ Φλώρᾳ τελουμένων, ἐκωλύθη, οἵ τε* (vel *καὶ οἱ*) *δικαιονόμοι τὴν* (abſque *οἱ*, quod iteratum fuit ex ſyllaba vocis præcedentis ultima,) Ἰταλίαν διοικοῦντες ἐπαύσαντο, ὑπὲρ τὰ νομισθέντα ὑπὸ τοῦ Μάρκου δεκασθέντες, *diſtributio frumenti in ludis Prætorum omnibus* (*ſolis Floralibus exceptis*) *inbibebatur, & Juridici proviſione Italiæ decedere jubebantur, propterea quod ultra mercedem, ipſis a Marco ſtatutam, dona accepiſſent, &, iis ſe corrumpi, ſiviſſent.*

JO. BAPTISTÆ MORGAGNI IN A. CORN. CELſum, & Q. Serenum Samonicum, Epiſtolæ decem; quarum ſex nunc primum, prodeunt.

Patavii, excudebat Joſephus Cominus, 1750, 8.
Plag. $21\frac{1}{2}$.

Undetriginta ſunt anni, quibus ab hac nova editione præterlapſis, Celeberrimus *Morgagnus tres Epiſtolas* in Medicorum illum Ciceronem, *A. Cornelium Celſum*, & *unam* in *Q. Serenum Samonicum*, itidem vetuſtum Medicinæ ſcriptorem, ediderat, ea occaſione, quod Vir Clariſſimus, *Jo. Baptiſta Vulpius*, utrumque Medicum, illum opera *Theod. Janſonis Almeloveenii*, hunc ſtudio *Roberti Conſtantini*, recuſum, eruditis in manus tradiderat. Divinationes illæ varias continebant, & conjecturas, veterum Codicum autoritate confirmatas: de quarum præſtantia, & de acumine Clariſſ. *Morgagni*, guſtum dedimus in his *Novis Actis Eruditorum Menſe Julio Anni* 1724 *pag. 286 - 291*, ad quam recenſionem Lectores adeo noſtros remittimus. Prodierant tum Epiſtolæ, una cum ipſis Autoribus, dedicatæ inclito ſeculi noſtri Medico, D. *Laurentio Heiſtero*, jam illo tempore Academiæ Juliæ, quin univerſæ Germaniæ, ornamento: atque nunc ſeorſim apparent, non adjectis *Celſo* & *Samonico*, ſed auctæ *ſex aliis* *Epi-*

Epiſtolis, primum editis, eodem *Heiſteri* & illuſtri nomine ſplendentes. Igitur, miſſis *tribus* prioribus Epiſtolis, de quibus ſuo tempore diſſeruimus, pauca nunc dicemus de his novis, primum adjectis, &, quæ in iis induſtria, acumen, eruditio *Morgagni*, Viri præſtantiſſimi, compareat, videbimus.

In *Epiſtola IV* conqueritur *Morgagnus* de eo, quod nonnulli exſtiterint, qui & ipſum, & doctiſſimum *Vulpium*, alienæ culpæ reos fecerint, &, quæcunque in *Celſo* atque *Samonico* edendis *Almeloveenius* & *Conſtantinus* peccarunt, aut peccaſſe illis viſi ſunt, eorum omnium rationem ab ipſo, ac *Vulpio*, repetierint; cum tamen *Vulpius* non ſiluerit in libri fronte, quorum editionem repræſentaret, nec ipſe *Morgagnus* unquam fuerit pollicitus, aut in ſe recepiſſet, vel *Celſum*, vel *Samonicum*, edere. Eo magis miratur, *Jo. Henr. Schulzium* in *Exercitatione de Oſſib. conferventib. §. 1* ſcribere potuiſſe, *Celſum cura Almeloveenii, Georg. Wolfg. Wedelii, Morgagni, in lucem publicam datum eſſe*, & ipſi adeo eam dicam ſcribi, quæ *Lindenio*, cujus editionem ſecutus eſt *Almeloveenius*, ſcribitur. Dolet quidem, adverſo rei medicæ fato accidiſſe, ut, quamvis *Joſeph. Scaliger*, *Jo. Walæus*, *Mentelius*, *Jacob. Holſtius*, *Adolphus Vorſtius*, *Petrus Dacquetus*, contulerint diligentes labores in *Celſum*, tamen nemo unus adhuc exſtiterit, a quo ejus editionem, numeris omnibus abſolutam, haberemus. *Jo. Antonides Lindenius* enim, atque *Almeloveenius*, in ſuis ad hunc Scriptorem Præfationibus, ſe præterea habere, ſignificarunt, quod *Celſo* addi poſſet, ſive Obſervationum, ſive variantium lectionum, ſive Lexici præſertim, adeo ab omnibus deſiderati. *Petrus Paulwius* vero, qui pauca edidit capita, ſaltem ſpem fecerat, totum *Celſum* a ſe editum iri, non ſecus, ac *Jodocus Lommius* antea, cum *Librum Celſi primum* Commentariis ornaſſet. Nam *Nicolao Blancardo* annotationes ſurreptæ; *Joanni Rhodio* autem, nec non *Thomæ Bartholino*, præclari labores, non ſine magno dolore, incendio abſumti ſunt. Suſceperant deinde eam curam *Jo. Henr. Schulzius*, & *Jo. Jac. Baierus*; ſed, utroque e vivis erepto, quis in utiliſſimi hujus inſtituti procura-

Pag. 67. 68. 69.

curationem ſucceſſerit, *Morgagnus*, ignorare ſe, fatetur: hoc unice confirmat, nunquam ſe in animo habuiſſe, aut *Celſum*, aut *Samonicum*, edere. Quæ cum ita ſint, & cum deſideretur adhuc editio *Celſi*, quæ perfecta dici poſſet, ferre tamen non
Pag. 71. poteſt Clariſſ. *Morgagnus*, quod *Schulzius* in *Exercit. cit.* *§. 2 & 4 Lindenii temerarias*, ut loquitur, *mutationes* exagitat, eumque *nimis audacem in Celſo refingendo* vocat, *qui conjecturas temere in textum intulerit, ſana & belliſſima ſæpe veteri ſcriptura eliminata.* Nam, quamvis negari non poſſit, *Lindenium* nonnunquam indulſiſſe aut ſuis, aut doctorum hominum, conjecturis; iniquum tamen *Morgagnus* putat, eum ideo de ſumma audacia atque temeritate accuſare.
72. Unum, pergit, in *Lindenio* minus probandum eſſe, quod fortaſſe ne ipſe quidem facturus fuiſſet, niſi adeo parva, quam omnino voluerit, libri forma coegiſſet. Scilicet aut nihil in *Celſi* contextu mutandum fuiſſe, ſed, quid, & quomodo, mutandum crediderit, in ora duntaxat libri annotandum; aut ſaltem, ſi mutare tamen maluerit, in eadem
73 ſeq. ora, quid antea legeretur, ſignificandum. Jam de ipſo *Celſo* nonnulla diſſerit, & inquirit, num *Aurelius*, vel *Aulus*, ipſius fuerit prænomen, *Danielem* confutans *Clericum*, qui in libri, *Hiſtoire de la Medecine* inſcripti, *P. II Lib. IV Sect. 2 Cap. 4* affirmavit, in omnibus manu ſcriptis Codd. inveniri hunc titulum: *A. Cornelii Celſi*, & unam ſaltem eſſe *Aldi Manutii* editionem, quæ mutet *Aurelium* in *Aulum:* cum tamen *Hieronymus Rubeus*, qui ſuas in *Celſum* annotationes abſolverat A. 1607, hoc earum initium fecerit: *Vetus Codex Vaticanus Manuſcriptus inſcriptionem libri ſic habet: Auli Cornelii Celſi Liber ſextus, idemque Medicinæ primus. Quod Auli prænomen eo magis in Cornelio Celſo placet, quod Aurelius Romanæ familiæ nomen fuit, Aulus autem Corneliæ prænomen.* Æta-
76. tem *Celſi* ponit ante *Claudii Cæſaris* imperium, idque ex eo probat, quod *Plinius Lib. XIV Cap. 2* commemorat *Julium Græcinum*, qui *Celſum* transſcripſit. Fuit autem *Julius Græcinus* pater *Julii Agricolæ;* in cujus *Vita Tacitus* refert,
77. eum a *C. Cæſare* interfectum. De profeſſione etiam *Celſi* adhuc

Digitized by Google

adhuc dubium eſt apud aliquos. Diſceptatur enim, Medicusne fuerit, nec ne. Sed facile dirimi poterit controverſia. Quodſi id volunt, *Celſum* non ita exercuiſſe medicinam, ut qui mercedis cauſa ſolent, ſed tamen ut in gravioribus caſibus ab amicis & a pauperibus ſe pateretur adiri, habebunt ſecum facientes *Rubeum*, *Lindenium*, ipſumque adeo (ut *Morgagnus* animadvertit,) *Celſum*, *Lib. III Cap. 4 pag. 120.* Quod vero tot alia, & tam varii argumenti, ediderit, non inde conficitur, eum Medicinam præ ceteris non adamaſſe: de qua ille ſane adeo accurate ſcripſit, ut, cum cetera ejus opera ætatem non tulerint, hoc unum de Medicina opus poſteritas conſervarit. *Scepticum* eum fuiſſe, *Paulwius* nobis perſuadet in *Præfat. in Comment. in quædam Capita Celſi*, idque credit *Quintilianum* dixiſſe *Inſtit. Orat. Lib. X Cap. 1.* Sed id minus accurate. Nam, quamvis *Quintilianus* eo loco illos commemoret, qui literis Latinis eloquenter tractaverant Philoſophiam, & ibi addat, *ſcripſiſſe non parum multa Cornelium Celſum, Scepticos ſecutum, non ſine cultu ac nitore:* tamen, ubi ea attingit *Lib. XII Cap. 11*, quæ de Rhetorica & de Medicinæ præceptis reliquerat *Celſus*, non indicat, quos ſecutus ſit. Melius igitur cenſet *Lindenius* in *Præfat. ad Celſum*, eum in libros de Medicina meliora quæque cujusque ſectæ, habito delectu, congeſſiſſe, & egiſſe Eclecticum, ſeligentem ea, quæ ſibi magis probarentur. Id *Morgagnus* etiam alia ratione confirmat. Nam quid magis decuiſſet Scepticum, quam illam Empiricorum dubitationem tueri, *num interiora corporis per diſſectionem ſint notiora;* quia fieri poſſit, ut patefacta & detecta mutentur. Hæc enim eorum verba ſunt apud *Ciceronem* in libro, qui *Lucullus* inſcribitur. *Celſus* autem illam Scepticorum, quam repudiavit, opinationem bono in lumine collocavit, eadem fide, qua Medicos rationales induxit ſummis laudibus Anatomen exornantes. His expoſitis, plurimos locos *Celſi*, illuſtratione, aut emendatione, dignos, corrigit, aut tuetur, nec non, quæ in prioribus Epiſtolis olim ſcripſerat, defendit. A ſententia *Petri Paulw* in pleriſque recedit, ac ſuas opiniones multo acumine confirmat. Linguam ana-

Pag. 82.

86 - 99.

tomicam aliquot vocibus ex *Celſo* auget, in Latinis Lexicis
Pag. 100. non reperiundis. Cujus generis hæ ſunt. Quam in mulierum genitalibus Anatomici *vaginam* vocant, eam *Celſus canalem* dicit. In virilibus quam *glandis coronam* dicunt, hæc a *Celſo Lib. VII Cap. 25 circulus glandis* nominata eſt. *Funiculus umbilicalis*, quem Lexica quædam cum *Tertulliano nervum umbilicalem* appellant, a *Celſo Lib. V Cap. 29 um-*
101 - 103. *bilicus* vocatur. Denique obſervat, *arterias* a *Celſo*, & ab aliis priſcis, *venarum* duntaxat nomine deſignatas, ſcriptumque fuiſſe *nervum* pro *muſculo*, & *membranam* pro *nervo*.

104. In *Epiſtola V* emendat denuo multos locos elegantiſſimi hujus Medici, & in uno ſubinde *Capite* plures annotat mutationes. Nec ea unice attingit penſa, quæ medicorum filiis utilitatem præſtant, ſed etiam hæc, quæ cultoribus Latinæ
109 - 112. linguæ. Nam ſuboffendi aliquis poſſet, ſi apud *Celſum Lib. III Cap. 21*, aut *Lib. IV Cap. 8*, legit *in initio*, vel *in ſequentibus diebus*. Quod utrumque, niſi in *Lindenii* quoque editione eſſet, operarum excidiſſe incuria, credi poſſet. Itaque monet lectorem, in plurimis editionibus ſcribi *inſequentibus diebus*; in omnibus autem, & in Codicibus, quos vidit, *initio*. Similiter aliquoties contendit, ab *Almeloveenii* exemplari diſcedendum eſſe. Sic *Lib. I Cap. 5* edidit *Almeloveenius: poſt cibum aut contentio, aut fatigatio, animi*. Aliæ editiones legunt *cogitatio animi*. Sed duo Codices, alter in Foro Livii, alter Venetus apud Clericos Regulares, ſervat *agitatio animi*. Hæ lectiones & Codicum, & editionum, ſi ab *Almeloveenio* indicatæ fuiſſent; nemo erat defuturus, qui Codices ſequi maluerit. Eodem modo *Lib. VIII Cap. 7* recedendum eſt ab *Almeloveenio*, ſequenti loco: *Niſi duæ partes ejus temporis, intra quod quæque oſſa* conferveſcunt, *tranſierint*. Celeb. *Morgagnus* jam in *tertia Epiſtola ad Vulpium* annotaverat, in duobus Codd. pro *conferveſcunt* legi *conſervantur*, in editionibus autem ejus omnibus *conſeruntur*. Sexto poſt anno exſtitit *Jo. Henr. Schulzius*, qui, in *Exercitatione de Oſſibus conferventibus* §. 1 & 2 actum agens, atque, ut ait *Morgagnus*, emendationem *Conſtantini* tacitus deſcribens, *Lindenium* acri-

ter

ter damnaret, quod non retinuerit *conſeruntur*, quo in verbo veteres ad univerſum omnes conſenſiſſent. Quicquid igitur ſit, quamvis bene ſe habeat emendatio, non erat tamen, quare *Lindenius* (qui ſæpiſſime, ubi Codd. habebant *conſervet*, recte edidit *conſervet*,) non laude potius, aut excuſatione, quam contumelia, dignus eſſet, quod ad eundem modum emendaverit. Alius locus eſt apud *Celſum Lib. VII Cap. 1*, Pag. 119-121. ubi ante *Lindenium* omnes editiones legebant vetuſtum illud verbum *luxata*. Sed primo, eam vocem, ut accipi quidem ſolet, res ipſa, de qua ibi agitur, evidenter reſpuit: agitur enim de ſugillatis & contuſis. Deinde *Celſus* verba *luxatum* & *luxum* potius *Catoni*, & ejus antiquorum verborum ſtudioſo, *Criſpo Salluſtio*, reliquit, & tanto ſtudio fugit, ut *Lib. VIII Cap. 11* & quatuordecim, quæ ſequuntur, cum de luxatis oſſibus ſemper ageret, nunquam hoc verbo, ſed aliis, & pluribus potius, ne eo uteretur, uſus ſit. Nam *de loco*, aut *ſedibus ſuis*, *moveri*, *excidere*, *elabi*, *loco ſuo non eſſe*, *expelli*, *procidere*, *labi*, *prodire*, oſſa, dixit, & pleraque horum verborum repetere etiam ſæpe maluit, quam ſemel, *oſſa luxari*, ſcribere: ut, niſi aliæ eſſent, hæc una animadverſio ſatis oſtenderet, non eſſe a *Celſo* inſcriptiones iſtorum capitum: *de Oſſibus luxatis*, *de Maxilla luxata*, & ceteras hujusmodi. Recte igitur fecit *Lindenius*, quod ſuſtulit verbum *luxata*: fortaſſe etiam hoc recte, quod pro illo reſcripſit *vexata*; non modo quia leviſſima mutatione, ſed & quia *Conſtantino*, & ejus Codice, non diſſentiente, id fecit. Tamen afferre debuiſſet *Almeloveenius*, quid antea ſcriptum fuiſſet, & cauſam inſuper, quod non dubitaverit, *vexata* pro contuſis, vel ipſo *Celſo* autore, poſſe accipi. In reliquis emendationibus, judi- 122-140. cioſis illis & pulchris, *Almeloveenii* habet tamen *Morgagnus*, quod ſibi diſpliceat, nempe hoc, quod iſte lectionum varietatem rariſſime Lectoribus indicaverit, cum alii, uti ſunt hominum varii ſenſus, aliter fortaſſe legere maluiſſent.

In *Epiſtola VI* integra multos affert locos ex *Almeloveenii* 142-170. ſcriptura, qui non facile ab ullo probari poſſunt. Oſtendit enim, nonnulla ſuperflua ab eo, *Lindenium* ſequente, adjecta,

jecta, alia verba non feliciter mutata, alia præter rationem idoneam emendata, & alia digna, fuiſſe, in quibus lectio melior aut indicata eſſet, aut etiam propoſita. Neque tamen audet hanc culpam conferre in *Lindenium*, quaſi Marte, ut dicitur, ſuo tot mutaverit, multo minus, quod mutando plura vitiaverit, quam emendaverit. Nam collatio cum libris, ſeu typo, ſeu calamo, deſcriptis, eum docuit bene multa, quæ a *Lindenio* primum invecta credi poſſent in quibusdam antea editionibus, aut Codicibus, fuiſſe: plurima autem ne intelligi quidem potuiſſe, niſi emendationibus, quas ratio & facilitas ipſa commendat, ab eo excogitatis, reſtituta eſſent. Laudat potius *Almeloveenii* editionem, & probat conſilium Clariſſ. *Vulpii* & exterorum, qui, cum formis deſcribendum curarunt *Celſum*, ſecundum hanc editionem identidem emiſerunt.

Epiſtola VII exhibet proprias *Morgagni* conjecturas ac divinationes in *Celſum*, quas Vir longe doctiſſimus potius conatus divinandi, quam ipſas divinationes, qua nimirum eſt ſumma modeſtia, nominat: quæ vero ita omnes ac ſingulæ comparatæ ſunt, ut in adornanda nova editione *Celſi* earum inprimis ratio haberi debeat. Dignæ omnino ſunt, quæ diligentiſſime perpendantur. Sunt enim nonnulli loci apud *Celſum*, de quibus Codices nihil aliud oſtendunt, quam iſtos vitiatos eſſe, at medicinam, qua ſanari poſſint, non afferunt. *Morgagnus* igitur, Vir tantæ perſpicientiæ & acuminis, magnam meretur laudem, quod ejusmodi ſuſpiciones proferre voluit, quarum aliæ non abhorrent a ſimilitudine veri, aliæ autem certitudine ipſa ſua ſe commendant. *Lib. II Cap.* 7 hæc leguntur: *Tum in ſuperioribus partibus fit abſceſſus: ac, ſi inter ipſa initia ſanguis e naribus non fluit, circa aures erumpit.* Eum locum in mendo eſſe, Vir Cel. inde colligit, quia omnia, quæ hæc verba præcedunt, & quæ ſubſequuntur, ex *Hippocratis Prænotion. Coac. N. 6*, ipſo adeo rerum conſervato ordine, deſumta ſunt. Eo tamen in loco, ut & alio quodam *Coacarum Prænotionum*, verba quidem fiunt de ſanguine, e naribus, ſed poſt parotidis eru-

(Margin: Pag. 170. — beside "ma modeſtia, nominat"; 171 ſeq. — beside "Lib. II Cap. 7")

eruptionem, fluente. Quærendum eſt igitur, unde ſumſerit *Celſus*, & cur hoc loco interjecerit. Quæ dum fiunt, intellexit *Morgagnus*, ipſam ſcripturam officere huic perquiſitioni. Verba enim, *ſanguis e naribus* neque in Codice ullo MSto, neque in editionibus, quas ſervavit, deprehendit; & vix *Conſtantinus* & *Balduinus Ronſſeus* in libri ora ſcribunt *initia*, aut *viſcera*, cum in contextu omnes ſcribant *ipſa ulcera*; alii autem *non fluit*, alii *non fuit*. Itaque in mentem venit *Morgagno*, ita legere: *Tum in ſuperioribus partibus fit abſceſſus: ac, ſi inter ipſa viſcera non fit, circa aures erumpit*, abſceſſus videlicet. *Lib. VIII Cap* 7 præſcribitur Pag. 181.
a *Celſo* his, quorum maxilla eſt fracta, non modo humidus diu cibus, ſed inſuper additur, *etiam, cum tempus proceſſit, in lagano ſimilibusque aliis perſeverandum eſſe, neque quidquam edendum, donec ex toto maxillum callus firmaverit.* Suſpicatur *Morgagnus*, aut *Celſum* tria iſta verba, *neque quidquam edendum*, non ſcripſiſſe, aut, ſi ſcripſit, aliud quoddam interjeciſſe, quod a librariis præteritum ſit, ut puta *durius*, aut aliud ejuscemodi, nempe ad hunc modum, *neque quidquam durius edendum*. Nam laganum, ut tenue eſſet, quantum ex *Acrone in Horatium Lib I Sat. 6* intelligitur, comedebatur, quod & ipſe *Acron* diſerte ait, non potabatur. Quomodo enim *Celſus*, qui modo diceret, in lagano perſeverandum eſſe, mox negaret, quidpiam edendum? Sequuntur jam *Variæ* 185.
quædam *Lectiones* ex Codice Forolivienſi, in membranis ſcripto, quem *Morgagnus* contulit cum editione *Celſi* apud *Philippum Pinzi*, Venetiis, A. 1497. Hanc editionem, *Morgagnus* ait, eo gratiorem ſibi in dies fieri, quo magis conveniat in pleriſque cum editione prima Florentina, apud *Nicolaum* A. 1478 vulgata. Codex autem nonnunquam plane aperteque exhibet veram ſcripturam. Id quod uno exemplo compro- 189.
babimus. *Lib. VII cap. 26*, ubi *Celſus* docet, quomodo via ferro facienda ſit, per quam calculus e veſica eximatur, hæc legebantur: *Juxta anum incidi cutis plaga lunata usque ad cervicem veſicæ debet, cornibus ad coxam ſpectantibus paululum: deinde ea parte, qua ſtrictior ima plaga eſt, etiamnum ſub cute, altera transverſa plaga facienda eſt, qua cervix aperia-*

riatur. Cum omnia ferme exemplaria in iis præſertim verbis conveniant, *qua ſtrictior ima plaga eſt;* horum loco in illo Codice ſcriptum fuerat, *qua reſima plaga eſt.* Sciunt Medici eruditiores, qua ſignificatione, non ſatis in Lexicis expreſſa, utatur *Celſus* voce *reſima*, cum renes dicit *a parte altera reſimos, ab altera rotundos* (*Lib. IV Cap. 1*). Hic autem de plaga *lunata* verba fiunt: & hæc nova, ſeu vetuſtiſſima potius omnium, ſcriptura aperte docet, transverſam plagam ad *lunatam* illam ab ea parte eſſe addendam, a qua extant ejusdem cornua. Ea lectio longe eſt præſtantiſſima; ac eo magis, quo graviori in re hoc loco *Celſus* verſatur, quæ pertinet ad illam rationem calculi extrahendi, quam inter ceteras optimam multis de cauſis oſtendit idoneus, ſi quis alius, harum rerum exiſtimator, Cel. *Laurentius Heiſterus*, in *Diſſert. de Lithotomiæ Celſianæ præſtantia*: qui præterea, ex eadem ortam eſſe, non dubitat, *methodum*, ut vocant, *lateralem*, nunc maxime celebratam, confirmatque teſtimonio *Ravii*, qui, de hac methodo, *Raviana* etiam dicta, interrogatus, ſæpe reſpondit, *legite Celſum*.

Pag. 190-192. Alia, eaque elegantiſſima, lectio hæc eſt, quod *Lib. I Cap. 2*, ubi *Celſus* ait, ambulationem meliorem eſſe eam in umbra, *quam parietes, aut viridiaria, efficiunt, quam quæ tecto ſubeſt;* quod, inquam, pro voce *viridiaria* legere vult *viridia*. Et id optime quidem. Differunt enim *viridia* a *viridiariis* hoc modo, quod *viridiaria* non niſi loca herbis & arboribus virentia, *viridia* autem aliquando quidem eadem hæc loca, alias autem etiam arbores & ipſæ plantæ virentes, videntur ſignificari. Ita *Phædrus* dixit *Lib. II Fab. V verſ. 14*: *Perambulante læta domino viridia.* Sic *Vitruvius de Architect. Lib. V Cap. 9* ſcripſit: *Media vero ſpatia, quæ erunt ſub divo inter porticus, adornanda viridibus videntur.* Itaque *Celſus* non dicere voluit *viridiaria*, quæ ipſa ſunt loca, ſeu ſpatia, ſed *viridia*, arbores, vel plantas, virentes, nempe ut haberent ambulantes etiam a viridibus ſalubritatem.

204 ſeq. Redit Clariſſ. *Morgagnus* ad eos locos, in quibus ſuſpicatur, ob pravam verborum diſtinctionem ſententiam eſſe corruptam. *Lib. II Cap. 29* Inter

inter ea, quæ alvum movent, ponuntur *uvæ recentes pingues, minutæ aves, cochleæ*, cet. *Capite* autem *ſequente* inter ea, quæ contra adſtringunt, recenſentur *dura ova, magisque ſi aſſa ſunt; minutæ aves, merula, palumbes;* cet. Num igitur eædem *minutæ aves* alvum & adſtringunt, & movent? Hæc inter ſe pugnare, ſenſit jam *Balduinus Ronſſeus Enarrat. in hos locos*, commentusque eſt, primo loco teneras & nuper excluſas, elixasque, altero ſiccas, & adultas, & aſſas, innui. Quaſi vero *Celſus*, ſi ita intellexiſſet, per ſe declarare non conſueſſet. Idem reſponderi poteſt *Guilielmo Pantino*, qui in *Comment. in primum loc.* teneras durasque diſtinxit. At enim vero, mutatis inter verba diſtinctionibus, omnis repugnantia tollitur, legitque *Morgagnus* ad hunc modum: *uvæ recentes, pingues minutæ aves.* Id longe facilius poteſt, quam quod *Ronſſeus* non dubitavit, quin *pingues uvæ* eſſent intelligendæ. Nam epitheton *pingui* meliusne de *uvis*, an de *avibus*, dicitur? Omnino de *avibus*. Pinguedo enim proprie in animalibus eſt, & *caro pinguis* diſerte a *Celſo* in iis, quæ alvum movent, commemoratur.

In *Epiſtola VIII*, eaque ultima, ſententiam fert de *Joſephi Scaligeri Annotationibus in Celſum*, recentiſſimæ editioni, quæ Lugduni Batavorum prodiit A. 1746, primum adjectis. Illæ annotationes ipſi videntur non ab una eademque manu profectæ. Eſſe enim alias, e quibus ingenium & varia doctrina eluceat: at alias viciſſim adeo ab illis diſcrepantes eſſe, ut prope pœniteat legiſſe. Eam ſententiam, non temerariam, exemplis illuſtrat varii generis, & oſtendit, ſæpe verba *Celſi* immutata; ſæpe per cauſam gloſſematum plane ſublata eſſe: in aliis Annotationum Autorem mallet ingenium potius ſuum exercuiſſe, quam *Celſum*, quem tueri æqua interpretatione decebat, præpropera feſtinatione damnaviſſe: in aliis eſſe obſcurum dicit; in aliis eſſe facilem, nempe in iis, quibus aliquis redarguitur. Et, cum incognitus aliquis Autor (ſed quem nunc conſtat eſſe *Wilhelmum Noortwyk.*) in Præfatione, quam nomine Bibliopolæ huic editioni præfixit, hæc adjecerit verba: *quo quidem in inſtituto ſi viro divino (Joſephum* Pag. 220-242.

putat Scaligerum,) perſeverare libuiſſet, næ ille Lindenios, Almelovéenios, Morgagnoſque, viros doctos illos quidem & acutos, ſed huic Augiæ ſtabulo expurgando minime pares, longe poſt ſe intervallo reliquiſſet: Morgagnus hæc verba generoſo
Pag. 238. contemtu negligit, nec aliud adjicit, præter id: *bene fuiſſe actum cum Celſo, quod Autori, quicunque is tandem ſit, alias*
239 - fin. *ejuſdemmodi Annotationes addere, non libuerit.* Finem Epiſtolæ imponit conſiliis, & recenſione apparatus Variantium Lectionum, Editionum, Scholiorum, & Annotationum in *Celſum*, & Clariſſ. *Vulpio* ſuadet, autor ſit typographo, eandem, quam prius, *Almelovéenii* editionem repræſentandi, imo omnia, quæ ab *Almelovéenio* non ſunt, omittendi. Modeſte etiam adjicit *Morgagnus*, autor ſit *Vulpius* typographo, omittendi has ipſas, quas jam recenſuimus, Epiſtolas. Cui tamen conſilio nos, publicæ utilitatis cauſa, intercedimus.

Supereſt, ut de Epiſtola in *Q. Serenum Samonicum* nonnihil dicamus. Quamvis enim *duæ Epiſtolæ* ſint in hunc medicum ſcriptorem, quæ hic exhibentur; tamen, quia *priorem* illam jam recenſuimus in *Novis Actis Eruditorum Menſe Julio A. 1724 pag. 290 ſeq.*, in præſenti ſaltem de *poſteriori*, quæ nunc primum edita eſt, pauca commemorabimus. Et in hac tota quidem Epiſtola Celeberrimus *Morgagnus* reſpondet ad aliquot dubia *Petri Burmanni*, qui in editione *Poetarum Latinorum minorum*, in quibus etiam *Serenum Samonicum* collocaverat, priorem *Morgagni* Epiſtolam, pæne totam, in ſuis cum Præfatione, tum Annotationibus, articulatim percurrit, variiſque in momentis aut aſſenſus eſt *Morgagno*, aut ab eo diſſenſit. Igitur ſolide ad omnia, quæ a *Burmanno* teme-
310 - 314. re magis, quam circumſpecte, allata ſunt, reſpondet. Removet nempe objectiones, quas iſte, quoad nonnullas editiones *Samonici*, objecerat: nec minus illi exceptioni ſatisfacit, quaſi curante ipſo Patavina *Sereni Samonici* editio prodierit. Negat, ſuam eſſe aut *Celſi*, aut hujus ſcriptoris, editionem; negat, ullam lineolam in ea ſuam eſſe; nec vidiſſe ipſum, ait, pagellam, dum excuderet typographus, nedum ut emendaverit. Itaque
315. in ipſum transferri non poſſe, quod *Burmannus* ait, *Morga-*

gnum

gnum nunquam depuliſſe ſcabiem a Sereno, ſecurum ſemper editionis Conſtantinianæ. Præterea enim, quod in *Epiſtola priori* multos *Samonici* locos, qui ſe forte conſiderandos obtulere, reprehendit, potuiſſet potius *Burmannus* longe alia, quæ non animadvertit, peccata in *Conſtantini* editione conſtipare, &, ſi lubuiſſet, eadem ratione, qua ſuperiora, ipſi aſſignare. *Morgagnus* autem omnes locos, quorum tamen pauci ſunt, in quibus *Burmannus* ab eo nominatim diſcrepat, in ſequentibus adſcripſit; deinde addidit alios, quos iſte propoſuit, in quibus ipſi viciſſim nonnulla haud ſatis placent. Horum ex numero ea ſeligamus, quæ ſequuntur. *Capitis ſexti*, quod inſcribitur *Prurigini, papulis, ac ſcabiei arcendis*, initium apud pleroſque ad hunc modum ſe habet: Pag. 316. 317 ſeq.

> *Illotus ſudor, vel copia nobilis eſcæ,*
> *Sæpe gravi ſcabie correptos aſperat artus.*

Burmannus exiſtimat, legendum eſſe *nec copia nobilis eſcæ*: nempe ut, deficiente victu *mundiore* ex vitioſo alimento ſcabiem oriri, *Serenus* dicat. *Morgagnus* autem contendit, vocem *nobilis* expungendam; neque enim *mundiorem* duntaxat victum ſignificaret, ſed etiam *exquiſitiorem*, quomodo, exempli cauſa, a *Plinio Hiſt. Nat. Lib. XXXII Cap. ult.* dicitur turdus *inter ſaxatiles piſces nobiles*, & *apud antiquos piſcium nobiliſſimus habitus acipenſer*. Pauperibus autem, pro quibus ſcribebat *Samonicus*, neque copia eſt ciborum hujusmodi *nobilium*, nec, quibus eſt, aut non eſt, idcirco ſcabies oritur. Itaque lectio, *nec copia nobilis eſcæ*, aliena hic eſſe videtur. Contra vero, ſi legitur, *vel copia inutilis eſcæ*, nihil mendi in loco. Vox enim *inutilis* eam habet apud Latinos ſcriptores vim, ut non modo ſignificet, *quod uſui eſt nulli*, ſed etiam *quod noxium, pravum*: qua notione uſurpant *Plinius, Hirtius, Varro*, & ipſe *Celſus*, locis a *Morgagno* allatis. *Copia* igitur *inutilis eſca* copia erit ciborum pravorum, quales videlicet ſunt ſalſi, acres, & qui facile corrumpuntur. Hinc pauperes, qui pravis illis cibis utuntur, frequentius ſcabie infeſtan-

Pag. 325. feſtantur. *Capite 19*, quod inſcribitur *Fellis vomitui & phthiſi arcendis*, in *primo* ſtatim *verſu*, plerique ſic legunt:

Lutea ſi creſcunt, & cunctis noxia fella;

Burmannus mallet *præ cunctis noxia.* Sed hoc illi eſt condonandum, qui Medicus non erat. Nam, inter tot bilis genera, quorum quatuor & viginti, & *famoſa* quidem, numerat *Sanctorius*, *luteam* non eſſe *præ cunctis noxiam*, Medici non ignorant. *Morgagnus* igitur legit *fundis* pro *cunctis*, id eſt, *rejicis*. Quam lectionem ne ipſe quidem *Burmannus* reprehendit. *Capite 34*, *verſu 13 & 14*, ita ſcripſerat *Serenus*:

328.

Menſtruus immenſo ſi profluit impete ſanguis,
Succida lana malos remoratur ſubdita curſus.

Ad verbum hoc *ſubdita* annotaverat *Conſtantinus*: *in peſſo.* Id refert *Burmannus*, & continuo hæc addit: *Neſcio, an non pertineat ad verſum 655, ut ſit pro* ex paſſo, *vel ad verſum præcedentem*, *pro* immenſo. *Certe non capio hanc notam.* Enimvero, ut *Burmannus* Medicus non eſſet, qualem tamen eſſe decebat *Sereni* interpretem, at certe quotusquisque Philologus non perlegit *Cornelium Celſum*, qui toto eo, nec breviſſimo, *Capite*, quod inſcriptum eſt *de Peſſis*, tum, quid eſſent *ea*, docuit, *quæ fœminis ſubjiciunt*, πεσσὺς *Græci vocant*, tum variis adjectis exemplis oſtendit? Imo vero ipſi Philologi hæc attigerunt. Neque in *Mureti Variis Lectionibus Caput* deeſt, *IX Libri XI*, quo ſententia confutatur *Marcelli Virgilii*, hinc *peſſulum* in *Terentii Eunucho Act. III Scen. 5* dictum putantis, quod Poeta ad hos reſpexiſſet, de quibus loquimur, *peſſos*. Denique ſub finem hujus Epiſtolæ Celeb. *Morgagnus* a ſe removet levem reprehenſionem Illuſtris *Günzii*, de *Plinio Valeriano*, & oſtendit, ſe potius evidenter iviſſe in alia omnia, quam ea ſunt, quorum ab hoc Viro docto inſimulatus fuerit.

GRÆCA SCHOLIA SCRIPTORIS ANONYMI IN Homeri Iliados Librum I. ANTONIUS BONGIOVANNI

NI ex vetere Codice Bibliothecæ Venetæ D. Marci eruit, Latine interpretatus eſt, notisque illuſtravit.

Venetiis, 1740, 4 maj.
Plag. $17\frac{1}{2}$.

Quæ Clariſſ. Editor nobiſcum communicavit Scholia in *Homeri* Iliados *Librum primum* Græca, eorum ſpecimen jam nobis exhibitum fuit in Catalogo Græcorum MStorum Codicum, quos D. *Marci* Bibliotheca Venetiis aſſervat; qua quidem opera non exiguam ſane gratiam ab harum rerum æſtimatoribus iniit. Nam, cum ipſe Codex, quod ex literarum characteribus conſtare dicit Clariſſ. *Bongiovanni*, circa finem Seculi IX, vel X, initium exaratus, ſua ſe vetuſtate commendet, tum & ipſæ, quas habet, interpretationes ita ſunt comparatæ, ut antiquum genium Grammaticorum præ ſe ferant, & decimo ſaltem Seculo collecta fuiſſe videantur. Cujus rei & ipſe *Euſtathius* quodam modo teſtis eſſe poteſt, qui, quando Scholiaſtæ hujus interpretationem, aut verba, refert, his uti formulis ſolet: *φασὶν οἱ παλαιοὶ, κατὰ τοὺς παλαιούς*. Exemplo eſſe poſſunt, quæ *Verſ. 136* ad vocem *ἄρσαντες* hic Scholiaſtes tradit: *Ἀρίσαρχος δασύνει, ἔνθεν γάρ φησι γεγονέναι καὶ ἅρμα, ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς ψιλοῖ, ἀπὸ τοῦ ἄρω, οὗ ὁ μέλλων αἰολικῶς ἄρσω*: quæ ipſa hunc in modum præcipit *Euſtathius*: *Φασὶ δὲ οἱ παλαιοὶ, ὅτι Ἀρίσαρχος μὲν δασύνει τὸ ἄρσαντες, λέγων ἐξ αὐτοῦ γενέσθαι τὸ ἅρμα, Ἡρωδιανὸς δὲ ψιλοῖ, ὡς ἀπὸ ἄρω, ἄρσω αἰολικοῦ*. Sic ad *Verſ. 225* Scholiaſtes refert: *Ἰσοκράτης Κόνωνι τῷ Ἀθηναίων στρατηγῷ τρία μαρτυρεῖ, ἐπιμέλειαν, πίστιν, ἐμπειρίαν πολέμου· τούτων τὰ ἐναντία κατανοήσας, Ἀγαμέμνονα ὀνειδίζει. ἐξ οἰνοποσίας γὰρ ἀμέλεια, ἀπιστία δ' ἐξ ἀναιδείας, καὶ πολέμων ἀπειρίαν ἡ δειλία ἐργάζεται.* *Euſtathius* vero ita: *Ἐνταῦθα δέ φασιν οἱ παλαιοὶ, ὅτι τρία ταῦτα Ἰσοκράτης ἀγαθὰ μαρτυρεῖ Κόνωνι, τῷ τῶν Ἀθηναίων στρατηγῷ, ἐπιμέλειαν, πίστιν, ἐμπειρίαν πολέμων, συναγαγὼν τὸ ἐγκώμιον ἀπὸ τῶν ἐναντίως ἐνταῦθα προσμαρτυρουμένων τῷ Ἀγαμέμνονι· ἐξ οἰνοποσίας*

μὲν

μὲν γὰρ ἀμέλεια, ἐξ ἀναιδείας δὲ ἀπιςία, ἡ πρὸς τὸ κοινὸν. ἡ δὲ δειλία τὴν τῶν πολεμικῶν ἀπειρίαν ἐργάζεται. Et ſane, qui hæc Scholia cum illis contulerit, quæ in *Homeri* editione, a *Barneſio* curata, leguntur, is facile convincetur, multis partibus præſtantiora hæc illis eſſe & meliora. Quid? quod ipſi *Euſtathio*, interpreti Græco *Homeri* principi, in nonnullis palmam dubiam videntur reddere, propterea quod nonnulla melius illo tradunt, nec pauca habent, quæ in *Euſtathii* Commentariis deſiderantur. Cui rei ſatis teſtimonii ſunt ſententiæ *Ariſtarchi*, *Zenodoti*, *Pamphili*, *Apollonii Rhodii*, *Sidonii*, *Herodiani*, *Heracleonis*, aliorum, ſæpius allatæ, quarum mentio in *Euſtathio* aut rara admodum, aut omnino nulla, ut vel hoc nomine digna ſint hæc Scholia, quæ a Græcarum literarum ſtudioſis etiam atque etiam legantur. Nec deſunt Scholiis, nunc primum editis, quæ tamen Etymologico magno deeſſe animadvertimus. Sic *pag. 34 n. 126* de verbo κλέπτω: τὸ κλέπτω σημαίνει καὶ τὸ παραλογίζομαι, καὶ τὸ ἀπατῶ. ὡς ἐνταῦθα, καὶ τὸ κυρίως κλέπτω. ὡς τὸ, κλέψαι δ᾽ ὠτρύνεσκον ἐΰσκοπον Ἀργειφόντην. γίνεται δὲ ἐκ τοῦ χαλέπτω τὸ ὀργίζομαι. ὀργίζεσθαι γὰρ ὁ κλέπτης ποιεῖ τοὺς ἀπόλλοντας τι. ἢ παρὰ τὸ καλύπτω. καλύπτει γὰρ ὁ κλέπτης, ἃ ἀφαιρεῖται, ubi priorem verbi κλέπτω derivationem fruſtra in Etymologico quæſiveris. Sic *pag. 52 n. 191*: Ἐκ τοῦ κοῖλον τὸ βαθὺ, τοῦτο ἐκ τοῦ κῶ, τὸ κεῖμαι. παρὰ τὸ κεῖσθαι ὅλον κοιλεὸς, καὶ ἀφαιρέσει τοῦ ο, ἢ τροπῇ τοῦ ι εἰς υ κουλεὸς, καὶ κολεὸς, quibus iterum augeri poteſt Etymologicum. Denique & ipſis Lexicis Supplementa ſcribi poſſunt ex his Scholiis, in quibus hinc inde licebit legere verba, quæ penitus ignorant Lexica: *pag. 7 n. 17*, τὸ δὲ νῦν τὸν ἐνεςῶτα, οὐ τὸν πλατικὸν ἐσήμανε χρόνον, ubi vox πλατικὸν eo diligentius notanda, quod eam vix in Lexicorum Theſauris reperiamus. *Pag. 23 n. 82*, πατοσκοπία δὲ ἡ τῶν ἐγκάτων ἀνατομή, vocem πατοσκοπία non memorant Lexicographi, quam per aphæreſin ſuſpicatur Clariſſ. Editor pro ἡπατοσκοπία dici. *Pag. 81 n. 290* habemus πεπαιδευμένως, quod, cum optimis deficiat Lexicis, addi ex his ipſis Scho-

Scholiis ſuo merito poteſt. Sed, ut ad ipſum etiam *Homerum* perveniamus, aliam hæc ipſa Scholia nobis lectionem nonnunquam exhibent, quam quæ in noſtris jam eſt editionibus. Sic *Verſ. 117* Βȣλόμ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι vulgatæ adhuc legerunt; at Scholia *pag. 31 n. 108* teſtantur, omnes editiones pro σόον habuiſſe σῶν, quam lectionem alio exemplo ex *Homeri Iliad. XIII verſ. 772* confirmant. Ac, πᾶσαι, inquit Scholiaſtes, ἐκδόσεις σῶν εἶχον. ἀναλογώτερον δὲ τὸ νῦν τῶ, σῶς αἰπὺς ὄλεθρος. *Verſ. 20* eam Scholia ſequuntur lectionem, quæ dat, παῖδα δέ μοι λῦσαί τε φίλην, τα δ' ἄποινα δέχεσθαι, & addunt, τὸ δὲ δέχεσθαι ἀντὶ προςακτικȣ ἀπαρέμφατος, ad quæ verba Clariſſ. Editor, Ionico id more fieri, ſcribit, ut infinitivus pro imperativo ponatur: quod tamen vix ſatis accurate ita dicitur, cum Atticis etiam ſcriptoribus, quin omnis generis Autoribus, hæc loquendi ratio non ſit inuſitata. Noviſſimus & omnium præſtantiſſimus *Homeri* editor, *Clarkius*, ita adductum verſum legit, παῖδα δὲ μοι λύσαιτε φίλην, τά δ' ἄποινα δέχεσθε, &, in λύσαιτε optativum pro imperativo poſitum, præeunte Scholiaſte MSto Lipſienſi, exiſtimat, quam rem uti jam non eſt animus ſub examen vocare, ſic illud tantum in præſenti monemus, rationem, cur in verſu ſæpius dicto infinitivus ſtare non poſſit, quam affert *Clarkius*, eſſe nullam. *Alii*, inquit, *legerunt*, λῦσαί τε φίλην, τὰ δ' ἄποινα δέχεσθαι, *verum hac cum ſequente* Ἀζόμενοι *minus recte conveniunt*. Nam quid optimis quibusque Scriptoribus Græcis ſolennius, quam, quoties infinitivus modus ponitur pro finito, nominativum adjungere infinito? Ad unum in præſenti *Theophraſtum*, ejusque *de Characteribus morum Caput III*, tantum, quod de adulatione agit, provocamus, in quo hæc unicuique obvenient exempla: ἐπιγελάσας, εἰπεῖν, πριάμενος εἰσενέγκας δȣ̃ναι, συνωνȣ́μενος φῆσαι, προδραμὼν εἰπεῖν, πρῶτος ἐπαινέσαι, παραμένων εἰπεῖν, λέγων, καὶ πρὸς τὸ ȣ̃ς προσπίπτων, ψιθυρίζειν, ἀποβλέπων λαλεῖν, αὐτὸς ὑποσρῶσαι. Quibus de cauſis lectio fortaſſe, quæ verſum ſupra commemoratum per duo infinitivos exprimit, melior eſt illa, quæ in priori verbo optativum, ſed pro imperativo poſitum, quæ

mutatio omnino neſcio quid durius ea, quam Scholia tradunt, habere videtur, & in poſteriori imperativum, agnoſcit. Meretur etiam Scholiaſtes hic evolvi ad verba *verſ. 63: καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐςι* Διατί, ſcribit interpres, διττοὺς λέγων τοὺς ὀνείρους, καὶ τοὺς μὲν αὐτῶν ψευδεῖς, τοὺς δὲ ἀληθεῖς. ὡς πάντων αὐτῶν ἀληθινῶν ὄντων, φησὶν, ἢ καὶ ὀνειροπόλον. Καὶ γὰρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐςιν, ὡς τῶν ὀνείρων ἐκ Διὸς ὄντων. λύεται δὲ ἀπὸ συναλοιφῆς οὐ γὰρ τὲ σύνδεσμος συναλήλιπται, ἀλλά τὸ τὶ μόριον. ἐςι γὰρ πλῆρες. καὶ γάρ τι ὄναρ ἐκ Διός ἐςι. Nam ex his perſpicue apparet, quas adhuc habuimus, interpretationes non ſatis accurate locum Poetæ reddidiſſe, nec ipſum *Clarkium* audiendum eſſe, qui ita commentatur: *Non vacat iſtud τέ. Nam καί γάρ τ᾽ ὄναρ id eſt, quod Latine dicitur, nam & ſomnium quoque.* Quod ad Latinam Clariſſ. Editoris interpretationem attinet, eam quidem fidelem & perſpicuam obſervavimus, noſtra tamen ſententia Scholiorum in Poetas Græcorum interpretatio Latina plane eſt ſupervacanea. De ſubjectis vero Annotationibus id monere Lectores poſſumus, ſumma diligentia conſuluiſſe *Euſtathium*, Etymologicum, & reliquos Græcos Grammaticos, qui eas concinnavit, Clariſſimum *Bongiovanni*, licet in nonnullis, ex alio fonte cumprimis hauſtis, habituri fortaſſe ſint nonnulli, quod contra ponant.

D. PHILIPPI JACOBI BOEHMERI, MEDICINÆ & Anatomiæ Profeſſoris in Regia Fridericiana Publici Ordinarii, Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Collegæ, Obſervationum Anatomicarum rariorum Faſciculus, notabilia circa uterum humanum continens, cum Figuris, ad vivum expreſſis.

Halæ Magdeburgicæ, apud Juſtinum Gebauerum, 1752, fol. maj.

Plag. 14, Tabb. æn. 3.

Eſt aliqua in diſſecandis rariore morbo defunctorum cadaveribus, quæ ſatis dici nequit, jucunditas, animum variis, ad hominem tam ſanum, quam ægrotum ſpectantibus, rerum ima-

imaginibus oblectans. Præclarus hujus Operis Autor mira iſthac, quæ non niſi pauciſſimis obvenit, ovarium fœminæ gravidum rimandi, felicitate uſus eſt, viditque, hominem extra uterum gigni nutririque per aliquot menſes potuiſſe. Fœmina, vago vitæ genere uſa, vulgare proſtibulum, variis, quæ ex impura venere conſequi ſolent, incommodis, & inter alia fluore albo, divexata, nihilo ſecius concepit, habuitque generalia graviditatis ſigna. Verſus finem Septembris anni 1749, ſuppreſſis menſibus, totius corporis languorem perſenſit, nauſeam & vomitus experta eſt, ac præterea vagos dolores arthritico-rhevmaticos tulit. Auctum eſt ventris imi volumen, & tumor durus, ad ſiniſtrum latus propendens, ſenſim exortus. Crevit, una cum tumore, ad ſiniſtrum usque hypochondrium ſeſe extendente, mingendi difficultas. Uſa procul dubio variis,quæ fœtus pellere poſſe putantur,acrioribus pharmacis, ſuas ſibi calamitates auxit, factumque exinde eſt, ut acris rodensque materia, de genitalibus ſubinde fluens, ardores ac preſſiones in vagina uterina excitaret acerbiſſimas, ſummique dolores, in infimo maxime ventre, oſſe ſacro, & ſiniſtris, lumbari ac iliaco, regionibus, cum torminibus, quæ partum præcedere ſolent, orirentur. Acceſſit denique febris inflammatoria, quæ fœminam, ſupervenientibus ei motibus convulſivis, e medio ſuſtulit. Poſtquam cultro anatomico ſubjectum cadaver eſſet, ex ventris tumore prædurо intelligi quidquam, quod graviditatis ſuſpicionem faceret, haud potuit. Aſt, aperto abdomine, ſanguinis effuſi, atque in cavitate ventris collecti, atque ita fœtidi, ut adſtantes halitum ferre vix poſſent, magna vis ſubito comparuit. Exterſis humoribus, inteſtina omnia inflammata, ſphaceloque tacta, cernebantur. Tunc vero comparuit tumor prædurus, in cavitatem ſiniſtri hypochondrii ſeſe protendens, qui verſus iliacam ſiniſtram regionem ſupra pelvis oram propenderet. Tumor, utero adhærens, illi aliquam, quaſi duplicatus eſſet, faciem conciliabat. Uterus poſtica parte in ſaccum aliquem membranaceo-carnoſum, qui maximam pelvis cavitatem repleret, explicatus fuerat. Erat vero penitus in-

Digitized by Google

flammatus, & ſphacelo corruptus, atque, infra mediam ejus partem, dexter embryonis pes de ruptura, ad os coccygis matris, propendebat. Ovarium dextrum inæquale rugoſumque conſpectum fuit, viſæque in illo duæ tantum veſiculæ *Graafianæ* ſunt, abſque diſtincto corpore luteo ac calyce. Fimbriæ tubæ *Fallopianæ* a ſiniſtris cum ovario, in quo fœtus eſſe nunc viſus fuit, coaluerant, utraque tuba ad fundum uteri aperta erat. Aſt ovarium ſiniſtrum ſuo tumore inteſtinum rectum ex ſitu naturali penitus diſlocaverat, cujus vaſa, immiſſo per arterias venasque ſpermaticas hydrargyro repleta, ſerpentinis tractibus veluti procedunt, omnia juſto tumidiora apparuerunt, ſed dolendum fuit, minima vaſa, propter ſphaceloſam corruptelam, Mercurium ad extremos usque apices, & usque ad cohæſionem illorum cum villis placentæ, haud admiſiſſe. Uterus, cum annexis, ipſoque cum ovario gravido, e pelvi protractus, atque ad examen vocatus fuit, intellectumque eſt, illum, etiamſi talis eſſet magnitudinis, qualis eſt matricis, unius menſis fœtum tenentis, vacuum penitus eſſe, nihilque illi, præter mucum & membranam poroſam, parietes intus inveſtientem, eamque inflammatam, ineſſe deprehendebatur. Deinde ovarium gravidum ab hiatu, per quem embryonis pes prominuit, ad ſummam usque oram incidebatur. Exterior illius textura fibroſa erat, interior inſtar uteri ſinuoſa & fibroſo-vaſculoſa, diverſimode craſſa, circa locum placentæ craſſiſſima, & membrana tenui villoſa ubique obducta. Embryo maſculi ſexus, tertio menſe major, & fere quadrimeſtris, prona & obliqua facie ad perpendiculum poſitus, in illo cavo hærens, poſteriorem ovarii partem reſpiciebat. Funis umbilicalis, tortuoſus & in crebras ſpiras convolutus, inter cubitum & pedem dextrum embryonis, ad latus ejusdem dextrum delatus, ad placentæ centrum ferebatur, quæ, parte ſua convexa, interveniente membrana cum chorio continua, interiori ovarii ſuperficiei adhærebat, ipſeque fœtus proxime tunicam, amnios dictam, inde chorion, circum ſe habuit. Super hoc illuſtri argumento eruditiſſima ſcriptione præclarus Autor commentatus eſt. Conceptio vitioſa, quæ extra ute-

uterum frequentibus exemplis, ab Autore excitatis, contigiſſe deprehenſa fuit, non uno modo evenit. Aut enim intra ovarium fœminæ, prouti in præſenti exemplo, ovulum humanum, dato illi impedimento, propter quod ad uterum per tubam deſcendere haud potuit, ſtamen humorum excreſcit, atque in illo, quousque poteſt, vivit; aut extra ovarium ovulum figitur, neque tamen ad uterum pervenit, idque duplici modo eveniſſe deprehenſum eſt, ſiquidem vel in abdomine fœminæ, vel in tuba ejus, adhæſit, atque vegetavit. Proinde conceptio, extra uterum facta, poteſt eſſe *ovaria, abdominalis, tubaria*. Deinde, quod ad conceptionem ovariam ſpectat, poteſt illa duplici ratione contingere. Aut enim aliquod ovulum, quod extimæ ovarii tunicæ proximum eſt, fœtum concipit, aut aliquod aliud, profundius collocatum, vegetat. In priore caſu embryo, ruptis ovarii tunicis, abdomini illabi poterit, in altero fœtus, veluti in hoc exemplo eſt, intra ovarium, quousque illud extendi poteſt, manebit; aſt in utroque caſu impoſſibilis erit embryonis per vias uteri ordinarias excluſio. Quodſi hoc factum ita eſt, ut profundiore ovarii loco ovulum fœcundetur, accidere poteſt, accidit que ex Autorum obſervatis, ut fœtus, mature defunctus, induretur, ſalvaque manente matre, cruſta aliqua tofacea obductus, diu perſiſtat. Rarus tamen ille eventus eſt, ut, ſervandæ matris cauſa, embryo in durum convertatur corpus, quod manere, ſalva matre, poſſit, fitque frequentius, ut ovarium, ab incremento fœtus adauctum, a vitioſa iſthac conceptione inflammationis, tandemque ſphaceli, cauſam inveniat. Etiamſi autem morboſa iſthæc, extra uterum facta, embryonis conceptio matribus exitialis eſt; ſcientiæ tamen ſalutaris evadit, cum doceat, ortum hominis ex ovo eſſe certiſſime; licet de natura ovi aliquid liquide haud conſtet. Dubitationi enim locus eſt, an veſiculæ illæ in unoquovis ovario fœminarum, prope ſub illius cortice reperiundæ, quas *Graafius* deſcripſit, pro veris ovis haberi debeant, an potius, iſtas veſiculas, mucido aliquo liquamine repletas, ovi humani involucrum eſſe, exiſtimandum ſit. Deprehenſum enim eſt, iſtas

Digitized by Google

veſiculas aliquando haud apparere, aliquando autem plus eminere corpus illud luteum, quod ſub calyptra veſicularum, pro ovulo materno hactenus habitarum, delitefcit. Sed ſunt corpuſcula quædam iſtis veſiculis *Graafianis* longe minora, & ſacculi veluti quidam lymphatici, quibus nomen ovulorum verius competit, cum illa corpuſcula etiam plus reſpondeant viis tubæ anguſtis, per quas veſicula *Graafiana* procedere haud poſſet. Igitur corpus luteum veri ovuli humani conceptaculum, ac veluti calyx, eſt. Poſſetne veſicula *Graafiana* pro ovulo haberi, cum illa impuberibus jam præſto ſit, atque in puellis ab ipſa nativitate inveniatur? Ea autem eſt corporis lutei, quod verum ovulum intra ſeſe recipit, conditio, ut ovulum humanum ſuis villis nutritiis foveat, ſuſtineatque. Etenim ovum in hoc calyce ſuo creſcit, ipſeque calyx ſenſim, uti ovulum ipſum augetur, lateſcit, quod quando ita factum eſt, tunc, ex opinione illorum, qui origini hominis ex verme favent, evenit, ut animalculum illud ſpermaticum, quod oportet ex uteri cavo, quibus tamen auxiliis, nondum liquet, per tubas ad ovarium adſcendere, ſubeat veri ovi, ſub conceptaculo veſiculæ *Graafianæ* reconditi, caveam, inque illa novæ vitæ rationem, inchoet. Tunc enim, ut illa hypotheſis aliquam veritatis ſpeciem lucretur, fieri oportet, ut animalculum, quod parvus homo eſt, ſuam, quam ſibi congenitam forte habet, umbilicalem radiculam in placentæ, quæ ovuli pars eſt, centrum defigat, ſicque ex matre nutriri incipiat. Hoc poſtquam ita factum eſt, tunc ovulum, per maturitatem mobile effectum, ſuum deſerit calycem, atque fibrarum carnearum, quæ ovarii tunicæ extimæ inſunt, virtute in applicatas ſibi, tempore oeſtri venerei, tubæ fimbrias deſcendit, ſicque ad uterum, ſecundum leges a natura latas, deſcendit. Hoc ita vere factum fuiſſe, oſtendunt cicatriculæ, in ovariis fœminarum, quæ jam pepererunt, reperiri ſolitæ. Oportuit enim veſiculam *Graafianam* dehiſcere, & vero ovulo, ſub ſe contento, viam ad tubam patefacere, quo facto, illa, ſuo liquido privata, emaciatur atque contabeſcit, nunquam vero penitus deletur, poteſtque ſub papil-

læ

læ integumento, ex corpore luteo ſuperſtite, novum generari ovulum. Etiamſi autem ea lex naturæ eſt, qua oporteat ovulum de calyce ſuo decedere, atque in prætenſam ſibi fimbriam tubæ delabi; fieri tamen poteſt, ut iter illud ovulo præcludatur, oporteatque jam inchoatam fœtus vitam in loco, ubi impregnatio facta eſt, nempe in ovario, continuari, ſive quod ovulum impregnatum profundius ſitum ſit, quam ut poſſit calycem ſuum deſerere, ſive quod actus ipſe plaſticus vitio laboret, quando, veluti in hac fœmina probabile eſt, repetito coitu, effectum eſt, ne ovulum, jam ſuo animalculo fœtum, a tubæ fimbriis arripi potuerit. Hæc autem conceptio ovaria ſine dubio fuit *interior*, in ipſo ovarii meditullio facta, quandoquidem, niſi hoc ita eveniſſet, fieri non poterat, ut veram uteri ideam cavum ovarii ſiſteret. Elapſurus, inque abdomen deſcenſu. .s, citius erat fœtus, ſi quod ovulum ex illis, quæ prope corticem ovarii ſunt, impregnatum fuiſſet. Impoſſibile tamen eſt, unquam fœtum ejusmodi, qui intra ovaria conceptus fuit, ad complementum ætatis ſuæ pervenire poſſe, ſiquidem dilatari eo usque ovarium nequit, ut locum embryoni adulto, ejusque ſecundinis, atque aquis fœtui circumfuſis, concedat, ſed oportet denique falſum huncce uterum rumpi, ſive hoc ob inflammationis, atque ex illa ſubſequentis ſphaceli, vim, ſive ſola dilatatione ad rupturam usque procedente, ita perficiatur. Falſa igitur eſt *Bianchi* aſſertio, intimas ovarii graviditates diu geſtari haud poſſe, ſed ante tertium menſem cum matris interitu excludi, neminemque teſticularem abortum, bimeſtri majorem, conſpexiſſe, ſiquidem præſens partus ovarius, ex ſtaturæ rationibus, fere quadrimeſtris fuit. Qualis autem ratio ſit, cur præſentis exempli fœmina ab hac ſua vitioſa graviditate febris inflammatoriæ, ſibi lethalis factæ, cauſam acceperit, quilibet facile perſpicit, qui naturam ovarii, tot tantisque vaſis ſanguifluis inſtructi, haud ignorat. Etenim ſub nimia ovarii, violenter expanſi, ſtrictura, ſanguis ad ovarium & connexas illi partes propulſus, in ſuo per extrema vaſa arterioſa progreſſu impeditus fuit, factumque inde eſt, ut

pro-

propter cohibitum ſanguinis ex arteriis minimis in primas venulas reditum, inflammationem conſequi oportuerit. Dubium ſupereſt nullum, ejusmodi conceptiones ovarias frequentius obvenire, cognoſci rarius, multasque fœminas ex rarioribus morbis, ad affectiones hyſtericas relatis, diem obire, quæ, ſi cultro anatomico ſubjicerentur, ſe fœtus ovarios geſſiſſe, demonſtraturæ erant. Difficilis autem eſt iſtius ſtatus ovariorum gravidi diagnoſis. Licet enim generalia graviditatis ſigna, ſcilicet emanſio menſium, illis adſint, quæ intra ovarium concepiſſe potuerunt; proxima tamen graviditatis ſigna, ex lacte in mammis petenda, ideo abſunt, quod ad medium geſtationis tempus, in quo mammæ gravidarum lactis proventum habere incipiunt, conceptus ejusmodi vitioſus haud perveniat. Igitur omnia obſcura ſunt. Poſſet tamen aliqua imprægnationis ovariæ ſuſpicio exinde enaſci, cum, oppreſſo penes fœminam conceptioni aptam menſium fluxu, tumor aliquis in alterutro latere inconſuetus oritur, atque in illo aliquis motus, vitali embryonum motui ſimilis, deprehenditur, ipſo utero vacuo, id quod ex contrectatione oſtii uteri interni facile cognoſci poteſt. Quoniam autem nulla ejusmodi partui via per naturam data eſt, matremque, hac ratione imprægnatam, occumbere omnino oportet; hinc, qua arte infelix mater juvanda ſit, in quæſtionem adducitur. Niſi enim, quod *Bianchio* ita viſum eſt, fœtus in ovario induretur, niſi ille, ubi ovarium ita gravidum inteſtino recto accrevit, per modum abſceſſus in cloacam ventris prorumpat, niſi etiam ovarium ſub abſceſſus forma peritonæo muſculisque abdominis agglutinetur, illisque purulenta materia exeſis, in cutem prorumpat, fœtumque effundat, quod ſolius naturæ opere ita perfici poſſet, ſane, ſi arte ſubveniendum eſt, nihil quidquam ſupereſt auxilii, niſi ut ſuper tumorem, ad leges ſectionis cæſareæ, vulnus fiat, ſicque fœtui, qui vivere nequit, jam forte defuncto, via pandatur, & vita matris hac ratione conſervari poſſit. Sicut rara omnino fuit fœtus extra uterum geniti contemplatio; ita Commentationem tanto argumento dignam Excellentiſſimus

Autor

Autor ubique adjecit, ſuæque famæ, jam ante celebratiſſimæ, non leve hoc ipſo augmentum conciliavit.

G. F. BÆRMANNI ANALYSIS PROBLEMATIS algebraici, in Novis Actis Eruditorum A. 1749 Menſe Octobri propoſiti.

Problema hoc algebraicum, cujus ſyntheſis jam a me in his *Novis Actis Erud. A. 1750 Menſe Martio P. I pag. 134* eſt exhibita, his verbis erat enuntiatum: *Sit æquatio quarti gradus ſecundo termino deficiens*, $x^4 = px^2 + qx + r$, *ubi* p, q, & r, *quantitates datas cum ſuis ſignis denotant. Transformetur dicta æquatio in hanc aliam itidem quarti gradus, ſed ſecundo termino pollentem*, $x^4 = fx^3 + gx^2 + hx + r$, *hujus naturæ, ut incognita* x *ſit eadem in prima & ſecunda æquatione, & pariter idem ſit in utraque æquatione homogeneum comparationis* r. *Coefficientes vero ſecundæ æquationis, videlicet* f, g, h, *determinentur per coefficientes* p & q *æquationis primæ, & per commune homogeneum comparationis* r. Cujus Problematis ſolutioni, a me exhibitæ, excitatus iis, quæ nupero *Menſe Majo* horum *Actorum pag. 278* inſerta leguntur, hæc pauca, quæ ſequuntur, addere volui.

Equidem haud repugnante vi ac poteſtate verborum, quibus hoc Problema enuntiatum eſt, quatuor ejus caſus fingi poſſunt. Data enim æquatione *A*, $x^4 - px^2 - qx - r = 0$, æquatio quæſita *B*, $x^4 - fx^3 - gx^2 - hx - r = 0$, aut omnes radices communes habere debet cum æquatione *A*, aut tres, aut duas, aut unam duntaxat. Verum, in duobus primis caſibus ſolutionem Problematis impoſſibilem eſſe, facile intelligitur. Nam in primo caſu ſumma quatuor radicum, quæ per æquationem *A* æqualis eſt nihilo, per æquationem *B* etiam æqualis foret quantitati finitæ *f*, quæ inter ſe repugnant. Sin tres radices utrique æquationi communes ponas, quartis *a* & *α* exiſtentibus diverſis: erit $\frac{r}{a} = \frac{r}{\alpha}$, ideoque & $a = \alpha$; contra hypotheſin.

 Re-

Reſtant itaque duo caſus expediendi. Sed horum alter, cum videlicet una tantum radix utrique æquationi communis ponitur, ita eſt comparatus, ut coefficientes f, g, h, per quantitates p, q, r, non determinentur, ſed, datis p, q, r, infinite multos valores admittant. Quod manifeſtum fiet ex ſequenti analyſi.

Sit a radix æquationibus A & B communis: erit ergo $x - a$ factor quantitatis B, & proin orietur B, ducendo $x - a$ in quantitatem, quæ generatim ſic eſt exprimenda:

$$x^3 + tx^2 + ux + \frac{r}{a}.$$

Multiplicatione autem peracta prodit $x^4 - (a - t)x^3 - (at - u)x^2 - (au - \frac{r}{a})x - r$, quæ quantitas debet eſſe æqualis quantitati B. Singulis ergo terminis ad ſingulos comparatis, fiet

$$\begin{aligned} f &= a - t \\ g &= at - u \\ h &= au - \frac{r}{a}. \end{aligned}$$

Jam facile quidem eliminari poteſt litera a, conſiderando, eſſe $a = f + t$ radicem æquationis A (per hypoth.). Hinc enim erit $(f + t)^4 - p(f + t)^2 - q(f + t) - r = 0$,

ſeu
$$\left.\begin{matrix} f^4 + 4tf^3 + 6tt. & f^2 + 4t^3. & f + t^4 \\ -p & -2pt & -pt \\ & -q & -qt \\ & & -r \end{matrix}\right\} = 0$$

Deinde erit $g = (f + t)t - u$, & denique $h = (f + t)u - \frac{r}{f + t}$. At nulla ſupereſt Problematis conditio, quæ literis t & u eliminandis, aut earum valoribus determinandis, ſuffi-

ſufficiat. Ergo neque f, neque g, nec etiam h, per datas quantitates p, q, r, determinatur: ſed hic hujus Problematis caſus infinite varias ſolutiones admittit. Scilicet, inventâ primo radice aliqua a æquationis A, augeatur, vel minuatur, eadem radix quantitate t pro lubitu aſſumta; ſic habebis f; deinde ad factum $\mp at$ addatur quantitas arbitraria homogenea $\mp u$, ut prodeat g; denique fiat $h = \pm au - \frac{r}{a}$.

Quia vero Autor Problematis deſideravit, ut coefficientes f, g, h, per datas quantitates p, q, r, determinarentur: videtur certe hunc caſum, quem hactenus tractavi, data opera excludere voluiſſe. Reliquus ergo eſt ſolus hic Problematis caſus, cum duæ tantum radices æquationi quæſitæ B cum æquatione data A communes ponuntur, ad quem ſolvendum uſus ſum analyſi, quæ ſequitur, & quæ præcedentis caſus analyſi valde ſimilis eſt.

Sint a & $-b$ duæ radices communes æquationibus A & B: erit ergo $(x-a)(x+b)$, ſeu $xx-(a-b)x-ab$, factor quantitatis B, quæ proinde intelligi poteſt enata ex multiplicatione harum duarum quantitatum:

$$xx + tx + \frac{r}{ab}$$
$$xx-(a-b)x-ab.$$

Jam, multiplicatis hiſce quantitatibus per ſe mutuo, prodit $x^4 - (a-b-t)x^3 - (at - bt + ab - \frac{r}{ab})x^2 - (abt + \frac{a-b}{ab}r)x - r$; cujus quantitatis ſingulis terminis quantitatis B comparatis, habemus

$$f = a - b - t$$
$$g = ab + (a-b)t - \frac{r}{ab}$$
$$h = abt + \frac{a-b}{ab}r.$$

 Nunc,

Nunc, ut eliminentur quantitates aſſumtæ a, b, conſiderandum eſt, quantitatem $xx - (a - b)x - ab$, cum per hypotheſin metiatur quantitatem A, nec non quantitatem B, metiri etiam earundem differentiam $= fx\,(xx - \frac{p-g}{f}x - \frac{q-h}{f})$. Quod cum ita ſit, patet, eſſe $a - b = (p - g) : f$, & $ab = (q - h) : f$, ſeu pro $p - g$ ſcripto u, & z pro $q - h$, brevitatis cauſa, patet, eſſe $a - b = \frac{u}{f}$, & $ab = \frac{z}{f}$. Quibus valoribus ſubſtitutis, eſt $f = \frac{u}{f} - t$, $g = \frac{z}{f} + \frac{ut}{f} - \frac{fr}{z}$, & $h = \frac{tz}{f} + \frac{ur}{z}$. Hinc eliminando t $(= \frac{u - ff}{f})$ habebimus

$$p - \frac{uu}{ff} = \frac{z}{f} - \frac{fr}{z};$$
$$q\frac{f}{u} = \frac{z}{f} + \frac{fr}{z}.$$

Cum ergo ſit $p + \frac{f}{u}q - \frac{uu}{ff} = \frac{2z}{f}$, & $p - \frac{f}{u}q - \frac{uu}{ff} = -2f\frac{r}{z}$: erit $(p - \frac{uu}{ff})^2 - qq\frac{ff}{uu} = -4r$, ſeu, pro $\frac{uu}{ff}$ ſcripto e, $(p - e)^2 - \frac{qq}{e} = -4r$. Ex quo naſcitur æquatio hæc:

$$e^3 - 2pe^2 + (pp + 4r)\,e - qq = 0.$$

Data ergo radice affirmativa e hujus æquationis, (quod ob ultimum ejus terminum negativum ſemper fieri poteſt,) & ſumto f pro lubitu, fieri debet $z = \frac{1}{2}f\,(p \pm \frac{q}{\sqrt{e}} - e)$;

&

Digitized by Google

& hinc prodibit $g = p \mp f\sqrt{c}$, atque $b = q - \frac{1}{2} f \left(p \pm \frac{q}{\sqrt{c}} - c.\right)$ Q. E. I.

STEPH. FABRETTI, URBINATIS, E Societate Jeſu Presbyteri, Lyrica et Epiſtolæ.

Lugduni, ſumtibus fratrum Duplain, 1747, 8 maj. Plag. 19½.

Elegantiſſima ſua Carmina Poeta hic novus celeberrimæ Lugdunenſium apud Gallos Academiæ Scientiarum & literarum ſuo jure dedicavit. Illa nimirum & virtutes acute veſtigare poterit, & ipſa, quæ nos judicamus, vitia ſuſpiciet. Referri huc debere videtur adulatio inprimis, Galliarum Regi principibusque perſonis nimis blandiens, & ſuperſtitioſus in Sanctos, ſingulatim beatiſſimam illam *Mariam* affectus. Utriusque paſſim documenta reperiemus, ſi vel indicem Poematum evolvamus. Inſcribuntur enim Odæ hoc modo: *Ludovico XV*, Regi Galliarum invictiſſimo; ad Libellum ſuum; Auſtriaci ope B. Virg. *Mariæ* victores ad Albam Græcam; ad illuſtriſſimum March. *Philippum Prati*, Lugduno in Italiam diſceſſurum; ejusdem in Italiam adventum felicem gratulatur; ad amicum, mala non eſſe perpetua; ad milvium, qui, cum manſueſcere doceretur, aufugerat; ad laudes B. Virginis invitatio; Corſica *Ludovici XV* auſpiciis pacata; humanæ vitæ brevitas; ad *Hannibalem Claret;* adverſæ fortunæ fortiter reſiſtendum; ad Africum, ut a pluviis temperet; B. Virginis patrocinio tutum, nulla ſe mala formidare; terrena inſtabilia, cœleſtia conquirenda; cor impii, quaſi mare fervens; Carthagena obſidione liberata; ad S. *Franciſcum Xaverium*, in Indias navigantem, angeli vaticinatio; in noſtri ſeculi luxum; terra punctum eſt; ad amicum, in Indias navi-

gantem; in primo Lugdunum adventu Eminentiſſimi Purpurati Patris *de Tencin;* a ſola virtute ſperanda immortalitas; in B. Virginis annuntiatione reddita orbi felicitas; in ea cantici *Davidici: Veni in altitudinem maris*, cet.; hyemem minus aptam eſſe ad Poeſin; *Ludovicus XV* pacis ubique ſequeſter; angeli cuſtodis beneficia; humana omnia fluxa & deſpicienda; mons Albanus expugnatus; parvis malis ab initio reſiſtendum; in illa verba ſponſæ: *Indica mihi, ubi paſcas* cet.; bonos Poetas eſſe immortales; ad amicum, qui carmina ſcribenda *Fabretto* commendabat; *Ludovicus XV* in Hannoniam, ſuo exercitui imperaturus, deſcendit; ut maris tranquillitati, ita vigori juventutis, nihil fidendum; noſtra eſſe bona, quæ animum exornant; moriendum omnibus; nullam hac in vita tranquillitatem eſſe; deiparæ, in cœlum aſſumtæ, triumphus; Alpes ſuperatæ; virtutem amore melius diſci, quam metu; cum exteri exercitus agrum Romanum infeſtarent; *Ludovicus XV* ad Rhenum victor adſcendit; paraphraſis antiphonæ: *Regina cœli* cet.; ad R. P. *Vionnet*, Soc. Jeſ. Rhetoricæ claſſem relinquere meditantem; ad R. P. *Lange*, Soc. Jeſ. immortalitatem ab Autore per jocum expoſcentem; Deum vere diligens, omnia terrena deſpicit; ingratas ſibi Muſas incuſat; ſine laude & præmiis Poeſin langueſcere; ad *Vionnetum*, cum in rhetorica claſſe frater ipſi ſuccederet; de turri ſpeculatoria Lugdunenſi; *Ludovicus XV* totius regni precibus a morbo recreatus, Odis VI; *Ludovicus XV* ipſo B. V. aſſumtæ die incipit convaleſcere; idem morbo recreatus ad aram ſe B. Virginis ſiſtit; ad illuſtriſſimum D. P. *Dugaz*, ut labores intermittat; tranquillitatem in divitiarum contemtu inveniri; in nuptiis Sereniſſimi Delphini; R. P. *d' Antun*, Soc. Jeſ. ad ruſticandum adhortatur; *Ludovici XV* victoria, cum primum Sereniſſimum Delphinum in caſtra duxiſſet; tertia illuſtris victoria Sereniſſimi Boruſſorum Regis; ad illu-

Digitized by Google

illuſtriſſimum D. *Ang.* Com. *Durinum*, ut a ſtudiis temperet; ad B. Virginem, mœrentium ſolamen; ad Apollinem poſt Mornacum expugnatum a *Ludovico XV;* virtutem latere non poſſe; ad *Marion*, Soc. Jeſ. gratiarum actio; inanis gloriæ contemtus; novæ *Ludovici XV* victoriæ; de puero *Jeſu*, in virginis matris ſinu; curas animi non eſſe ſilentio premendas; ad Chriſti Jeſu, de cruce pendentis, imaginem; Lutetiæ Pariſiorum laudes; *Ludovicus XV* victor hoſtibus pacem offert; relictis Muſis, deiparæ patrocinium Regi ſibique implorat. Videmus hic, proram & puppim habere, quæ principio diximus, argumenta, veluti que gemmas omnem elegantiſſimarum Odarum contextum diſtinguere; reliqua vero potiſſimum ad ipſam facultatem poeticam, & ad mores dirigendos, pertinere. Spectant eodem *Epiſtolæ XIV*, quæ ſubjunguntur. Sunt autem hæ: Com. *Angeli Durini* elegantiſſimæ epiſtolæ reſponſio; ad eundem de ſuo Calliopes ſomnio; eidem novum annum felicem apprecans; ad eundem, Muſas ſibi difficiles conquerentem; ad Com. *Carolum Durinum*, fratrem natu minorem, eadem de cauſa; ad Lupercum puſillum & & gibboſum; ad *Petrum*, de ingratis ſibi ſodalibus expoſtulantem; ad *Aulum*, malum promiſſorem; ad *de Jame*, Soc Jeſ. de ſuis verſibus; ad illuſtriſſ. D. *Aulaz de Moleyſe*, ne R. P. *Bimet* de autore laudibus credat; ad *Raphaelem Fabretti* de literarum ſuarum infrequentia; ad Abb *de Faramant*, qui Autorem mire laudarat; d *Joſephum Fabretti*, antiſtitem, juſta fratri parantem, & tandem ad Com. *Ang. Durinum*, cur rarius ſcribat. Supereſt, ut Poetæ noſtri Carminum, quorum ſingulis ſua gratia, ſua ſuavitas & elegantia, ineſt, & quæ omnibus poeticarum venerum ſtudioſis commendari haud vulgariter merentur, aliquod ſpecimen addamus; qui quidem ſubliminorem Poeſin jure noſtro eligimus. Ita vero ſcribit inter alia de immortalitate, quam & ipſi precamur, bonorum Poetarum:

Secum

Digitized by Google

Secum trahentis ſingula temporis
Obliviosis cedere morſibus
Ne crede, prædocta ſonantes
Quæ cithara cecinere Vates.

Faſtigiato quæ modo ſydera
Pulſant columnæ vertice, corruent;
Lapſæque teſtabuntur altam
Ruderibus modicis ruinam.

Rubiginoſis dentibus æneos
Arrodet ætas, qua tacitum fluit
Olim Coloſſos, diruendis
Queis ſat erit caprificus audax;

Vel nata circum vis hederæ terens
Ramoſa muros; vel pluviæ levis
Cæmenta corrumpentis, atque
Marmora diſſociantis, humor.

At non ſeveræ ſentiet Atropos
Vivax ſagittas Sarbivii lyra, *
Ad Viſtulæ fontes paterni
Pindarico reboans tumultu;

Seu martiales bellicus evocet
Ad arma turmas; ſeu jubeat jugo
Ab Thracio tandem ſolutam
Ire hilarem Solymam triumpho.

---

*) P. *Matthias Caſimirus Sarbievius*, Polonus. Scripſit Lyrica.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCCLII.

QUINTI CASSII DIONIS COCCEJANI ROMANÆ Hiſtoriæ, ex ejus octoginta Libris, Tomus primus, continens priores Libros viginti & unum, ab Urbe condita usque ad U C. annum DCX poſt everſam Carthaginem & Corinthum; nunc primum detectos, reſtitutos, concinnatosque, & nova fere verſione, & perpetuis ſuis variorumque Notis, auctos ſtudio & labore NICOLAI CARMINII FALCONII, Metropolitæ Eccleſiæ S. Severinæ in Brutiis ulterioribus in regno Neapolitano, qui ipſum Sanctiſſimo Domino noſtro BENEDICTO XIV, Pontifici Optimo Maximo d. d. d.

Neapoli, apud Joſephum de Bonis, publicum typographum, 1747, fol.
Alph. 6 plag. 12.

Hic eſt ille liber, tandem aliquando carceribus emiſſus, quem non minus calidis votis arrectaque ſpe ignari deperierunt, quam inſignis vanitas & inſolita audacia olim promiſit. Erat ſane haud mediocri beneficio rem literariam ſibi obſtricturus, quisquis *Dionis Caſſii* Libros luci redderet, a longo jam tempore in deperditis habitos, & procul omni dubio re vera deperditos, quibus naſcentis adultæque rei Romanæ fata & res geſtas ſi eadem cura, fideque, & facundia, tradidit, quam in illis Libris admiramur, qui temporum injurias effugerunt: quod eum feciſſe cre-

dibile eſt; non absque cauſa ferimus eorum deſiderium ægerrime. Verum, ex quo *Falconius* eorum a ſe reſtituendorum ſpem movit, publiceque fidem ſuam obligavit, fuerunt protinus, qui magnificam pollicitationem valde haberent ſuſpectam, cum explenda ingens hæc lacuna e Vaticanæ Bibliothecæ Codicibus jactaretur, cujus forulos tam diligenter excuſſerant tot viri docti & antiquitatis ſtudioſi, quot eam a renatis literis aut rexerunt, aut frequentarunt, ut probabile non eſſet, ſoli *Falconio*, fatali quadam neceſſitate, gloriam inventæ gazæ, quæ tot curioſos oculos fefelliſſet, reſervatam fuiſſe. In ſpecimen denique futuri operis edebat A. 1724 non unum aliquem recens a ſe repertorum illorum Librorum, (id enim agendo totum illum mimum diſſuiſſet,) ſed fragmenta poſtremorum illa ipſa, quæ *Fulvius Urſinus* jam dudum publici juris fecerat. Auctarium, quo *Falconius* a ſe addito ſuperbit, *Fulvius* conſulto ut inutile ſpreverat. Augebat hoc factum ſuſpicionem callidæ machinationis, quæ tamen nihilo minus apud ignaros & faciliores id effecit, ut, inter ſpem metumque diu ancipites & ductitati, non niſi magna a difficillimo partu exſpectarent, in quo plus quam quinque luſtra laboratum fuit. Verum contigit, quod fabula montibus contigiſſe vult. Prodiit pro texto *Dioneo* riſu dignus cento, inutili labore conſutus. Indignantur probi, tantopere inſultatum ſuæ credulitati fuiſſe. Qui mitius eum excipient, miſericordia Viri tangentur, cui non eruditio, non ſedulitas, non bona fortaſſe voluntas, deeſt, at judicium deeſt procul omni dubio. Quis enim eorum, qui recte collocare otium ſuum ſciunt, confectum e fragmentis *Dionis*, e *Plutarcho*, *Zonara*, & aliis, centonem pro *Dionis* opere venditet, in eoque concinnando tot noctesque diesque perdat, & absque fructu, famæque cum diſpendio, ſudet & algeat, quo in reprehenſionem publicam incurrat, omniumque doctorum hominum odium contrahat?

Non carebat quidem laude ſtudium, fragmenta *Dionis* ex illis Autoribus colligendi, quos *Dione* uſos fuiſſe conſtat; verum neque corpus integrum dat, qui fragmenta dat, neque res, a *Dione* traditas, verbis ejus, ſed ſuis quisque, reddiderunt,

runt, qui eas illinc repetierunt. *Zonaras* neque integro fuit *Dione* uſus, neque ſolo, neque tam religioſe ipſi adhæſit, quin libertatem ſibi permitteret, annales ſuos ore ſuo moduloque contexendi. Integrum eum qui transſcribit, non ſola *Dionea*, ſed *Plutarchi*, reliquorumque Autorum, e quibus *Zonaras* textum ſuum concinnavit, reliquias, reddit. Ne ipſe quidem *Xiphilinus*, qui *Dionem* tamen preſſius ſecutus eſt, & plerumque ad verbum retulit, nihilque alieni admiſcuit, pro *Dione* tamen haberi nequit, quia eum in compendium miſit, etiamſi de cetero ne verbum quidem de ſuo addidiſſet. Liberius tamen *Xiphilinum* in hoc negotio verſatum eſſe, e notis inquinatioris ævi, quo vixit, paſſim inſperſis, manifeſto conſtat. Id idem quoque in Fragmenta quadrat, quæ in Excerptis *Hæſchelianis* & *Valeſianis* operis *Conſtantinianei* ſub *Dionis* nomine apparent, dubia interdum autoritate. Paſſim certe librarii clara nomina inter ſe permutarunt. Quod ut in aliis factum eſt hujus generis collectionibus, Catenis Patrum, Florilegio *Stobæi*, & aliis multis; ita in modo laudatis Excerptis, ut vulgo audiunt, *Peireſcianis* aliquoties errore librarii *Dioni* tributa fuerunt, quæ *Plutarchi* erant. Agnoviſſet calami lapſum protinus alius quicunque vel mediocriter ſagax, & affectibus liber. Noſter autem *Falconius*, *Dionis* integri edendi cupidus, reliquorum autem, quæ in literarum vaſto campo adhuc peragenda ſuperſunt præclara & utilia, incurius, vehementerque de materia, quæ molam ſuam augeret, undeunde comparanda ſollicitus, avide arripiebat fœcundum hoc ſemen, & fovebat diligenter, facileque ſibi perſuadebat, *Dionem*, cujus ætas *Plutarcho* poſterior, in hujus Vitas, fama & facundia præſtantes, latrocinium egiſſe ſolis tantum illis in Libris, qui perierunt, in illis, qui adhuc hodie ſuperſunt integri, ſermone ſuo uſum, exemplo eloquentiæ, coloribus alienis facile carentis.

Infelix error librarii, *Dionem* pro *Plutarcho* laudantis! Quantum *Falconio* laborem, quantum Neapolitanis typothetis & bibliopolis malum, peperiſti! Niſi res ipſa teſtaretur,

 care-

careret pæne fide, tam prodigioſam opinionem in Viri docti animum ſubrepere; tam ingentem, quod proverbium ait, hiſtoriam de nihilo naſci, potuiſſe. Væh librario, qui ſumtus libro fecit excudendo, publicam, ut omnes vident, ita ſpem deſtituenti, ut, qui emendum tam vani inutilisque ſtudii hoc monumentum putent, pauci ſint futuri.

Volumen hoc *primum*, quod procul dubio *alterum* non ſequetur, conſtituunt prolegomena, ſatis ampla, & lectu jucunda pariter atque digna, optima libri pars, & cento, pro *Dione* venditatus. Illa plagulas octodecim implent, & *Capitibus octo* conſtant, quorum primum inſcribitur *plena diegeſis omnium, ad hanc editionem ſpectantium;* ſecundum *Dionis vita;* tertium *hiſtorica Dionis Bibliotheca;* quartum *antiquorum de Dione teſtimonia;* quintum *Dionis editionum hiſtoria & interpretes;* ſextum *clariorum Scriptorum judicia de Dione, ejusque Romana Hiſtoria;* ſeptimum *Apologema pro Dione;* octavum *Dionis vita, ex ejus verbis collecta.*

Primum itaque *Caput* ſplendidum hoc præ ſe fert elogium, majoribus literis, ne oculos falleret, exaratum: *Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque, ſit mihi, reique publicæ literariæ, Caſſii Dionis Romanæ Hiſtoriæ habemus Libros.* Vera omnia, facile credimus. Habemus profecto Libros *Dionis Caſſii;* ſed non illi ſunt, *Falconi,* quos pro *Dioneis* ex ingenio tuo procuſos venditas. Sed videtur ipſe illudere lectori velle, dum vera ait, at præſenti rei non congrua. Protinus illuſtriori exemplo, quale ſit ingenium Viri, cognoſcemus. Decrevimus enim, ipſa ejus verba potiſſima, ex hoc *primo Capite* decerpta, in quibus ipſe ſe pingit, apponere, ne non merenti injuriam facere judicium noſtrum videatur, cum liber ſit paucorum in manus, his quidem in terris, venturus. Hiſtoriam itaque reperti a ſe & reſtituti *Dionis* orditur & perſequitur verbis his, quæ valeantne omnia Lectores intelligere, (obſcura enim ſæpe, ſæpius ſolœca, Autor dictione utitur,) ipſi viderint: *Manum forte admovebam ultimam lucubrationi meæ de varia provincia Romani metropolitæ; (quæ ad umbilicum perducta, nondum favit Deus, ut publici juris*

juris fieret,) locusque mihi, poſt editiones expenſas, conſulendus erat Dionis *in* LXX, *ubi de Italiæ Juridicis verba facit; cum Bibliothecam adeo Vaticanam, Codicem ejus aliquem ut obſervem. Auguſtum hoc & locupletiſſimum Athenæum quibusvis & quotannis Novembri menſe (qui tunc anni 1722 excurrebat,) patet & reſeratur, ibique — mihi idem ille Codex affertur, qui* Dionis *Fragmenta* Fulvio Urſino *præſtitit. - - - Pervolvi, reperi, quod quærebam; inter quæ vero miſeratus dimidiatas ibi columnas, ubi novi ea factum cauſa, ut fragmenta ſint, quæ* Urſinus *edidit tantum Græce, - - - me magna cupido inceſſit, ea juris publici faciendi.* Ait deinde, ſe incidiſſe in Excerpta *Valeſiana*, e quibus ſæpe lacunas Vaticani Codicis explere potuerit. Inde, ſumto in manus *Xiphilino*, medicinam illinc quoque Codici ſuo paſſim feciſſe; *Cedrenum* porro, & *Zonaram*, & Eclogas de legationibus, conſuluiſſe, quorum medius *nedum multa, verum etiam cuncta, deinceps præbuit. Sed ab excerptis*, pergit, *Valeſianis exortum lumen. — Unicus & ſingularis hic Codex* de virtutibus & vitiis, *unus, quod noverim, toto orbe. Regia & Cæſarea alteros non habent, non aliæ Bibliothecæ. - - Ceterum novi opus ex Clariſſ.* Fabricii *Bibliotheca Græca Tomo IV, ubi &* Jacobi Palmerii *excipio* Exercitationes —. Conſtantinus *autem in decimo titulo* Dioniis *fecit titulum* Ἐκλογαὶ ἐκ τῆς Ἱςορίας Δίωνος Κοκκειανȣ̃, — *& legi vix ego iſta & priora verba, tum initia deprehendo operis noſtri* Caſſii, *ipſis iſtius verbis ab* Auguſto *illo nobis in primo Exceptorum limine aſſervata. - - Quid multis? — Dio ergo, tacitus mecum inquo, in Zonara totus latet, & perſonam induit late Zonaræ. Suopteque actutum cogitatio mihi ſubit, num etiam excerpta ex* Dione Valeſiana, *& Eclogæ de Legationibus ex eodem, ſuo loco apud Zonaram pariter habeantur. Tum exordior opus perſequi, voluto quotidie, & paſſim in ea incido, atque, ut ad verbum omnia ibi exſtare perſpicio, geſtio, exilioque, & ſacrum ſilentium mihi indico, Ægyptius factus* Harpocrates, *de re prorſus nemini revelanda. Servoque fidem reapſe, amicis tantum familiarioribus, me* Dionem *ferme integrum nactum fido. Unde in rempublicam eſt diffuſum. De loco, Codice, aut quomo-*

do ſit repertus, nunquam, niſi modo, excidit mihi verbulum, ex metu evidenti, extemplo omnia deperdendi. — Hæc ubi geſta ſunt, mecum ipſe reputo tres poſtremos Dionis Libros ex Vaticano illo Codice - edere - edidique. — Sane vero tunc primum de toto Dione cogito edendo, eaque in re mihi primo proclive fuit Hiſtoriam conſarcinare, & excerpta Conſtantini, Tzetzæ, aliorumque, velut aſſumenta quædam, ſuis Zonaræ locis aſſerta, aliquo pacto ferruminare. Quod moleſtum & infinitæ opus patientiæ lubens quoque ſuſcipio, dato titulo: Conſilium de Dione reſtituendo. Ubi vero illud ad umbilicum perduxi, rem etiam proſecutus in his, quæ Dionis habemus edita in Leunclavio; plane fateor, ipſe mihi non usquequaque placui. — Mitto igitur illud meum qualecunque peractum opus, & ita Dionem cogito, ut eſt apud Zonaram & Xiphilinum, epitomatores, edere, — quid Porphyrogenneta aliique Dionis habent, ſuisque locis & columnatim, Græco-Latine adderem. Quod ut expendo proboque diu conſilium, ita tandem re ipſa facio, ad lucem meis interdum additis, aliorumque, ſi quæ ſunt, notis, - -. Qui labor etiam enormis fuit, isque nunquam manus alienæ levatus ope, ſed perpetuo mea in omnibus, tum in Græcis, cum in Latinis. — Sed Librorum diviſionem Zonaras confuderat, & multos Dionis Libros in tres redegerat ſuos tantum. - - Nos proinde, materie Dionis Zonariana in primum Tomum ſepoſita, eam ita congeſtam & Dionem rurſus in ſuos Libros diviſimus, non temere, aut pro libitu, ſed mature, & ratione ducti, & manuſcriptorum quandoque Codicum fulti ſuffragio, Suida inprimis nonnunquam in iis prælucente, quæ protulit, librorum numero allegato. - - Præ his, adde, novum commodum intulimus in Dionem, ſubdiviſionem Librorum nempe per æqua ſpatia & intervalla, quæ capita dicta jam diu eruditiori noſtro ſeculo tantopere placuerunt. - - Eo redacta res erant, cum meditor novam potius univerſi operis verſionem, quam recenſionem earum Wolfii & Ducangii in Zonara, & Blanci, Xylandrique, & Leunclavii, in Dione ipſo Xiphilinoque, quæ horridulæ ſæpe ſunt, & quandoque ſenſum non aſſequuntur. - - Nos modo potiti magnis acceſſionibus, meliora facilius dare poſſumus. Zonaræ namque duos alios antiquos Codices

ces

Digitized by Google

ces nacti ſumus in Vaticana, uti & duos alios Dionis *editi, &* Xiphilini, *quos contulimus exactiſſime. — Ad hæc meditor, & quo pacto Præfationi* Dioniæ, *qua caremus, aliquatenus ſuccurratur, placuitque,* Halicarnaſſeum *petere auxiliarem. Antiquorum namque nemo* Dionyſii *Romanas Antiquitates non verſavit nocte dieque; præcipue in originibus Italiæ Præfationem, ubi eum* Dio *ad ſententiam deprehenditur preſſe ſequi. Reapſe apud veteres invaluit opinio, pro Romanis Antiquitatibus* Dionyſium *inprimis eſſe legendum. — Legit eum proinde* Dio, *& viſum nobis, ex eo excerpere, quæ de originibus & antiquitatibus habet Italiæ in primo Libro, quem alii verius Præfationem Librorum tenent. - - Tanta ubi parata ſunt, periochas etiam Libris præfigere libuit, —. Sed magna adhuc lumina & incrementa* Dioni *deerant, eaque forte fortuna in* Plutarcho *detego, dum* Valeſii *verba lego:* Ex Plutarchi Sulla hæc & ſequentia quatuor Capita ad verbum transſcripſit *Dio.* Sed & Caput 34 & 37 Legationum ex *Dionis* Hiſtoria Excerptarum ſimiliter exſcripta ſunt ex ejusdem Plutarchi Sulla. *Confeſtim* Plutarchum *ſumo — reſtituoque hoc pacto, ad duos ferme Libros,* Dionem. *Interim, quod ſuapte evenire natura in ejusmodi ſolet occaſionibus, hinc mihi animus excitatur ad explorandum, num & alibi quoque* Plutarchus *apud* Dionem *lateat, ut ſic reſtitui ſatius* Dio *queat. Sed tunc adverſa Minerva uſus, nil reperi in ejus* Othone, Galba, Cicerone, Cæſare, Bruto, Antonio, *&* Pompejo, *nil in* Lucullo, Sertorio, M. Æmilio, *utroque* Catone, Gracchis, Hannibale, Pyrrho, Flaminio, *aliisque, tanto tædio laboreque tanto & ſudore, —. Aſt, cum miſſum facio ordinem retrogradum conferendi, & a Romulo incipio, — tunc meliori lapillo, & ſecunda alite, deprehendo tanquam venaticus ad olfactum, ex* Plutarcho Romulum *ad verbum pæne exſcriptum eſſe a* Dione; *quod* Valeſium *fugiſſe, mirandum eſt, qui* Dionia *ea ipſa, & tanta novit in* Tzetze, *& ex* Zonara *emendavit, qui* Plutarchi Sullam *a* Dione *abactum in ſua erat expertus. Deprehendo exſcriptum &* Numam, *item* Publicolam *&* Camillum. *Et quale gaudium, fontem detexiſſe, reſtituiſſeque medium ferme in prima* Parte Dionem. - - *Anno hac facta 1728 ab autumno ad ſequen-*

quentem annum; quibus per omnes dies & magna noctium parte unum Plutarchum *extudi & elucubravi, unum* Zonaram; *neque hic finis; nam & ſequens biennium rei inſumtum. Quocirca, ſi duodecim annos* Dio *impendit ſuæ Hiſtoriæ conſcribendæ, decem tunc ferme inſumſeram & ego eidem reſtituendæ. — Sed interea, dum hæc pando,* Dionem *forte videar lege Fabia convenire, & crimine plagii aſperſiſſe conviciſſeque; & meum eſto, apologema aliquod ipſi ſcribere, exordio facto, non quo excuſem, ſed quo aggerem ei crimina.* Polybium, Halicarnaſſeum, Appianum *etiam, exſcripſit* Dio, *etiam alios, quos perdidimus. Attamen, ſi quid peccavit, (potuit enim rem monuiſſe in Præfatione operis modo amiſſa,) in ſolo* Plutarcho *peccatum eſt, cujus* Sullam *ad verbum extulit, in reliquis leviuſcule. — De plagio etiam nuper hominem accuſavit* Joannes Harduinus *ad* Plinium. Beatus Rhenanus *in obſervationibus ad* Plinii *Præfationem innumeros antiquorum detegit & enumerat veterum ſcrinia ingratiſſime compilaſſe.* Non exſcribemus longum, quem deinceps texit, catalogum veterum, qui plagii rei aguntur, & quorum in contubernium vel invitum detrudere *Dionem*, eaque criminis communione a crimine liberare, vult. Sub finem ergo *primi Prolegomenorum Capitis*, quid in hac editione præſtiterit, ediſſerit, & malevolorum ſiniſtra de ſuo inſtituto judicia (calumnias ipſe appellat,) profligare ſtudet. *Perſonam*, ait, *detraxi Zonaræ, Dionem detegi, —. Proinde dedi novum potius, quam nova.* Dionem *utcunque dedi, quod prius ſe habere Reſp. ignorabat, paneque integrum dedi* Dionem, *unam ſi excipias lacunam ab A. U. 671 ad 682, annorum ferme duodecim, quos novem* Dio *Libris excurrerat. - - - Eruditi ne per ſomnium quidem de* Dione *per editionem* Zonaræ *reparando cogitarunt, aut alios ad eam rem ſuo conſilio excitarunt. Spartam vacuam ego primus ingredior, ſique* Dionis *apud* Xiphilinum *epitomen licuit ſumma cum laude* Leunclavio *in unum volumen compingere cum* Dioniis, *edereque: — vitio mihi non vertent, duco, aut nulli laudi, ejuſdem* Dionis *epitomen* primæ Partis, *quæ erat incognita apud* Zonaram, *cum* Dioniis *omnibus colligaſſe, eoque* Dioni *pacto caput reſti*

tuiſſ

tuiſſe Romanæ hiſtoriæ. Major contra gloria mihi fiet inde, ſi qua palma victoriæ in medium toti proſtabat reipublicæ literariæ, eamque nemo unquam perſpexit, nemo arripuit, hac illac diſperſam, modo obducto veluti ſipario patefacta cum laude & gratanter excipiatur. En ſpecimen eloquentiæ *Falconianæ!* Videtur ipſe medii ævi facundiam revocare velle. Bene quoque in eo facit, quod ſe laudat, metu, ut videtur, non vano, ne ſibi laudatores haud multi contingant. Non modice Virum de ſe ſentire, conſtabit ex aliis ejus dictionibus, quas paulo poſt referemus. *Videar autem ego*, pergit, *feciſſe nihil, cum plus quam* Leunclavius *Reipublicæ ego conferam. Jacebat protome magnæ ſtatuæ proruta ad Athenæum. Autorem operis norat nemo, & opus ipſum erat obſcurum fere, & in parvo pretio, — ex ignoratione, cujus eſſet artificis, cujus corporis, cujus lapidis pretioſi. - - Nec alioqui* Zonaræ *Epitome valde abludet, aut ab ipſo opere* Dionio *mole diſtat. Scimus enim, reipublicæ tempora preſſe & jejune aliquando* Dionem *tranſegiſſe, latiusque & latiſſime per tempora imperii ſpatiari. - - Præſtiti ad hæc alia in editione* ſecundæ Partis. *Duos Codices Vaticanos ego* Dionis *contuli a 35 Libro ad 60: duos vero* Laurentianæ. Xiphilinum & Zonaram *recenſui ex quatuor Vaticanæ, & ex altero Coisliniana: — Hæc omnia habes in iſtac editione, in qua tot ſupplentur iis auxiliis hiatus, totque magna ſphalmata emendantur, ut — alium agnoſcas* Dionem, *& pleniorem, ab his, qui hactenus prodierunt. Sane* Neronem *vix alium ſcripſit* Dio, *adeo, quæ pauca reſecuit* Xiphilinus, *ex* Joanne Antiocheno, Suida, Conſtantino Auguſto, & Zonara, *reparamus. Judaicas res breviter* Dionem *ſcripſiſſe, autor eſt etiam* Philoſtorgius *quinto Seculo. — M. Aurelii ea damus, quæ nec habuit* Xiphilinus, *qui ejus vitam in ſuo ſe non reperiſſe* Dione *dixit.* Commodiana *tempora,* Severique & Caracallæ, *cuncta ferme reſtituuntur.* Dio *ipſe hinc loquitur in* Macrino, Elagabalo, & Alexandro, *ex Vaticano illo, quem edidimus, antiquiſſimo Codice.* Ab his delabitur ad doctorum in Italia & alibi immites de inſtituto ſuo ſententias refutandas. Pro impoſtore ſe habitum queritur ab inimicis; ab

 ami-

Digitized by Google

amicis vexatum aſſiduis *Dionis* ſui flagitationibus, & apud ipſos quoque cunctatione in ſuſpiciones iniquas deveniſſe. Se tamen conſtantia & prudentia & hos continuiſſe, & illos viciſſe, gloriatur. *Amici*, ait, *obtundebant aures, eſſe periculum, maturarem idcirco editionem. Nempe ea ex cauſa, monſtrum ut potius ederem, quam juſtum fœtum, volebant, & ut prodiret* Dio *non Prætor, non Conſul, ſed vix laticlavus Senator, ſine auſpiciis, ſine faſcibus, ſine inſignibus imperii, ac ſuo reliquo comitatu. Sed murium eſt inter Nonas Calendasque, elephantum vero tertio decimo menſe, naſci; quod æterna opera, ſecus vero extemporanea, imitantur. Inter Autores enim innumeros ſapientiſſime cunctatores ſuam Hiſtoriam* Diodorus Siculus *triginta & annis abſolvit, viginti duobus* Dionyſius Halicarnaſſeus, *totidem noſter* Dio. — *Ne ſim prolixus in re notiſſima eruditis, nullus Autor eſt magni nominis, qui ſubitaria ſcripſerit ſua opera. Etiam Zeuſis, irriſus ob operum lentitudinem, dixit, ſe pingere æternitati.* Caveant ſibi jam eruditi, ne novum hunc *Zeuxin*, qui non novit niſi æternitati pingere, in angulo quodam Bibliothecæ dedicent.

De *ſecundo* Prolegomenorum *Capite* nihil delibabimus. *Tertii* quia inſcriptio ſubobſcura eſt, tenendum, eo nominari Græcos Latinosque Romanæ Hiſtoriæ Autores, quibus *Dio Caſſius* in condendis libris ſuis, ſi uſus non fuit, uti certe potuit. *Capitis quinti*, quod hiſtoriam editorum & interpretum *Dionis* exequitur, juvat extremam partem huc adſcribere, qua vitæ ſuæ fata ipſe Autor hunc in modum enarrat. *Natus ſum, ait, Neapoli anno 1681, 13 Cal. Auguſti, patre* Joſepho, *viro Lucano, filio* Jacobi e Buxento (*quo ex Hippone in Brutiis, ut Tropæam alii, & Citrarium, adhuc nobiles ejus generis, procurrerunt.*) *& e* Catharina Paulilla, *Neapolitana uxore. Poſt ſtudia & ſumtos gradus, forum quadriennium trivi; tum A. 1706, ex Romano itinere redux Aprili menſe, deſerui forum, & menſe Majo anni 1708 ſacerdos fio. Hinc Græce ſtudui, ſub me ipſo, diſcipulo & magiſtro, &* Clenardi *Inſtitutionibus. Poſt res geſtas & acta Beati* Januarii, *Martyris & Epiſcopi, edita A. 1713, Romam perrexi, iterumque*

A.

A. 1720, *ibique moras nexui, quin domicilium poſui, usque ad A.* 1733. *Sane in illo Romano otio ſcripſi multa ope ſubſidioque Vaticanorum Codicum Caſanataa, Alexandrina, Baſiliana, Barberiniana, aliarumque Bibliothecarum, ut puta* ad Ephemeridas Græco-Moſchas, *quæ, faxit Deus & faveat, ut tandem aliquando in lucem prodeant. Et tunc a* Clemente XII *Junii 6 die S.* Norberti *renuntior Epiſcopus Martyrani in Brutiis, ſub Conſentino Metropolita. Ac tandem poſt multa pericula & ærumnas per* Benedictum XIV *idibus Jul. A.* 1743 *ad Metropolim transferor S.* Severinæ *in Brutiis ulterioribus. Hæc mea hactenus fata; reliqua, ni ego iterum, poſteri enuntiabunt.* Elegans *Caput* hoc eſt, & ab inſperſis ſcitis obſervationibus, ad Hiſtoriam literariam pertinentibus, commendabile, uti reliqua quoque *Capita Prolegomenorum* bona continent, & de Autoris diligentia & lectionis copia teſtantur; quamvis credibile ſit, eorum quidquam, quod bonæ frugis ſit, in præclara editione *Reimariana* omiſſum non fuiſſe.

Venimus nunc ad ipſum, ſi Dis placet, *Dionem* reſtitutum, & ab interitu vindicatum, de cujus inſtitutione e verbis *Falconii*, ſupra allegatis, quodammodo conſtare poteſt. *Viginti & unus Libri* ab *Ænea* in Italiam adventu usque ad everſam a *Metello* Corinthum decurrunt. Textum ipſum pro maxima parte verba *Dionyſii Halicarnaſſenſis* & *Plutarchi* conſtituunt, cui ſubſtrata minore typo cum Latina item interpretatione conſpiciuntur teſtimonia *Zonaræ, Tzetzæ,* & *Conſtantini Porphyrogenneti.* Notæ raræ ſunt adſperſæ. Præfixa ſingulis Libris argumenta utroque ſermone, & Conſulum nomina. Cum nihil fere in his novum ſit, parumque, quod juſto titulo ad *Dionem* ſpectet, meliusque jam in *primo Volumine* novi *Dionis* Hamburgenſis, majorique cum fiducia, legantur, quæ *Dionis* fragmenta veterem naſcentis Romæ hiſtoriam exponunt, verendumque non ſit, ne ſint multi, qui poſt fruges inventas glandes deſiderent; nolumus his luſtrandis & delibandis operam perdere. Judicarunt hoc de Opere

Digitized by Google

ex vero Duumviri Clariſſimi, *Scipio Maffaus* & *Reimarus*, quorum edictis quod addamus, non habemus.

Erklärung des Neuen Teſtaments, ꝛc.

id eſt,

D. CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI Expoſitio Novi Teſtamenti. Pars IV, in qua dimidia pars, eaque poſterior, Hiſtoriæ Evangelicæ Joannis conſideratur atque illuſtratur.

Hannoveræ, in Bibliopolio Fœrſteriano, 1752, 8.
Alph. 1 plag. 21.

Pergit Celeberrimus Autor, ſub auſpiciis divinis, in enarranda Hiſtoria *Joannea*, cujus facile duæ partes poſſunt conſtitui, quarum in *priori Joannes*, per *undecim Capita*, adventum filii Dei, atque ejus divinam miſſionem ad munus Meſſianum obeundum, deſcribit; in *poſteriori* vero ea recenſet, quæ ad præparationem perpeſſionis dominicæ, ipſamque perpeſſionem, & reſuſcitationem Chriſti in vitam, referri poſſunt. Jam vero ſpecimina quædam explicationis hujus *Joannea*, a Celeb. *Heumanno* in hoc opere tentatæ, cum Lectori-
Pag. 7. bus communicemus. Initium itaque fit e *Capite duodecimo*, ubi Autor varia momenta, memoratu digna, de convivio enarrat, in *Matthæi* domicilio inſtituto. Obſervatur hic, *Simonem* maritum fuiſſe *Marthæ*, & tunc temporis mortuum, quod etiam *Zeltnerus* in *Bibliis Altdorfinis* jam dudum animadvertit. Memorabile etiam hoc cenſet Noſter, quod *Joannes* non ſolum hoſpitam ipſam, ſed etiam fratrem & ſororem ipſius, nominatim recenſeat, cum *Matthæus* & *Marcus* nomina eorum, prudenti ex conſilio, ſilentio premant.
9. Deinde pugnatur contra eos, qui, hanc unctionem ſex diebus ante Paſcha peractam eſſe, ſibi perſuadent, quo-
12. rum in numero *Ruſſius* inprimis fuit. Cauſam murmurationis, a diſcipulis Chriſti peractæ, a *Joanne* ſoli *Judæ Iſchariotæ*, a *Matthæo* vero omnibus diſcipulis, tri-

Digitized by Google

tributæ, ob ſumtus majores unctionis *Marianæ*, hanc
eſſe putat Noſter, quod reliqui diſcipuli ex ſancta quadam
ſimplicitate, *Judas* vero ſolus ex malitioſa protervia, hanc
murmurationem fecerit. Recedit hic Autor a ſuperiori ſua Pag. 13.
ſententia, quam in *Matthæi* enarratione propoſuerat, ubi *Judæ*
prima hujus increpationis initia tribuerat. Creditur hic etiam,
a *Juda* ſolo pretium unguenti exploratum, cum cre-
dibile plane non ſit, a *Maria* hanc rem manifeſtatam. De-
nique rationes Autor affert, quibus permotus Chriſtus fue-
rit, ut *Judam* in collegium ſuorum intimorum diſcipulorum
adoptaret. Pergitur inde ad alia, inter quæ vocabulum *βα-* 19.
στάζειν a *Menagiano* illo atque *Elſneriano* liberatur errore,
atque ſolide declaratur, illa voce *deportare, auferre*, ſigni-
ficari. In *verſiculo undevigeſimo* novam interpretationem 33.
proponit Autor, quando interrogative verba Græca expo-
nit: Nonne videtis vos nunc, quod nihil efficere poteritis?
Ibidem etiam vocabulum *κόσμος* inter hyperbolicas Scriptu-
ræ loquendi formas refertur. Per *Ἕλληνες* cum aliis doctiſſi- 34.
mis Viris Noſter Judæos hic intelligit, in Græcis regionibus
habitantes. Sermonem Chriſti de ejiciendo principe hujus 49.
mundi eo valere, cenſet Autor, quod, poſt Chriſti re-
ſurrectionem atque adſcenſionem in cœlum, miniſterio Apo-
ſtolorum homines a poteſtate ſatanæ ſint liberandi, atque in
regnum gratiæ transferendi. In loco *Jeſaiano* per brachium 67.
Domini intelliguntur miracula Chriſti, ex divina quadam
virtute patrata. In *Capite tertio & decimo* obſervatur, Domi- 96.
num a *Petro* initium lavationis facere voluiſſe, cauſam autem
hujus rei in ordine vocationis ipſius eſſe quærendam, ubi *Pe-
trus* omnino prior erat ordine, non vero dignitate. Pedila-
vium hoc Chriſti inter ſervilia eſſe referendum miniſteria, res
eſt notiſſima, & hic etiam obſervata. *Petrum* humaniſſime 98.
a Chriſto eſſe receptum atque toleratum, verba Servatoris ſi-
gnificant, non ex iræ vehementia prolata, ſed modeſte *Pe-
trum* corrigentia, quod præclare *Heumannus* monuit. Titu- 127.
lum fuiſſe honorificum, quo *Joannes* a Chriſto ſalutabatur,
non incommode *Heumannus* docet, quando diſcipulus dici-

 tur,

Pag. 128. tur, qui Jeſu curæ cordique fuit, adeoque ſervus a latere (*ein Leib-Diener*) omni jure eſt appellandus. Jucunda ſunt lectu atque utilia, quæ hic de eodem argumento proponuntur.
149. Inconſiderate autem hic agere, ait, plurimos interpretes, quando, novum Chriſti præceptum non ſolum ad diſcipulos, ſed ad omnes omnino Chriſtianos, pertinere, doceant. Errare hic errorem interpretes, & quidem gravem, Noſter dicit, eo hæc Chriſti verba trahens, quod non *legem* Servator, ſed, ut perſona moribunda, mandatum atque præceptionem, eandemque novam, ſuis ſuperſtitibus dederit diſcipulis. Nova vero illa eſt judicanda, dicit Noſter, ex eo capite, quod moribundi inprimis de corpore humando, atque de bonis ſuis diſtribuendis poſt mortem, ſint ſolliciti; Servator vero non res hujusmodi, ſed amorem ſuorum poſt mortem mutuum atque ſincerum, curavit, atque diſcipulis in mandatis dedit. En mandata nova! An vera, aliis dijudicandum relinquimus. Videat Celeb. *Heumannus*, an non futuri ſint fortaſſe, qui ipſi objiciant, hac ratione omnes leges atque ἐντολὰς divinas in nudas præceptiones, atque ſalutaria tantum monita, aut mandata
155. amicabilia, poſſe transformari. Paulo poſt Servatorem ludibrio *Petrum* habere, multa magno hiatu, vere tamen, Domino promittentem, Autor ſtatuit. Forte tamen hic ſermo Chriſti eſt hominis, modeſte negantis, & cum ratione dubitantis, quin
163. vere prædicentis futura. In *Capite decimo quarto* dubitat Cel. *Heumannus* de integritate atque ſinceritate verborum: Εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν, &, neſcimus an gravi ſatis ex cauſa, auguratur, hæc incaute textui ſacro ab aliena manu eſſe appoſita. Si vero genuina atque divina hæc ſit dictio; Summe Venerabilis Autor ingenue fatetur, ſe ſenſum illius adhuc capere non potuiſſe. Forte, ſi quid valemus, Romano ore, ſine difficultate reali, hæc verba Chriſti ita recte efferuntur: Quæ res ſi ita non comparata eſſet, omnino vobis dicerem, abire me, & vobis domicilia parare, velle. Quin, ſi abiturus etiam, & præparaturus vobis ſim locum, denuo redux ero, & vos
166. ad me ſum recepturus. Hæc ſi admittamus, opus non erit,

cum

Digitized by Google

cum Celeb. Autore ἐὰν per *cum* exponere, ſed in uſitata
ſua ſignificatione retineri poterit hæc particula. Quando Chri- Pag. 182.
ſtus de diſcipulis ſuis dicit, majora eos edituros eſſe opera,
quam ipſe ediderat, id Autor ſequentem in modum exponit, 184.
quod nempe amici Servatoris *plus* ſint effecturi, quam ipſe
effecit, & hoc reſpectu opera eorum majora erant, quam
ipſius facinora. Hæc eſt ſententia Autoris, negantis tamen pau-
lo ante, μείζονα per *plura* hic poſſe exponi. Id porro mone- 193.
mus, Autorem vocabulum παράκλητον per *aſſiſtentem, einen* 194.
Beyſtand, non advocatum, reddere, minime vero huc quadra-
re ideam conſolatoris, a B. *Luthero* in converſione ſua verna-
cula, aliiſque viris doctis, adoptatam. Dubitamus vero, an 195.
omnibus ſe probatura ſit ratio, ab *Heumanno* prolata, pluribus
explicata, quæ in eo conſiſtit, quod amici Chriſti, poſt effuſio-
nem Spiritus Sancti, fœmineos exuerint animos, & maſcule
intrepideque ubique ſe geſſerint. Ubi vero non eſt lugens, nec
ibi erit conſolator. Confirmandi quoque cauſa Autor non-
nulla profert exempla, in quibus lætabundi ſiſtuntur Apoſtoli.
Sed cum venia Autoris dicere liceat, neutiquam hanc rem fir-
mo niti talo, cum multa adſint teſtimonia de Apoſtolis per-
terrefactis, afflictis, lugentibus. Præter alia quamplurima
notiſſimus eſt locus *Pauli* 2 *Cor.* I, 5, confitentis ingenue, mul-
tas ſe non ſolum habere ærumnas, ſed etiam copioſam con-
ſolationem. Hinc recte colligere licet, *Paulum* atque reli-
quos Apoſtolos conſolatione indiguiſſe, quia Chriſtus eos
conſolatus eſt, indirecte quidem per Spiritum ſanctum, dire-
cte per ſe ipſum. Nec magis *Heumannus* cauſæ ſuæ conſu- 197.
lere videtur, quando ad intrepidum martyrium Sanctorum hic
provocat. Hoc enim plus probat, quam probare debet, &
argumentatio eſt precaria. Unde enim inconcuſſa quies in
morte? Unde lætabundus vitæ exitus? Nonne a Spiritu ſan-
cto conſolatore, terrores removente, ac animum morientium
exhilarante? Ita nos quidem pie credimus. Sed ad *Caput* 230.
pergimus *decimum quintum*, una cum ſequenti *Capite* ab 232.
Autore Summe Venerabili analytice primo tractatum, & or-
dine deinde explicatum. Obſervamus hic, in *verſiculo unde-*

cimo

cima χαρὰν ἐν ὑμῖν conjungi, quod ſit gaudium, quod ex *vo-*
bis capio. Nominat *Heumannus* Autorem hujus explicatio-
Pag. 280. nis B. *Zeltnerum*. Recte explicatur ἀπ' ἀρχῆς *Cap. XV. 4.*
quod *ab initio* inde *diſcipulatus* amici Chriſti futuras calami-
tates a magiſtro ſuo non audiverint. Hoc quomodo vere
dicere potuerit Chriſtus, de perpeſſionibus futuris multa ver-
ba faciens, inquirit Noſter, atque ita ſe expedit, quod Chri-
ſtus antea tam clare atque dilucide de perpeſſionibus futuris
289. Apoſtolorum ſermones non fecerit, quam tunc temporis fe-
cit. In *Capite decimo ſexto* longa exſtat diſputatio Autoris in
verſum octavum, ubi per κόσμον inprimis intelligit Judæos in-
credulos atque malignos, per orationes Apoſtolicas ad contri-
292. tionem cordis perducendos, atque ſalvandos. Per δικαιοσύνην
293. intelligitur vera doctrina, uti ἀδικία falſam doctrinam denotat;
κρίσις denique eſt judicium divinum, in malignum ex orco ge-
nium in ſupremo die ſupplicii manifeſtandum, & in diebus A-
319. poſtolorum jam manifeſtatum. Ἐν παροιμίᾳ cum *Camerario*
339. ad *verſ. 25* ſcite admodum per orationem ænigmaticam, ſeu
397. obſcuram, exponitur. *Caput decimum ſeptimum* in quatuor
dominicæ orationis dividitur partes, & deinde diligenter ex-
plicatur, ita ut piæ ubique occurrant meditationes. In *Capi-*
te ſequenti multa ſub initio ejusdem diſputantur de *tor-*
rente Kidron: qua de re hæc eſt Autoris ſententia, quod in
temporibus Veteris Teſtamenti torrens ille nomen habuerit a
valle Kidron. Poſterioribus vero temporibus, ubi cedros jux-
ta hunc torrentem plantarunt homines, nomen ſuum eſt ſor-
398. titus ab arboribus cedrorum, ad torrentem iſtum ſitis, uti etiam
413. mons olivarum ab olivis ita dictus eſt. Ad hanc ſententiam
amplectendam proclivis etiam fuit *Lampius* ad hunc locum
Joanneum. Ad *verſum decimum quartum* perſequitur *Heu-*
mannus propoſitam jam olim a ſe ſententiam, quod *verſus*
vigeſimus quartus cum *decimo quarto* ſit conjungendus, au-
toritatibus maxime, iisque humanis, munitus, quas levioris
eſſe momenti, Theologi docti cenſent. Arduum ſane etiam
eſt opus, contra omnem Codicum autoritatem exemplum
univerſalis corruptionis in Scripturam ſacram inducere velle.
Eſt

Digitized by Google

In cauſa Jeſu coram Romano judice id inprimis urget No- Pag. 416.
ſter, quod *Pilatus* procraſtinare non potuerit internecio-
nem Servatoris, hac de cauſa, quoniam Synedrium Hie- 432.
roſolymitanum cognitionem cauſæ non permiſerit, ſed
ad Cæſaream quandam conſtitutionem provocaverit, ſe-
cundum quam judex Romanus tenebatur, ex ſententia
condemnatoria, a Synedrio Hieroſolymitano dicta, reos
ſine mora morti tradere. Conſentit etiam Noſter iis, qui,
omnem vitæ necisque poteſtatem tempore Chriſti a Ju-
dæis ad Romanos translatam eſſe, contendunt. In *Capi-* 447.
te decimo nono verſ. 14 *Heumannus* ſextam horam, cujus 485.
Joannes mentionem facit, de tempore judicii, contra Chri- 488.
ſtum acti, accipit, quocum alii etiam conſentiunt interpretes.
Reliqua Lectoribus ipſis perluſtranda relinquimus, duo tan-
tum momenta adhuc tangentes, quorum prius eſt miracu- 487.
lum Chriſti, poſt reſurrectionem ſeptem perſonas ſaturan-
tis unico pane & piſciculo, unius alioqui hominis cibo, 608.
ab Autore clarius expoſitum. Poſterius eſt illud, quod *Heu-*
mannus in fine hujus *Voluminis* ſupplementa illa copioſe re-
cenſeat, quæ *Joannes* poſt priora tria Evangelia, ſapienti
conſilio, ad Hiſtoriam evangelicam Domini noſtri addidit; 670.
quæ omnia Lectoribus grata erunt atque jucunda, uti nos
ipſi ex lectione eorum fructum ac voluptatem inſignem
percepimus. Deus gratia ſua adeſſe pergat Seni Veneran-
do, in labore, quo non ſanctior, nec utilior, excogitari poteſt,
occupatiſſimo, integrasque ei ad perficiendum opus tam ſa-
lutare corporis animique vires porro largiatur!

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ ET criticæ ad varia ſacri Codicis utriusque Fœderis loca, Autore JOANNE DIETERICO WINCKLERO, D.

Pars I.

Hildeſiæ, ſumtibus hæredum B. Schœderi & Merckwitz, 1750, 8.

Plag. 11.

Non

Non prima hæc ſunt diligentiæ præclaræque doctrinæ ſpecimina, ab Autore Summe Venerabili publice edita. Habent ſine dubio Lectores noſtri ex Obſervationibus in Scripturam ſacram, Theotiſce conſcriptis, atque a nobis diligenter aut olim enarratis, aut deinde enarrandis, nomen *Winckleri* ſatis cognitum. Habent, ut ſperamus, perſpectum inde, quantum ipſe ſtudii in explicandis ſacris tabulis, quo non præſtabilior ullus labor eſt, conſumſerit. Pergit in eodem ſtadio Venerabilis Autor, Romana hic lingua utens, quo amplior
Pag. 5. curarum ſuarum exiſtat ſeges. Primo Noſter ad *1 Cor. XI, 10*, animum advertit, & recentiorea quorundam, nominatim *Dreſigii*, *Altmanni*, *Rieſii*, *Odii*, *Mosbemii*, & *Altingii*,
12. de iſto loco ſententias enarrat. Ultimo loco *Stoſchii* explicatio ſubit examen Noſtri, recte monentis contra eum, connexionem *Paulinam* opinioni ejus eſſe offendiculo, ubi nulla plane de nuptiis celebrandis fiat mentio, hincque evincitur, vocabulum *γυναῖκα* pro virgine deſponſata, ſive ſponſa,
13. hoc in loco accipi non poſſe, nec per *ἀγγέλυς* miniſtros Ec-
14. cleſiæ ſatis commode deſignari. Suam itaque Noſter profert, ad cauſam *Pauli* orandam, ſententiam, ita ſe habentem: *Propterea oportet uxorem habere* ſuam (ſive aliquam, ſibi etiam competentem quidem,) *poteſtatem*, ſive *dignitatem ſub capite* ſuo, id eſt, *marito*, (ſive, quod eodem redit, non aliam habere poteſtatem uxor debet, quam quæ maritali poteſtati ſit ſubordinata, vel ſub maritali ab ipſa exerceatur,) *διὰ τῶν*
16. *ἀγγέλων*. Duo ſcilicet ſunt, quæ Apoſtolus monet: primo, aliquam omnino mulieribus competere dignitatem; deinde, maritali ſubordinatam iſtam eſſe, & agnoſci ab uxoribus de-
20. bere maritorum præeminentiam. Per *angelos* quid ſibi ſit intelligendum, hæret Noſter, ita tamen, ut, ſi quid ſtatuere oportcat, *angelos bonos* cum nonnullis interpretibus accipien-
21. dos eſſe, putet. Succedit *ſecunda* meditatio, in locum *Geneſ.*
25. *XXXI, 42, 54*, de timore *Iſaaci*, ubi præcipit Autor, פחד יצחק nihil aliud eſſe, quam *Deum, quem Iſaacus timuit*, uti
30. ex connexione, & omnis rei declaratione, contra recentiorem Anonymum quendam hæc ſententia ſtabilitur, atque oſtenditur, non ſpecifice ad Meſſiam, ſed ad Deum trinunum,

hanc

hanc denominandi rationem pertinere. *Tertio* ad *Epheſ. III, 17,* deſcendit Autor, breviſſimis declarans, κατοικεῖν non *ſimplicem inhabitationem*, ſed ſpeciatim *diuturnam* & *continuam manſionem*, ſeu *commorationem*, declarare: cujus rei emphaſin nec *Lutherus*, nec nuperrime *Heumannus*, attigiſſe ſatis videntur. *Quarta* Commentatio exhibet locum *Paulinum* ad *Epheſ. III, 20,* ubi contra *Elſnerum*, *Oederum*, & enarratorem quendam *Actorum Eruditorum A. 1740 pag. 234*, diſputatur, & aſſeritur, πλήρωμα τῦ Θεῦ ſignificare omnia χαρίσματα, a Servatore nobis parta, quibus credentes in Chriſtum cumulat Deus clementiſſimus. Denique contra Clariſſ. *Michaelis*, Gœttingenſem, probatur, difficultatem, quam ille ſibi hic loci vix ſuperabilem fingit, eſſe nullam. In *quinta* meditatione ad *Pſalm. CIX, 31,* ad eorum accedit partes Noſter, qui, ad cauſæ patronum, ſive advocatum, reſpicere hoc loco *Davidem*, annotarunt, a dextra rei conſiſtentem in judicio, ut ipſius cauſam peroraret. *Sexta* animadverſio ad *Luc. II, 20, 21,* contra S. Rev. *Oederum* eſt directa, de particula καὶ illius loci nova quædam monentem, quæ quidem Autori Venerabili ingenioſa admodum videntur, ſed quibus meliora ipſe proferri putat a Cl. *Georgio*, καὶ notare idem, quod *tunc*, oſtendente. *Septimo* loco ad *1 Sam. XXI, 9,* & *XXXI, 9, 10,* ſuccincte docetur, gentilibus eundem, qui Judæis, morem fuiſſe, arma in templis ſuſpendendi, ab hoſtibus detracta. Circa *Prov. XXXI, 6. 7,* monetur, minus commode ſententiam *Salomoneam* explicari de iis vino inebriandis, qui ſupplicio afficiendi ſunt, quin potius de iis debere intelligi, qui exitio propinqui ſunt, tum ob rerum vitæ neceſſariarum defectum, tum ob adverſitatum, eandem graviſſime prementium, incommoda; qui, rebus ſuis ſpoliati, multorum pati odia coguntur, cauſis intricatis atque difficillimis impliciti. Latius tamen extendenda iſta verba non ſunt, quam ſobrius vini uſus ſuadet. Tandem docetur, שכר in loco iſto non tam inebriandi, quam confortandi, virtutem habere. In nona Commentatione ad *2 Tim. IV, 5,* iis ſe accommodat Noſter, qui εὐαγγελιςῦ vocem de iis explicant hominibus, qui puram Evangelii doctrinam ſibi habent

Pag. 32. 34. 37. 40. 43. 44. 48. 50. 52. 53. 57. 61. 66. 69.

Pag. 72. commendatiſſimam, quique Apoſtolos adjuvare, eorumque vi-
ces gerere, debebant. *Decima* animadverſio eſt modeſta con-
futatio ſententiæ *Oederianæ* de novem leproſis, a Chriſto ſa-
73. natis, ſed minus grate hoc accipientibus, ab *Oedero* vero excu-
80. ſatis & defenſis. Plura non addimus, id unum monentes, Au-
torem Venerabilem omnia adverſarii tractare argumenta, at-
93. que ea ita enervare, ut fictionibus *Oederianis* nulla amplius
probabilitatis ſpecies relinquatur. In partes ſuas ultimo loco
Noſter etiam vocat *Heumannum*, ſibi conſentientem, licet
hunc alias Autor noſter ingenioſarum ſacri Codicis explica-
tionem non eſſe oſorem dicat. *Undecima* meditatione loci
explicantur, de ἀδελφοῖς Servatoris mentionem injicientes,
Matth. XII, 46, 47, 48, XIII, 55, Marc. III, 31-33, VI, 3, Luc.
VIII, 19, 20, Jo. II, 12, VII, 3, 5, Actor. I, 14, 1 Cor. IX, 5.
94. Pervulgatum eſt, in Scriptura ſacra hoc nomine cognatos,
agnatosve, ſolere compellari. Hinc alii, interpretes ad compri-
96. vignos Chriſti hic confugiunt, alii, patrueles, ſive conſobrinos,
98. Servatoris indicari, putant. Poſteriori ſententiæ lubens accedit
101. Noſter, &, quam gravi contemtu Servator eo nomine affe-
102. ctus ſit, quod Judæi, opificis ipſum filium eſſe, clamitarent, ex
antiquitatibus profanis, Laconicis, & Romanis, illuſtrare ſtu-
det, licet amplius hic inquirere nolit, an plebis tantum de opi-
104. ficiis humilis fuerit opinio, an inter ipſa opificia diſcrimen
fuerit. *Duodecimo* nunc loco, ad *Geneſ. L, 2, Matth. XXVI, 12,*
107. *Jo. XIX, 40,* Noſter in feralem, occaſione vocabuli ἐνταφιά-
ζειν, unctionem inquirit, variis gentibus uſu receptam, inda-
gando ſcilicet paulo curatius, num origo moris hujus Judæis,
111. an Ægyptiis, ſit tribuenda, ubi illis accedit, qui ad Ægyptios
114. eam referunt. Poſtea ad *Matth. XXVI, 45,* profert nonnulla
Autor, nominans inprimis de miraculoſa illa & univerſali ſolis
118. obſcuratione agentes *Bayerum, Kirchium, Des Vignôles, & Gau-*
bilium, e Soc. Jeſu, hanc evangelicam eclipſin, negantes, cum
celeberrima illa Sinenſium obſcuratione ſolis confundendam.
120. In *quarta decima* commentatiuncula ad *1 Cor. XV, 1, 2,* non-
nullas recentiorum de vocabulo γνωρίζειν, a *Paulo* adhibito,
124. ſententias Noſter enarrat, illique hujus vocabuli poteſtati, qua

in

in animum revocare notat, lubenter ſuffragium ſe addere, declarat. In ſequenti anotatione *decima quinta* de ſcriptoribus Pag. 126.
quibusdam & uſu numeri ſeptenarii, majeſtate pleniſſimi, ad *Matth. XII, 45, XVIII, 21, 22, Luc. XI, 26, Apoc. I, 4,* agitur, & myſtica illius, in quantum eſt nimia, explicatio exploditur.
Succedit penſum *decimum ſextum*, ad πρόσωπον ἀγγέλου ſpe- 130.
ctans, ubi inter reliquas interpretationes calculum Noſter illi addit, quæ elegantiam atque præſtantiam faciei *Stephani* tri-
buit, ſtuporem Judæis inimicis excitat, terroremque injicit, ut 132.
facies ejus gratiæ plena & lucida fuerit, ex qua fulgebat gravitas, cum ſuavitate temperata. Ex aliis ſimilibusque illud illuſtra-
tur loquendi modis, quibus uſi ſunt gentiles, excellentiam rei 134.
divinum quid, ſeu *cæleſte*, appellantibus. In *decima ſeptima* 135.
exercitatione ad *Tob. VIII, 9,* oſtenditur, connubiorum jus 136.
tantæ ſanctitatis fuiſſe inter Judæos, ut in eo fundamentum totius legis *Moſaicæ* poſuerint, imo, cœlibes inter & homicidas nihil plane diſcriminis eſſe, indicaverint. Hac data occa-
ſione multa Autor commemorat, quæ in gentilium ſcriptis his 137.
ſimilia deprehenduntur, ubi nuptiæ, uti apud Judæos honeſtos & religioſos, liberorum procreandorum ergo inſtitutæ, & in honore habitæ, leguntur. Romanorum inprimis & Græ-
corum hac de re afferuntur teſtimonia. In *ſequenti Obſerva-* 140.
tione ad *1 Cor. VII, 39,* de ſecundis agitur nuptiis, quas alii in 145.
cœtu Chriſtiano probarunt, alii vero improbarunt. Additur 148.
his ex profana antiquitate, varias inter gentes non omnino
pœnis dignam judicatam, ſed commendatam valde, & in ho- 150.
nore aliquo fuiſſe, monogamiam, ita tamen, ut de fœminis id maxime intelligendum ſit. *Decima nona* commentatio *Pauli* expendit verba *1 Cor. XII, 31, XIV, 39,*
ubi id inprimis urget Noſter, zelum, quatenus æmula- 152.
tionem denotet, ſecundum mentem *Pauli* non vitio eſſe 156.
ponendum, ſed collaudandum potius, ubi homo Chriſtianus, aliorum admirans virtutes, ardentiori deſiderio ſtudioque illas aſſequi ſtudet. *Ultima*, eademque *vige-*
ſima, Diſſertatio occupata eſt in enucleandis verbis Ser- 157.

 vato-

Digitized by Google

Pag. 165. vatoris *Matth. XVI*, 28. Contra Venerabilem *Hermannum* inprimis diſputat Autor, evincens, hunc *Matthæi* locum cum *Marc. IX*, 1, & *Luc. IX*, 27, convenire, &, ut dicitur, inter ſe iſta teſtimonia, divinitus ſcripta, eſſe parallela.
167. Deinde probat, ad regnum omnino gratiæ adventum hunc Chriſti ex omni rerum enarratarum ſerie & pondere eſſe referendum. Noſtrum hic judicium ſi interponere liceat, duo Servator ex collatione Evangeliſtarum promittit: primo, ſpecioſum habitum, in quo venturus (ἐρχόμενος) erat rex & judex glorioſus, cujus præludia in monte transfigurationis poſtea fiebant, quosdam ex diſcipulis ſuis ſpectaturos eſſe; deinde, etiam augmenta regni gratiæ illos eſſe experturos vivos, ex majeſtatica ſua exaltatione procedentia. Impenſe gratulamur orbi Chriſtiano de Philologo & Exegeta doctiſſimo, quo nomine Autorem Venerabilem appellandum eſſe, recte judicamus, ipſique ad reliquos, ab eleganti ejus Muſa in poſterum exſpectandos, labores ſanctiores quævis vitæ tranquillioris feliciorisque commoda ex animo precamur.

ELECTRICORUM EFFECTUUM EXPLICAtio, quam ex principiis Newtonianis deduxit, novisque experimentis ornavit, D. ANDREAS BINA, Mediolanenſ. O. J. B Congregat. Caſinenſ. Monachus, ac in Monaſterio S. Juſtinæ Philoſophiæ Lector.

Patavii, ex typographia Jo. Bapt. Conzatti, 1751, 4.
Plag. 9, Tab. æn. 1.

Ex vi attractrice *Newtoniana* electrica phænomena ſigillatim explicaturus Autor, primo oſtendit, quo pacto aſſecutus fuerit, vim electricam in reciproce ſimplici diſtantiarum ratione decreſcere. Id quidem *Kratzenſteinius* (per errorem *Krantzenſtein* Autor appellat,) jam tentamine quodam demonſtrare conatus erat, ſed methodo, ut Autor oſtendit, minus accurata. Ipſe bilancem ad vitrum, frictione electricum reddi- tum, demiſit, quove pondere opus eſſet ad vis electricæ effectum impediendum, inquiſivit. Deinde, ſuppoſitis quibusdam gene-

Digitized by Google

generalibus, de luce, calore, igne, &c. pro indubio ſumit, cauſam electricorum phænomenorum eſſe materiam, ex electrico corpore emanantem, cujus e vitro affricto exeuntes continuo torrentes unde inſtaurentur, etſi neſciamus, inſtaurari tamen certum eſt. Corpora eo capaciora electricitatis eſſe, quo partes earum validius reagere, diuturnioremque affrictum perferre, queant, antequam molleſcant, & elaſticitate priventur, item ſolida corpora electrica fieri, ſi ſaltem v. g. percuſſione motus tremulus in illis excitetur, probat, hacque occaſione, præter *Kratzenſteinium*, *Winckleri* noſtri libellum Germanicum, *die electriſche Kraft des Waſſers*, citat. Ipſe Autor, percuſſa chryſtallina lamina, item cadentibus in illam corpuſculis gravibus, quæ tremorem partium absque frictione excitarent, denique, calefacto poculo chryſtallino, electricitatis phænomena animadvertit. In metallis cur non poſſit excitari electricitas eo modo, quo in vitro, rationem reddit hanc, quia non qualiscunque partium tremor inſerviat, ſed qui in tenuiſſimis minimisque particulis oritur. Hoc tremore igitur materiam electricam, in corporibus reperiundam, (nam, ignis materiam in illis reperiri, conſtat,) expelli, cenſet, jacturam vero reparari vel ſimili materia denuo in ipſo corpore producta, vel ex aere vicino attracta in atmoſphæra. Hinc atmoſphæra electrica oritur ſtratorum diverſæ denſitatis, in quorum unum particulæ ex alio reſiliant, unde attractiones repulſionesque oriuntur. Transfert hanc theoriam ad ipſas ſolares maculas, quas cum bracteolis, circa ſphæram electricam pendulis, comparat. Cur electrica materia a corporibus attrahatur, ex notiſſimo poſt *Newtoni* tempora phænomeno deducit, lucem a corporibus abſorberi, & ex celeritate lucis materiæ electricæ velocitatem explicat, & alia varia, Phyſicis obſervata. Sic calor electricitati favet, quia tremulis motibus excitandis conducit, humiditas contraria ex cauſa obeſt. Circulationem ſanguinis vero accelerari electricitatis ope, *Gordonus* obſervavit, cauda piſciculi microſcopio Anglicano ſuppoſita, fulcrum ſimul conſcendens, quo ipſe electrificaretur, ne oculus non electricus ex microſcopio excitaret ſibi ſcintillam haud dubie noxiam. *Jacobus Placen-*

centius item, Patavii Profeſſor Medicus, pulſum in electrificatis velociorem reddi, comperit. Noctambulum in Italia electricitatis ope reſtitutum, ex *Formeji* ſomniorum theoria (in *Actis Academ. Berolinenſ. A. 1736*) explicat. Expulſis enim nimiis ſpiritibus, electricitatis ope, ſenſationes ingratæ, quas illi produxerant, ceſſarunt. Ipſas cometarum caudas, judicat, oriri particulis a cometa vi electrica repulſis, eo fere modo, quo Clariſſ. *Boſius Beatificationem*, quam vocat, deſcribit. Reliquo toto ſcripto, quantum lucis materiæ cum electrica intercedat affinitatis, copioſius recenſet, & phænomena electrica ingenioſe ex hypotheſi ſua explicat, experimenta etiam varia curioſa, tum ſua, tum *Gordoni* præcipue literis ſecum communicata, exhibet. Miramur etiam, Italum hominem diligentius libros, vernacula noſtra lingua ſcriptos, lectitaſſe: nam præter *Wincklerum* etiam Phyſicos Gedanenſes citat. Totus liber bonæ frugis plenus eſt, & ingenium peritiamque Autoris luculenter monſtrat. Tabula ænea commodum machinæ electricæ apparatum exhibet.

PARAGRAFO DI LETTERA, &c.

hoc eſt,

PARAGRAPHUS EPISTOLÆ, CONTINENS relationem de operationibus, in America meridionali ab Hiſpanis & Gallis Mathematicis ſuſceptis, quibus magna controverſia de figura Telluris definitur.

Piſauri, 1749, 8.
Plag. 1.

Jam quidem non adeo incogniti in Germania ſunt Mathematicorum ſub Æquatore ſuſcepti ad figuram Terræ definiendam labores, uti eo tempore, quo Epiſtola hæc prodiit, in Italia ignoti erant, ubi unicum Hiſpanici de his conatibus libri exemplar, Academiæ Bononienſi transmiſſum, tunc extitiſſe refertur; ſed jam & hiſtorica ejus itineris pars Germanice legitur,

Tomum

Tomum nonum Hiſtoriæ generalis itinerum, hic Lipſiæ prodeuntis, abſolvens, & totus Hiſpanorum liber Gallice verſus extat, legunturque *Bouguerii* & *Condaminii* de eodem argumento ſcripta, de quibus partim a nobis jam dictum eſt, partim proxime dicetur. Liceat tamen pauca memorare de hoc excerpto, præcipue cum Hiſpanus liber ipſe ad noſtras manus nondum pervenerit. Complectitur ille, ſub titulo: *Relacion hiſtorica del Viage a la America Meridional* &c. *quatuor Tomos*, forma, quam vocant quartam, Mantuæ Carpetanorum A. 1748 impreſſos, Autoribus *D. Jorge Juan Commendador de Aliaga en el Orden de S. Juan*, Academiæ Reg. Scient. Pariſ. a Commerciis literariis, & D. *Antonio de Ulloa*, Reg. Scient. Lond. Soc. celocium regiarum Præfectis (*Capitaines des Fregattes Royales*). His, quæ ſunt hiſtorica, de Americæ Hiſpanicæ natura & incolis, non immorabimur; propius ad ſcopum pertinent plurimæ mathematicæ obſervationes, palmariæ illi præmiſſæ. Huc ſpectat obliquitas eclipticæ, accuratius inveſtigata eo in loco, ubi tropicorum elevatio ſupra horizontem exactitudini favere quam maxime videtur. Inclinat vero *D. Joannes* (*Juan*) in eam ſententiam, variabilem illam eſſe. Deinde urbis Quito latitudo minutorum 13, ſecund. 11, ſtabilitur, una cum latitudinibus & longitudinibus complurium locorum. Recenſentur etiam obſervationes eclipſium, in America habitæ, quibus ſi correſpondentes aliorum locorum jungantur, incrementum inde Geographia capiet. Poſt agitur de metallorum a calore zonæ torridæ dilatatione, item de pondere & elatere aeris. Repererunt vero Galli & Hiſpani conjunctim, eandem eſſe barometri altitudinem ad litus Americani maris, quæ eſt ad litus Europæi, variationes vero ejus prope Æquatorem non minus ſenſibiles eſſe, quam ſunt alibi. *Mariotti* hypotheſin de lege, qua mutatur elater aeris & in zona torrida, veram, ut alibi, *Joannes* & *Godinus* repererunt. Methodus, barometri ope montium altitudines inveſtigandi, traditur, & exemplis altitudinum, ita repertarum, cum iis, quas geometricæ dimenſiones dederunt, conſpirantium, confirmatur; atmoſphæra vero prope Æquatorem altior eſſe, quam in Europa, oſtenditur, ut ejus etiam figura Sphæroides com-

compreſſum ſit, uti telluris. De ſoni propagatione *Joannes*, *Godinus*, *Ulloa*, elegantiſſima experimenta inſtituerunt. Reperta fuit ejus velocitas prope urbem Quito, quantam *Derhamus* in Europa reperit. Id ſubtili calculo ex *Newtoni* principiis *Joannes* deducit, indeque utilia conſectaria navigantibus deducit, quod ſoni velocitas a regione & altitudine locorum (eſt enim Quito fere Æquatori ſubjecta, & ſupra maris horizontem altiſſime elevata,) non pendeat. His abſolutis, ad ſcopum principalem operis, menſuram terræ, pergitur. In planitie *Yaruqui* prope *Quito* menſurata fuit linea longiſſima, baſis loco inſervitura triangulis plurimis, quorum ope arcus ipſe meridiani, cujus angularis magnitudo a cœlo petebatur, longitudine innoteſceret. Baſis hujus longitudinem ſeparatim invenerunt *Joannes* & *Godinus*, ſeparatim *Ulloa*, *Bouguerus*, & *Condamine*, menſuris egregie conſpirantibus. Inde deductus fuit meridiani gradus, Æquatorem ſecans, ſexpedarum Gallicarum 56767, cum Gallicus *Caſſini* ſit 57050, Lapponicus Dom. *de Maupertuis* 57437, ut creſcentes gradus verſus polum, compreſſum Sphæroides indicent. Inde *Joannes* figuram telluris, poſito, meridianos ellipſes eſſe, deducit, diametrumque Æquatoris ad terræ axem in ratione 266 : 265 ſtatuit, & tabulam graduum ſingulorum exhibet, variaque nauticæ rei perficiendæ addit. Subjecta eſt excerpto huic Inſcriptio, juſſu Catholici Regis duabus pyramidibus impoſita, quæ in planitie *Yaruqui* ad extrema baſeos menſuratæ erectæ fuerunt:

Philippo V,
Hiſpaniarum & Indiarum Rege Catholico,
Ludovici XV, Francorum Regis Chriſtianiſſimi, poſtulatis,
Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis votis,
Annuente, ac favente,
Ludov. Godin, Petrus Bouguer, Car. Maria de la Condamine,
Ejusdem Academiæ Socii,
Ipſius Chriſtianiſſimi Regis juſſu, & munificentia,
Ad metiendos in æquinoctiali plaga terreſtres gradus,
Quo vera terræ figura certius innoteſceret,

In

Digitized by Google

In Peruviam miſſi;
Simulque
Georgius Juan, S. Joannis Hieroſolymitani Ord. Eques,
Et Antonius de Ulloa,
Uterque navium bellicarum Viceprӕfecti,
Et Mathematicis diſciplinis eruditi,
Catholici Regis nutu, autoritate, impenſa,
Ad ejusdem menſionis negotium eodem allegati,
Communi labore, induſtria, conſenſu,
In hac Yaruquenſi planitie
$\frac{1}{6}$
Diſtantiam horizontalem $6272\frac{5}{7}\frac{5}{2}$ *Pariſ. hexapedarum*
In linea a borea occidentem verſus grad. 19 min. $25\frac{1}{2}$
Intra hujus & alterius Obeliſci axes excurrentem,
Quaque ad baſim primi trianguli latus eliciendam
Et fundamentum toti operi jaciendum inſerviret,
Statuere
Anno Chriſti MDCCXXXVI Menſe Novembri;
Cujus rei memoriam
Duabus hinc inde Obeliſcorum molibus exſtructis
Æternum conſecrari placuit.

NOCTIUM JOACHIMICARUM, SEU ELU-cubrationum varii argumenti, Volumen primum.

Berolini, 1750, 8.

Plag. 9.

Cum ab eo inde tempore, quo apertum eſt Gymnaſium Joachimicum, complura ex eo prodierint Opuſcula literaria, quæ hodie aut occurrant raro, aut cum blattis tineisque dimicent; ac multos idem viros tulerit præſtantiſſimos, quorum vitas & utile eſſet cognoſcere, & jucundum; Autor, præſertim cum in illo Athenæo literis tradendis navet operam, non ingratum ſe orbi erudito facturum, ſperavit, ſi ſuperioris pariter ac noſtræ memoriæ monumenta protraheret in lucem,

ea maxime, quæ ſtatum Gymnaſii regii illuſtrarent. Quibus cur *Noctium Joachimicarum* præfixerit titulum, & omnibus ſuccurrit facile, & ipſe præloquio exponit. Interea, cum neque ad certum opuſculorum numerum ſe adſtrinxerit doctus Autor, neque temporis ſe imperium agnoſcere, profeſſus ſit, præter *primum* hoc, nondum aliud prodiit *Volumen*, quo excitato ſui deſiderio fieret ſatis. Complectitur vero hoc, de quo agimus, 1) *Gymnaſii regii Joachimici inſtitutionem*, ad quam *Joachimum Fridericum*, Principem Electorem Brandenburgicum, autoribus *Pelargo*, Theologo Francofurtano, *Gedicco*, & *Fleckio*, qui Electoris erant a concionibus confeſſionibusque ſacris, animum appuliſſe, ait. Locus eligebatur in confinibus Marchiæ mediæ & Uckeranæ, ſitus haud ita longe a Grimnizio, ſeceſſu quodam, venationibus inſtituendis deſtinato, cujus amœnitatem & ſalubritatem *Dreſemius*, alter ejus Rector, ita depingit: *Non ego ſane florentiſſimas in urbibus Academias, non doctorum congreſſus frequentiores, tanquam vivam Bibliothecam, averſor: puerorum ſtudiis ſeceſſum noſtrum magis accommodatum judico; præſertim cum ſuis oblectamentis & ſuavitatibus non careat; ubi fontes, horti, ſtagna; ubi Oreades, Napeæ, Hamadryades, quæ nihil niſi Muſarum notant delicias, vicinas ſilvas conveſtiunt; ubi aer liberior, ubi roſaria & violaria inter fluctuantes æſtatis ſegetes & criſpantes arbores oculos demulcent; cerebrum ſuavi odoris aura incurſat, & ſpiritus reficiat. Quid dicam prata, floribus, tanquam vermiculato emblemate, teſſellata, umbras altiſſimarum arborum, errantes comarum & ramorum intextus, ventorum adulantes ſuſurros, avicularum, dulce minurientium, concentus? Gratiarum iſta ſignant diverſorium, & amantis naturæ delicias.* Tali igitur in loco Gymnaſium d. 23 & 24 Aug. A. 1607, magno hominum concurſu, præſente Principe Electore, ac *Georgio Wilhelmo*, *Jo. Sigiſmundi*, juventutis principis, filio, ſolenni ritu inter fulgura & fulmina cœli, lachrymas etiam profundente Principe, dedicatum eſt. Primi ejus magiſtri erant: *Urban. Sobolus*, L. A. M. Rector adhuc ſcholæ Francofurtanæ, cui cum munere Paſtoris The-

Theologiæ docendæ munus demandabatur, *Car. Baumannus*, Rector, *Jo. Voitius*, Conrector, *Jac. Scultetus*, Subrector, *Jo. Mollerus*, Mathematicus, *Zach. Regius*, Cantor. Leges conſcripſerat *Klinkius*, aliique Conſiliarii. Elector autem ſua filiique manu iis ſubſcripſerat. Subſequitur 2) *Vita Burmanni*, Rectoris primi, qui, Handenslebiæ, in Archiepiſcopatu Magdeburgenſi, circa medium Sec. XVI natus, primo Conrector Gardelegæ, deinde Rector ſcholæ Brunſuicenſis, quæ a S. *Catharina* nomen habet, tum Gymnaſii Berolinenſis, tandem illius, quod dedicabatur in valle Joachimica, fuit, atque ita floruit gratia Principis Electoris ſui, ut hic eum *Jonathanem* alterum, quem perinde amaret, ut *Davides* ſuum, appellitaret. Quæ quidem res, a ſeculi noſtri moribus aliena, & Principis perſona non ſatis digna, illius temporis genium minime dedecuit. Interim collegarum non eadem fuiſſe gratia videtur, ſiquidem lites ſtatim ortæ inter eos & Rectorem ſunt, de cujus lenitate in excolenda diſciplina querendi cauſam habere illi videbantur. Obiit A. 1610, Berolini, ut moriens juſſerat, ſepultus; atque aliquot librorum Autor fuit. Legitur jam *Disquiſitio de Woldemaro Brandenburgico, reduce.* Hæc Diſſertatio inter reliquas hujus *Voluminis*, argumenti gravitate & difficultate, multum videtur eminere. Cum *Ludovicus* ſenior, gente Bavarica oriundus Marchio, annos 24, & amplius, Marchiæ præfuiſſet, quam pater ei, tanquam imperii vacans feudum, poſtpoſitis legitimis, ex gente Anhaltina, hæredibus, regendam dederat; vir quidam repente comparuit, qui, ſe Marchionem *Voldemarum* eſſe, profiteretur, quem A. 1319 mortuum eſſe, omnes adhuc crediderant. Hic, *Caroli IV* Imperatoris, Ducum Saxoniæ, Archiepiſcopi Magdeburgenſis, Principum Anhaltinorum, aliorumque Imperii Procerum, auxilio, Marchiam ſibi hæredibusque vindicatum ibat, atque, ordinibus etiam & civitatibus ſibi conciliatis, eam fere totam in fidem recipiebat, *Ludovico* interim in urbe Francofurtenſi, a *Carolo IV* fruſtra obſeſſa, hærente, mox abeunte, fratrique, *Ludovico* Romano, jura in Marchiam cedente. *Carolus*, *Ludovico* huic poſtea conciliatus, *Voldemarum* deſerit, eumque impoſtorem declarat,

 civita-

Digitized by Google

civitatesque in fidem, *Ludovico* præſtandam, ſacramento adi-git. Quo facto, *Voldemarus*, deſertus, hoſtibusque impar, Deſſaviam conceſſit, civitates, jurejurando ſoluto, ad *Ludovicum* remiſit, atque ibi paulo poſt mortuus eſt ac ſepultus. De quo igitur ut verius judicare quisque poſſet, primo ea doctus Autor affert, unde, *Voldemarum* reducem non verum, ſed fictum fuiſſe, appareat: nempe, 1) ſcriptores omnes ferme, *Voldemarum* poſteriorem fictum eſſe, teſtari; 2) *Voldemarum* priorem A. 1319 vere mortuum eſſe ac ſepultum; 3) *Voldemari* poſterioris cauſas peregrinandi fictas eſſe; 4) eundem reducem ſerviiſſe tempori; 5) juſto liberaliorem, ac theſauri publici, utpote rei non ſuæ, prodigum, fuiſſe; 6) ab incolis deſertum; 7) ab Imperatore ordinibusque impoſtorem declaratum; 8) a ſociis Principibus deſtitutum; 9) exitum denique habuiſſe, impoſtore dignum. Deinde vero, *Voldemarum* reducem non fictum, ſed verum, fuiſſe, quæ evincant, ſubjicit, nempe 1) ſcriptorum fidem in hoc negotio ſubleſtam eſſe; 2) fraudem maximis urgeri difficultatibus, quia autor incertus, molitor ineptus, ſcopus minime utilis, fuerit; 3) priorem *Voldemarum* de peregrinatione jam meditatum eſſe; 4) poſteriorem autem pro vero habitum eſſe a Principibus plurimis, nobilibus, & civitatibus plerisque; 5) cum lætitiæ ſignis acceptum eſſe; 6) priori ſimillimum fuiſſe; 7) arcana gentis noviſſe; 8) in aulis Principum liberaliter habitum eſſe; 9) majeſtatis jura, rebus jam deſperatis, incolisque in fide perſeverantibus, exercuiſſe; 10) locum ſepulturæ, dignum Principe, nactum eſſe; 11) Epitaphii eandem, quæ Principum plerorumque eſſe ſolet, ei ſortem obtigiſſe. Ita, re in utramque partem ponderata, proclivis eſt ad credendum, *Voldemarum priorem & reducem unum eundemque fuiſſe Marchionem.* Neque tamen deeſſe putamus, quæ diſputari poſſint contra; ſed ea nunc inſtituti noſtri ratio non capit. Clauditur hoc *Volumen* 4) *Diplomatario Brandenburgico,* quo XXXV tabulæ continentur, quibus fere beneficia & immunitates vel civitatibus Brandenburgicis, vel hominibus etiam certis, & tribuuntur, & confirmantur.

ME-

METILIA, SIVE DE QUINARIO GENTIS METILIæ, e nummis vetuſtis ceteroquin minimum notæ, Diſſertatio JOANNE SWINTON, A. M. ex æde

TAB. VI ad Nov. Act.



Quæſtoribus monetæ cudendæ poteſtatem conceſſam, reperia- II.
mus, præſertim quando in provinciam a P. adminiſtrandam, in qua bellum erat exortum, abibant. Bello flagrare cœpit Sicilia A. U. C. 538. *Titum* vero *Metilium Crotonem* exercitui in provincia *Claudiana*, abſente *Ap. Claudio*, præfuiſſe, probabile eſt. Conjicit inde Autor, quinarium hunc eodem,

vel

civitatesque in fidem, *Ludovico* præſtandam, ſacramento adigit. Quo facto, *Voldemarus*, deſertus, hoſtibusque impar,

[illegible]

ea nunc inſtituti noſtri ratio non capit. Clauditur hoc *Volumen* 4) *Diplomatario Brandenburgico*, quo XXXV tabulæ continentur, quibus fere beneficia & immunitates vel civitatibus Brandenburgicis, vel hominibus etiam certis, & tribuuntur, & confirmantur.

ME-

Digitized by Google

METILIA, SIVE DE QUINARIO GENTIS METILIÆ, e nummis vetuſtis ceteroquin minimum notæ, Diſſertatio, a JOANNE SWINTON, A. M. ex æde Chriſti Oxon. & R. S. S.

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, impenſis Jacobi Fletcher, Bibliopol. Oxon. 1750, 4 maj.

Plag. 3.

Poſtquam generatim Cl. Autor obſervavit, *Metiliam* gentem plebejam & duobus cognominibus, quorum alterum *Nepotis*, alterum *Crotonis*, eſt, inter ſe diſtinctam, ipſum vero *Metilii* nomen ſine dubio pro diminutivo nominis *Mettii*, ſive *Metii*, habendum eſſe; accedit ad ipſum, quem deſcribendum ſuſcepit, nummum, in quo ſolo gentis hujus memoriam, neque immerito, arbitratur eſſe conſervatam. Hunc, cum ſui generis ſit unicus, nec adhuc a quoquam editus, in *Tabula VI*, huic *Menſi* adjecta, ante oculos Lectorum ponimus. Conſpicitur in eo caput *Jovis* barbatum & laurea redimitum, pone quod tres ſpicæ ex eodem tubulo; in averſa parte legitur: CROT, in imo: ROMA. Victoria coronat tropæum galeatum, cum thorace, clypeo, & binis haſtulis, ante illam erectum. Vocabulum igitur CROT *Metilium* quendam *Crotonem* deſignat; quis vero ille fuerit, ob prætermiſſum in nummo prænomen difficile eſt reperire. *Livius Lib. XXIII Cap. 31* memorat, *T. Metilium Crotonem* ad veterem exercitum accipiendum deducendumque a caſtris *Claudianis* in Siciliam poſt cladem Cannenſem legatum ab *Ap. Claudio* miſſum fuiſſe. Proinde conjecturam affert doctiſſimus Autor, *Metilium* hunc forſitan Quæſtorem urbanum (provincialem ſtatuit *Pighius.*) antea fuiſſe, &, poſtquam Roma abiit, rei hujus memoriæ cauſa ab ipſo nummum hunc percuſſum fuiſſe, id quod eo probabilius eſſe credit, quod, Quæſtoribus monetæ cudendæ poteſtatem conceſſam, reperiamus, præſertim quando in provinciam a ſe adminiſtrandam, in qua bellum erat exortum, abibant. Bello flagrare cœpit Sicilia A. U. C. 538. *Titum* vero *Metilium Crotonem* exercitui in provincia *Claudiana*, abſente *Ap. Claudio*, præfuiſſe, probabile eſt. Conjicit inde Autor, quinarium hunc eodem,

Pag. 7.
TAB. VI.
Pag. 8.
10.
11.

vel

vel ſequente, anno ab ipſo, aut ante a Quæſtoribus urbanis,
Pag. 12. fuiſſe cuſum, adeo ut Victoriæ ſignum, in nummo expreſ-
ſum, victoriam, a *Crotone* partam, vel hoſtes Syracuſanos, ab
eo hoc anno fugatos, deſignare videatur. Conf. *Livius*
13. *Lib. XXIV Cap.* 7. Carpit ſimul *Vaillantium*, quod, hujus-
modi quinarios ad monetæ ſolummodo uſum, non in ali-
cujus victoriæ monumentum, factos eſſe, ſtatuat, ac monſtrat,
doctiſſimum hunc Virum non modo non ſibi conſtitiſſe,
alioque loco contrariam foviſſe ſententiam, ſed etiam falſum
eſſe ipſum aſſertum, huncque quinarium lege illa, A. U. C.
695 lata, qua primum victoriati nummi percuſſi feruntur, eſſe
14. longe antiquiorem. De ipſo anno, quo nummus hic cuſus,
fatetur Autor, nihil certi definiri, & pro vigeſimo octavo
poſt quintum Urbis conditæ Seculum æque, ac pro trigeſimo
nono, pugnari poſſe. Si illud, tres, in nummo exſtantes, ſpi-
cæ de ingenti immanique præda, ex Bojorum agris a *L. Æ-*
milio Conſule eo anno in Urbem comportata, explicari: ſin
16. hoc, eædem pro nota atque ſymbolo Siciliæ, utpote frugum
feraciſſimuæ, haberi forſitan debent. Apud *Gruterum pag.*
299 mentio fit *M.* cujusdam *Metilii*, A. U. C. 724 Quæſtoris,
qui tamen idem ac *Metilius* ille *Croto* eſſe nequit, cum
quod *Crotonis* nomen in marmore plane omiſſum eſt, tum
17. ob ipſius quinarii fabricam, quæ octavo antiquius Seculum
redolere videtur. Hæc fuſius tradit Autor, ac deinde mon-
ſtrat, *Meciliorum* & *Metiliorum* unam gentem fuiſſe, neque
hanc in *Livii* Codicibus ſcripturæ diverſitatem facere, ut
18, 19. duas quoque diverſas ſtatuere neceſſe ſit; *Metiliam* tamen
gentem a *Macilia* cum *a* fuiſſe diſtinctam, *Livii* potiſſi-
mum autoritate, qua in ſententia *Drakenborchium* ad *Li-*
20. *vium Tom. III pag.* 774 ſibi præeuntem habet. Ipſum
Crotonis nomen ſemel tantum apud *Livium Lib. XXIII*
Cap. 31 occurrit, neque ejus ullum alioqui reperitur veſti-
gium, ſive rerum Romanarum ſcriptores, ſive nummos, ſi-
ve marmora, inſpiciamus. E Græco tamen fonte videtur
21. manaſſe, perinde ac alia nomina, in *o* deſinentia. Uti enim
a *μαθῶν Matho*, a *μόλων Molo*, ab *ὠθῶν Otho*, a *φιλῶν Phi-*
lo,

Digitized by Google

lo, ſic a *κροτῶν*, *pulſans*, *verberans*, *plaudens*, *complodens*, CROTO deſcendit.

LAPIS OFFENDICULI, SIVE EXPOSITIO originis & cauſæ diſcidii duarum, orientalis & occidentalis, Eccleſiarum, cum quinque controverſiis compoſita, atque in lucem publicam edita, ab HELIA MENIATA, Cephalenienſi, in Latinum autem ſermonem converſa a NICOLAO MOTHONIS, & GREGORIO KOSITZKI.

Vratislaviæ, ſumtibus Jo. Jacobi Kornii, 1752, 8 maj, Plag. 14½.

Autor hujus libelli fuit Epiſcopus Cernices & Calabritorum in Peloponneſo, cujus pater, ob præmaturam filii mortem, hanc opellam edendam curavit, in qua ille, ut ferventiſſimus zelotes, & legitimus eccleſiæ ſuæ filius, oſtendit, juſtiſſimam cœtus Chriſtiani orientalis, jamjam diſſidentis ab occidentali, cauſam eſſe. *Duos* complectitur tota tractatio *Libros*. *Primus* eſt hiſtoricus, & continet eas res, quæ tempore *Ignatii* & *Photii*, Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, geſtæ ſunt. *Liber ſecundus* ſub initio quinque attingit controverſias, olim tempore *Photii* agitatas, quibus diſcidium Eccleſiarum tribuitur. Capita cauſæ tunc temporis hæc fuerunt: *primo* nempe, quod Occidentales die Saturni jejunaverint; *ſecundo*, quod, abſciſſa a jejunio ſanctæ Quadrageſimæ hebdomade prima, caſeo, lacte, & ſimilibus, veſci permiſerint; *tertio*, quod abhorruerint a legitimis nuptiis ſacerdotum; *quarto*, quod nullius utilitatis eſſe ſacramentum ſanctæ unctionis, manibus ſacerdotum perfectum, duxerint, aſſerentes, illud munus eſſe ſolum Epiſcoporum; *quinto* tandem, quod ſancto Symbolo additamentum appoſuerint, ſtatuentes, Spiritum ſanctum a patre filioque procedere: quod dogma *Photius* malorum appellat coronidem, quoniam id profecto unicum majoris præ reliquis ponderis erat, cum

Uu uu mo-

Digitized by Google

momentum fidei attingeret quam maximum; reliquæ vero eccleſiaſticæ tantum erant conſtitutiones. Verum enim vero noſtris temporibus quinque hæc ſunt, in quibus Pontificii ab orientali Eccleſia diſſentiunt, capita præcipua atque palmaria. De his agunt *Capita* ſequentia, ordine rem omnem exponentia, ubi *primum* de principatu Papæ, *ſecundum* de proceſſione Spiritus ſancti, *tertium* de Azymis, *quartum* de Purgatorio, *quintum* de glorificatione Sanctorum, inſcriptum eſt. Hæc eſt facies integri libelli, eleganter conſcripti, non ſolum quod ad Græcam, ſed etiam Latinam dictionem; cumque compendium quaſi hiſtoricum, atque polemicum, rerum, ad hoc argumentum pertinentium, opella hæc exhibeat, non inanem in ſe ſuſcipient operam Lectores, qui, hiſtoriam diſſidii Eccleſiæ Græcæ & Romanæ ſcire cupientes, librum hunc diligenter legent.

NOVA LITERARIA.

Lætam rem annuntiamus iis inprimis Lectorum noſtrorum, qui elegantioris doctrinæ ſtudioſi ſunt: eo perductam eſſe in urbe Florentina Operum *Jo. Meurſii* editionem, ut *decem* majoris formæ *Volumina* prelo jam exierint, *duo* alia, quibus claudetur corpus integrum, quam proxime ſint proditura. Id ipſum ut plenius cognoſcant, qui harum literarum amore tenentur, non abs re putamus, his legendam hic dari integram eam Epiſtolam, quam nuper ad *Viros literarum & eruditionis amantes* dederunt typographi Florentini, *Tartinius* & *Franchius*, continentem quippe ea omnia, quæ de toto hoc edendi inſtituto cognoſcere utile ac jucundum eſt. Lege igitur, & gaude, Lector:

Splendidum illud atque magnificum Opus, quod dextero Numine aggreſſi fuimus, atque literariæ Reipublicæ, quo de tanta ſibi parata a nobis utilitate in anteceſſum gauderet, & nobis, editionem optatiſſimam molientibus, gratularetur, tempeſtive annuntiavimus, prope jam ad umbilicum deductum eſt, & numeris omnibus abſolutum; editio ſcilicet univerſarum Jo. Meurſii, *Batavi præſtantiſſimi, lucubrationum, cum alias editarum, tum hacte-*

hactenus ἀνεκδότων, ſimul collectarum, & in plura, & grandia quidem, Volumina tributarum, quam olim nos præſtituros receperamus, & tam diu atque ardentius deſiderantes eruditi Viri, impatienter, ut ita dicam, exſpectaverunt. Cur forte Opus in longius tempus dilatum ſit, & mora diuturniore hæſerit, quam literatorum hominum deſiderium pateretur, multa in cauſa fuerunt, & præcipue quod non omnes Meurſianas Commentationes in tempore comparare potuerimus, cum ex longinquis regionibus ac civitatibus earum aliquæ a nobis repetendæ fuerint, fruſtra, pro eis facilius & citius adipiſcendis, pluteis Bibliothecarum Italicarum excuſſis. Propoſitum enim nobis fuerat, Collectionem Operum Meurſianorum quam abſolutiſſimam edere, atque ita augere ac locupletare, ut non ſolum in ea nulla Jo. Meurſii Commentatio antehac edita deſideraretur, verum etiam multa ejusdem Autoris, quæ ἀνέκδοτα hactenus fuerant, & in diſſitis Bibliothecis ſparſa latuerant, ſive Opuſcula, ſive Epiſtolæ, ſive prolixiores Tractationes, haberentur. Voti autem non omnino compotes eſſe potuimus: quanquam enim nulli labori, contentioni nulli, nullis impenſis, pepercimus; una tamen illa Oratio, quam Jacobo I, Britanniæ Regi, Jo. Meurſius dixit, etſi opere typographico ſtatim deſcripta, nuſquam gentium potuit nobis feliciter reperiri. Hanc quidem quicunque nobis ſuppeditaret, maximo nos beneficio obligaret. Ceterum, ſicuti de veris & genuinis Meurſiani ingenii fœtibus ſolliciti ſumus, ita ἀπόκρυφα & ſuppoſititia minime moramur: quare obſcœnus ille liber, qui ſub Elegantiarum Latini ſermonis titulo circumfertur, vel quacunque alia appellatione cenſeatur, ab honeſta, & ſplendida, ac perutili, hac Συλλογῇ jure optimo exulabit; ne caſta ejus & decora venuſtas ſacerrimi, & in omne ævum deteſtandi, libelli abominanda ſpurcitie & turpitudine contemeretur. Dolendum enim, quod paucis abhinc annis ille formis iterum in Italia excuſus, ab impietatis contaminatiſſimæ hominibus, non ſine ſapientum virorum indignatione & horrore, audacius neſcio, an impudentius, in vulgus proditus ſit. Unum tantum huic noſtræ editioni, Virorum doctorum & Amicorum monitis obſequentes, quod non Jo. Meurſii,

patris, ſed filii, ſit, additum eſt, junioris ſcilicet Jo. Meurſii *Opuſculum; & quod breve admodum ſit, & quod ipſa Autorum cognatio & ὁμωνυμία nos ad id præſtandum allexerit. Ceterum, ſi quæ eruditæ Commentationes alterius Autoris interdum inſertæ & adjectæ ſunt, id factum eſt, vel quia lucubrationem aliquam* Meurſianam *continuarent atque perficerent; vel quia propoſito conducerent, apteque hærerent, &* Meurſianos *libellos mirabiliter illuſtrarent. Quanquam hæc non multa ſunt, & breves interdum Diſſertationes, ſeu Obſervationes, quas ſæpe cujusque* Voluminis *Præfationi reſervavimus. Non amplius igitur male feriati quidam homines & inepti vitilitigatores, qui de iis judicare volunt, quorum certam veramque notitiam nullam habent, nos apud literariam Rempublicam violatæ Chriſtianæ Moralis accuſent, quaſi nos etiam, quæcunque ſub falſo* Jo. Meurſii *nomine habentur, etſi turpia & obſcœna, in noſtram hanc editionem conjicere perfricta fronte voluerimus. Linguam etiam occludant, digitoque ſilentia ſignent, indocti quidam & ἄμυσοι blaterones, qui, cum* Meurſianum *fere nihil unquam legerint, aut inſpexerint, judicium iniquum de ejus Operibus ferre minime veriti ſunt, nec majorum gentium Scriptorem eſſe dictarunt; elevaruntque quodammodo, quod eruditiſſimas ejus Commentationes præ ingenii hebetudine intelligere, penitusque introſpicere, non quiverint, nec obeſa nare floridam ejus eruditionem unquam olfecerint; indigni profecto, qui immenſis inæſtimabilis hujus theſauri opibus diteſcant atque locupletentur. Has ille e Græcis & Latinis fontibus uberrimis utplurimum hauſit, & mirabilem multijugis eruditionis apparatum obſtupeſcentium mortalium oculis docte atque utiliter explicavit. Caniculæ autem iſtæ incaſſum latrantes, tentantesque dentem infigere genuinum, ii ſunt, qui male Latine legunt, & peſſime ſcribunt, ut omnes norunt; vix autem quidpiam Græcæ literaturæ delibarunt, vel uno ejus tantum genere contenti, ab aliarum partium, & quidem pulcherrimarum, quæ omnes in* Meurſio *ſunt, contemplatione, talpæ cæci, & nimio tantæ claritatis fulgore præſtricti, temere inſipienterque reſiliunt. Aſt hujusmodi gerrones indoctos in malam*

lam crucem abire ſinamus; & , ut, quanti hæc Meurſianorum *Operum editio facienda ſit, plane & perſpicue omnes intelligant, quid in quoque* Volumine *contineatur, breviter dilucideque exponamus. Hanc autem univerſæ editionis noſtræ Synopſin Eruditorum oculis ſubjicimus, qualem nobis* Jo. Lamius, *Vir Clariſſimus, qui editionem curavit, nobis compoſuit ac dedit. Hæc autem ita habet:* Volumine I *continentur* Jo. Meurſii *Opuſcula ſequentia, ſcilicet:* 1) de Fortuna Athenarum Liber ſingularis; 3) Athenarum Atticarum Libri tres; 3) de Populis Atticæ Liber ſingularis, cum Supplementis Autoris & *Jac. Sponii;* 4) Cecropia, ſive de Athenarum arce, & ejusdem antiquitatibus, Liber ſingularis; 5) Ceramicus Geminus, ſive de Ceramici Athenienſium utriusque antiquitatibus Liber ſingularis; 6) Piræeus, ſive de Piræeo, Athenienſium portu celeberrimo, & ejusdem antiquitatibus, Liber ſingularis; 7) Regnum Atticum, ſive de Regibus Athenienſium, eorumque rebus geſtis, Libri tres; 8) Archontes Athenienſes, ſive de iis, qui Athenis ſummum iſtum magiſtratum obierunt, Libri IV; 9) Theſeus, ſive de ejus vita, rebusque præclariſſime geſtis, Liber ſingularis; 10) Piſiſtratus, ſive de ejus vita & tyrannide Liber ſingularis. *Hæc autem omnia multis modis illuſtravimus, ornavimus. Nam Tabulam geographicam antiquæ Græciæ, Provinciarumque græciſſantium, initio* Voluminis *præmiſimus; in decurſu vero Tabulam appoſuimus, varias monetæ Atticæ imagines exhibentem; qui quidem Numi, partim hactenus inediti, ex Florentinis Gazophylaciis nunc primum depromti ſunt, partim a probatis Autoribus mutuo accepti. Sparſim quoque Numos Atticos ære inciſos produximus, ubi id materies exigere videbatur.* Athenarum Atticarum *Libris Tabulam præfiximus, antiquam Athenarum imaginem ex ipſis ruinis repræſentantem, vetuſtis locorum & ædificiorum nominibus additis; duasque alias Tabulas, quæ aliqua vetuſta Athenienſium ædificia ſigillatim, ſeu ſculpturas & marmora, gemmasque antiquas, materiem illuſtrantes, Lectorum oculis offerunt. Singularem* de Populis Atticæ *Librum præcedit Tabula geographica, Atticam cum ſuis*

populis exhibens, ex recentiorum Geographorum & peregre itinerantium obſervationibus ad exactiorem deſcriptionem, quoad fieri potuit, redacta. Cecropiam *Tabula, quatuor veterum Numina apposite exhibente, exornavimus; aliamque, quæ Jovis Hercæi aram repræſentare creditur, apte inſeruimus. Nec Libros* de Regibus Athenienſium *neglexìmus, ſed Deorum Conſentium antiquo Anaglypho auximus: quemadmodum &* Theſei *geſta eruditis antiquitatis monumentis ære inciſis confirmare ſtuduimus. Multas autem Inſcriptiones antiquas, ad rem facientes, paſſim & opportune protulimus, quas inter quandam præſignem Atticam, ex Muſeo* Richardiano *mutilam magis atque corruptam hactenus editam, in Voluminis calce, una cum aliis nuper vulgatis Inſcriptionibus Atticis, iterum exhibemus. Nil de Scholiis & Annotationibus dicturi ſumus, quæ paſſim in infima paginæ ora adſcribuntur, cum a me ipſo, editionis curatore, facta, tum a variis Scriptoribus fœnerata. Prolixam vero Præfationem præire fecimus huic* Volumini, *ut de totius noſtræ editionis ratione ac methodo Lectores præmoneremus; eique multa inſeruimus, quæ vel emendationi, vel declarationi, vel abſolutioni,* Meurſianarum *Commentationum inſervire poſſunt. Nam &* Iſaac. Palmerii *in Librum* de Populis Atticæ *Obſervationes produximus, & Viri eruditiſſimi,* Alex. Politi, *Epiſtolam de antiquiſſimo Quadrigarum uſu, quarum inventorem* Erichthonium, *Athenienſium Regem, fuiſſe fabulantur. Præfationi ſubduntur ſcripta quædam de* Jo. Meurſio, *ejusque libris, ut* Dan. Guil. Molleri, Jo. Valent. Schrammii, Frekeri, Vorſlii, *quo ejus in anteceſſum Hiſtoria quædam literaria haberetur. Nam* Jo. Meurſij *vitam, exacte diligenterque ac copioſe ſcriptam, poſtremo* Volumini *reſervavi. Hæc omnia in* Volumine primo *præſtitimus.*

Volumine II *continentur:* 1) Themidis Atticæ Libri II; 2) Solon; 3) Areopagus; 4) Eleuſinia; 5) Panathenæa; 6) Bibliothecæ Atticæ Libri IX; 7) Æſchylo, Sophocle, Euripide, in iis comprehenſis; 8) Atticarum Lectionum Libri IV; 9) Themis Attica, *quæ partim novis, partim ex* Sam. Petiti *Commentariis ad Leges Atticas, repetitis, Obſervationibus & Annotatio-*

tionibus illuſtratur; locupletatur autem legibus, ab eodem Petito *collectis, & a* Meurſio *prætermiſſis. Inſcriptiones etiam antiquæ, quæcunque ad rem facientes repertæ ſunt, additæ fuere.* Solon *paret ornatior atque inſtructior, cum Græcorum Scriptorum loca, quæ* Meurſius *Latine tantum protulerat, Græce etiam, ex Autorum fontibus petita, appoſita ſint. Huic libro Tabulam etiam æri inciſam, cum* Solonis, *aliorumque Atticorum Sapientum & Philoſophorum, imaginibus, & marmoreis Statuis, & Protomis, quæ Florentiæ & alibi aſſervantur, adjunximus, quo noſtra hæc editio elegantior evaderet; &* Bibliotheca *etiam* Attica *ſplendorem inde mutuaretur: quare & in Præfatione* Epicuri & Metrodori *effigies recens Romæ erutæ ſubnexæ fuerunt. Sed eidem* Bibliothecæ Atticæ, *quando de ea ſermonem inſtituimus, Tabulam aliam, imagines quorundam Scriptorum Athenienſium æri inciſas exhibentem, adjecimus, Hiſtoriæ Philoſophicæ & Literariæ amplius declarandæ gratia. Tabulæ quoque hujusmodi* Eleuſinia, Panathenæa*que, congruenter illuſtrant.*

Volumine III *comprehenduntur*: 1) de Regno Laconico Liber ſingularis; 2) Miſcellanea Laconica, ſive variarum antiquitatum Laconicarum Libri IV; 3) Creta, Cyprus, Rhodus, ſive de nobiliſſimarum harum inſularum rebus & antiquitatibus Commentarii poſthumi; 4) Græcia feriata, ſive de Feſtis Græcorum Libri IV; 5) de Ludis Græcorum Liber ſingularis; 6) Bibliothecæ Græcæ Libri III. *In his* Regnum Laconicum, Cretam, Cyprum, & Rhodum, *ut ſua cujusque Tabula geographica præcederet, curavimus. Ad* Ludos Græcorum *Pyrriches imaginem delineatam, ad* Bibliothecam Græcam *Tabulam XXXV, Græcorum eruditorum icones exhibentem, annexuimus. Hanc autem Bibliothecam multis aliis Eruditorum nominibus locupletavimus.*

Volumini IV *tributa ſunt:* 1) Denarius Pythagoricus, ſive de Numerorum usque ad Denarium qualitate, ac nominibus, ſecundum Pythagoricos, Liber ſingularis; 2) Theophraſtus, ſive de illius libris, qui injuria temporis interciderunt, Liber ſingularis; 3) Lectiones Theophraſteæ, in quibus eorum librorum, qui ſuper-

perſunt, loca aliquot emendantur; 4) Gloſſarium Græco-barbarum, ex ſecunda editione emendatius & auctius.

Volumine V *comprehenduntur*: 1) de Luxu Romanorum Liber, & ad eum Mantiſſa, in qua habetur Aſtrampſychi Oneirocriticon; 2) Dionyſius, ſive de Autoribus iſtius nominis, eorumque ſcriptis; 3) De Heraclide, aliisque ejus nominis, & eorum operibus; 4) de Gloria; 5) Orcheſtra, ſive de Saltationibus veterum; 6) de Puerperio; 7) de Funere; 8) Exercitationum criticarum Pars I & II; in quibus curæ Plautinæ; 9) Animadverſionum miſcellarum Libri IV; 10) Auctarium philologicum, in quo Carmen funebre in obitum Gertrudis ab Oldenbarneveldt, Carmen Epithalamium in Nuptias Gulielmi Martigni; 11) ad Theocriti Idillia Spicilegium, ejusdem ad Epigrammata Notæ; 12) Lycophronis Alexandra; 13) Annotationes in Libros de funere & puerperio, ab ipſo Meurſio in ora Librorum adſcriptæ, & nunc primum editæ. *Poſt hujus* Voluminis *Præfationem eruditi juvenis Diſſertationem* de Veterum ſaltationibus, *licet minus laborioſam, appoſui, quod ad librum* Meurſii, *cui titulus* Orcheſtra, *quodammodo attineat; idque potiſſimum feci, ut juvenis ingenio, ejusque ſtudiorum primordiis, faverem, & ut grati animi mei teſtimonium eſſet, quando meo nomini (quæ eſt Viri eruditi humanitas) eam mihi noncupando inſcribere voluit.* Orcheſtræ *vero* Meurſianæ Edmundi Chishulli *de Numo* CKωπὶ *inſcripto Diſſertationem interſeruimus, quod ſaltationem, quæ* ΣΚΩΨ, *ſeu* ΣΚΩΠΕΥΜΑ, *ſeu* ΣΚΩΠΙΑ, *dicitur, illuſtrare non mediocriter poſſit. In fine ejusdem libelli Animadverſiones quasdam Viri Clariſſ.* Jacobi Gronovii *in eundem addidimus. Annotationes aliquas hisce* Meurſianis *lucubrationibus interſperſi de meo aliquando: nam crebris non indigent; & ad finem Præfationis Annotata quædam ab ipſo* Meurſio *in margine librorum* de Puerperio, *&* de Funere, *editionis Hagenſis anni 1604, ſubjunximus, ut, quoad fieri poſſet, hoc* Volumen *locupletaretur, atque inſtrueretur. Hinc nec imagines antiquorum monumentorum ære cælatas omiſimus, &*

mar-

marmoris præcipue, in Muſeo Gaddiano *exſtantis, quod ad Syntagma* de Puerperio *mirabiliter facit.*

Volumen VI *continet:* 1) Ad Catonis de agricultura, ſeu de re ruſtica, librum notas; 2) Criticum Arnobianum, tributum in Libros ſeptem; item Hypocriticum Minutianum, & Excerpta Manuſcripti Regii Pariſienſis, in quibus Arnobius adverſus gentes, & Minutius, ſexcentis amplius locis, aliique Scriptores, varie caſtigantur; 3) ad Macrobii Saturnaliorum Libros breviores Notas; 4) ad Chalcidii Timæum & Commentarium Notas; ad Phædri Fabulas Notas; 5) Helladii Beſantinoi Chreſtomathias, cum interpretatione Latina, & Notis Meurſii; 6) Ariſtoxenum, Nicomachum, Alypium, Autores Muſices antiquiſſimos, cum Notis Meurſii, & Latina interpretatione Marci Meibomii; 7) Leonis Imperatoris Tacticam, ſive de re militari librum, cum Notis Meurſii, & Latina interpretatione Joannis Checi; 8) Conſtantini Porphyrogennetæ Imperatoris Opera, hoc eſt, de adminiſtrando imperio, cum Notis Meurſii, & interpretatione Latina; 9) ejusdem librum tacticum, terra marique pugnantium ordinationem continentem, cum Notis Meurſii, & mea Latina interpretatione; 10) ejusdem Strategicon, nunc primum ex Bibliotheca Laurentiana erutum, & Latina verſione a me donatum; 11) ejusdem de thematibus imperii orientalis & occidentalis Libros II, & Novellas Conſtitutiones cum Latina interpretatione Bon. Vulcanii. *Hæc omnia igitur* Volumine ſexto *habentur, in quo quid amplius ipſe præſtiterim, nunc aperiendum. Autoribus de Muſica* Meibomii *interpretationem Latinam e regione appoſui, Græcum autem contextum ex* Meibomii *editione correctiorem, & abſolutiorem, exhibui.* Leonis Tactica, *hiantia alicubi & manca, ex perantiquo Codice MSto* Laurentiano *ſupplevi atque reſtitui, & poſtremum præcipue Caput, quod in omnibus editionibus deeſt, addita mea Latina interpretatione, in Præfatione produxi.* Conſtantini Porphyrogennetæ *librum* de adminiſtrando imperio *elegantiori & perfectiori Latina translatione* Anſelmi

Bandurii, *qui* Meurſianam *caſtigavit, atque ſupplevit, inſtruxi; & * Meurſii *Latinam interpretationem ad calcem rejeci, ne quid* Meurſianum *in hoc* Volumine *deſideraretur. Ejuſdem autem Imperatoris* Librum tacticum, *cum ejus vix decimam partem* Meurſius *ex Codice mutilo edidiſſet, ipſe e Codice Veronenſi Viri Clariſſimi,* Scipionis Maffæi, *reſtitui, & prope integrum ſolidumque nunc edidi, & meam Latinam interpretationem adjeci.*

Volumine VII *habentur:* 1) Antigoni Cariſtii Hiſtoriarum mirabilium Collectanea, ex recenſione & cum Notis Meurſii; 2) Phlegontis Tralliani de rebus mirabilibus liber, cum Latina interpretatione Guil. Xylandri; 3) ejusdem de Longævis libellus, & de Olympiis Fragmentum; 4) Apollonii Dyſcoli Hiſtoria commentitia, cum Meurſii Syntagmate de ejus nominis Scriptoribus, & Commentario; 5) Heſychius Illuſtris de his, qui eruditionis fama claruere, cum Latina interpretatione Hadriani Junii, & Meurſii Notis; 6) ejusdem res patriæ Conſtantinopoleos; 7) Epiſtola Beſſarionis Cardinalis ad Pædagogum filiorum Thomæ Palæologi, cum Notis Meurſii, & Latina interpretatione; 8) Conſtantini Manaſſis Annales, cum Latina interpretatione Hugonis Grotii, & Notis Meurſii; 9) Georgii Codini Excerpta de Antiquitatibus Conſtantinopolitanis, cum Latina interpretatione Jacobi Gretſeri; 10) Theodori Metochitæ Hiſtoriæ Romanæ Liber unus, cum Nicephori Gregoræ Oratione funebri in mortem Theodori Metochitæ; 11) Philoſtrati Sophiſtæ Epiſtolæ, cum Diſſertatiuncula de Philoſtratis; 12) Inſcriptio vetus Græca Herodis Attici, cum Latina interpretatione Iſaaci Caſauboni, & Joannis Meurſii; 13) Annotationes in Callimachum, & Apuleji Apologiam; 14) Julii Africani Ceſti. *Quid in hoc* Volumine *noſtræ editionis amplius præſtiterim, nunc ſignandum. Itaque ad* Heſychium de Viris Claris, *præter* Meurſii *annotationes,* Henrici *quoque* Stephani *&* Hadriani Junii *Animadverſiones addidimus.* Conſtantini Manaſſis Annales *cum Codice MSto Richardiano contulimus, & variantes lectio-*

nes

nes adſcripſimus, & *ex* Leunclavio *quædam annotavimus.* Georgii Codini *Conſtantinopolitanas Origines edendo, noviſſimam earum editionem*, & *Latinam interpretationem, ſecuti ſumus. Idem in* Theodoro Metochita, *ſeu potius* Libro I Annalium Michaelis Glycæ, *executi ſumus.* Philoſtrati *Epiſtolæ, cum Latina* Ant. Bonfinii *interpretatione*, & *Annotationibus illuſtratæ, prodeunt. Ad* Herodis Attici *Inſcriptionem* Iſaaci Caſauboni *Annotationes appoſuimus*, & *nonnullas* Davidis Hœſchelii, *nondum editas, inſeruimus*, Claudii Salmaſii *caſtigationibus haud omiſſis, additaque Latina* Meurſii *interterpretatione, non antea edita. Quantum autem operæ* & *laboris in* Julii Africani Ceſtis *exornandis impenderimus, incredibile dictu eſt. Primum enim a V. Cl.* Andrea Norrelio, *Upſalenſis Bibliothecæ Præfecto, ipſum* Meurſii *ἀπόγραφον manu exaratum dono nobis datum fuit, cum ipſius* Meurſii *in ora libri annotatis*, & *variantibus lectionibus, ex Codicibus* Andreæ Schotti, & *Lugduno-Batavo, ab eodem excerptis. Addidimus variantes lectiones editionis Pariſienſis, A. 1693 a* Thevenotio *curatæ; item Annotationes* & *variantes lectiones, a* Jo. Boivinio *adjectas: quibus* & *variantes lectiones ex Codice Mediceo-Laurentiano*, & *meas Animadverſiones, attexui. Quin* & *Fragmentum ineditum ex laudato Codice* Laurentiano *congruenter exhibui.*

Volumine VIII *comprehenduntur:* 1) Procopii Gazæi Sophiſtæ in Libros Regum & Paralipomenon Scholia; 2) Euſebii Pamphili Expoſitio in Canticum Canticorum; 3) Polychronii Diaconi Enarratio in Canticum Canticorum; 6) Michaelis Glycæ ad Gregorium Acropoliten Epiſtola, nunc primum ex Codice Richardiano edita; 5) Pſelli Paraphraſis in Canticum Canticorum; 6) Palladii, Epiſcopi Helenopoleos, Hiſtoria Lauſiaca, ſeu Vitæ Sanctorum Patrum; 7) Sancti Cyrilli, Alexandrini Archiepiſcopi, in transfigurationem Domini Sermo; 8) Sancti Anaſtaſii, Archiepiſcopi Antiochiæ, Sermones duo; 9) Sancti Andreæ, Hieroſolymitani Cretæ Archiepiſcopi, Sermo; 10) Methodii liber de libero arbitrio;

 11) Ti-

11) Timothei Presbyteri de differentia eorum, qui accedunt ad noſtram fidem, liber; 12) Hilarionis Monachi Oratio dialectica; 13) Theophylacti, Archiepiſcopi Bulgariæ, Epiſtolæ, quibus acceſſere aliæ 34 Epiſtolæ, nunc primum editæ ex Codice Mediceo-Laurentiano. *In hoc* Volumine *plurimum laboravi; nam* Euſebii *in Canticum Canticorum Expoſitionem, &* Polychronii *in idem opus Commentarium, e Græco in Latinum vertere debui, cum Latinam nullam illorum Operum interpretationem, ab aliquo erudito antea elaboratam atque perfectam, invenire potuerim.* Methodii *quoque* de libero arbitrio *libellum ad Latinas aures ipſe transferre debui, ne ullius Græci operis Latina interpretatio in hoc* Volumine *deſideraretur. Cum vero Operis* Methodii *Excerpta & Fragmenta, a* Fr. Combefiſio *edita, cum* Volumen *typis deſcriberetur, ad manus non eſſent, ea tandem aſſecutus Præfationi inſerui, ut defectum quomodocunque ſupplerem.* Michaelis Glycæ Epiſtolam *addidi, Typographorum commodo inſerviens, ne quædam paginæ vacuæ hiarent, &, ut ea Latine etiam prodiret, opportune curavi. Hiſtoriam vero* Palladii *Lauſiacam locupletiorem abſolutioremque edidi,* Jo. Baptiſta Cotelerio *perampla ſupplementa ſuppeditante. Quæ vero in hac editione additæ ſunt* Theophylacti *Epiſtolæ, ſine Latina interpretatione prodire paſſi non ſumus.*

Volumen IX *complectitur inſequentia:* 1) Jo. Meurſii Hiſtoriam Danicam; 2) Jo. Stephani Stephanii Hiſtoriam Danicam; 3) Ælnothum Monachum de vita & Paſſione ſancti Canuti Regis; 4) Anonymum de Paſſione Sancti Caroli, Comitis Flandriæ; 5) Anonymi Obſervationes in Hiſtoriam Danicam Jo. Meurſii; 6) Meurſii ad Anonymi Obſervationes Reſponſionem; 7) Ejusdem Animadverſiones in Hiſtoriam Danicam Jo. Iſaaci Pontani. *Erit profecto in hoc Tomo, quod literaria reſpublica gratiſſime accipiat; cum tam multis, nunc primum in lucem prodeuntibus, auctus & inſtructus ſit.* Joannes Meurſius *Hiſtoriam Danicam, usque ad* Fridericum I *continuatam, typis excudendam curaverat; reliqua, usque ad* Chriſtiani III *res geſtas, & ad annum 1550, deducta, ἀνέκδοτος*

re-

Digitized by Google

remanſerat, & in Hafnienſis Bibliothecæ pluteis manu tantum exarata deliteſcebat. Eam Viri eruditiſſimi, Jo. Grammii, *Regiæ Bibliothecæ Præfecti, munere deſcriptam accepimus, & in hoc* Volumine *nunc primum edidimus. Sed non ſatis fuit doctiſſimo Viro, morte jam nobis erepto, tali nos beneficio augere; totam hanc* Meurſii *Hiſtoriam Danicam a principio usque ad finem perpetuo ac luculento Commentario ſupplevit, emendavit, expoſuit, illuſtravitque, utpote ille, qui ſuæ gentis Hiſtoriæ conſultiſſimus erat. Quin non iſta tantum Vir ille rei literariæ promovendæ natus mihi domo miſit, ſed &* Anonymi Autoris in Hiſtoriam Danicam Joannis Meurſii, priusquam publici juris fieret, obſervationes, & Joannis Meurſii ad Annotationes illas Reſponſionem, *ejusdemque* Animadverſiones in Hiſtoriam Danicam Jo. Iſaaci Pontani, editam Amſtelodami A. 1731, *omnia hactenus inedita, transmiſit, quibus pariter hoc* Volumen *ornatum inſtructumque ivi. Inſuper Vir bene faciendo indefeſſus ſex Tabulas, affabre delineatas, mecum communicavit, quarum quinque Numorum Danicorum icones exhibent; ſexta autem ornamenta Archiepiſcopi* Abſalonis, *quæ ad hæc usque tempora in Muſeo Regio Hafniæ aſſervantur, legentium oculis ſubjicit. Haſce æri inciſas* Voluminis *initio præfixi, & laudati* Grammii *diligentes earum explicationes attexui; quibus geographica regni Danici deſcriptio, æri pariter inciſa, ſuccedit. Cum autem hujusmodi hiſtoriarum homines appetentiſſimi ſint, easque lubenter evolvant, & perſcrutentur; legentium commodo conſulentes, Indicem exactiſſimum & locupletiſſimum rerum, in illis contentarum, addidimus, & eo magis, quod hujus Danicæ Hiſtoriæ multa exemplaria, a reliquo* Meurſianorum *Operum corpore ſeparata, Danicæ gentis honori & commodo, typis excudenda curavimus.*

Volumen X *complectitur:* 1) Rerum Belgicarum Libros quatuor, *quibus quintus, ſeorſim antea excuſus, quo Induciarum belli Belgici hiſtoria continetur, additus eſt ex editione poſteriori, ab ipſo* Meurſio *curata. Verum ea nos contenti*

Digitized by Google

non fuimus; ſed, ut omnia Meurſiana *in hac Collectione habe- rentur, illam Induciarum Hiſtoriam, qualem ille prius elu- cubraverat, cum quam rariſſima evaſerit, apte ſubjecimus. In poſteriori enim editione multa retractavit, multa immuta- vit, atque refecit,* Meurſius. *Hæc conſequuntur* 2) Gu- lielmus Auriacus, ſive de rebus toto Belgio, tam ab eo, quam ejus tempore, geſtis, ad exceſſum Ludovici Reque- ſenſii, Libri X; 3) Athenæ Batavæ, ſive de Urbe Leidenſi & Academia, & Viris claris, qui utramque ingenio ſuo, atque ſcriptis, illuſtrarunt, Libri II; 4) Poemata; 5) Meditationes Chriſtianæ in Pſalmum CXVII, & tres priores partes CXIX, *quas tandem beneficio & liberalitate Clariſſimi Viri,* Jo. Ste- phani Bernardi, *Amſtelædamenſis, nuper adepti ſumus, & qui- dem gratis, ut avariores quidam, ſine magna mercedis ſolu- tione commodare detrectantes, pudore ſuffunderentur. Com- prehendere debebat etiam Orationem* Meurſii, Jacobo I, *Bri- tanniæ Regi, dictam, ſed eam adhuc acquirere nequivimus, licet de ea omnes prope Europæ Eruditos interpellaverimus, & nulli diligentiæ, ut diximus, impenſæque, pro ea obtinenda, pepercerimus. Univerſos igitur iterum rogatos volumus, ut, ſi hanc, aliasque, præter recenſitas,* Meurſii *lucubrationes, for- te fortuna poſſident, nobiscum eas communicare non dedignen- tur, ſeu formis deſcriptas, ſeu manu exaratas, juſtum earum pretium recepturi. Hæc quidem, ſi ad manus noſtras vene- rint eo tempore, quo poſtrema hujus editionis Volumina ſub prelo ſunt, & nondum tota editio abſoluta eſt, atque in vul- gus prodita, ſi minus huic* Tomo *inſeruerimus, certe in ſe- quenti locum habebunt, vel ſaltem in duodecimo, & ultimo, qui generalem univerſæ editionis Indicem complexurus eſt.* Tomum *claudit* Joannis Meurſii, filii, Arboretum ſacrum, & *quod opus elegans & eruditum perrarum ſit, & quod filii cognominis fœtûs a patris operibus ſine quadam naturalis vinculi injuria, ut dixi, diſtrahi ac ſeparari poſſe non videa- tur. Huic quoque* Volumini *ſuus in fine Index peculiaris ad- hærebit, quod hiſtorica plurima complectatur.*

Vo-

Volumine XI *Epiſtolæ, cum ab* Jo. Meurſio *Viris eruditis, tum ab illis* Jo. Meurſio, *ſcriptæ, aliorumque literatorum hominum ad alios quosdam, de* Meurſio, *ejusque operibus, agentes, juxta temporis ordinem digeſtæ, & pleræque hactenus ineditæ, continebuntur. Autores earum quamplurimi in alio Programmate recenſentur, addito cujuscunque Epiſtolæ initio, & die, & anno, quo ſcripta fuit, ut, ſi qui ſunt Viri literati, qui hujusmodi Epiſtolas poſſident, dignoſcere queant, an illæ quoque a nobis habeantur; ſin minus eas nobiſcum communicare dignentur, ut noſtram Syllogen magis amplificare & perficere valeamus. Hujusmodi Epiſtolarum numerus 807 hactenus nobis ſuppetit; &* Meurſii *quidem 59, aliorumque ad* Meurſium *minime ſcriptarum 18, reliquæ omnes a Viris eruditiſſimis ad* Meurſium *ipſum exaratæ ſunt, & omnes a nobis poſſidentur. Iterum vero doctos atque humanos Viros enixe rogamus, ut, ſi fieri poteſt, prædictum numerum, communicatis nobiscum aliis, quæcunque habent, augeant, atque multiplicent.*

Volumen XII *Indicem rerum & verborum memorabilium, quæ in undecim horum* Voluminum *Collectione continentur, luculentiſſimum, eundemque locupletiſſimum, præſtabit; quem totius noſtræ editionis egregiam utiliſſimamque coronidem appellare fas fuerit. Indicem tamen præcedet* Jo. Meurſii *Vita exactiſſima, & copioſiſſima, diligentiſſimeque, pro virili portione, a me ſcripta. Hactenus* Lamius.

Cum autem talis ac tanta ſit noſtra Meurſianorum *Operum editio; omnes Viros eruditos, & literarum amantes, ad hunc pretioſum omnigenæ doctrinæ, atque eruditionis, theſaurum ſibi comparandum invitamus. Jam enim* Volumina *novem ad umbilicum deducta ſunt, & perfecta proſtant; &* Volumen decimum *propediem parebit, vertentis ſcilicet anni menſe Septembri;* & *id tum ab Autore Ephemeridum literariarum omnibus ſignificandum curabimus; quemadmodum & quando* Volumina undecimum & duodecimum *publici juris facta fuerint. Qui igitur Volumina jam abſoluta acqui-*

quirere velit, ad nos Florentinos Typographos accedat, vel ſcribat, neceſſe erit, qui ea illi vendemus trademusque, ea tamen conditione, ut in tempore alia etiam omnia conſequentia, & proditura, & tum formis deſcripta, quam deſcribenda, Volumina emat, & ſolvat pretium Voluminum ea via ac ratione, quam modo prænuntiamus. Illi, qui intra temporis ſpatium, quod præſenti diei, & Calendis Martiis proximi anni 1753, intercurrit, Volumen primum *ſibi comparaverint; & qui deinceps, ſingulis ſemeſtribus intervallis, ſubſequentia* Volumina, *vel omnia, aut plura ſimul eodem tempore, emerint; non plus, quam Julios Romanos triginta ſex, pro cujuslibet* Voluminis *pretio ſolvent, ita tamen, ut ſemper triginta ſex Julios in anteceſſum pro ſubſequenti* Volumine *ſolvant, poſtremum* Volumen *ſine ulla impenſa tandem habituri: quæ omnes ſolutiones ita faciendæ ſunt, ut nos indemnes omnino ſimus, nec ullius diſpendii gravamen patiamur. Si quis autem non per ſemeſtria comparare ſibi* Volumina *jam excuſa vellet, ſed omnia ſimul eodem temporis puncto adipiſci; ea obtinere poterit, iisdem ſolutionibus & conditionibus intervenientibus. Quicunque autem omiſerit emere Volumen, ac ſolvere pretium, ſtatutis ſemeſtribus; pro quolibet Volumine, debito tempore minime comparato, Julios quinquaginta quatuor ſolvet, nec ſubſcriptionis, ut ajunt, beneficio gaudebit: nam a non ſubſcriptis tantundem in* Volumen *quodlibet impendendum erit. Tomum Hiſtoriæ Danicæ, ſeorſim excuſum, niſi intra biennii ſpatium quis emerit, hoc eſt, usque ad Calendas Septembres anni 1754, Juliis ſexaginta ſaltem comparabit; intra illud biennium Juliis tantum quadraginta. Datum Florentiæ Calendis Septemb. anno publicæ ſalutis 1752.*

Cum hoc ipſo *Menſe* exit prelo noſtro *Voluminis ſeptimi Supplementorum ad Nova Acta Eruditorum Sectio IX*, quam proxime *decima*, & paulo poſt hujus *Voluminis* reliquæ, ſequentur.

Digitized by Google

INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur:

I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes:*

Acami (*Jac.*) *Diſſ. de antiquitate, autore, & pretio, Sacramentarii Veronenſis.* 341

Anonymi Liturgia antiqua Hiſpanica, Gothica, Iſidoriana, Mozarabica, Toletana, mixta, illuſtrata. Tomi II. 145

Sylloge ſcriptorum, quæ ſpectant ad Feſtorum præcepti diminutionem. 350

Obſervationes philologicæ ac geographicæ, ſive Topographiæ ſacræ Specimen primum. 477

Bœrneri (*Chriſt. Frid.*) *Diſſertationes ſacræ.* 523

Dœderlini (*Chriſt. Alb.*) *Animadverſiones hiſtorico-criticæ de Thaletis & Pythagoræ theologica ratione.* 187

Du Four *de* Longuerue *Diſſertationes: de variis epochis & anni forma veterum Orientalium; &c.* 326

Heumanni (*Chriſtoph. Aug.*) *Expoſitio Novi Teſtamenti.* Pars IV. 684

Jablonski (*Pauli Ern.*) *Pantheon Ægyptiorum.* Pars I. 280
Pars II & III. 594

De Joanne (*Jo.*) *Hiſtoria de Judæis Siciliæ inveſtigata.* 8

Meniatæ (*Heliæ*) *Lapis offendiculi, ſive expoſitio originis & cauſæ diſcidii duarum, orientalis & occidentalis, Eccleſiarum, in Latinum ſermonem converſa a* Nic. Mothonis & Gregorio Koſitzki. 705

Novum Teſtamentum Græcum, cum Commentario pleniore Jo. Jac. Wetſtenii. Tomus I. 1

Pritanii (*Lamindi*) *Reſponſoria ad Epiſtolam Card. Quirini de feſtorum diminutione.* 350
Quirini (*A. M.*) *Card. Epiſtola, qua numerus dierum feſtorum, qui noſtra ætate ex præcepto obſervatur, ſtabilitur autoritate omnium Summorum Pontificum inde ab annis* 225. 352
Walchii (*Chriſt. Guil. Franc.*) *Hiſtoria Canoniſationis Caroli Magni.* 367
Wetſtenii (*Jo. Jac.*) *N. Teſtamentum Græcum, cum Commentario pleniore.* Tomus I. 1
Winckleri (*Jo. Dieterici*) *Animadverſiones philologicæ & criticæ ad varia ſacri Codicis utriusque Fœderis loca.* Pars I. 689
Zachariæ (*Franc. Ant.*) *Cremonenſium Epiſcoporum ſeries.* 447

II. *Libri Juridici.*

Brœderſen (*Nic.*) *de Uſuris licitis & illicitis Libri XII.* 577
Meermanni (*Gerb.*) *Novus Theſaurus Juris Civilis & Canonici.* Tomus II. 385
Theophili *Paraphraſis Græca Inſtitutionum Cæſarearum, ex ed.* Gul. Ottonis Reitzii. 481

III. *Libri Medici & Phyſici.*

Anonymi Disquiſitiones de Mari. 121
Barbeirac (*Caroli*) *Medicamentorum conſtitutio, ſeu formulæ.* 518
Bianchi (*Jo.*) *Hiſtoria abſceſſus in dextro lobo cerebelli.* 214
Binæ (*Andr.*) *Electricorum effectuum explicatio.* 694
Bœhmeri (*Phil. Jac.*) *Obſervationum anatomicarum rariorum faſciculus.* 658
Burggravii (*Jo. Phil.*) *de Aere, aquis, & locis, urbis Francofurtanæ ad Mœnum Commentatio.* 32
Commentarii Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ. Tomus X. 56
Dillenii (*Jo. Jac.*) *Hiſtoria Muſcorum.* 193
Donati (*Vitaliani*) *Specimen Hiſtoriæ naturalis maris Adriatici.* 395

Digitized by Google

De Hahn (*Jo. Godofr.*) *Variolarum ratio expoſita.* 317
De Haller (*Alb.*) *Opuſcula anatomica de Reſpiratione, de monſtris, aliaque minora.* 418
Hambergeri (*Georg. Erb.*) *Phyſiologia medica.* 258
Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum & elegantiorum literarum, quæ Berolini floret. Annus 1749. 589
Morgagni (*Jo. Bapt.*) *in A. Cornelium Celſum, & Q. Serenum Samonicum, Epiſtolæ decem.* 642
Nicolai (*Ern. Ant.*) *Syſtema materiæ medicæ, ad praxin applicatæ.* 135
Planci (*Jani*) *Hiſtoria abſceſſus in dextro lobo cerebelli.* 214
Pujati (*Joſephi Ant.*) *Tract. de Morbo Naroniano.* 77
De Reaumur *Ars, aves domeſticæ omnis generis quolibet tempore ut ex ovis excludantur, efficiendi ope caloris fumi, aut ignis vulgaris.* Tomi II. 460
De Sauvages (*Fr.*) *Pathologia methodica.* 455
Spadæ (*Jo. Jac.*) *Corporum lapidefactorum agri Veronenſis Catalogus.* 546

IV. *Libri Mathematici.*

Anonymi ad Problematis Algebraici, in Novis Actis A. 1749 Menſ. Octobr. pag. 627 propoſiti, Solutionem, iisdem Actis A. 1750 Menſ. Mart. P. I pag. 134 inſertam, Additamenta. 277
Paragraphus Epiſtolæ, continens relationem de operationibus, in America meridionali ab Hiſpanis & Gallis Mathematicis ſuſceptis, quibus controverſia de Figura Telluris definitur. 696
Bærmanni (*G. F.*) *Analyſis Problematis algebraici, in Nov. Actis Erud. A. 1749 Menſ. Octobri propoſiti.* 665
Commentarii Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ. Tomus X. 56
Crameri (*Gabr.*) *Introductio in Analyſin linearum curvarum algebraicarum.* 19
De Fagnano (*Julii Caroli*) *Comitis Productiones mathematicæ.* Tomi II. 506

Digitized by Google

Friſii (*Pauli*) *Diſquiſitio mathematica in cauſam phyſicam figuræ & magnitudinis Telluris noſtræ.* 409
Griſchow (*A. N.*) *Supplementum Moniti ad Aſtronomos, quod publici fecerat juris Dn. de la Caille.* 216
Epiſtolæ ad Ge. Matth. Boſe Excerptum. 224
Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum & elegantiorum literarum, quæ Berolini floret. Annus 1749. 589
Kæſtneri (*Abrah. Gotthelf*) *de Arcuum ſectione indefinita, lateribusque polygonorum regularium per formulas generales exhibendis, Annotatiuncula.* 128
Kant (*Imman.*) *Meditationes de vera æſtimatione virium vivarum.* 177
De la Lande *de Obſervationibus ſuis Berolinenſibus ad Parallaxin Lunæ definiendam Epiſtola ad A. G. Kaſtnerum.* 463
De Marinoni (*Jo. Jac.*) *de re ichnographica.* 208
Noceti (*Caroli*) *de Iride & Aurora boreali Carmina, cum Notis* Joſ. Rogerii Boſcovich. 412

V. *Libri Hiſtorici, Genealogici, &c.*

Anonymi Elogium Jo. Henrici Leichii. 94
Hiſtoria Regiæ Scientiarum & humaniorum literarum Academiæ, quæ Berolini floret. 316
Commentarii, hiſtoriæ ſpectaculorum nundinalium inſervientes. Tomi II. 375
Obſervationes philologicæ ac geographicæ, ſive Topographiæ ſacræ Specimen primum. 477
Noctes Joachimicæ. Volumen I. 690
Bœrneri (*Chriſt. Frid.*) *de doctis hominibus Græcis, literarum Græcarum in Italia inſtauratoribus, Liber.* 36
Bonamici (*Caſtruccii*) *Commentariorum de Bello Italico Liber primus, ex ed.* Corn. Val. Vonck. 415
Burckhardi (*Jac.*) *Hiſtoria Bibliothecæ Auguſtæ, quæ Wolffenbutteli eſt.* Pars III. 46
Cary *Diſſertationes de fundatione urbis Maſſilienſis, de hiſtoria Regum Boſphori Cimmerii, & de Lesbonacte, Philoſopho Mitylenenſi.* 180

Cle-

Clement (*Dav.*) *Bibliotheca curioſa, hiſtorica, & critica.* Tomus I & II. 254
Commentarii Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ. Tomus X. 56
Conſtantini *Porphyrogenneti Libri duo de Cerimoniis aulæ Byzantinæ, ex ed.* Jo. Henr. Leichii, & Jo. Jac. Reiskii. Tomus I. 49
Daude (*Adriani*) *Hiſtoria univerſalis & pragmatica Romani imperii, regnorum, &c.* Tomi II Pars I. 498
Dionis *Caſſii Hiſtoriæ Romanæ quæ ſuperſunt, ex ed.* Herm. Sam. Reimari. Volumen II. 645
Romanæ Hiſtoriæ ex ejus octoginta Libris Tomus I, ex ed. Nic. Carminii Falconii. 673
Fiſcheri (*Erdm. Rud.*) *Vita Phil. Theodori Verpoortenii, SS. Theol. quondam Lic. & Prof. in ill. Gymn. Coburgenſi publici.* 189
Du Four *de Longuerue Diſſertationes: de variis epochis & anni forma veterum orientalium, &c.* 326
Glafey (*Ad. Frid.*) *Commentatio de Gladio, quocum Guſtavus Adolphus, Rex Sueciæ, in prælio Luzenenſi occubuit.* 382
Hanſſelmann (*Chriſt. Ern.*) *Demonſtratio diplomatica, docens, Domui Hohenloicæ jus eminens territorialis jurisdictionis diu ante interregnum fuiſſe in uſu quieto.* 606
Herrgott (*Marquardi*) *Monumenta Aug. Domus Auſtriacæ.* Tomus I. 241
Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum, & elegantiorum literarum, quæ Berolini floret. Annus 1749. 589
De Joanne (*Jo.*) *Hiſtoria de Judæis Siciliæ inveſtigata.* 8
Kœleri (*Jo. Dav.*) *Deliciarum hiſtorico-numiſmaticarum*
Pars XVII. 369
Pars XVIII. 562
Leibnitii (*G. G.*) *Origines Guelficæ, editæ a* Chriſt. Lud. Scheidio. Tomus I & II. 289
De Marigny *Hiſtoria Arabum ſub imperio Calipharum.* 248
Hiſtoria minorum & ſingularium Dynaſtiarum,

quæ variis temporibus variæ inter Arabes, & in univerſum Muhamedanos, emerſerunt. Tomi II. 307
Mazzuchellii (*Jo. Mariæ*) *Vita Jac. Bonfadii.* 225
Plutarchi *Vitæ Demoſthenis & Ciceronis parallelæ, ex ed.* Phil. Barton. 531
Seraffii (*Petri Ant.*) *Vita Baſilii Zanchii.* 228
Shaw (*Thomæ*) *Supplementum libri, ita inſcripti: Itinera & Obſervationes, &c.* 337
C. Suetonius *Tranquillus, ex recenſ.* Franc. Oudendorpii. 488
Valorii (*Nic.*) *Vita Laurentii Medicei, edita a* Laur. Mehus. 321
Walchii (*Chriſt. Guil. Franc.*) *Hiſtoria Canoniſationis Caroli Magni.* 367
Xenophontis *Expeditio Cyri, e Græco Latina facta ab* Ed. Spelmano. Volumina II. 538
Zachariæ (*Franc. Ant.*) *Cremonenſium Epiſcoporum ſeries.* 447

VI. *Libri Miſcellanei.*

Abreſchi (*Frid. Lud.*) *Dilucidationes aliquot ex Thucydidis Libro I.* 452
Anonymi Novitates criticæ, literariæ, & poeticæ. 92
Naturæ & ſcripturæ concordia, commentario de literis ac numeris primævis illuſtrata. 324
Tractatio generalis de Stilo. 333
Obſervationes circa Muſicam veterem & recentiorem. 406
Theatrum, publice apertum. 424
Scriptoris Græci Scholia in Homeri Iliados Librum I, ex ed. Ant. Bongiovanni. 654
Noctes Joachimicæ. Volumen I. 690
Bertæ (*Franc.*) & *Ant. Rivautellæ Codices manuſcripti Bibliothecæ Regii Taurinenſis Athenæi.* 433
Bonfadii (*Jac.*) *Epiſtolæ familiares, collectæ ab* Ant. Sambuca. Tomi II. 225
Literæ familiares. 376
De

De Burigny *Diſſ. de Geniis.* 185
Choffini (*Dav. Steph.*) *Deliciæ philologicæ.* Tomus I. 182
Chriſtii (*Jo. Frid.*) *Indicatio & explicatio Monogrammatum.* 572
Ciceronis (*M. T.*) *Orationes tres, pro M. Marcello, Q. Ligario, & Rege Dejotaro, ex ed.* Chriſtoph. Aug. Heumanni. 81
Clement (*Dav.*) *Bibliotheca curioſa, hiſtorica, & critica.* Tomus I & II. 254
Comœdiæ & Tragœdiæ ſelectæ ex Plauto, Terentio, & Seneca, animadverſionibus illuſtratæ. 378
Conſtantini *Porphyrogenneti Libri duo de Cerimoniis aulæ Byzantinæ, ex ed.* Jo. Henr. Leichii, & Jo. Jac. Reiskii. Tomus I. 49
D. *Cognitio pulchritudinum ac defectuum Poeſios & Eloquentiæ, Gallica lingua concepta.* 330
Dœderlini (*Chriſt. Alb.*) *Animadverſiones hiſtorico-criticæ de Thaletis & Pythagoræ theologica ratione.* 187
Donati (*Vitaliani*) *Specimen hiſtoriæ naturalis maris Adriatici.* 395
Fabretti (*Steph.*) *Lyrica & Epiſtolæ.* 669
Facciolati (*Jac.*) *Acroaſes dialecticæ undecim.* 142
Du Four *de Longuerue Diſſertationes: de variis epochis & anni forma veterum Orientalium, &c.* 826
Gorii (*Ant. Franc.*) *Symbolæ literariæ.* Volumen I. 149
Volumen II. 566
Heſiodi *Opera, ex ed. M.* Chriſtoph. Kretzſchmari. 174
Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum & elegantiorum literarum, quæ Berolini floret. Annus 1749. 589
Jablonski (*Paul. Ern.*) *Pantheon Ægyptiorum.* Pars I. 280
Pars II & III. 594
Iſocratis *Orationes tres, ex ed. M.* Chriſtoph. Kretzſchmari. 174
Kœleri (*Jo. Dav.*) *Deliciarum hiſtorico-numiſmaticarum* Pars XVII. 369
Pars XVIII. 562

Lamii

Lamii (*Jo.*) *in antiquam tabulam aheneam, Decurionum nomina & deſcriptionem continentem, obſervationes,* 623
Maſſueti (*Petri*) *Elementa Philoſophiæ recentioris.* 321
Morgagni (*Jo. Bapt.*) *in A. Corn. Celſum, & Q. Serenum Samonicum, Epiſtolæ decem.* 642
Noceti (*Caroli*) *de Iride & aurora boreali Carmina, cum Notis* Joſ. Rogerii Boſcovich. 412
Paciaudi (*Pauli Mariæ*) *Diſſ. in Statuam minutam Mercurii.* 84
Pauli (*Sebaſt.*) *Diſſ. de Patena argentea Forocornelienſi.* 87
Pfaffii (*Chriſtoph. Matth.*) *de Catalogo MStorum Codicum Bibliothecæ Taurinenſis Epiſtola ad J. E. Kappium.* 443
Plutarchus *de Puerorum educatione, & de audiendis Poetis, ex ed. M.* Chriſtoph. Kretzſchmari. 174
Poli (*Reginaldi*) *Epiſtolæ.* Pars III. 106
Porphyrius *de Abſtinentia ab animalium carne, Gallice verſus a Dom.* de Burigny. 185
Rivautellæ (*Ant.*) & *Franc. Bertæ Codices Manuſcripti Bibliothecæ Regii Taurinenſis Athenæi.* 433
Ruhnkenii (*Dav.*) *Epiſtola critica II, in* Callimachum & *Apollonium Rhodium.* 613
Sarpedonii (Mirtisbi) *Diſſ. de vera Atticorum pronuntiatione ad Græcos intra Urbem.* 422
Spinelli (*Trojani*) *Dialogi de Affectibus humanis.* 574
Swinton (*Jo.*) *Metilia, ſive de Quinario gentis Metiliæ Diſſ.* 703
Tartarotti (*Hieron.*) *de Congreſſu nocturno lamiarum Libri tres.* 354
Theognidis *Sententiæ, ex ed. M.* Chriſtoph. Kretzſchmari. 174
Trochereau *Selectus variarum particularum poeticarum, Anglicano de ſermone converſarum.* 235
Weislingeri (*Jo. Nic.*) *Armamentarium catholicum perantiquæ, rariſſimæ, ac pretioſiſſimæ Bibliothecæ, quæ aſſervatur Argentorati in Commenda Ordinis Melitenſis S. Joannis Hieroſolymitani.* 528
Wiſe (*Franc.*) *Numorum antiquorum, ſcriniis Bodlejanis reconditorum, Catalogus, cum Commentario.* 97
Zanchii (*Baſilii*) *Poemata.* 228

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abgari, *Regis Edeſſenorum, numus explicatus.* 101

Abſceſſus *in dextro lobo cerebelli hiſtoria medica.* 214

Academiæ *ſcientiarum Berolinenſis hiſtoria deſcripta.* 316

Acta *Eruditorum ab accuſatione Card. Quirini vindicata.* 107 ſeq.

eorum Autores cum Areopago comparati. ibid.

Ægyptiæ *antiquitates illuſtratæ.* 340 ſeq.

Ægyptiorum *Philoſophia & Theologia illuſtrata.* 280 ſeq. 595 ſeq.

Æquationes *quarti gradus algebraice reſolvendi nova methodus.* 507

Æquationum *biquadraticarum duarum comparatio.* 278 ſeq. 665 ſeq.

Æquilibrium *corporum, humido inſidentium, quale?* 72

Affectuum *humanorum doctrina explicata.* 574 ſeq.

Alexandrini *Codicis antiquitas in dubium vocata.* 5

Angli *Poetæ principes recenſiti.* 238 ſeq.

Anglorum *ſelecta quædam Carmina Gallice reddita.* 235 ſeq.

Animalculorum *ſpermaticorum origo & indoles.* 35 ſeq.

Anni *forma apud veteres Orientales qualis?* 327

De Anteſtato *nova Reitzii opinio.* 487

Anubis, *Ægyptiorum Deus.* 602

Apis, *ſymbolum incrementi Niliaci.* 599 ſeq.

Apollonius *Rhodius emendatus.* 619 ſeq.

Apoſtolii (*Mich.*) *vita, & in literas Græcas merita.* 42

Aquæductuum *Romanorum antiquitates illuſtratæ.* 388 ſeq.

Aquila *Auſtriaca illuſtrata.* 244

Aquilia *lex Commentario illuſtrata.* 386 ſeq.

Arabicarum *dynaſtiarum hiſtoria deſcripta.* 308 ſeq.

Arabicis *literis ſignati numi quales?* 102 ſeq.

Arabum *hiſtoria expoſita.* 48 ſeq. 308 ſeq.

Arabum *hiſtoria multis erroribus fœdata.* 248 ſeq 310 ſeq.
Arcuum *ſectio indefinita.* 128
Argyropuli (*Jo.*) *vita, & in literas Græcas merita.* 42
Athor, *numen Ægyptiorum quale?* 281 ſeq.
Atlantici *maris paradoxum.* 124
De Aurora *boreali doctrina carmine explicata.* 412 ſeq
Auſtriacæ *domus monumenta collecta.* 241 ſeq. *Diplomata edita.* 246
Azo, *primus Guelficæ domus in Germania autor.* 290 ſeq.

B.

Bartoni (*Phil.*) *in Vitas Demoſthenis & Ciceronis merita.* 531 ſeq. *ejusdem libri interpretatio Latina ſub judicium vocata.* 534
Belli *Italici hiſtoria expoſita.* 415 ſeq.
Beſſarionis *Trapezuntii vita, & in literas Græcas merita.* 39 ſeq.
Ad Beſtias *qui olim damnati?* 389 ſeq.
Bibliotheca *auguſta Wolffenbuttelenſis a variis laudata.* 48
Bibliothecæ *Taurinenſis Codices MSti recenſiti.* 433 ſeq. *cujusdam Argentoratenſis libri impreſſi & MSti recenſiti.* 529 ſeq.
Bilancium *theoria.* 56
Blumii (*H. J.*) *vita illuſtrata.* 46
Bodlejani *numi collecti & explicati.* 97 ſeq.
Bœrnerus (*Chriſt. Frid.*) *laudatus, & votis exceptus.* 528
A Boineburg (*Jo. Chriſt.*) *vita illuſtrata.* 46
Bonfadii (*Jac.*) *vita.* 225. 377 *Epiſtolæ & opuſcula edita.* 227. 377 ſeq.
Bongiovanni (*Ant.*) *in antiquum Homeri Scholiaſten merita.* 655 ſeq.
Boſphori *Cimmerii Regum hiſtoria illuſtrata.* 180 ſeq.
Bubaſtis, *Ægyptiorum Numen.* 597
Burmanni, *Gymnaſii Joachimici Rectoris primi, vita.* 701
Buto, *Ægyptiorum Numen.* 598

C.

Cæſaris (*Jul.*) *locus illuſtratus.* 593 ſeq.
Callimachus *emendatus.* 614 ſeq.
Calliſti (*Andronici*) *vita, & in literas Græcas merita.* 43 ſeq.

Cano-

Digitized by Google

Canobus, *Ægyptiorum Deus.* 603 ſeq.
Canoniſatio *Caroli M. expoſita.* 367 ſeq.
Caroli *M. Canoniſatio expoſita.* 367 ſeq.
Celſi *varia loca emendata.* 645 ſeq.
De Celſi *editionibus judicium.* 643
vita ſingularia. 644
Cenſus *olim quid fuerit?* 487
Chalcondylæ (*Demetrii*) *vita, & in literas Græcas merita.* 43 ſeq
Chalipharum *hiſtoria deſcripta.* 308 ſeq.
De Chriſti *humana natura error Whiſtoni refutatus.* 525 ſeq.
Chronologia *antiqua illuſtrata.* 327
Chryſoloræ (*Eman.*) *vita, & in literas Græcas merita.* 37 ſeq.
Ciceronis *Orationes nonnullæ editæ & emendatæ.* 81 ſeq.
Circuli *peripheria expreſſa.* 133
Clement (*Dav.*) *laudatus.* 254
Cnephus, *vid.* Cnuphis.
Cnuphis, *vel Cnephus, Ægyptiorum Deus, deſcriptus.* 284
Comœdiæ *ex antiquis collectæ, & illuſtratæ.* 378 ſeq.
origo, & regulæ artis. 425 ſeq.
Conringii (*Herm.*) *vita illuſtrata.* 46
Conſtantini *Porphyrogenneti Imp. vita & res geſtæ.* 51 ſeq. 55
Magni hiſtoria illuſtrata. 499 ſeq.
In Conſtantini *Porphyrogenneti opus novum merita Leibnitii & Reiskii.* 50 ſeq.
Contareni (*Caſp.*) *in conventu Ratisbonenſi res geſtæ.* 116
vita duplex. 118
Contradiametri *quid ſint?* 25
Creditorum *olim privilegia?* 393
Cremonæ *urbis origo & fata.* 448 ſeq.
Cremonenſium *Epiſcoporum vitæ deſcriptæ.* 450 ſeq.
Curvæ *lemniſcatæ dimenſio explicata.* 513
Curvarum *analyſis.* 20 ſeq.
Cymbarum *theoria.* 58

D.

Decurionum *nomina in antiqua tabula ahenea.* 623 ſeq.
Dialectica *variis prælectionibus illuſtrata.* 141 ſeq.
Diametri *curvilineæ explicatæ.* 25
Diaphragmatis *muſculi quales?* 419

Differentialium *æquationum caſus integrabiles.* 59
Dio *Caſſius explicatus, aut emendatus.* 629 ſeq.
In Dionem *Caſſium merita Reimari.* 625 ſeq.
Falconii qualia? 673 ſeq.
Diplomata *Auſtriaca collecta.* 246
De Dominis (*Marc. Ant.*) *quæ de Iride ſcripſerit?* 414

E.

Eccardi (*Jo. Ge.*) *genealogia Guelforum refutata.* 294
Eccleſiarum *orientalis & occidentalis diſcidii origo & cauſæ.* 705 ſeq.
Electricitas *ex principiis Neutonianis explicata.* 694 ſeq.
circulationem ſanguinis accelerat. 695
Eloquentiæ *Gallicæ pulchritudo & defectus quales?* 331 ſeq.
Elsneri (*Jac.*) *elogium.* 316
Epiſtolæ *eruditorum variæ editæ.* 47 ſeq.
Etruſcæ *linguæ cum Græcorum antiqua affinitas.* 567
Euchariſticæ *antiquitates illuſtratæ.* 89 ſeq.
Evictionis *doctrina explicata.* 388

F.

Fabretti (*Steph.*) *Carmina laudata.* 669
De Fagnani (*Jul. Carolus*) *Comes laudatus.* 506
De Falconiana *Dionis Caſſii editione judicium.* 629
673 ſeq.
Faſcia *Auſtriaca illuſtrata.* 244 ſeq.
Fertilitatis *terræ cauſæ.* 589
Feſtorum *dierum numerus autoritate Summorum Pontificum ſtabilitus.* 353 ſeq.
De Feſtorum *diminutione ſcripta collecta.* 351 ſeq.
Filicum *rariores aliquot ſpecies.* 75
Fœtus *bicipitis anatome.* 420
Francofurtanæ *ad Mœnum urbis aer & aquæ quales?* 32 ſeq.
Frey (*Jo. Lud.*) *a Wetſtenio male habitus.* 6
Frigus *unde?* 323
Fungorum *hiſtoria quomodo perficienda?* 127
Fuſia *Caninia lex poſterior Ælia Sentia.* 487

G.

Gallicæ *Poeſeos & eloquentiæ pulchritudo & defectus quales?* 331 ſeq.
Gazæ (*Theodori*) *vita, & in literas merita.* 41 ſeq.
Gemma *rarior Etruſca illuſtrata.* 173

Digitized by Google

De Geniis *doctrina illuſtrata.* 186 ſeq.
Geodæticarum *aberrationum computus.* 210
Geographiæ *ſacræ ſpecimen.* 477 ſeq.
Georgii *Trapezuntii vita, & in literas Græcas merita.* 41
Gigantea *Calvaria.* 405
Glaciei *frigus & calor qualis?* 75
De Gladiatoribus *tollendis lex explicata.* 389
De Gladio, *quo Guſtavus Adolphus, R. Sueciæ, occubuit, ſingularia.* 383 ſeq.
Gorii (*Ant. Franc.*) *labores literarii quales?* 149
Græcarum *literarum in Italia inſtauratores recenſiti.* 36 ſeq.
Græcorum, *qui literas Græcas in Italiam intulerunt, hiſtoria deſcripta.* 36 ſeq
— *pronuntiatio hodierna a veteri longe diſcrepans.* 422 ſeq
Guelficæ *domus origines inveſtigatæ.* 289 ſeq.
Guſtavi *Adolphi, R. Sueciæ, gladius in Bibliotheca Senatus Lipſienſis aſſervatur.* 382
Gymnaſii *regii Joachimici inſtitutio deſcripta.* 700

H.

Hallerus (*Alb.*) *refutatus.* 266
Haniſii (*Dav.*) *vita illuſtrata.* 48
Harpocrates, *Ægyptiorum Deus, deſcriptus.* 287
Herculanenſes *antiquitates illuſtratæ.* 150 ſeq.
Hercules *Ægyptiorum qualis?* 286
Herma *deſcripta.* 84 ſeq.
Hermonymi (*Georg.*) *vita, & in literas Græcas merita.* 44
Herrgotti (*Marquardi*) *in Auſtriacam domum merita.* 241 ſeq.
Heſiodi *opera denuo edita.* 176
Heumanni (*C. A.*) *in Ciceronis tres Orationes merita.* 81 ſeq.
Heuſingeri (*Jo. Mich.*) *in Ciceronis Orationes nonnullas merita.* 81 ſeq.
Hieroſolyma *ubi olim ſita?* 478
Hohenloicæ *domui ſuperioritas territorialis ante Interregnum magnum vindicata.* 606 ſeq.
In Homeri *Iliados Librum I Scholia antiqua edita.* 655
Hominis *ſani theoria phyſiologica.* 259 ſeq.
Horus, *Ægyptiorum Deus, deſcriptus.* 287

I.

Jablonski (*Paul. Ern.*) *laudatus.* 280

Ichnographicæ *artis hodierna praxis expoſita.* 208 ſeq
Impoſturæ *literariæ exemplum.* 673 ſeq
Inſcriptio, *memoriam operationum, ad figuram telluris definiendam ſub Æquatore factarum, conſervans.* 698
Joachimici *Gymnaſii inſtituti deſcripta.* 70c
De Iride *doctrina carmine explicata.* 412 ſeq.
Iſelius (*Jac. Chriſtoph.*) *a Wetſtenio acerbe tractatus.* 6
Iſis *quale Ægyptiorum numen?* 595 ſeq
Iſocratis *Orationes tres denuo editæ.* 170
Italici *belli hiſtoria expoſita.* 415 ſeq.
Italorum *ſtudium, res antiquas illuſtrandi, commendatum.* 152 ſeq.
ſermonis Latini ſtudium quale? 415 ſeq
Judæorum *in Sicilia ſtatus & hiſtoria deſcripta.* 9 ſeq.
Juliani *Imp. hiſtoria illuſtrata.* 500 ſeq.
De Jurisdictione *argumentum explicatum.* 387

K.

Ad Kæſtnerum (*Abr. Gotthelf*) *epiſtola Domini de la Lande.* 463 ſeq.
Kretzſchmari (*Chriſtoph.*) *in varios Autores Græcos merita.* 175

L.

De Lamiarum *congreſſu nocturno quid ſentiendum?* 355 ſeq.
Lamii (*Jo*) *in Opera Meurſii præclara merita.* 706 ſeq.
Lapides *in fundo maris Adriatici.* 397
Laſcaris (*Conſtantini*) *vita, & in literas Græcas merita.* 43
(*Jani*) *vita, & in literas Græcas merita.* 44 ſeq.
Laurentii *Medicei vita deſcripta.* 232 ſeq.
Leibnitii (*G. G.*) *vita illuſtrata.* 316
Leichii (*Jo. Henr.*) *in Conſtantini Porphyrogenneti opus novum merita.* 50 ſeq.
vita, & in literas merita. 94 ſeq.
Lesbonactis *numus.* 181
Librorum *rariorum notitia literaria.* 254 ſeq.
Ligorii (*Pyrrhi*) *opus antiquitatum ab interitu vindicatum.* 436
De Lipſii (*Juſti*) *ſtilo judicium.* 417
Literarum *origo unde?* 324 ſeq.

Litur-

Digitized by Google

Liturgiæ *quædam antiquæ collecta.* 1 ſeq.
Locatores *Scenicorum qui?* 569
Logarithmi *quantitatum negativarum an imaginarii?* 591
Lunæ *parallaxis quomodo cum figura telluris cohæreat?* 464
Lunares *obſervationes Griſchovii.* 218
de la Lande. 476

M.

Machinarum *uſus maxime lucroſus.* 61
Manuſcripti *Codices Bibliothecæ Taurinenſis recenſiti.* 433 ſeq.
Marignii *Hiſtoria Arabum ſub judicium vocata.* 248 ſeq. 310 ſeq
Maris *doctrina illuſtrata.* 123 ſeq.
Adriatici hiſtoria naturalis illuſtrata. 395 ſeq
fundus attollitur. 399
Marmora *Veronenſia in claſſes redacta.* 561
Maſſilienſis *urbis fundatio illuſtrata.* 180 ſeq.
Materiæ *medicæ doctrina explicata.* 135 ſeq.
Medicamenta *in ſuas claſſes redacta.* 519 ſeq.
Menckenii (*Frid. Ott.*) *a Card. Quirino impugnati, vindiciæ tentatæ.* 114
Mendes, *Ægyptiorum Deus, deſcriptus.* 288
Menſa *ſacra Juvenalis illuſtrata.* 170 ſeq.
Menſula *Prætoriana perfecta.* 209
Mercurii *ſtatua deſcripta.* 84 ſeq.
Metilia *gens in nummo antiquo.* 703 ſeq.
Meurſii (*Jo.*) *Opera in corpus integrum collecta.* 706 ſeq.
Mnevis & *Onuphis, tauri Ægyptiis ſacri.* 601
Monogrammatum *explicandorum ratio explicata.* 573
Monſtrorum *duorum anatome.* 420
Morbi *Naroniani natura & cura deſcripta.* 77 ſeq.
Morbus *quid ſit?* 457
Morgagni (*Jo. Bapt.*) *in Celſum merita.* 643 ſeq.
Mozarabicum *Officium deſcriptum.* 146
Muhammedis *vita a Marignio erroribus fœdata.* 248 ſeq.
Muſcorum *hiſtoria & varia genera deſcripta.* 193 ſeq.
uſus indicatus. 203 ſeq.
Muſculorum *combinationes diverſæ quot motus producant?* 76

Muſicæ

Muſicæ *veteris & novæ diſcrimen.* 406
Muſuri (*Marci*) *vita, & in literas Græcas merita.* 45

N.

Naroniani *morbi natura & cura deſcripta.* 77 ſeq.
Neitha, *Ægyptiorum Deus, deſcriptus.* 283
Nephthys *qualis Ægyptiorum Dea?* 603
Nilus *an a fluvio ad Rhinocurum differat?* 339
ab Ægyptiis pro Deo cultus. 599
De Nocturno *congreſſu lamiarum quid ſentiendum?* 355 ſeq.
Nonnii *diviſio lineis tranſverſalibus præferenda.* 473
Numi *Bodlejani collecti & explicati.* 97 ſeq.
Arabicis literis ſignati. 102 ſeq.
ſelectiores collecti. 370 ſeq 563 ſeq.
Etruſci Paſtanorum explicati. 567
De Numo *Amyntæ judicium.* 99
Numus *Abgari explicatus.* 101
Lesbonactem repræſentans. 181 ſeq.
Numus *antiquus, Metiliæ gentis memoriam conſervans.* 703

O.

Orbitarum *mobilium theoria.* 69
Orthoſia *urbs ubi olim ſita?* 338
D'Orvillii (*Jac. Phil.*) *vita, & in literas merita.* 428 ſeq.
Oſcillationum *novum genus.* 73
Oſiris *Ægyptiis Sol.* 285
Oudendorpii (*Franc.*) *in Suetonium merita.* 488 ſeq.
in refutandis aliis inurbanitas notata. 490

P.

Patena *argentea Forocornelienſis deſcripta.* 88 ſeq.
Patenarum *eucharisticarum quæ olim ratio?* 89 ſeq.
Patri *an filios vendere Jure civili liceat?* 392
Peripheria *circuli expreſſa.* 133
Petrefacta *Veronenſia in claſſes redacta.* 547 ſeq.
Pfaffius (*Chriſtoph. Matth.*) *a Taurinenſibus accuſatur.* 434
ſui ipſius vindex. 443 ſeq.
Philoſophiæ *recentioris elementa nova.* 322 ſeq.
Phtha, *Ægyptiorum Deus, deſcriptus.* 282

Phyſio-

Digitized by Google

Phyſiologia *Hambergeri laudata.* 258 ſeq.
Plagii *literarii exempla collecta.* 680
A Plagii *crimine Carteſius vindicatus.* 414
Plantarum *diſpoſitio Gleditſchii.* 591
Plotini *Philoſophi vita.* 185
Plutarchi *libelli duo denuo editi.* 175
vitæ Demoſthenis & Ciceronis denuo edita. 531 ſeq.
paſſim emendatæ. 534 ſeq.
Pocockius *modeſte refutatus.* 338
Poeſios *Gallicæ pulchritudo & defectus quales?* 331 ſeq.
Poetæ *Angli principes recenſiti.* 238 ſeq.
Poli (*Reginaldi*) *Epiſtolæ collectæ.* 120 ſeq.
Polygonorum *latera expreſſa.* 134
Polyparorum *claſſis quid complectatur?* 402
Popovitſchii *doctrina commendata.* 127
Porphyrii *liber Gallice redditus.* 185
Pronuntiatio *Græcorum hodierna a veteri longe diſcrepans.* 422 ſeq.
Proportionum *geometricarum theoria generalis.* 506 ſeq.
Pruſſorum *origo illuſtrata.* 594
Pſeudomenon *quid ſit?* 142
Pullos *fornacis ope excludendi methodus.* 460 ſeq.
Pythagoræ *de Deo ſentiendi ratio explicata.* 187

Q.

Quantitates *imaginariæ quomodo Geometriæ inſerviant?* 517
Quito *urbis latitudo.* 693

R.

Refractio *non ſemper a ſolo denſitatum diſcrimine pendet.* 414
De Regibus *Roma ejectis locus Pomponii explicatus.* 391
Reimari (*Herm. Sam.*) *in Hiſtoriam Romanam merita.* 625 ſeq.
Reiskii (*Jo. Jac.*) *in Conſtantini Porphyrogenneti opus novum merita.* 51 ſeq.
Reitzii (*Guil. Ottonis*) *in Theophili Paraphraſin Inſtitutionum merita.* 481 ſeq.
De Reſpiratione *experimenta anatomica.* 419
Ad Rhinocurum *fluvius an idem ſit, qui Nilus?* 339

Ruhnkenii (*Dav.*) *in Callimachum & Apollonium Rhodium merita.* 613 ſeq.

S.

Sacramentarii *Veronenſis antiquitas illuſtrata.* 341 ſeq.
autor quis? 348 ſeq.
De Sagis *ſtrigibusque commenta refutata.* 361 ſeq.
Sagittariorum *antiquitates illuſtratæ.* 394
Samonici (*Q. Sereni*) *loca varia emendata.* 652 ſeq.
Sanctorum, *quorum reliquiæ Cremonæ aſſervantur, menologium.* 454
Sanguinis *circulatio ab electricitate acceleratur.* 695
in corpore humano theoria explicata. 259 ſeq.
Ad Sanitatem *quid requiratur?* 456
Scævolæ (*Q. Cervidii*) *leges explicatæ.* 390 ſeq.
De Scaligeri (*Joſ.*) *in Celſum annotationibus judicium.* 651
Scenicorum *locatores qui?* 569 ſeq.
Scheidius (*Chriſtian. Lud.*) *felix Originum Guelficarum illuſtrator & emendator.* 290 ſeq.
Schmettau *Comitis elogium.* 316
Scripturæ *antiquitas veſtigata.* 325
Sacræ loca explicata, aut illuſtrata:
Gen. I, 2. 527
III, 15. 524
XI, 28. 479
31. ibid.
XIII, 18. ibid.
XIV, 6. ibid.
XXXI, 42. 690
54. ibid.
L, 2. 692
Num. XXXIII, 8. 341
35. 479
Deut. XXIII, 19, 20. 586
XXVIII, 12. ibid.
XXXII, 51. 479
Joſ. XV, 4. 339
51. 479
XIX, 27. 478
XXI, 27. 480
1 *Sam.* XXI, 9. 691
XXXI, 9, 10. ibid.
2 *Sam.* X, 6. 480
XII, 31. ibid.
1 *Reg.* IV, 5. 546
VIII, 65. 339
IX, 6. 479
26. ibid.
XI, 18. ibid.
XVII, 1. 478
2 *Reg.* XV, 29. ibid.
XVI, 6. 479
XXII, 14. 362

Digitized by Google

1 Chron. XXV, 20 ſeq. 479
Neh. IX, 7. ibid.
Job. XXXIX. 340
Pſ. II, 7. 524
XIV, 5. 586
XXXVI, 22. 587
26. 586
27. 587
LIV, 10. 583
11, 12. 587
LXXI, 12 - 13. ibid.
14. 587. 593
17. 588
CVIII, 11. 587
CIX, 31. 691
CXI, 5. 587
CXLVIII. 239
Prov. XIX, 17. 587
XXII, 7. ibid.
XXVIII, 8. ibid.
XXXI, 6. 7. 691
Eſ. VII, 14. 526
XV, 22. 479
XXXIV, 14. 360
LVIII, 5 - 7. 587
Jer. XV, 10. 587
XLIX, 7. 479
28. 480
30. ibid.
33. ibid.
Ezech. XVIII, 1 - 13. 587
8. 586
XXVII, 11. 478
Hoſ. VI, 8. 478
Hoſ. XII, 13. 478
14. 528
Amoſ. VIII, 4 - 6. 587
2 Eſdr. V, 3. ibid.
Tob. I, 2. 478
VIII, 9. 693
Matth. I, 1. 4
22. 6
23. 526
II, 1, 2. 6
11. 2. 6
12. 7
15. ibid.
19. ibid.
III, 4. ibid.
6. ibid.
7. ibid.
8. 2. 7
11. 2
15. 8
16. 2
IV, 2, 3 ſeq. 7
6. ibid.
10. 3
18. ibid.
24. 7
V, 42. 587
XII, 45. 693
46 - 48. 692
XIII, 55. ibid.
XIV, 7. 363
XVI, 28. 694
XVIII, 21, 22. 693
XXII, 21. 587
XXV, 27. 581. 587

Matth. XXVI, 12. 692
45. ibid.
XXVII, 52, 53. 527
Marc. III, 31 - 33. 692
VI, 3. ibid.
IX, 1. 694
Luc. I, 69. 526
78. ibid.
II, 20, 21. 691
VI, 12. 17
35. 583. 587
VIII, 19, 20. 692
IX, 27. 694
XI, 26. 693
XII, 14. 587
XVI, 29. 537
XIX, 23. 581
Jo. II, 12. 692
19. 527
VII, 3. 692
XIV. 527
XV, 4. 688
XVI. 527
XVIII, 36. 587
XIX, 14. 689
40. 692
Act. I, 14. 692
VII, 3. 479
XIII, 33. 525
XX, 11. 534
XXVI, 7. 538
XXVII, 17. 534
XXVIII, 14. ibid.
Rom. I, 4. 526
Rom. VII, 23. 575
XII, 13. 528
1 Cor. II, 17. ibid.
VII, 39. 693
IX, 5. 692
XI, 28. 534
XII, 31. 693
XIV, 39. ibid.
XV, 1, 2. 692
20. 527
2 Cor. I, 5. 687
Eph. III, 17. 691
20. ibid.
Phil. II, 6 ſeq. 526
Col. I, 18. 527
1 Tim. III, 15, 16. 525
16. 5
2 Tim. IV, 5. 691
Tit. III, 1. 587
1 Jo. II, 20. 527
27. ibid.
28. 528
IV, 17. ibid.
Ebr. XI, 8. 479
Apoc. I, 4. 693
5. 527
17. 18. ibid.
II, 8. 478
XVI, 16. ibid.
XVII, 9. ibid.
XVIII, 8 ſeq. ibid.
Scyllæ *latratus unde?* 605
Seculi *IV & V hiſtoria illuſtrata.* 499 ſeq.

Sera-

Serapis *Ægyptiorum Sol infe- rus.* 287
terreſtris, Ægyptiorum Deus. 601
Shavius (*Thom.*) *ſui ipſius vindex.* 338
In Sicilia *quæ Judæorum ab antiquiſſimis inde temporibus fata fuerint?* 9 ſeq.
Sigilla *Archiducum Auſtriæ collecta.* 243 ſeq.
Simyra *urbs ubi olim ſita?* 338
Solares *obſervationes Griſchovii.* 223
Sothis, *Ægyptiorum Numen quale?* 596 ſeq.
Spectaculorum *nundinalium hiſtoria.* 375 ſeq.
Spelmanus (*Eduardus*) *felix Expeditionis Cyri Xenophonteæ interpres & illuſtrator.* 538 ſeq.
Spermaticorum *animalculorum origo & indoles.* 35 ſeq.
Statua *Mercurii deſcripta.* 84 ſeq.
Stiebrizius *modeſte refutatus.* 524
Stili *doctrina explicata.* 333 ſeq.
epiſtolaris quæ ratio? 336
De Strigibus *ſagisque commenta refutata.* 361 ſeq.
Suetonius *denuo editus.* 488 ſeq.
ejus loca aliquot explicata, aut emendata. 491 ſeq.
Suidæ *locus emendatus.* 633

T.

Telluris *figuræ & magnitudinis cauſa phyſica explicata.* 409 ſeq. 464
Ad Telluris *figuram definiendam operationes ſub Æquatore factæ.* 696 ſeq.
N. Teſtamenti *editio Wetſteniana commendata.* 2 ſeq.
Thaleri *rariores collecti.* 370. 562 ſeq.
Thaletis *quæ fuerit de Deo ſentiendi ratio?* 187 ſeq.
Theognidis *Sententiæ denuo editæ.* 177
Theophili *Paraphraſis Inſtitutionum denuo edita.* 481 ſeq.
loca quædam explicata, aut emendata. 485 ſeq.
Thoth, *Ægyptiorum Deus.* 604
Thucydidis *loca aliquot explicata, aut emendata.* 432
Tithrambo, *Ægyptiorum Deus, deſcriptus.* 284
Tragœdiæ *ex antiquis collectæ, & illuſtratæ.* 378 ſeq.
origo, & regulæ artis. 425 ſeq.

De Triangulis *rectilineis doctrina explicata.* 508 ſeq.
Tunica *nova, pupillam fœtus claudens.* 421
Typhon, *malus Ægyptiorum genius.* 602 ſeq.

V U.

Variolarum *ratio expoſita* 317 ſeq.
Veronenſia *petrefacta & marmora in claſſes redacta.* 547 ſeq
Verpoortenii (*Phil. Theodori*) *vita & in literas merita deſcripta.* 189 ſeq.
Virgilii *Poetæ cauſa perorata.* 568
Virium *vivarum æſtimatio.* 177
Vitaliana, *novum plantæ genus.* 403
Urbium, *quarum in ſacris literis fit mentio, antiquitates illuſtratæ.* 477 ſeq.
Uſuræ *an ſint licitæ, a variis varie diſceptatum.* 577 ſeq.
De Utero *humano obſervationes anatomicæ.* 658 ſeq.

W W.

Weislingerus (*Jo. Nic.*) *ad infames calumniatores rejectus.* 529 ſeq.
Welfi I *genealogia quæ?* 299
Werthemienſis *S. Scripturæ interpres refutatus.* 524
Wetſtenii (*Jo. Jac.*) *editio N. Teſt. commendata.* 2 ſeq.
Wiſe (*Franc.*) *felix numorum Bodlejanorum interpres.* 97 ſeq.
Woldemari *Brandenburgici hiſtoria deſcripta.* 701

X X.

Xenophontis *Expeditio Cyri Anglice reddita.* 538 ſeq.
paſſim explicata, aut emendata. 545 ſeq.
notitia geographiæ qualis? 546
Xiphilinus *explicatus & emendatus.* 630 ſeq.

Z Z.

Zanchii (*Baſilii*) *vita.* 229
Carmina collecta. ibid.

Pag. 354 lin. 31 poſt *nocturno* legendum *lamiarum; & pag. 538 lin. 20* pro *Latina* leg. *Anglica.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google